INSTITUTI
SOCIETATIS IESU

VOLUMEN PRIMUM

INSTITUTUM

SOCIETATIS IESU

VOLUMEN PRIMUM

BULLARIUM

ET

COMPENDIUM PRIVILEGIORUM



FLORENTIAE

EX TYPOGRAPHIA A SS. CONCEPTIONE

1892

SUMMA TOTIUS VOLUMINIS.

INDEX CHRONOLOGICUS

ET SUMMARIUM

LITTERARUM APOSTOLICARUM.

GREGORII XIII.

SIXTI V.

GREGORII XIV.

CLEMENTIS VIII.

PAULI V.

GREGORII XV.

URBANI VIII.

INNOCENTII X.

ALEXANDRI VII.

CLEMENTIS IX.

CLEMENTIS X.

INNOCENTII XI.

CLEMENTIS XI.

BENEDICTI XIII.

CLEMENTIS XII.

BENEDICTI XIV.

CLEMENTIS XIII.

CLEMENTIS XIV.

PII VII.

LEONIS XII.

GREGORII XVI.

PII IX.

LEONIS XIII.

INDEX ALPHABETICUS

LITTERARUM APOSTOLICARUM.

LITTERAE APOSTOLICAE

RESCRIPTA ET INDULTA

SANCTAE SEDIS

PAULI III

PRIMA INSTITUTI SOCIETATIS IESU APPROBATIO

CUM RESTRICTIONE NUMERI

AD PERSONAS SEXAGINTA DUMTAXAT.

PAULUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

PAULI III

REGIMINI MILITANTIS Ecclesiae, meritis licet imparibus, disponente Domino, praesidentes; et animarum salutem, prout ex debito pastoralis officii tenemur, sollicitis studiis exquirentes: fideles quoslibet, qui vota sua in id exponunt, apostolici favoris gratia confovemus, aliasque desuper disponimus, prout, temporum et locorum qualitate pensata, id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Primi decem Patres Societatis.

Nuper siquidem accepimus quod dilecti filii, Ignatius de Loyola, et Petrus Faber, ac Iacobus Laynez, nec non Claudius Iaius, et Paschasius Broet, ac Franciscus Xavier, nec non Alfonsus Salmeron, et Simon Rodericus, ac Ioannes Coduri, et Nicolaus de Bobadilla, Presbyteri Pampilonen., Gebennen., Seguntin., Toletan., Visen., Ebredunen. et Palentin. civitatum et dioeceseon respective, in artibus Magistri, in Universitate Parisiensi graduati, et in theologicis studiis per plures annos exercitati, Spiritu Sancto, ut pie creditur, afflati, iam dudum e diversis mundi regionibus discedentes, in unum convenerunt, et Socii effecti, abdicatis huius saeculi illecebris, eorum vitam perpetuo Domini nostri IESU Christi, atque Nostro et aliorum successorum Nostrorum Romanorum Pontificum servitio dedicarunt; et iam quampluribus annis laudabiliter in vinea Domini se exercuerunt, verbum DEI praevia sufficienti licentia publice praedicando, fideles privatim ad bene beateque vivendum exhortando et ad pias meditationes excitando, hospitalibus inserviendo, pueros et personas rudes ea, quae ad christianam hominis institutionem sunt necessaria, docendo, et demum omnia charitatis officia et quae ad animarum consolationem faciunt, ubique terrarum, ubi peregrinati sunt, multa cum laude obeundo. Cumque ad hanc almam Urbem se contulerint, et in charitatis vinculo persistentes, ad perficiendam et conservandam eorum Societatis in Christo unionem, quamdam vivendi formam, iuxta ea, quae ad propositum sibi finem conducere usu didicerunt, evangelicis consiliis et canonicis Patrum sanctionibus conformem ediderint: factum est, ut ipsorum Sociorum vitae institutum, sub dicta formula comprehensum, non solum a multis probis viris et DEUM zelanti-

27 Sept. 1540

Prima Patrum exercitia.

PAULI III — 27 Sept. 1540

bus laudetur, verum etiam a quibusdam ita approbetur, ut illud etiam sequi velint. Formulae autem praedictae tenor sequitur, et est talis:

Instituti Societatis formula.

Quicumque in Societate nostra, quam IESU nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo DEO militare, et soli Domino atque Romano Pontifici, eius in terris Vicario, servire, post solemne perpetuae castitatis votum, proponat sibi in animo se partem esse Societatis, ad hoc potissimum institutae, ut ad profectum animarum in vita et doctrina christiana, ad fidei propagationem per publicas praedicationes et verbi DEI ministerium, Spiritualia Exercitia et charitatis opera, et nominatim per puerorum ac rudium in christianismo institutionem, ac Christi fidelium in confessionibus audiendis spiritualem consolationem praecipue intendat; curetque primo DEUM, deinde huius sui Instituti rationem, quae via quaedam est ad illum, semper ante oculos habere, et finem hunc sibi a DEO propositum totis viribus assequi; unusquisque tamen secundum gratiam sibi a Spiritu Sancto subministratam, et vocationis suae proprium gradum, ne quis forte zelo utatur, sed non secundum scientiam. Cuius proprii cuiusque gradus iudicium, et officiorum discretio ac distributio tota sit in manu Praepositi seu Praelati per nos eligendi, ut congruus ordo servetur in omni bene instituta communitate necessarius; qui quidem Praepositus de consilio consociorum Constitutiones ad consecutionem huius propositi nobis finis conducentes in consilio condendi auctoritatem habeat, maiori suffragiorum parte semper statuendi ius habente. Consilium vero intelligatur esse, in rebus quidem gravioribus ac perpetuis, maior pars totius Societatis, quae a Praeposito commode convocari poterit; in levioribus autem et temporaneis, omnes illi, qui in loco, ubi Praepositus noster residebit, praesentes esse contigerit. Iubendi autem ius totum penes Praepositum erit. Sciant omnes Socii, et non solum in primis professionis suae foribus, sed quoad vixerint quotidie animo volvant, Societatem hanc universam et singulos, sub Sanctissimi Domini nostri Papae et aliorum Romanorum Pontificum successorum eius fideli obedientia, DEO militare. Et quamvis Evangelio doceamur, et fide orthodoxa cognoscamus, ac firmiter profiteamur, omnes Christi fideles Romano Pontifici, tamquam Capiti ac IESU Christi Vicario, subesse: ad maiorem tamen nostrae Societatis humilitatem, ac perfectam uniuscuiusque mortificationem et voluntatum nostrarum abnegationem, summopere conducere iudicavimus, singulos nos, ultra illud commune vinculum, speciali voto adstringi; ita ut, quidquid modernus et alii Romani Pontifices pro tempore exsistentes iusserint ad profectum animarum et fidei propagationem pertinens, et ad quascumque provincias nos mittere voluerint, sine ulla tergiversatione aut excusatione, illico, quantum in nobis fuerit, exsequi teneamur; sive miserint nos ad Turcas, sive ad quoscumque alios infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant, exsistentes, sive ad quoscumque haereticos, seu schismaticos, seu ad quosvis fideles. Quamobrem qui ad nos accessuri sunt, et antequam huic oneri humeros supponant, diu multumque meditentur, an tantum

Marginalia: Votum castitatis. — Finis Instituti. — Institutio puerorum. — Officiorum distributio. — De condendis Constitutionibus. — Speciale votum obediendi Romano Pontifici.

PAULI III **27 Sept. 1540**

pecuniae spiritualis in bonis habeant, ut turrim hanc iuxta consilium dominicum possint consummare: hoc est, an Spiritus Sanctus, qui illos impellit, tantum illis gratiae polliceatur, ut huius vocationis pondus, illo adiuvante, se laturos sperent; et postquam, Domino inspirante, huic IESU Christi militiae nomen dederint, die noctuque succincti lumbos, et ad tam grandis debiti solutionem prompti esse debebunt. Ne qua autem possit esse inter nos missionum ac provinciarum huiusmodi aut ambitio vel detrectatio, profiteantur singuli, se numquam directe aut indirecte de huiusmodi missionibus quidquam cum Romano Pontifice curaturos, sed omnem hanc curam DEO et ipsi Pontifici, tamquam eius Vicario, et Societatis Praeposito dimissuros: qui quidem Praepositus, sicut caeteri, etiam profiteatur se nihil de suimetipsius missione in alterutram partem, nisi de Societatis Consilio, cum dicto Pontifice esse curaturum. Voveant singuli se in omnibus, quae ad Regulae huius nostrae observationem faciunt, obedientes fore Societatis Praeposito. Ille autem iubeat ea, quae ad consecutionem propositi sibi a DEO et a Societate finis cognoverit esse opportuna; in praelatione autem sua, benignitatis ac mansuetudinis charitatisque Christi, ac Petri Paulique formulae semper sit memor; et tam ipse quam Consilium ad normam hanc assidue spectent; et nominatim commendatam habeant institutionem puerorum ac rudium in christiana doctrina decem praeceptorum, atque aliorum similium rudimentorum, quaecumque secundum circumstantias personarum, locorum ac temporum illis congrua videbuntur. Est enim maxime necessarium, circa providentiam huius rei diligenter Praepositum et Consilium invigilare, cum et in proximis aedificium fidei sine fundamento non possit consurgere, et in Nostris periculum sit, ne, ut quisque erit doctior, ita provinciam hanc, tamquam primo aspectu minus speciosam, forsitan detrectare conetur; cum tamen revera nulla sit fructuosior, vel proximis ad aedificationem, vel Nostris ad charitatis et humilitatis simul officia exercenda. Subditi vero, tum propter ingentes Ordinis utilitates, tum propter numquam satis laudatum humilitatis assiduum exercitium, Praeposito in omnibus ad Institutum Societatis pertinentibus parere semper teneantur, et in illo Christum veluti praesentem agnoscant, et quantum decet venerentur. Cum autem experti fuerimus iucundiorem, puriorem et ad proximi aedificationem aptiorem esse vitam ab omni avaritiae contagione quam remotissimam et evangelicae paupertati quam simillimam; cumque sciamus Dominum nostrum IESUM Christum servis suis, regnum DEI solum inquirentibus, necessaria ad victum et vestitum esse subministraturum: voveant singuli et universi perpetuam paupertatem, declarantes quod non solum privatim, sed neque etiam communiter possint pro Societatis sustentatione aut usu, ad bona aliqua stabilia, aut ad proventus seu introitus aliquos, ius aliquod civile acquirere; sed sint contenti usum tantum rerum sibi donatarum, ad necessaria sibi comparanda, recipere. Possint tamen habere in Universitatibus Collegium seu Collegia, habentia reditus, census seu possessiones, usibus et necessitatibus studentium ap-

Missiones non procurandae.

Votum obedientiae.

Gubernandi ratio.

De institutione puerorum ac rudium.

Obedientia subditorum erga Praepositum.

Votum paupertatis.

De Collegiis et eorum reditibus.

PAULI III — 27 Sept. 1540

plicandas; retenta penes Praepositum et Societatem omnimoda gubernatione, seu superintendentia super dicta Collegia et praedictos studentes, quoad gubernatoris seu gubernatorum ac studentium electionem, ac eorumdem admissionem, emissionem, receptionem, exclusionem, statutorum ordinationem, circa studentium instructionem, eruditionem, aedificationem ac correctionem, victus vestitusque eis ministrandi modum, atque aliam omnimodam gubernationem, regimen ac curam; sic tamen, ut neque studentes dictis bonis abuti, neque Societas in proprios usus convertere possit, sed studentium necessitati subvenire. Qui quidem, post cognitum in spiritu et litteris eorum profectum, et post sufficientem probationem, in Societatem nostram admitti possint.

De divino officio recitando.

Socii omnes, quicumque in sacris fuerint, quamvis beneficia ecclesiastica aut eorum reditus non habeant, teneantur tamen singuli privatim ac particulariter, et non communiter, ad dicendum officium secundum Ecclesiae ritum. — Haec sunt, quae sub praefati Domini nostri Pauli et Sedis Apostolicae beneplacito, de nostra professione, typo quodam explicare potuimus. Quod nunc fecimus, ut summatim scriptione hac informaremus tum illos, qui nos de nostro vitae instituto interrogant, tum etiam posteros nostros, si quos, Deo volente, imitatores umquam habebimus huius vitae.

Admittendi probentur.

Quam cum multas magnasque habere annexas difficultates fuerimus experti, opportunum iudicavimus etiam statuere, ne quis in hac Societate recipiatur, nisi diu ac diligentissime fuerit probatus; cumque prudens in Christo, et vel doctrina seu vitae christianae puritate apparuerit conspicuus, tunc demum admittatur ad Iesu Christi militiam: qui tenuibus coeptis nostris favere dignetur ad gloriam Dei Patris, cui soli sit semper decus et honor in saecula. Amen.

Approbatio Instituti.

Cum autem nil in praemissis reperiatur, quod pium non sit ac sanctum, Nos, ut iidem Socii, qui Nobis super hoc humillime supplicari fecerunt, in eorum pio vivendi proposito eo promptiores exsistant, quo se maiori Sedis Apostolicae gratia complecti cognorint, et praemissa per nos approbari viderint; praemissa omnia et singula, tamquam ad spiritualem profectum eorumdem Sociorum et reliqui christiani gregis opportuna, apostolica auctoritate, tenore praesentium ex certa scientia approbamus, confirmamus et benedicimus, ac perpetuae firmitatis munimine roboramus; ipsosque Socios sub Nostra et huius sanctae Sedis Apostolicae protectione suscipimus;

Facultas condendi Constitutiones.

eis nihilominus concedentes, quod particulares inter eos Constitutiones, quas ad Societatis huiusmodi finem, et Iesu Christi Domini nostri gloriam, ac proximi utilitatem conformes esse iudicaverint, condere libere et licite valeant.

Non obstantibus generalis Concilii, et fel. rec. Gregorii Papae x, praedecessoris Nostri, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Restrictio personarum ad sexaginta.

Volumus autem, quod in Societate huiusmodi, usque ad numerum sexaginta personarum, normulam vivendi huiusmodi profiteri cupientium, et non ultra, admitti et Societati praefatae aggregari dumtaxat valeant.

PAULI III

27 Sept. 1540

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae approbationis, confirmationis, benedictionis, roborationis, susceptionis, concessionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDXL, quinto kal. Octobris, Pontificatus Nostri anno sexto. Blo.

PAULI III

FACULTAS QUOSVIS IDONEOS

SINE RESTRICTIONE NUMERI

AD SOCIETATEM IESU ADMITTENDI, ET CONSTITUTIONES CONDENDI.

PAULUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

PAULI III

14 Mar. 1544

Iniunctum nobis desuper apostolicae servitutis officium digne peragere credimus, si ad ea solitae benignitatis extendimus affectum, per quae religionis succrescat incrementum, fideique orthodoxae dilatatio ad divini Nominis laudem subsequi speretur. Cum itaque Nos alias, — postquam dilecti filii Ignatius de Loyola, et Petrus Faber, ac Iacobus Laynez, et Claudius Iaius, nec non Paschasius Broet, et Franciscus Xavier, ac Alfonsus Salmeron, et Simon Rodericus, nec non Ioannes Coduri, et Nicolaus de Bobadilla, Socii Societatis Iesu nuncupatae, Presbyteri Pampilonen., Gebennen., Seguntin., Toletan., Visen., Ebredunen. et Palentin. civitatum et dioeceseon respective, in artibus Magistri, et in Universitate Parisiensi graduati, ac in theologicis studiis per plures annos exercitati, Spiritu Sancto, ut pie creditur, afflati, iam dudum e diversis mundi regionibus discedentes in unum convenerant, et Socii effecti, eorum vitam perpetuo eiusdem Domini nostri Iesu Christi, atque Nostro et aliorum Romanorum Pontificum, successorum Nostrorum, servitio dedicarant; et cum ad hanc almam Urbem se contulissent: ad perficiendam et conservandam eorum Societatis in Christo unionem, quamdam vivendi formulam ediderant, inter alia continentem, quod: Quicumque in eorum Societate praedicta vellet sub crucis vexillo Deo militare, et soli Domino, et Romano Pontifici, eius in terris Vicario, servire; post solemne perpetuae castitatis votum proponeret sibi in animo, se partem esse Societatis, ad id potissimum institutae, ut ad profectum animarum in vita et doctrina christiana et ad fidei propagationem, per publicas praedicationes et verbi Dei ministerium, ac Spiritualia Exercitia et charitatis opera praecipue intenderet; curaretque primo Deum, deinde huius

Summa formulae Instituti.

PAULI III 14 Mar. 1544

sui Instituti rationem, quae via est ad illum, semper ante oculos habere, et finem hunc a Deo propositum totis viribus assequi, unusquisque tamen secundum gratiam sibi a Spiritu Sancto subministratam et vocationis proprium gradum; cuius proprii cuiusque gradus iudicium, et officiorum discretio ac distributio tota esset in manu Praepositi seu Praelati per eos eligendi; sciretque et quotidie animo volveret, Societatem praedictam et eius singulos sub Romani Pontificis fideli obedientia Deo militare; et ad maiorem Societatis humilitatem, et perfectam uniuscuiusque mortificationem et propriae voluntatis abnegationem, se, ultra commune vinculum, speciali vinculo adstringere, ut quidquid Romanus Pontifex pro tempore exsistens iussisset, ad profectum animarum et fidei propagationem pertinens, etiam si eum ad quascumque provincias mittere vellet, illico, quantum in eo esset, exsequi teneretur, sive eum mitteret ad Turcas, sive ad quoscumque alios infideles; voveretque perpetuam paupertatem, ita ut non solum ipse privatim, sed nec etiam Societas ipsa communiter possit pro Societatis sustentatione aut usu, ad bona aliqua stabilia, aut proventus seu introitus aliquos, ius aliquod civile acquirere; sed essent contenti usum tantum rerum sibi donatarum ad necessaria sibi comparanda recipere: possent tamen habere in Universitatibus Collegium seu Collegia habentia census, reditus et possessiones, usibus et necessitatibus studentium applicandos, retenta penes Praepositum et Societatem omnimoda gubernatione seu superintendentia super dicta Collegia et praedictos studentes, quoad gubernatoris seu gubernatorum ac studentium electionem, ac eorum admissionem, emissionem, receptionem, exclusionem, statutorum ordinationem, et circa studentium instructionem, eruditionem, aedificationem et correctionem, victus vestitusque eis ministrandi modum, et aliam omnimodam gubernationem, regimen et curam: sic tamen, ut nec studentes dictis bonis abuti, nec Societas ea in proprios usus convertere possent; — praemissa omnia et singula, per alias Nostras litteras ex certa scientia approbaverimus, confirmaverimus et benedixerimus, ac perpetuae firmitatis munimine roboraverimus, ipsosque Socios sub Nostra et Sedis Apostolicae protectione susceperimus; eis nihilominus concedentes, quod particulares inter eos Constitutiones, quas ad Societatis huiusmodi finem et Iesu Christi Domini nostri gloriam et proximi utilitatem conformes esse iudicassent, condere libere et licite valerent, prout in eisdem litteris (in quibus voluimus, quod in Societate huiusmodi usque ad numerum sexaginta personarum, normulam eamdem profiteri volentium, et non ultra, admitti, et Societati praefatae aggregari possent) plenius continetur; et, (sicut Ignatius Praepositus et alii Socii praefati Nobis nuper exponi fecerunt) Spiritu Sancto in dies cooperante, plures fideles in Parisiensi et aliis studiorum generalium Universitatibus actu studeant, qui normulam vivendi huiusmodi profiteri cupiunt, nec, stante voluntate Nostra praedicta, ultra dictum numerum ad id admitti possint: quare, pro parte Ignatii Praepositi et aliorum Sociorum praedictorum, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut in praemissis opportune provi-

Prima approbatio cum restrictione numeri.

dere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, ad eorumdem Ignatii Praepositi et Sociorum piam vitam et bonorum operum exemplum attendentes, eorum et dictorum studentium piis desideriis annuentes, ac ipsorum et cunctorum Christi fidelium animarum salutem zelantes, ipsosque Ignatium Praepositum et Socios ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati exsistunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati; eisdem Ignatio Praeposito et Sociis, quod quoslibet fideles, qui probationes in eadem formula, sub certis Constitutionibus per ipsam Societatem factis seu in posterum faciendis, contentas, pro tempore fecerint, quotquot fuerint, ad Societatem huiusmodi libere admittere, et eorum Societati huiusmodi, sub votis per Socios eiusdem Societatis emitti solitis, aggregare possint, auctoritate apostolica, tenore praesentium, ex certa scientia concedimus. Ac quod quascumque inter eos Constitutiones particulares, quas ad Societatis huiusmodi finem, et Iesu Christi Domini nostri gloriam ac proximi utilitatem conformes esse iudicaverint, condere; et tam hactenus factas, quam in posterum faciendas Constitutiones ipsas, iuxta locorum et temporum ac rerum qualitatem et varietatem, mutare, alterare seu in totum cassare, et alias de novo condere possint et valeant, quae, postquam mutatae, alteratae seu de novo conditae fuerint, eo ipso apostolica auctoritate praefata confirmatae censeantur, eadem apostolica auctoritate, de speciali gratia indulgemus.

Facultas admittendi quoslibet iuxta Constitutiones.

Facultas condendi et mutandi Constitutiones.

Quocirca venerabilibus fratribus Nostris Caesennat. et Albiganen. ac Parentin. Episcopis, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, eisdem Praeposito et Sociis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate Nostra eos concessione et indulto huiusmodi pacifice gaudere; non permittentes eos desuper per quoscumque contra praesentium tenorem quomodolibet molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas auctoritate Nostra, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Iudices qui assistant.

Non obstantibus voluntate Nostra praedicta, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus aliis, quae in dictis litteris Nostris voluimus non obstare, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Volumus autem, quod praesentium transsumptis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius Episcopi seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ubique locorum eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis ori-

Fides habeatur transsumptis.

PAULI III ginalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, concessionis, indulti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. 14 Mar. 1544

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDXLIII, pridie idus Martii, Pontificatus Nostri anno decimo. Anno vulgari 1544.

L. Torres. Ie. Lambertus.

PAULI III

FACULTATES CONCIONANDI, CONFESSIONES AUDIENDI,

ABSOLVENDI, VOTA COMMUTANDI, ETC.

DILECTIS FILIIS, MODERNO ET PRO TEMPORE EXSISTENTI PRAEPOSITO ET SOCIIS SOCIETATIS IESU, IN ALMA URBE NOSTRA CANONICE INSTITUTAE, 3 Iun. 1545

PAULUS PAPA III.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

PAULI III Cum inter cunctas sollicitudines Nostras, quibus Nos premit pastorale officium, illa sit praecipua, ut gregi dominico, Nobis superna dispositione commisso, animarum cura non desit, ne illum antiquus serpens, humano generi inimicus, indefensum et impraeparatum invadat; cupientes, ut ipsi gregi cura Nostra eo plenior impendatur quo amplior in agro Domini operariorum numerus augebitur; ac attendentes ad fructus uberes, quos in domo Domini hactenus produxistis et producere non desinitis: vestra religione, integritate, scientia, doctrina, moribus et experientia plurimum in Domino confidentes, vobis, quos alias, Societatem vestram de Iesu approbando, confirmando et benedicendo ac perpetuae firmitatis munimine roborando, sub nostra et Apostolicae Sedis protectione suscepimus, et cuilibet vestrum, qui ad hoc idoneus repertus, et per vestrae Societatis Praepositum pro tempore exsistentem deputatus fuerit, in quibusvis ecclesiis et locis ac plateis communibus seu publicis, et alias ubique locorum clero et populo verbum Dei praedicandi, proponendi et interpretandi, ac eos viam veritatis edocendi, et ad bene beateque vivendum, ita ut in vobis verbo pariter et exemplo aedificentur, in Domino hortandi, admonendi; nec non illis ex vobis, qui Presbyteri fuerint, quorumcumque utriusque sexus Christi fidelium ad vos undecumque accedentium confessiones audiendi, et confessionibus diligenter auditis ipsos et eorum singulos ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, et a quibusvis ex ipsis casibus resultantibus sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis (exceptis contentis in bulla, quae in die Coenae Domini solita est legi) absolvendi, ac eis pro commissis poenitentiam

Societatis fructus commendantur.

Facultas ubique praedicandi.

Facultas confessiones audiendi, et ab omnibus casibus, qui non sunt in bulla Coenae Domini absolvendi.

PAULI III **8 Iun. 1545**

salutarem iniungendi; nec non vota quaecumque per eos pro tempore emissa (ultramarinis, visitationis liminum BB. Petri et Pauli Apostolorum de Urbe, ac Sancti Iacobi in Compostella, nec non religionis et castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi; ac Missas ante diem, circa tamen diurnam lucem, et etiam infra horam post meridiem, quando et quoties, stante legitimo impedimento, moderno et pro tempore exsistenti Praeposito vestro praefato id necessarium, vel alias in Domino expedire visum fuerit, celebrandi; et post seu ante illarum celebrationem, aut alias, Christi fidelibus ipsis Eucharistiae et alia ecclesiastica Sacramenta, sine alicuius praeiudicio, ministrandi, Dioecesanorum locorum, Rectorum parochialium et aliarum ecclesiarum aut quorumvis aliorum licentia desuper minime requisita; ac horas canonicas diurnas pariter et nocturnas, secundum usum Romanae Ecclesiae noviter editum, dicendi et recitandi, ita quod ad alium usum observandum seu officium dicendum minime teneamini, plenam et liberam facultatem auctoritate apostolica per praesentes, ad Nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, concedimus.

Facultas vota, exceptis tantum quinque, commutandi.

Facultas ante diem et post meridiem celebrandi.

Facultas ministrandi Sacramenta.

Facultas officium romanum novum dicendi.

Iudices qui assistant.

Quocirca universis et singulis locorum Ordinariis eorumque Vicariis et aliis Superioribus mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, si et postquam praesentes litterae eis intimatae fuerint, ac quoties pro parte alicuius ex vobis quilibet eorum fuerit requisitus, in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant easdem praesentes ac in eis contenta quaecumque firmiter observari; nec permittant quemlibet ex vobis super praemissis et eorum singulis per quoscumque desuper quomodolibet molestari, impediri aut inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendo.

Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus ac prohibitionibus et litteris apostolicis, etiam per Sixtum IV in capitulo ETSI DOMINICI et alios Romanos Pontifices praedecessores Nostros, ac Nos et Sedem praedictam, etiam consistorialiter editis et factis; quibus omnibus, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, ad huiusmodi effectum pro hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse decernimus, caeterisque contrariis quibuscumque; volentes etiam et eadem auctoritate apostolica decernentes, quod praesentium transsumptis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et alicuius Praelati aut personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillo munitis, eadem fides ubique locorum in iudicio et extra illud prorsus adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Transsumptis habeatur fides.

Sic igitur, filii, his vobis concessis facultatibus ad omnipotentis DEI honorem et animarum salutem efficaciter sicque diligenter uti studeatis, quod per sollicitudinis vestrae solertiam catholicae pietatis fructus proveniant, vosque exinde apud DEUM et homines non immerito commendemini.

Exhortatio Pontificis.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die tertio Iunii MDXLV, Pontificatus Nostri anno undecimo. Blo. el. Fulgin.

PAULI III

FACULTAS ADMITTENDI COADIUTORES,

QUI POSSINT ETIAM AD SACROS ORDINES PROMOVERI, ETC.

DILECTIS FILIIS MODERNIS, ET PRO TEMPORE EXSISTENTIBUS PRAEPOSITO GENERALI ET SOCIIS SOCIETATIS IESU, IN ALMA URBE NOSTRA CANONICE INSTITUTAE,

PAULUS PAPA III.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

PAULI III

Exponi nobis nuper fecistis, quod vos, ob penuriam cooperatorum, personis, quae tam in spiritualibus quam in temporalibus rebus et officiis vestris domesticis vos coadiuvent, indigetis. Quare Nobis humiliter supplicari fecistis, ut vobis, quod Sacerdotibus qui vos in spiritualibus, et personis saecularibus quae vos in temporalibus et officiis praedictis coadiuvent, uti possitis, licentiam et facultatem concedere, aliasque vobis et statui vestro in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Admitti possunt Coadiutores spirituales ac temporales.

Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis, quod de caetero Sacerdotibus qui vos in spiritualibus, et personis saecularibus quae vos in temporalibus et officiis vestris domesticis coadiuvent, uti possitis; ipsique Coadiutores, tam Sacerdotes quam personae saeculares, peractis experientiis et probationibus per Constitutiones vestras requisitis, ad maiorem eorum devotionem et amplius meritum, vota paupertatis et castitatis ac etiam obedientiae (ita ut ad illa servanda,

Tria vota Coadiutorum iuxta Constitutiones.

pro eo tempore, quo tu, fili Praeposite, et qui pro tempore fuerint eiusdem Societatis Praepositi, eis in ministerio spirituali vel temporali utendum iudicaveritis, et non ultra, adstringantur, nec propterea ad aliquam solemnem Professionem emittendam teneantur, neque ad eam aliter admittantur) emittere; ac ipsi Coadiutores ad omnes etiam sacros et Presbyteratus ordines de licentia tui, fili Praeposite Generalis, si alias idonei fuerint, promoveri valeant; sintque omnes et singuli eorum omnium bonorum operum, quae in dicta Societate fient, ac meritorum illius participes, et illis plene gaudeant, prout alii dictae Societatis Professi participant et gaudent; quodque tu, fili Praeposite, et pro tempore exsistens Praepositus Societatis huiusmodi, de caetero perpetuis futuris temporibus viginti dumtaxat ex eisdem Presbyteris Coadiutoribus, quos ad id idoneos inveneritis, et quando tibi seu eidem pro tempore exsistenti Praeposito placuerit, easdem facultates, gratias et auctoritatem, quas Professis Societatis huiusmodi concedere potes, seu per Nos vobis quomodolibet concessae exsistunt, in toto vel in parte libere concedere; ac alios Praepositos seu vicarios tuos, tam provinciales quam locales, cum facultate quoscumque ad Societatem praedictam confluentes ad probationem huiusmodi reci-

5 Iun. 1546

Coadiutores ad sacros ordines promoveri possunt et sunt participes meritorum, quibus gaudent Professi.

Viginti tantum Coadiutoribus facultates Professorum concedi possunt.

Facultas recipiendi Coadiutores, quibus communicetur.

PAULI III 5 Iun. 1546

Solemnis Professio tantum Romae facienda.

piendi, et ad vota praedicta, non tamen dictam Professionem solemnem, quae Romae dumtaxat fieri possit et debeat, admittendi, creare et deputare libere et licite valeatis, plenam et liberam, apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus licentiam et facultatem.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac vestris, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis regularibus institutis, ac omnibus illis, quae in litteris confirmationis Societatis huiusmodi voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptis habeatur fides.

Volumus autem quod praesentium transsumptis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ubique locorum ea prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die quinta Iunii MDXLVI, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Blo. el. Fulgin.

PAULI III

APPROBATIO LIBRI EXERCITIORUM S. P. N. IGNATII,

DIE XXXI IULII ANNI MDXLVIII.

(Habetur in vol. tertio, in principio ipsius libri Exercitiorum.)

PAULI III

PLURIMA PRIVILEGIA

AD SOCIETATIS REGIMEN ET MINISTERIA.

PAULUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

PAULI III 18 Oct. 1549

Licet debitum pastoralis officii omnibus regularem vitam ducentibus, ut in suis disciplinis et laudabilibus institutis conserventur et augeantur Nos reddat favorabiles et benignos; ad Societatem vero de Iesu per Nos institutam et approbatam, cuius specimen veluti ager fertilis in Domino multiplices atque uberes fructus animarum, ad summi Regis laudem et fidei incrementum, attulit et affert quotidie verbo et exemplo in populo christiano, dirigentes praecipue velut pius pater oculos mentis nostrae: dignum censemus, ut ipsam Societatem eiusque in odorem suavitatis Altissimo

PAULI III

18 Oct. 1549

deservientes personas specialibus favoribus prosequamur, illaque sibi favorabiliter concedamus, per quae Societas ipsa utiliter regi et prospere dirigi, ac ad animarum auxilium fideliter in Domino procedere valeat.

Plena est administratio Praepositi Generalis post electionem.

Hinc est quod Nos dilectorum filiorum Ignatii de Loyola, moderni Praepositi Generalis, et aliorum Sociorum eiusdem Ordinis supplicationibus inclinati, sibi, ut Praepositus Generalis dictae Societatis pro tempore exsistens, cum primum iuxta Constitutiones eiusdem Societatis in illius Praepositum electus fuerit, eo ipso verus ipsius Religionis Generalis Praepositus, cum libera, generali et omnimoda cura et administratione omnium et singulorum, ad felix regimen et prosperam directionem dictae Societatis spectantium et pertinentium, sit et esse censeatur; ac suum Praepositi officium in omnibus exercere incipiat, ac plenam in universos eiusdem Societatis Socios et personas sub eius obedientia degentes ubilibet commorantes, etiam exemptos, etiam quascumque facultates habentes, suam iurisdictionem exerceat; possitque et debeat dictus Praepositus, per personas ad id a dicta Societate facultatem habentes et ad id deputatas, in certis casibus iuxta dictas Constitutiones amoveri, et alius ipsius loco per easdem personas substitui, et alias, prout personae deputatae praedictae id in Domino conspexerint salubriter expedire; ac ipsemet Praepositus pro tempore exsistens, ire et suos quocumque locorum, etiam inter infideles, cum expedire in Domino iudicabit, mittere ac revocare; et per Nos ac successores Nostros ad locum aliquem missos sine temporis certi limitatione, cum id expedire ad DEI gloriam et animarum auxilium visum erit (super quo conscientiam dicti Praepositi oneramus), ad alia loca transmittere libere et licite valeat; qui, ubicumque morari contingat, ad nutum Nostrum et Romani Pontificis pro tempore exsistentis, ad Sedem Apostolicam, seu quo oportuerit et sibi per dictam Sedem iniunctum fuerit, iuxta ipsius Societatis Professionem, venire debeant, concedimus. Ac volumus, statuimus et ordinamus, quod Praepositus absque Societatis, et aliquis ex Sociis huiusmodi absque dicti Praepositi consensu et expressa licentia, electioni seu provisioni de illius persona in Episcopum, Archiepiscopum aut aliam quamcumque dignitatem, per quemcumque Principem vel quodcumque Capitulum aut alias quascumque personas ad id auctoritatem habentes, pro tempore factae, consentire; aut ad illam admitti, seu alicuius praelationis et dignitatis in eadem Societate, si eam occulta aut manifesta ambitione quaesisse convincetur, capax esse nullatenus possit; quodque a correctione Regulae Societatis huiusmodi secundum ordinationes factae (ut vigor disciplinae melius conservetur) appellari, aut talis appellatio per ullum Iudicem admitti, seu ab officiis absolutio aut privatio peti non possint; et tam Generalis quam alii inferiores Praepositi eiusdem Societatis Fratres seu Socios dictae Societatis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis seu aliis ecclesiarum Praelatis et personis, in socios aut alias ad ullum eorum ministerium deputare minime teneantur, nisi auctoritate litterarum eiusdem Sedis de Societate et indulto huiusmodi ex-

Potest Praepositus nonnumquam amoveri.

Praepositi circa missiones potestas.

Dignitas acceptari non potest absque facultate.

Ambitiosus in Societate non est capax dignitatis.

A correctione Regulae non potest appellari.

Superiores non tenentur aliquem ad Praelati cuiusquam ministerium deputare.

Transferri possunt deputati ad certa negotia.

pressam facientium mentionem; et si quos deputare contingeret, nihilominus sub Ordinis correctione exsistant, et cum expedire iudicabunt eosdem removere possint; illos vero ex Fratribus seu Sociis praedictis, qui ad praedicandam crucem, vel ad inquirendum contra haereticam pravitatem, seu ad alia similia negotia deputati fuerint, Ignatius et alii illius successores Praepositi Generales dictae Societatis pro tempore exsistentes removere seu revocare et transferre, ipsisque quod supersedeant iniungere, ac alios illorum loco substituere, cum expedire viderint, libere et licite valeant. Ac eisdem Ignatio et aliis Generalibus Praepositis pro tempore exsistentibus, ut per se vel alios ad id per eos pro tempore deputatos omnes et singulos eiusdem Societatis Socios et personas sub eorum obedientia, disciplina et correctione pro tempore degentes, ab omnibus et singulis eorum peccatis, ante vel post ingressum in dictam Societatem per eos commissis; nec non a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis et saecularibus sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quomodolibet latis et promulgatis et huiusmodi sententiis innodatos, aut in locis suppositis ecclesiastico interdicto divina officia celebrantes, et suscipientes ordines sic ligatos et propterea irregularitatem incurrentes, absolvere, ac cum eis, cum dispensatione eguerint, dispensare possint; nisi excessus absolvendorum et dispensandorum huiusmodi adeo graves et enormes fuerint, quod sint ad Sedem Apostolicam merito remittendi: et ne saepe in dubium revocetur, qui sint ad Sedem praedictam destinandi, declarationem in ea parte per fel. rec. Sixtum Papam IV praedecessorem Nostrum, in bulla, quam MARE MAGNUM vocant, factam, confirmamus.

Praepositus per se vel alios potest omnes suos absolvere et circa irregularitates dispensare, nisi sint casus enormes iuxta bullam Sixti IV.

In censuras reincidunt absoluti, nisi mox intrent Societatem et vota emittere parati sint.

Volumus autem, quod, postquam Societati et consortio huiusmodi aggregari volentes, absoluti, et cum eis, ut praefertur, dispensatum fuerit, nisi mox Ordinem intrare, et peractis experientiis secundum Constitutiones dictae Societatis vota emittere parati sint, etiam si super hoc induciae eis a Praelatis eiusdem Societatis concedantur, eo ipso in pristinas sententias, a quibus eos totaliter absolvi contigerit, relabantur et reincidant; nec non quod quilibet ex Sociis Societatis huiusmodi peccata sua proprio Praeposito, vel ab eo deputato seu deputatis, et alias secundum ordinationes Societatis praedictae designatis, confiteri debeat, nisi super hoc a dicto Praeposito alium confessorem eligendi facultatem habuerit. Ac inhibemus, ne quis post emissa vota secundum Constitutiones praedictas, sive Professus sive Scholaris sive Coadiutor Societatis huiusmodi sit, ad quemvis alium Ordinem, etiam per Sedem praedictam approbatum (Carthusiensium dumtaxat excepto), nisi de expressa ipsius Praepositi aut dictae Sedis licentia transferri; egressi vero, alias quam ut praefertur, de Ordine seu consortio huiusmodi, in nullo alio, praeterquam Carthusiensium praefato Ordine, admitti, recipi vel retineri possint; ipsique Generalis et alii inferiores Praepositi, per se vel alios, illos sic egressos ac alios quoscumque dictae Societatis apostatas, ut etiam alios quosvis insolentes, et qui id mereri videbuntur, in quocumque habitu apostatas praedictos contigerit inveniri,

Personae Societatis cui debeant confiteri.

Qui vota emiserint, alium Ordinem, praeter Carthusiensium, ingredi non possunt.

Apostatae et insolentes coerceri possunt.

PAULI III — 18 Oct. 1549

excommunicare, capere, incarcerare et alias suae disciplinae submittere, et ad id, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis invocare libere et licite valeant. Ipsamque Societatem et universos illius Socios et personas illorumque bona quaecumque ab omni superioritate, iurisdictione, correctione quorumcumque Ordinariorum eximimus et liberamus, ac sub Nostra et praefatae Sedis protectione suscipimus. Liceatque Praepositis, et de eorum etiam facultate universis Fratribus et Sociis Societatis huiusmodi in Presbyteratus ordine constitutis, in locis in quibus degunt et eos pro tempore morari contigerit, habere oratoria; et in eis, ac quocumque alio honesto ac congruenti loco, in altari portatili, cum debitis reverentia et honore, etiam tempore interdicti quavis etiam apostolica auctoritate appositi, ianuis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, submissa voce Missas et alia divina officia celebrare, ac ecclesiastica Sacramenta recipere et aliis ministrare, dummodo ipsi causam non dederint interdicto, nec contingat id ipsis specialiter interdici. Iis vero, qui in ipsorum Praepositorum et Sociorum morantur obsequiis, cuncta libere ministrare possint ecclesiastica Sacramenta, et ipsos, cum decedunt, in eorum coemeteriis sepelire. Si quando in terris, in quibus Socii praedicti vel eorum aliqui pro tempore resederint, vel in earum personas excommunicationis seu interdicti sententias contigerit promulgari, pueri seu familiares eorumdem Sociorum servitiis deputati, ac eorum et Societatis huiusmodi negotiorum procuratores et operarii, huiusmodi sententiis obnoxii minime habeantur, ibique possint audire divina, nisi eisdem causam dederint, vel specialiter excommunicari seu interdici contigerit eosdem. Nec ullis Praelatis contra aliquem de praedicta Societate, vel contra alios, eorum causa, aliquam excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiam, contra eiusdem Societatis privilegia per Nos concessa (quarum interpretationem Nobis et Apostolicae Sedi reservamus) ferre liceat; et si tulerint, eo ipso irrita nulliusque roboris vel momenti sit et esse censeatur. Ac omnes et singuli alii Christi fideles, cuiuscumque conditionis exsistant, qui verbi Dei concionibus seu praedicationibus Sociorum seu Fratrum Societatis huiusmodi, in ecclesiis ubi ipsi concionabuntur, interfuerint, diebus huiusmodi Missas et alia divina officia audire, et ecclesiastica Sacramenta ibidem recipere libere et licite valeant, nec ad id ad proprias parochiales ecclesias accedere teneantur. Et quia eiusdem Societatis Fratres et Socios de locis ad loca transferri contingit, propter quod stabilem et continuam in certis et determinatis Domibus mansionem habere non possunt; et in ipsa Societate idoneos tantum et comprobatos ad sacros ordines promoveri intelleximus: eidem Praeposito Generali, quod ordinandos Socios et Fratres huiusmodi Societatis quibuscumque maluerit catholicis Antistitibus, gratiam et communionem dictae Sedis habentibus, praesentare, ipsisque Antistitibus praesentatos huiusmodi, absque omni promissione vel obligatione ipsorum ordinandorum Fratrum et Sociorum, ad omnes etiam sacros et Presbyteratus ordines promovere. Et cum ipsi Socii, magnam patientes pro Christi nomine paupertatem, exhortationis pio studio

Personae ac bona Societatis eximuntur.

Presbyteri habere possunt oratoria et usum altaris portatilis.

Interdicti tempore, celebrare ac Sacramenta ministrare licet Societati.

Familiaribus Societatis possunt ministrari Sacramenta et sepultura.

Interdicti tempore divina possunt audire familiares, procuratores et operarii Societatis.

Contra privilegia a Paulo III concessa ferri non possunt ab ullo censurae, nec dari eorum interpretatio.

Qui Societatis concionibus intersunt, Missas audire et Sacramenta ibidem recipere possunt.

Volente Praeposito, possunt Nostri a quolibet Antistite in sacris promoveri, absque promissione et obligatione.

In terris infidelium et haereticorum licet Nostris

PAULI III **18 Oct. 1549**

commorari, de Praepositi licentia.

bonos ad potiora dirigant, et errantes ad rectitudinis semitam laudabiliter revocare procurent: concedimus ut in excommunicatorum et haereticorum vel schismaticorum vel infidelium terris libere commorari, et cum eisdem conversari, de licentia tamen Praepositi Generalis; et ab eis tunc, et etiam quando per ipsas illos transire contigerit, necessaria vitae deposcere ac recipere valeant. Quodque nulli ipsorum correctionis seu visitationis vel inquisitionis officium Monasteriis vel ecclesiis seu quibuscumque personis impendere; vel ad cognitiones causarum, citationes partium et denuntiationes sententiarum interdicti vel excommunicationum procedere; aut curam monialium seu religiosarum quarumlibet personarum recipere teneantur per litteras apostolicas impetratas vel in posterum impetrandas, nisi de hoc indulto et Ordine Sociorum huiusmodi expressam facientes mentionem, auctoritate et tenore praedictis de speciali gratia indulgemus. Concedentes ipsis Sociis, ut de iis, quae in ornamentis, aut pro eis aut libris, fabrica, luminaribus, seu pro victu vel indumentis eorum, nec non pro annuis censibus redimendis ad quorum solutionem aliquae Domus Societatis praedictae obligatae forsan exsistant; ac de Domibus et Collegiis, ac eorum praediis, hortis aliisque locis eisdem Sociis, iuxta eorum vivendi Institutum, haberi concessis; aut de eis, quae sibi pro huiusmodi rebus, Domibus, Collegiis, praediis, locis et hortis emendis, per quascumque personas pro tempore legari aut relinqui contigerit, et aliis bonis quibuscumque, per dictam Societatem et ipsius Collegia possessis et obtentis, aliquam decimam, etiam papalem, solvere, seu canonicam portionem exhibere, seu ad praestationem procurationum Legatorum praedictae Sedis vel Nuntiorum ipsius aut Ordinariorum locorum, aut exactionum, collectarum seu subsidiorum vel provisionum quorumcumque minime teneantur; nec ad id per litteras eiusdem Sedis aut Legatorum vel Nuntiorum seu Dioecesanorum praedictorum, cuiuscumque tenoris fuerint, ullo umquam tempore compelli possint, nisi ipsae litterae apostolicae plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto et concessione huiusmodi ac de eorum Ordine mentionem fecerint. Et si forte per Nos vel dictam Sedem de piis legatis dispositis et relictis, in genere vel specie, decima vel alia portio seu quarta alteri piae vel non piae causae quomodolibet hactenus concessa fuerit, vel illam in posterum concedi seu solvi aut dari et mandari contigerit; Socios praefatos et illorum Domos et bona quaecumque, ac eis legata et relicta aut alias in eorum favorem disposita, in concessionibus et mandatis huiusmodi decernimus et volumus minime comprehendi, nisi de ipsis ac praesenti decreto et voluntate Nostra, non per clausulas generales idem importantes, sed vera, expressa et specifica mentio fiat in eisdem. Et insuper, si contingat Socios ipsos, ut adiuvante aliquo Principe, Duce, Marchione, Comite, vel Communitate, vel quavis ad id potenti et facultatibus abundanti persona, aliquam Domum, ecclesiam aut Collegium Societatis praedictae aedificent et construant, seu id per alicuius similis personae testamentum mandari vel quovis modo eis offerri Domum, ecclesias seu Collegia huius-

Nostri non tenentur ullam suscipere visitationem iustitiae, ministrationem curamque monialium.

Non tenentur solvere bonorum suorum decimam, vel aliam dare contributionem seu procurationem, non obstante apostolica constitutione.

Domus vel Collegia Societati donata seu relicta, eo ipso auctoritate apostolica censeantur erecta.

PAULI III — 18 Oct. 1549

modi: cum omnibus ad id necessariis et opportunis construi et aedificari, ac locum pro huiusmodi constructione oblatum recipi posse; ipsasque Domos, ecclesias, Collegia, cellas, oratoria, ubilibet per dictos Socios pro tempore constructa vel eis donata, eo ipso, quod aedificata vel donata fuerint, apostolica auctoritate praedicta, erecta, approbata et confirmata; ac bona quaecumque, pro Collegiorum dote, seu Scholarium inibi pro tempore commorantium sustentatione, per quoscumque Christi fideles pro tempore donata, relicta et legata, eo ipso praedicta apostolica auctoritate perpetuo applicata et appropriata esse et censeri (nisi alias ad collationem Sedis praedictae pertinerent); et ecclesias praedictas cum coemeteriis benedici aut consecrari facere, ac primum lapidem poni, per quoscumque Episcopos (si Dioecesani ultra quatuor menses id facere distulerint) posse decernimus; inhibentes omnibus et singulis Archiepiscopis, Episcopis aliisque ecclesiarum Praelatis et locorum Ordinariis, ac quibusvis aliis potestatibus ecclesiasticis et saecularibus, illis nihilominus mandantes, ne ipsos Socios aut eorum Domos, ecclesias aut Collegia huiusmodi ad aliquorum requisitionem ex propria eorum voluntate, si id in Domino expediens fuerit, aedificare volentes, quoquomodo in huiusmodi constructionibus impediant, perturbent aut molestent. Et, ut Societatis huiusmodi professoribus omnis vagandi occasio et ad Apostolicam Sedem praedictam recurrendi subtrahatur, pro posse, necessitas: Generali, et de eius licentia Provincialibus Praepositis dictae Societatis pro tempore exsistentibus et illorum vicariis et loca tenentibus, ut cum eiusdem Societatis personis defectum natalium ex adulterio, sacrilegio, incestu et quovis alio nefario et illicito coitu provenientem patientibus; nec non cum iis, qui ex quavis causa, praeterquam homicidii voluntarii, bigamiae et mutilationis membrorum, irregulares fuerint, postquam in Ordine ipso vota emiserint, ut, defectu et irregularitate huiusmodi non obstantibus, ad quoscumque etiam sacros et Presbyteratus ordines promoveri et in illis etiam in altaris ministerio ministrare; et irregulares defectum natalium patientes praedicti ad quascumque administrationes et officia dictae Societatis eligi, recipi et assumi illaque gerere et exercere libere et licite valeant, dispensare possint, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus. Praeterea, cum intellexerimus populos civitatum, terrarum et locorum apud quae habitationem iidem Socii habent vel ubi eosdem versari aut transire contingit, exemplo allectos et inductos religiosae vitae quam Domino concedente ducunt, libenter ad confitendum eisdem et sacratissimam Communionem de manibus eorum accipiendam confluere: ut illis sic confluentibus satisfacere valeant, universis utriusque sexus Christi fidelibus, ut cuilibet de Societate praedicta confiteri possint, Rectoris sui licentia minime requisita, cui non teneantur eadem peccata de quibus confessi et absoluti fuerint rursus confiteri. Nec non omnibus et singulis Christi fidelibus, tam forensibus, quam in civitatibus et locis in quibus Socii praedicti consistunt commorantibus aut illac transeuntibus, Eucharistiae Sacramentum (quod in

Bona Societati donata pro Collegiorum sustentatione etiam auctoritate apostolica reputantur applicata, etc.

Ecclesiae nostrae benedici et consecrari possunt a quolibet Episcopo.

Ne impediantur Nostri ab ullo in suis aedificiis.

Quatenus cum Nostris in irregularitate possit dispensari.

Fideles quicumque confiteri Nostris possunt absque Rectoris sui facultate.

Licet singulis christianis Eucharistiam a Nostris accipere semper, duobus exceptis casibus.

PAULI III — 18 Oct. 1549

suis ecclesiis decenter tenere Socios praefatos volumus) quocumque anni tempore, praeterquam in festo Paschatis Resurrectionis Dominicae, et mortis articulo, nisi necessitas urgeret eorumdem fidelium parochialium, ecclesiarum Rectorum licentia minime requisita, accipere libere et licite valeant. Nec non animarum profectui providere volentes, de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus ubilibet commorantibus, vere poenitentibus et confessis seu temporibus a iure statutis confitendi propositum habentibus, qui aliquam ecclesiam aut alium pium locum dictae Societatis semel singulis annis (praeter annum iubilaei), in die per pro tempore exsistentem dictae Societatis Praepositum eligendo, a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei inclusive, devote visitaverint, et inibi Orationem Dominicam ac Salutationem Angelicam recitaverint; plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam ac remissionem in forma iubilaei, auctoritate apostolica, tenore praesentium misericorditer concedimus et elargimur. Et insuper quatuor aliis, scilicet Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae et Corporis Christi festivitatum, nec non Veneris et Dominicis et quadragesimalibus diebus singulorum annorum usque ad octavam Paschatis, si ecclesias et alia pia loca dictae Societatis devote visitaverint, et inibi Orationem et Salutationem praedictas similiter recitaverint, ac verbum Dei, si in illis praedicetur, devote audiverint; septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Ac Praeposito Generali eiusdem Societatis, ut, quos de suis idoneos in Domino iudicaverit, ad lectiones theologiae et aliarum facultatum, alterius licentia ad id minime requisita, ubilibet deputare possit; et ut, cum aliquos ex Fratribus seu Sociis Societatis huiusmodi in saracenorum et paganorum aliorumque infidelium terras et provincias alias remotissimas, a quibus non potest adiri Sedes Apostolica, miserit, possit eis auctoritate Nostra facultatem concedere, ut christianos ibidem commorantes, confessione peccatorum suorum audita, et poenitentia salutari iniuncta, eos et eorum quemlibet ab omnibus et singulis eorum peccatis, etiam in bulla Coenae Domini reservatis, et a consequentibus censuris et poenis absolvere; et cum iis, qui ab infidelitate convertentur tantum et in locis remotissimis, qui prius in gradibus non licitis, tamen lege divina non prohibitis, matrimonia contraxerant, ut in eisdem manere possint dispensare; ac in locis praedictis remotissimis, quaecumque ecclesias, hospitalia et alia pia loca, prout expediens fuerit, erigere, ac nunc et pro tempore erecta reformare sine alicuius praeiudicio; et vestes sacerdotales, pallas, corporalia, calices, altaria, coemeteria (si Episcopus, qui ea faciat, catholicus inibi non adsit) benedicere; ac profanatas ecclesias reconciliare possint; et quaecumque statuta et ordinationes desuper necessaria facere, illaque, postquam facta fuerint, mutare, alterare ac illis addere et detrahere; ac Praeposito Provinciali in illis longinquis partibus residente, decedente, interim dum alius per Generalem Praepositum mittitur,

Qui aliquam ecclesiam nostram a Praeposito designatam semel in anno visitarit, indulgentiam plenariam consequitur.

Aliis quibusdam anni diebus obtinetur in ecclesiis indulgentia septem annorum.

Praepositus Lectores in theologia et facultatibus omnibus deputare potest.

In terris infidelium et partibus remotissimis Nostri absolvere possunt, etiam a casibus in bulla Coenae Domini reservatis.

Dispensare, in gradibus iure divino non prohibitis, in locis remotissimis.

Ecclesiarum erectio et reformatio.

Ecclesiarum reconciliatio.

Statuta condere.

Decedente Provinciali alterius electio.

PAULI III

18 Oct. 1549

loco Praepositi sic decedentis, alium eligere libere et licite valeant. Et, quia in numerosis populis illarum regionum tanta est Sacerdotum raritas, ut unus plurium curam populorum suscipere debeat; ut bis eodem die Missam celebrare diversis in locis valeant. Et insuper, attenta meditatione pensantes quantum utilitatis ad exaltationem christianae fidei et evangelicae veritatis Societatis praedictae professores afferant et afferre valeant; omnia et singula gratias, immunitates, concessiones, privilegia et indulta antea per Nos eidem Societati et illius Sociis et personis quomodolibet concessa, quae hic pro specificatis haberi volumus, approbantes, innovantes et confirmantes: quod Socii dictae Societatis, qui alibi quam in urbe Roma Professionem emittere non possunt, litteris apostolicis ab ipsa Societate ad id ob aliquas causas ad tempus impetratis non obstantibus, eisdem, de licentia Praepositi Generalis praedicti, ut Professionem ipsam ubilibet emittere libere et licite valeant, concedimus et indulgemus. Nec non Ignatio et aliis successoribus suis Praepositis Generalibus dictae Societatis pro tempore exsistentibus, ut indultum alias per Nos eidem Societati super habendis viginti Coadiutoribus concessum, ad alios quoscumque, quos idoneos fore censuerint sub eorum obedientia degentes, extendere; et quascumque gratias, concessiones et indulta eisdem Generalibus dictae Societatis Praepositis pro tempore exsistentibus per Nos concessa, per eorum vicarios aut personas ad id sibi bene visas, praesertim in Indiarum et aliis partibus remotis, pro tempore substitutas, exercere libere et licite valeant.

Potestas bis in die celebrandi.

Privilegiorum a se datorum Papae confirmatio.

Professio ubique locorum emitti potest.

Coadiutores sine certo numero admitti possunt.

Gratias a Paulo III concessas potest Generalis per alios exercere.

Ac praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ex quavis causa, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae defectu, notari vel impugnari nullatenus posse; ac sub quibusvis suspensionibus, derogationibus, limitationibus et aliis quibusvis contrariis dispositionibus et gratiarum ac indulgentiarum concessarum derogatoriis seu revocatoriis, etiam per Nos et Sedem eamdem pro tempore concessis, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas exsistere ac suos plenarios effectus sortiri; et illarum transsumptis manu Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius Canonici Metropolitanae vel alterius Cathedralis ecclesiae seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eamdem prorsus fidem, quae adhiberetur eisdem originalibus litteris, si forent exhibitae vel ostensae, ubique in iudicio et extra adhiberi debere; et sic per quoscumque Iudices et Commissarios quavis etiam apostolica auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Ac dilectis in Christo filiis illustribus et nobilibus viris Principibus ac Dominis temporalibus, et venerabilibus fratribus Praelatis ecclesiasticis in quavis dignitate constitutis, praedictam Societatem ac singulos illius Socios plurimum in Domino commendantes; non solum ne eos inquietari aut eorum privilegia violari permittant, sed ut benigne et cum charitate, ut decet, suscipiant exhorta-

Transsumptis habeatur fides.

Societas eiusque personae Principibus ac Prelatis commendantur.

PAULI III

18 Oct. 1549

Deputantur Iudices conservatores.

mur atque in Domino rogamus. Et nihilominus universis et singulis venerabilibus fratribus Nostris Archiepiscopis, Episcopis ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus et aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, nec non Metropolitanarum et aliarum Cathedralium ecclesiarum Canonicis, ac eorumdem Archiepiscoporum et Episcoporum Officialibus et Vicariis generalibus ubilibet constitutis, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi ac quilibet eorum per se vel alium seu alios praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi, ubi et quando opus fuerit ac quoties pro parte dilectorum Sociorum vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisdemque Sociis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate Nostra eosdem Socios litteris et in eis contentis huiusmodi pacifice gaudere; non permittentes eos aut eorum aliquem, super praemissis aut quibusvis aliis rebus et causis, per locorum Ordinarios aut quoscumque alios quomodolibet indebite molestari; sed eos contra quoscumque cuiuscumque conditionis vel qualitatis exsistentes, et quavis etiam patriarchali, archiepiscopali vel episcopali aut mundana dignitate ac exemptione fungentes et munitos in quibusvis causis iustitiae complementum ministrantes, id quod per eos ordinatum fuerit ad executionem debitam perduci faciant; illosque, quos censuras vel poenas praedictas incurrisse constiterit, excommunicatos ac interdictos declarent, ac faciant et mandent publice nuntiari, ac ab omnibus arctius evitari, et legitimis super his habitis et habendis processibus servatis, illos quoties opus fuerit iteratis vicibus aggravare procurent; contradictores auctoritate Nostra, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis.

Non obstant huic privilegio ulla aliorum.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus, ac iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, nec non privilegiis, indultis et litteris apostolicis S. Benedicti et S. Francisci ac Mendicantium et aliis Ordinibus supradictis illorumque Praelatis et personis, etiam super non communicandis gratiis sibi concessis, et alias quomodolibet per Nos et Sedem praefatam concessis, confirmatis ac etiam iteratis vicibus innovatis, etiam Mari magno, Bulla aurea et alias quomodolibet nuncupatis, quibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrorum concessionum, statutorum, ordinationis, confirmationis, inhibitionum, exemptionis, liberationis, susceptionis, decretorum, voluntatum, elargitionis, relaxationis, exhortationis, rogationis, mandati et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDXLIX, decimo quinto kal. Novembris, Pontificatus Nostri anno quinto decimo.

G. Grolletti.

F. De Iafer promagistris.

IULII III

CONFIRMATIO ALIA INSTITUTI ET DECLARATIO INDULTORUM.

IULIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

IULII III

Exposcit debitum pastoralis officii, cui Nos licet immeritos praetulit divina Maiestas, ut fideles quoslibet, praesertim Religiosos in via mandatorum Domini ad illius honorem et gloriam et proximorum spiritualem profectum deambulantes, paternis confoveamus affectibus; ut fideles ipsi, dextera Domini sibi assistente propitia, aeternae salutis praemium ferventius exquirant et in eorum pio proposito confoveantur.

Summa litterarum apostolicarum Pauli III de Instituto Societatis.

Dudum siquidem per fel. rec. Paulum Papam III, praedecessorem Nostrum, accepto, quod postquam dilecti filii Ignatius de Loyola, et Petrus Faber, ac Iacobus Laynez, nec non Claudius Iaius, et Paschasius Broet, ac Franciscus Xavier, nec non Alfonsus Salmeron, et Simon Rodericus, ac Ioannes Coduri, et Nicolaus de Bobadilla, Presbyteri Pampilonen., Gebennen., Seguntin., Toletan., Visen., Ebredunen. et Palentin. civitatum et dioeceseon, in artibus Magistri in Universitate Parisiensi graduati, et in theologicis studiis per plures annos exercitati, Spiritu Sancto afflati, iam dudum e diversis mundi regionibus discedentes in unum convenerant; et exemplaris ac religiosae vitae Socii effecti, abdicatis huius saeculi illecebris, eorum vitam perpetuo Domini nostri Iesu Christi atque suo et successorum suorum Romanorum Pontificum servitio dedicaverant; et iam pluribus annis verbum Dei praedicando et fideles privatim ad pias meditationes beneque ac beate vivendum excitando, hospitalibus inserviendo, pueros et alios rudes salubria dogmata ad christiani hominis institutionem necessaria docendo, ac denique omnia charitatis officia quae ad animarum aedificationem pertinebant, ubique terrarum ubi peregrinati fuerant quisque iuxta traditam sibi ab ipso Spiritu Sancto gratiam, multa cum laude obeundo, laudabiliter in vinea Domini se exercuerant; eorum Institutum, sub quadam vivendi formula ab ipsis edita evangelicae veritati et Sanctorum Patrum sanctionibus conformi, ut vinculum charitatis et unio in ipsis quidem Sociis et aliis, qui praedictum vellent Institutum sequi, conservarentur, approbavit et confirmavit et benedixit; ipsosque Socios, quorum numerum non ultra sexaginta esse tunc voluit, sub sua et Apostolicae Sedis protectione suscepit; illisque condendi Constitutiones et statuta quaecumque ad ipsius sic institutae et confirmatae Societatis conservationem et felicem progressum licentiam concessit per quasdam; cumque postmodum progressu temporis, Spiritu Sancto cooperante, ex Societate praedicta spiritualem animarum fructum crescere, et multos, qui Institutum

21 Iul. 1550

IULII III

21 Iul. 1550

praedictum sequi vellent, in Parisiensi et aliis generalium studiorum Universitatibus studere intellexisset idem praedecessor; Ignatii et aliorum Sociorum praedictorum piam vitam et doctrinam attendendo, eidem Societati, ut quoscumque alios idoneos et iuxta suas Constitutiones probatos libere admittere posset, concessit; et nihilominus, ut Coadiutores tam Presbyteros qui in spiritualibus, quam laicos qui in temporalibus et domesticis officiis eos adiuvarent (qui quidem Coadiutores peractis probationibus iuxta Constitutiones Societatis huiusmodi requisitis, ad maiorem devotionem suam et meritum, etiam tria vota, paupertatis videlicet, castitatis et obedientiae, possent emittere, non solemnia, sed quibus pro eo tempore, quo Praepositus Generalis Societatis praedictae eis in ministerio spirituali vel temporali utendum iudicaret, adstringerentur; quique omnium bonorum operum, quae in dicta Societate fierent, ac meritorum omnium participes fierent, perinde ut qui solemnem Professionem in eadem Societate emisissent) posset assumere, et alias gratias ac privilegia ad fovendam et adiuvandam in iis, quae ad Dei honorem et animarum salutem pertinebant, Societatem praedictam, de benignitate apostolica concessit. Ut autem praedicta omnia, prius ab eodem praedecessore concessa, magis confirmentur; et simul omnia, quae ad Institutum praedictae Societatis pertinent, eisdem in litteris aliarum summam continentibus comprehendantur; et ut aliqua obscurius dicta, et quae scrupulum ac dubitationem possent iniicere, per Nos exactius explicentur: Nobis fuit humiliter supplicatum, ut formulam, qua praedictae Societatis Institutum exactius et distinctius quam antea, edocente experientia ac usu rerum, expressum eodem tamen spiritu comprehenditur, confirmare dignaremur; cuius tenor sequitur, et est talis:

Instituti Societatis formula.

Quicumque in Societate nostra, quam Iesu nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo Deo militare, et soli Domino ac Ecclesiae ipsius sponsae sub Romano Pontifice Christi in terris Vicario servire; post solemne perpetuae castitatis, paupertatis et obedientiae votum, proponat sibi in animo se partem esse Societatis ad hoc potissimum institutae, ut ad fidei defensionem et propagationem et profectum animarum in vita et doctrina christiana, per publicas praedicationes, lectiones et aliud quodcumque verbi Dei ministerium ac Spiritualia Exercitia, puerorum ac rudium in christianismo institutionem, Christi fidelium in confessionibus audiendis ac caeteris Sacramentis administrandis spiritualem consolationem praecipue intendat; et nihilominus ad dissidentium reconciliationem, et eorum qui in carceribus vel in hospitalibus inveniuntur piam subventionem et ministerium, ac reliqua charitatis opera, prout ad Dei gloriam et commune bonum expedire visum erit, exsequenda gratis omnino et nullo pro suo in praedictis omnibus labore stipendio accepto, se utilem exhibeat; curetque primo Deum, deinde huius sui Instituti rationem, quae via quaedam est ad illum, quoad vixerit ante oculos habere, et finem hunc sibi a Deo propositum totis viribus assequi, unusquisque tamen secundum gratiam sibi a Spiritu Sancto subministratam et vocationis suae

Vota paupertatis, castitatis et obedientiae.

Finis Instituti.

Puerorum ac rudium institutio.

Operum charitatis exercitia, quae gratis omnino exhibenda sunt.

IULII III

21 Iul. 1550

Officiorum distributio.

proprium gradum. Ideoque, ne quis forte zelo utatur sed non secundum scientiam, proprii cuiusque gradus iudicium et officiorum discretio ac distributio tota sit in manu Praepositi Generalis seu Praelati per Nos quocumque tempore eligendi, vel eorum, quos ipse sibi ea cum auctoritate substituerit, ut congruus ordo servetur in omni bene instituta communitate necessarius.

De condendis Constitutionibus.

Qui quidem Praepositus de Consilio consociorum Constitutiones ad consecutionem huius propositi nobis finis conducentes condendi, maiori suffragiorum parte semper statuendi ius habente;

Praepositus habet auctoritatem declarandi Institutum.

et quae dubia esse poterunt in nostro Instituto hac formula comprehenso, declarandi auctoritatem habeat.

Consilium ad graviora convocandum.

Consilium vero necessario convocandum ad condendas vel immutandas Constitutiones et alia graviora, ut alienare vel dissolvere Domos ac Collegia semel erecta, intelligatur esse maior pars totius Professae Societatis (iuxta Constitutionum nostrarum declarationem) quae sine magno incommodo potest a Praeposito Generali convocari.

In his quae non tanti momenti sunt, ius totum habet Praepositus.

In aliis, quae non ita magni momenti sunt, idem Praepositus adiutus, quatenus ipse opportunum iudicabit, Fratrum suorum consilio, per se ipsum ordinandi et iubendi, quae ad Dei gloriam et commune bonum pertinere in Domino videbuntur, ius totum habeat, prout in Constitutionibus eisdem explicabitur. Quicumque autem in hac Societate Professionem emiserint, non solum in primis Professionis suae foribus intelligant, sed quoad vixerint memores sint, Societatem hanc universam et singulos qui in ea profitentur, sub Sanctissimi Domini nostri Pauli Papae III et aliorum Romanorum Pontificum successorum eius fideli obedientia, Deo militare.

Speciale votum obediendi Romano Pontifici.

Et quamvis Evangelio doceamur et fide orthodoxa cognoscamus et firmiter teneamus omnes Christi fideles Romano Pontifici, tamquam Capiti ac Iesu Christi Vicario, subesse: ob devotionem tamen maiorem ad obedientiam Sedis Apostolicae, et maiorem voluntatum nostrarum abnegationem, et certiorem Sancti Spiritus directionem, summopere conducere iudicavimus, singulos nos et quicumque eamdem in posterum Professionem emiserint, ultra illud commune trium votorum vinculum, speciali ad hoc voto adstringi, ut quidquid modernus et alii Romani Pontifices pro tempore exsistentes iusserint ad profectum animarum et fidei propagationem pertinens, et ad quascumque provincias nos mittere voluerint; sine ulla tergiversatione aut excusatione illico, quantum in nobis fuerit, sive nos ad Turcas sive ad quoscumque alios infideles, etiam in partibus quas Indias vocant, sive ad quoscumque haereticos, schismaticos seu etiam ad quosvis fideles mittendos censuerint, exsequi teneamur.

Ingressuri Societatem quid considerare debeant.

Quamobrem, qui ad nos accessuri sunt, antequam huic oneri humeros supponant, diu multumque meditentur an tantum pecuniae spiritualis in bonis habeant, ut turrim hanc iuxta consilium Dominicum possint consummare: hoc est, an Spiritus Sanctus, qui illos impellit, tantum illis gratiae polliceatur, ut huius vocationis pondus illo adiuvante se laturos sperent; et postquam Domino inspirante huic Iesu Christi militiae nomen dederint, die noctuque succincti lumbos et ad tam grandis debiti solutionem prompti esse debebunt.

Missiones non procurandae.

Ne qua autem possit esse inter nos missionum aut provinciarum huius-

modi ambitio vel detrectatio, intelligant singuli, sibi per se vel alium de huiusmodi missionibus quidquam cum Romano Pontifice non esse curandum, sed omnem hanc curam Deo, et ipsi Pontifici, tamquam eius Vicario, et Societatis Praeposito dimittendam; cui quidem Praeposito, sicut caeteris, nihil de sui ipsius missione in alterutram partem, nisi de Societatis Consilio, cum dicto Pontifice curandum erit.

Votum obedientiae.

Voveant etiam singuli, se in omnibus, quae ad Regulae huius nostrae observationem faciunt, Societatis Praeposito (qui ad hoc munus, quam fieri possit idoneus, ad plura vota, prout in Constitutionibus declarabitur, eligetur) obedientes fore.

Praepositi electio et potestas.

Ille autem omnem eam auctoritatem et potestatem habeat supra Societatem, quae ad bonam eiusdem Societatis administrationem, correctionem et gubernationem utilis erit. Iubeat autem ea, quae ad consecutionem propositi sibi a Deo et a Societate finis cognoverit esse opportuna;

Gubernandi ratio.

et in praelatione sua benignitatis ac mansuetudinis charitatisque Christi, ac Petri Paulique formulae semper sit memor; et tam ipse quam Consilium praedictum ad normam hanc assidue spectent.

Obedientia subditorum erga Praepositum.

Singuli vero subditorum, tum propter ingentes Ordinis utilitates, tum propter numquam satis laudatum humilitatis assiduum exercitium, non solum Praeposito in omnibus ad Institutum Societatis pertinentibus parere semper teneantur; sed in illo Christum veluti praesentem agnoscant et quantum decet venerentur.

Paupertatis votum.

Cum autem experti fuerimus iucundiorem, puriorem et ad proximi aedificationem aptiorem esse vitam ab omni avaritiae contagione quam remotissimam et evangelicae paupertati quam simillimam; cumque sciamus Dominum nostrum Iesum Christum, servis suis regnum Dei solum inquirentibus, necessaria ad victum et vestitum esse subministraturum:

Professi et eorum Domus non possunt habere reditus.

sic voveant singuli et universi perpetuam paupertatem, ut non solum privatim, sed neque etiam communiter possint Professi, vel ulla eorum Domus aut ecclesia, ad aliquos proventus, reditus, possessiones, sed nec ad ulla bona stabilia, praeter ea quae opportuna erunt ad usum proprium et habitationem, retinenda, ius aliquod civile acquirere, rebus sibi ex charitate donatis ad necessarium vitae usum contenti. Quia tamen Domus, quas Dominus dederit, ad operandum in vinea ipsius et non ad scholastica studia exercenda, destinandae erunt;

De Collegiis et eorum reditibus.

cum valde opportunum fore alioqui videatur ut ex iuvenibus ad pietatem propensis et ad litterarum studia tractanda idoneis operarii eidem vineae Domini parentur, qui Societatis nostrae, etiam Professae, velut quoddam seminarium exsistant: possit Professa Societas, ad studiorum commoditatem Scholarium habere Collegia, ubicumque ad ea construenda et dotanda ex devotione aliqui movebuntur; quae simul atque constructa et dotata fuerint (non tamen ex bonis, quorum collatio ad Sedem Apostolicam pertinet), ex nunc auctoritate apostolica erigi supplicamus seu pro erectis haberi; quae Collegia possint habere reditus, census seu possessiones usibus et necessitatibus studentium applicandas,

Collegiorum gubernatio est penes Praepositum vel Societatem.

retenta penes Praepositum vel Societatem omnimoda gubernatione seu superintendentia super dicta Collegia et praedictos studentes, quoad Rectorum seu gubernatorum ac studentium

IULII III

21 Iulii 1550

electionem, ac eorumdem admissionem, emissionem, receptionem, exclusionem, statutorum ordinationem, et circa studentium instructionem, eruditionem, aedificationem ac correctionem, victus vestitusque et aliarum rerum necessariarum eis ministrandarum modum, atque aliam omnimodam gubernationem, regimen ac curam; ut neque studentes dictis bonis abuti, neque Societas Professa in proprios usus convertere possit, sed studentium necessitati subvenire. Qui quidem studentes ingenii et morum indole tales esse debebunt, ut merito speretur, post absoluta studia, ad Societatis functiones idoneos fore; et sic demum, post cognitum in spiritu et litteris eorum profectum et post sufficientem probationem, in Societatem nostram admitti possint. Socii autem omnes, cum Presbyteri esse debeant, ad dicendum officium secundum communem Ecclesiae ritum, sed privatim et non communiter vel in choro, teneantur; et in iis, quae ad victum et vestitum et caetera exteriora pertinent, honestorum Sacerdotum communem et approbatum usum sequantur, ut quod inde, pro cuiusque necessitate vel spiritualis profectus desiderio, subtractum fuerit, ex devotione et non ex obligatione, rationabile obsequium corporis Deo prout expediet offeratur: — Haec sunt quae, sub praefati Domini nostri Pauli et Sedis Apostolicae beneplacito, de nostra professione typo quodam explicare potuimus: quod nunc fecimus, ut summatim informaremus, tum illos qui nos de nostro vitae instituto interrogant, tum etiam posteros nostros, si quos, Deo volente, imitatores umquam habebimus huius vitae. Quam cum multas magnasque habere annexas difficultates fuerimus experti, opportunum iudicavimus etiam statuere, ne quis ad Professionem in hac Societate emittendam, nisi diuturnis et diligentissimis probationibus, prout in Constitutionibus declarabitur, eius vita et doctrina explorata fuerit, recipiatur; quia re vera hoc Institutum omnino humiles et prudentes in Christo, et in christianae vitae puritate ac litteris conspicuos exigit. Immo et ii qui in Coadiutores tam in spiritualibus quam in corporalibus, et in Scholares admittentur, quorum utrique, post sufficientes probationes et tempus in Constitutionibus expressum, vota sua ad devotionem et meritum maius, non quidem solemnia (praeter aliquos qui de licentia Praepositi Generalis, propter ipsorum devotionem et personarum qualitatem, tria vota huiusmodi solemnia facere poterunt), sed quibus teneantur quamdiu Praepositus Generalis in Societate eos retinendos esse censuerit, emittere debeant, prout in Constitutionibus latius explicabitur, non nisi diligenter examinati et idonei reperti ad eumdem finem Societatis, admittantur ad hanc Iesu Christi militiam; qui tenuibus coeptis nostris favere dignetur ad gloriam Dei Patris, cui soli sit semper decus et honor in saecula. Amen.

De officio divino recitando.

In victu et vestitu sequi debemus usum communem honestorum Sacerdotum.

Ad Professionem non admittantur, nisi diu multumque probati.

Coadiutores et Scholares vota sua debent emittere.

Aliqui tria vota solemnia emittere possunt.

Idonei Coadiutores et Scholares debent admitti.

Quapropter considerantes, nihil quod pium sanctumque non sit, in dicta Societate eiusque laudabilibus institutis ac exemplari Ignatii et aliorum Sociorum praedictorum vita et moribus, reperiri; eaque omnia ad suorum et aliorum Christi fidelium animarum salutem et fidei exaltationem tendere: Socios ac illorum Coadiutores praedictos, et ipsius Societatis Scholares a quibusvis excommu-

Approbatur et confirmatur Institutum et privilegia concessa.

nicationis, suspensionis, et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati exsistunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, illosque sub Nostra et Apostolicae Sedis protectione suscipientes: motu proprio et ex certa Nostra scientia, auctoritate apostolica, tenore praesentium, erectionem et institutionem Societatis, ac extensionem numeri illius Sociorum, ac receptionis et admissionis Coadiutorum, ac omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, et condendi et alterandi statuta et ordinationes, ac alia quaevis indulta, eisdem Societati et illius Praeposito, per praedecessorem Nostrum et Sedem huiusmodi, sub quibuscumque tenoribus et formis concessa et confirmata, ac desuper confectas, tam sub plumbo quam in forma brevis, litteras, et in eis contenta ac inde secuta quaecumque, perpetuo approbamus et confirmamus, ac eis perpetuae firmitatis robur adiicimus, supplentes omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem. Eaque omnia et singula perpetuae et inconcussae firmitatis robur obtinere, et inviolabiliter observari debere; et sic per quoscumque Iudices et Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, interpretari atque decidi debere; nec non quidquid secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus et declaramus.

Indices qui assistant.

Quocirca universis et singulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus et aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi et eorum quilibet, per se vel per alium seu alios, praefatis Praeposito et Societati in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate Nostra singulas praedictas et praesentes litteras plenum effectum sortiri, ac ab omnibus inviolabiliter observari; non permittentes quemquam contra illarum tenorem quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas et alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo, ac censuras praedictas, legitimis super his habendis servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac omnibus illis et singulis, quae in litteris praedictis idem praedecessor Noster voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, susceptionis, approbationis, confirmationis, adiectionis, suppletionis, decreti, declarationis et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc

IULII III attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDL, duodecimo kal. Augusti, Pontificatus Nostri anno primo. 21 Iul. 1550

F. de Mendoza.

Fed. Card. Caesius.

IULII III

CONFIRMATIO PRIVILEGIORUM SOCIETATIS ET ALIORUM NOVA CONCESSIO.

DILECTO FILIO IGNATIO DE LOYOLA,
PRAEPOSITO GENERALI SOCIETATIS IESU,
IULIUS PAPA III.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

IULII III Sacrae religionis, sub qua dilecti filii Societatis Iesu, reiectis saeculi vanitatibus, gratum Altissimo praebent sub humilitatis spiritu famulatum, et ferventibus studiis per exempla virtutum et solidam doctrinam alios ad divinae Maiestatis obsequia trahunt, favor exposcit, et devotionis vestrae merita Nos inducunt, ut ea, quae per Nos et praedecessorem Nostrum tibi et illis provide concessa sunt, apostolicae firmitatis munimine roboremus, vosque amplioribus favoribus et gratiis confoveamus; ea vobis concedentes, per quae commoditatibus vestris et animarum, tum vestrarum, tum etiam aliorum, quibus iuvandis vacatis, per amplius consulatur.

Confirmantur privilegia hactenus concessa.

Tuis itaque in hac parte Nobis porrectis supplicationibus inclinati, omnia et singula, litteras, facultates, indulgentias etiam plenarias, concessiones, immunitates, exemptiones, libertates, gratias, privilegia et indulta, tibi, et ad tui et pro tempore exsistentis Praepositi Generalis Societatis huiusmodi dispositionem concessa, nec non facultatem, inter alia, cum personis Societatis huiusmodi circa ieiunia et cibos prohibitos, per te vel alios Societatem ipsam professos, dispensandi; ac quoscumque a casibus haeresis et aliis contra fidem, et consequentibus censuris quibuscumque, etiam per te et successores tuos vel alios similiter Professos ad id idoneos, per te et pro tempore exsistentem Praepositum Generalem Societatis huiusmodi deputandos, absolvendi, et, quatenus opus sit, in foro conscientiae dispensandi, per fel. rec. Paulum Papam III, praedecessorem Nostrum et per Nos, tam in genere quam in specie, et alias quomodolibet et sub quibuscumque tenoribus et formis concessa, eorum omnium tenores et causas propter quas concessa sunt, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, apostolica auctoritate, ex certa Nostra scientia, tenore praesentium approbamus et confirmamus, ac 22 Oct. 1552

Dispensare circa ieiunia et cibos prohibitos.

Absolvere a quibuscumque casibus haeresis in foro conscientiae.

Privilegia praedicta sub quibusvis derogationibus non comprehenduntur.

illis perpetuae et inconcussae firmitatis robur adiicimus; illaque inviolabiliter observari, et sub quibusvis derogationibus, revocationibus, suspensionibus, alterationibus, decretis, declarationibus, ac litteris apostolicis, etiam quasvis clausulas generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores et insolitas, ac etiam irritantia decreta, sub quacumque verborum forma et expressione, in se continentibus, ac Cancellariae apostolicae regulis, seu constitutionibus apostolicis quomodolibet pro tempore factis et editis, ullo umquam tempore comprehendi, aut eis in aliquo derogari, seu ea revocari aut alterari nullatenus posse; sicque per quoscumque Iudices et Commissarios quavis auctoritate fungentes, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere; ac ex nunc quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Facultas praeponendi, ac postponendi officium divinum.

Et nihilominus, ut tu et Societas huiusmodi quietius et devotius in humilitate spiritus Altissimo gratum praebere possitis famulatum, facultatem et licentiam anteponendi et postponendi officium divinum alias vobis concessam, ad hoc ut tu et pro tempore exsistentes Religiosi Societatis huiusmodi, ex legitimis ac iustis causis (in quo tuam et successorum tuorum Praepositorum Generalium pro tempore existentium, et aliorum, quos ad hoc substitueritis, conscientiam oneramus) officium ipsum celebrationi Missae libere et absque conscientiae scrupulo postponere possitis, auctoritate et tenore praedictis extendimus et ampliamus.

Postponere officium divinum Missae celebrationi.

Infirmis commutare officium divinum.

Ac insuper tibi, et aliis Praepositis Generalibus Societatis huiusmodi pro tempore exsistentibus, et aliis quibus ad hanc commutationem auctoritatem vestram communicaveritis, ut recitationem officii huiusmodi pro iis, qui ob infirmitatem vobis videbuntur excusandi, in aliud opus pium seu leviorem orationem, durante tamen infirmitate, arbitrio vestro commutare;

Quomodo Nostri in Universitatibus possunt ad gradus promoveri.

nec non Scholaribus Collegiorum Societatis huiusmodi in Universitatibus alicuius studii generalis exsistentium, quod ipsi (si praevio rigoroso et publico examine in eisdem Universitatibus idonei reperti fuerint, et Rectores Universitatum huiusmodi eos gratis et amore Dei absque aliqua pecuniarum solutione promovere recusaverint) in Collegiis praedictis a Praeposito Generali pro tempore exsistenti, vel de eius licentia a quovis ex inferioribus Praepositis vel Rectoribus huiusmodi Collegiorum, cum duobus etiam vel tribus Doctoribus seu Magistris per eosdem eligendis;

Nostri extra Universitates possunt ad gradus promoveri.

Scholaribus vero Collegiorum eorumdem extra Universitates exsistentium, studiorum suorum cursu absoluto, et rigoroso examine praecedente, a dicto Praeposito Generali, vel de eius licentia a quovis ex Praepositis vel Rectoribus huiusmodi Collegiorum, cum duobus vel tribus Doctoribus vel Magistris per eosdem eligendis, quoscumque baccalaureatus ac magisterii et licentiaturae ac doctoratus gradus accipere; et Praepositis vel Rectoribus cum Doctoribus huiusmodi, ut eosdem Scholares ad gradus ipsos promovere, eisdemque Scholaribus, ut postquam promoti fuerint, in eis le-

IULII III — 22 Oct. 1552

gere, disputare, et quoscumque alios actus ad haec necessarios facere et exsequi, ac omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, antelationibus, favoribus, gratiis et indultis, ac omnibus et singulis aliis, quibus alii in quibusvis Universitatibus studiorum huiusmodi, rigoroso examine praevio, ac alias iuxta inibi observari solitos et requisitos usus, ordinationes, ritus ac mores, pro tempore promoti, de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad ipsorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter absque ulla penitus differentia, uti, potiri et gaudere in omnibus et per omnia, perinde ac si gradus huiusmodi in eisdem Universitatibus, et non eorum Collegiis huiusmodi accepissent; Praepositis quoque inferioribus, a te et pro tempore exsistenti Praeposito Generali praefato, vel etiam Provincialibus, praesertim in locis Indiarum et aliis remotis partibus, pro tempore deputatis, ut ipsi quaecumque, gratias, facultates, concessiones et indulta eis per te et eumdem Praepositum Generalem vel Provincialem pro tempore exsistentes communicata et concessa, quibusvis aliis personis de Societate huiusmodi Professis, eis bene visis, quoties eis videbitur, de tua tamen et Praepositorum Generalium pro tempore exsistentium licentia, communicare et concedere possint. Et insuper Religiosis Societatis huiusmodi pro tempore senio confectis, aut aliqua infirmitate gravatis et ad operandum in vinea Domini non idoneis, etiam Professis, ut in Collegiis Societatis huiusmodi, de tui et pro tempore exsistentis Praepositi Generalis, vel inferiorum, quibus hanc facultatem communicaveris seu communicaverint, licentia, morari, et ex illorum reditibus et proventibus se sustentare absque aliquo conscientiae scrupulo libere et licite valeant, plenam et liberam, auctoritate et tenore praemissis, facultatem et licentiam concedimus.

Privilegia eorum, qui ad gradus promoventur.

Praepositi inferiores gratias sibi communicatas, de licentia Generalis, Professis communicare possunt.

Professi senes vel infirmi possunt cum facultate Generalis in Collegiis habitare.

Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, ordinationibus, ac Societatis et Universitatum huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Societati et Universitatibus illarumque Rectoribus, Doctoribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu proprio, et de apostolicae potestatis plenitudine, ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio, aut quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Non obstantibus, etc.

Verum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca deferre, volumus et eadem auctoritate decernimus, quod ipsarum

Transsumptis habeatur fides.

 transsumptis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius Praelati vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae, aut Curiae ecclesiasticae munitis, in iudicio et alibi, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. 22 Oct. 1552

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesima secunda Octobris MDLII, Pontificatus Nostri anno tertio.

Gal. Aquinas.

PII IV

CONFIRMATIO ET NOVA CONCESSIO FACULTATIS

CIRCA SOCIETATIS AEDIFICIA,

ETIAM INTRA CENTUM QUADRAGINTA CANNAS ALIORUM ORDINUM ERIGENDA.

DILECTIS FILIIS, PRAEPOSITO GENERALI ET UNIVERSAE SOCIETATI IESU,

PIUS PAPA IV.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

ETSI EX DEBITO pastoralis officii singulos Religiosos, qui, spretis huius transitorii saeculi pompis, iugum Religionis libenter amplexi, propriam voluntatem abnegare et in coelis thesauros suos reponere decreverunt, paterna dilectione prosequamur: ad illos tamen, qui, sicut nomen Sociorum IESU assumpserunt, ita opere, doctrina et exemplis Dominum nostrum IESUM Christum imitari et eius vestigia sequi nituntur, maioribus favoribus et gratiis prosequendum invitamur.

Concessio Pauli III et confirmatio Iulii III de erigendis Collegiis et Domibus Societatis.

Cum itaque, sicut accepimus, alias postquam vos, quibus dudum antea per speciale privilegium, vobis per fel. rec. Paulum III concessum, et Iulium etiam III, praedecessores Nostros confirmatum, ut quaecumque Domos, ecclesias et Collegia Societatis IESU, cum omnibus ad id necessariis et opportunis, construi ac aedificari facere, ac loca pro huiusmodi constructionibus vobis pro tempore concessa recipere possetis, indultum fuerat; decreto etiam in litteris eorumdem praedecessorum desuper confectis apposito, quod Domus, ecclesiae, Collegia, cellae, et oratoria ubilibet per vos pro tempore constructa seu vobis donata, eo ipso quod aedificata vel donata forent, apostolica auctoritate erecta, approbata et confirmata essent et esse censerentur, ac alias, prout in litteris praedictis latius contineri dicitur; vosque in vim privilegii sic vobis concessi, et postea, ut praefertur, confirmati, in diversis mundi partibus quamplura Collegia, Domos et ecclesias dictae Societatis, etiam in locis intra centum quadraginta cannas ab aliis religiosis locis diversorum Ordinum etiam Mendicantium consistentibus, erexeratis, in DEI laudem et honorem ac christianae religionis non modicum 13 Apr. 1561

PII IV

13 Apr. 1561

incrementum; cum postmodum vos, dicto vestro privilegio utendo, unum Collegium eiusdem Societatis in civitate Palentina, et fundo vobis ad id donato iuxta quemdam Conventum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de observantia erexissetis, seu iam erectum et vobis donatum accepissetis: dilecti filii Fratres dicti Conventus, praetendentes Collegium praedictum, stantibus privilegiis dicto Ordini Fratrum Minorum concessis, construi seu erigi non posse; se praemissis opposuerunt, et vos desuper molestare velle se iactaverunt et iactant. Nos, qui inter servos Christi pacem et tranquillitatem intimis desideramus affectibus, attendentes quantum dicta vestra Societas in Ecclesia Dei hactenus fructum attulerit, et quantum in futurum, Deo dante, sit allatura, et propterea vos, prae caeteris aliis Religiosis, maioribus favoribus et gratiis fore merito prosequendos; et cupientes, quod Collegium sic per vos in dicta civitate Palentina erectum seu vobis donatum ad debitum ulteriorem effectum perducatur: motu proprio, non ad vestram, vel alicuius pro vobis Nobis super hoc oblatae petitionis, instantiam, sed ex Nostra certa scientia et spontanea voluntate, ac de apostolicae potestatis plenitudine, litterarum praedictarum, nec non privilegiorum dictorum Fratrum Minorum veriores tenores ac alia in praemissis, etiam forsan de necessitate exprimenda, pro expressis habentes; vosque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati exsistitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes: vobis, ut Collegium per vos in dicta civitate Palentina, ut praemittitur, erectum inhabitare et inhabitari, ac in eo omnia et singula, quae in aliis eiusdem Societatis Collegiis fieri et exerceri solent, fieri et exerceri facere libere ac licite possitis et valeatis, apostolica auctoritate, tenore praesentium, de specialis dono gratiae concedimus et indulgemus, ac licentiam et liberam facultatem impertimur; vosque a quibusvis censuris et poenis in vos praemissorum occasione forsan latis, motu simili absolvimus. Et ut via molestandi et impediendi vos super similibus erectionibus in futurum caeteris praecludatur, privilegium, ut praefertur, per praefatos praedecessores Nostros vobis concessum et confirmatum, tam quoad dictum in civitate Palentina erectum, quam quoad alia quaecumque Collegia, Domos, ecclesias et oratoria in quibusvis mundi partibus per vos hactenus erecta et in posterum erigenda, motu simili approbamus et confirmamus ac de novo concedimus, illique perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus; ac oppositionem et contradictionem dictorum Fratrum Minorum nullum vobis, quoad dictum et alia Collegia, ecclesias et Domos per vos hactenus erecta et in posterum erigenda, praeiudicium attulisse vel in futurum afferre posse; sed privilegium per Nos confirmatum et de novo concessum huiusmodi perpetuo illaesum et illibatum fore et esse; sicque per quoscumque Iudices et Commissarios, etiam S. R. E. Cardinales ac sacri Palatii apostolici causarum Auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter

Commendatio Societatis.

Erectio Collegii Palentini approbatur.

Confirmatio et nova concessio Collegia ubique terrarum erigendi.

PII IV

18 Apr. 1561

iudicandi, definiendi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, definiri et interpretari debere; et quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Deputantur Iudices conservatores.

Quocirca universis et singulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus et aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, per praesentes motu simili mandamus, quatenus ipsi et eorum quilibet, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte vestra aut alicuius vestrum fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes; faciant auctoritate Nostra vos decreto, confirmatione, concessione, indulto, licentia, facultate et absolutione ac aliis praemissis pacifice gaudere, ac easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, perpetuo inviolabiliter observari; non permittentes vos super eisdem praemissis vel eorum aliquo, per dictos Ordinis Minorum, vel alios aliorum quorumcumque Ordinum Religiosos, seu locorum Ordinarios, aut alios quoscumque Iudices et personas, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis exsistant, et quacumque, etiam pontificali, regia vel alia auctoritate fungantur, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse, quovis quaesito colore vel ingenio impediri, molestari, vel alias quomodolibet inquietari; contradictores quoslibet et rebelles, per censuras ecclesiasticas et alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus praemissis, ac fel. rec. Bonifacii VIII, praedecessoris Nostri, de una, et in Concilio generali de duabus dietis, dummodo non ultra tres dietas quis auctoritate praesentium ad iudicium trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, Nostrisque de iure quaesito non tollendo, et aliis Cancellariae apostolicae regulis; nec non dicti Ordinis Fratrum Minorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Ordini Fratrum Minorum et aliis quibusvis etiam Mendicantium Ordinibus, illorumque Superioribus, etiam super non aedificandis ecclesiis, Domibus et Collegiis aliarum Religionum intra centum quadraginta cannas ab eorum Coenobis et Conventibus, ac alias sub quibusvis tenoribus et formis, per quoscumque Romanos Pontifices, et novissime per fel. rec. Paulum IV, praedecessores Nostros, concessis, confirmatis et innovatis, ac omnibus aliis, quae praefati Paulus et Iulius, praedecessores Nostri, in eorum respective litteris voluerunt non obstare; nec non quacumque lite inter vos et Fratres praedictos seu alios, cuiuscumque Ordinis vel Religionis exsistant, coram quibuscumque Iudicibus, et in quacumque instantia forsan pendente, cuius statum, actus et merita, ac si de verbo ad verbum insererentur, nominaque et cognomina Iudicum coram quibus pendent, praesentibus haberi volumus pro expressis.

Derogatur privilegiis quorumvis Ordinum, quantum ad cannas.

Quibus omnibus, etiam si pro il-

PII IV

lorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non tamen per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma servanda foret, tenores illorum, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat motu simili specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. 18 Apr. 1561

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimo tertio Aprilis MDLXI, Pontificatus Nostri anno secundo.

Cae. Glorierius.

PII IV

CONFIRMATIO ET EXTENSIO FACULTATIS CONFERENDI GRADUS IN ARTIBUS ET THEOLOGIA, NEC NON EXEMPTIONIS A QUALIBET DECIMARUM ET IMPOSITIONUM SOLUTIONE.

DILECTIS FILIIS, PRAEPOSITO GENERALI, ET UNIVERSAE SOCIETATI IESU,

PIUS PAPA IV.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

PII IV

Iulii III concessio circa promovendos ad gradus.

EXPONI NOBIS nuper fecistis, quod cum vestrae Societati, per fel. rec. Iulium III Romanum Pontificem, praedecessorem Nostrum, concessum sit, ut eius Collegiorum, extra studiorum generalium Universitates constitutorum, Scholares, absoluto studiorum suorum cursu et rigoroso examine praecedente, a Generali Praeposito pro tempore exsistente, vel de eius licentia a quolibet ex Praepositis vel Rectoribus Collegiorum Societatis huiusmodi, cum duobus vel tribus Doctoribus vel Magistris ad id per eos eligendis, quoscumque baccalaureatus, licentiaturae, magisterii et doctoratus in artibus et theologia gradus accipere, et postquam promoti fuerint, in eis legere, disputare, et alios quoscumque actus ad id necessarios facere et exsequi; omnibusque et singulis privilegiis, praerogativis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, antelationibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus alii in Universitatibus studiorum generalium, rigoroso examine praevio, ac alias iuxta illarum ordinationes, usus, ritus et mores pro tempore promoti, de iure vel consuetudine, aut alias quomodolibet, uti, potiri et gaudere possint, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, absque ulla penitus differentia, uti, potiri et gaudere valeant in omnibus et per omnia, perinde ac si gradus in Universitatibus, et non in Collegiis huiusmodi accepissent; ac dicta 19 Aug. 1561

PII IV — 19 Aug. 1561

Societas sua etiam in diversis Universitatibus habeat Collegia, in quibus artes liberales, etiam theologia, aliaque litterarum studia diligenter tractantur, et quorum Scholares, partim propter obligationes et iuramenta per inibi promovendos praestari solita, partim ob nimias quae ibi fieri solent impensas, ab eisdem Universitatibus earumque Rectoribus et deputatis promoveri non expediat; praeterea, quod quamvis rec. mem. Paulus Papa III praedecessor, eamdem Societatem eiusque personas a decimarum et aliarum quarumcumque impositionum solutione exemerit, prout in ipsorum praedecessorum litteris desuper confectis plenius continetur, ipsique praedecessores in privilegio huiusmodi vobis concesso eius intentionis fuisse credantur; quia tamen id disertis verbis non usquequaque explicatum, nec in exemptione vobis concessa huiusmodi, de Domibus Probationis et Collegiis eiusdem Societatis (non tamen Professorum Domus), quae iuxta regularia illius instituta bona stabilia habent aut habere possunt, specialis mentio facta fuit, molestiam vobis inferri, ac Domus Probationis et Collegia vestra praefata super exemptione huiusmodi perturbari posse, tempore procedente, timetis: Quare Nobis humiliter supplicari fecistis, quatenus privilegiis et exemptioni, ac desuper confectis litteris praefatis, pro firmiori illorum subsistentia, approbationis Nostrae robur adiicere, illaque, ut infra dicetur, declarare, ampliare et alias in praemissis opportune providere, de benignitate apostolica dignaremur.

Non expedire, ut Nostri promoveantur in Universitatibus, propter obligationes, iuramenta et expensas.

Exemptio a Paulo III concessa super decimarum et impositionum solutione.

Exemptionis praedictae confirmatio et nova concessio.

Nos igitur, qui votivum Religionis vestrae profectum sincero paternae charitatis affectu libenter amplectimur, litterarum praedictarum veriores tenores, ac quarumcumque litium et causarum vobis per quoscumque desuper motarum statum, et merita ac nomina et cognomina Iudicum et collitigantium ac titulos eorum praesentibus pro sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati; privilegia et exemptionem, ac cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis litteras, praedicta, et illorum vigore Domos et Collegia vestra ubilibet constructa, et alia inde secuta quaecumque, iuxta tenorem litterarum eorumdem praedecessorum, apostolica auctoritate, ex certa scientia confirmamus et approbamus, ac etiam plenarie innovamus et de novo, quatenus sit opus, concedimus; nec non illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus. Et nihilominus pro potiori cautela universam Societatem omniaque et singula illius Domos Probationis et Collegia ubilibet consistentia, praesentia et futura, eorumque personas, fructus, reditus, proventus, etiam bonorum ecclesiasticorum, saecularium et regularium quorumcumque illis pro tempore unitorum, aliasque res et bona quaecumque, a quibusvis decimis, etiam papalibus, praedialibus, personalibus, quartis, medietatibus et aliis fructuum partibus, subsidiis etiam charitativis et aliis ordinariis oneribus, etiam pro expeditione contra infideles, defensione patriae, ac alias quomodolibet, etiam ad Imperatorum, Regum, Ducum et aliorum Principum instantiam pro tempore impositis, etiam si in illorum impositione caveatur, quod nulla prorsus

Exemptionis praedictae declaratio et extensio.

PII IV

19 Aug. 1561

exemptio cuiquam adversus illa suffragetur; ita quod Societas eiusque Domus, Collegia, fructus, res et bona praefata semper ab illis, absque declaratione desuper facienda, excepta sint et esse censeantur, perpetuo liberamus et eximimus. Et insuper tibi moderno et pro tempore exsistenti Praeposito Generali dictae Societatis, ut per te vel illum, seu aliquem ex Praepositis vel Rectoribus Collegiorum vestrorum, tam in Universitatibus studiorum generalium, quam extra illas ubilibet consistentium, in quibus ordinariae studiorum artium liberalium et theologiae lectiones habebuntur cursusque ordinarii peragentur; ut dictae Societatis Scholares et pauperes externos, qui dictas lectiones frequentaverint, et etiam divites (si officiales Universitatum eos promovere recusaverint), cum per examinatores vestrae Societatis idonei sint inventi (solutis tamen per divites suis iuribus Universitatibus), in vestris Collegiis Universitatum quarumcumque et in aliis extra Universitates consistentibus Collegiis vestris, alios quoslibet Scholares, qui inibi sub eorumdem Collegiorum obedientia, directione vel disciplina studuerint, ad quoscumque baccalaureatus, licentiaturae, magisterii et doctoratus gradus praefatos, ac alias in reliquis iuxta litterarum Iulii praedecessoris praedicti tenorem promovere; ipsique sic promoti privilegiis aliisque in eisdem litteris contentis plenarie uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, auctoritate praefata concedimus et indulgemus; ac eiusdem Iulii praedecessoris litteras ad praemissa extendimus et ampliamus. Nec non praesentes litteras et in eis contenta de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis defectu, quovis praetextu quaesitove colore, nullo umquam tempore notari vel impugnari posse, nec sub quibusvis suspensionibus, revocationibus, derogationibus, vel limitationibus similium vel dissimilium gratiarum, a Nobis et Sede Apostolica ex quavis causa pro tempore emanatis, ullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt toties in pristinum statum restitutas, et de novo concessas fore, vobisque et universae Societati, singularibusque personis, et aliis praemissis omnino suffragari; et sic in praemissis omnibus et singulis per quoscumque Iudices et Commissarios, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; ac quidquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Facultas conferendi gradus in Collegiis Societatis, ubi lectiones theologiae et cursus ordinarii peraguntur.

Quomodo nostri Scholares, et externi pauperes et divites ad gradus possint a Nostris in Universitatibus promoveri.

Ubi non est Universitas, Nostri et externi scholares ad gradus promoveri possunt in Collegiis, ubi studuerint.

Concessio Iulii III de gradibus ad praemissa extenditur et ampliantur.

Quocirca universis et singulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus et aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, per praesentes mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit ac quoties pro parte vestra fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate Nostra praesentes litteras et in eis contenta quaecumque firmiter observari; vosque privilegiis, exemptione ac aliis omnibus et singulis praemissis pacifice frui et

Deputantur Iudices conservatores.

PII IV

19 Aug. 1561

gaudere, non permittentes vos desuper vel aliquem vestrum aut alios, quorum interest, per quoscumque quavis auctoritate fungentes contra praemissa quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas et alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; invocato etiam ad hoc, si opus sit, auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus praemissis et quibusvis Cancellariae apostolicae regulis, et praesertim illa de non tollendo iure quaesito, ac piae mem. Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris Nostri, de una, et Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis, auctoritate praesentium, ad iudicium non trahatur; nec non quibusvis aliis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; nec, non quorumcumque Universitatum, Ordinum, Conventuum et aliorum Locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque Superioribus et personis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam in forma brevis, tam per Nos, quam quosvis praedecessores Nostros, ac etiam dictae Sedis Legatos, etiam ad quorumvis Imperatorum, Regum, Ducum instantiam, aut etiam motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut etiam consistorialiter, etiam per viam generalis legis et statuti perpetui, quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, etiam MARI MAGNO, BULLA AUREA, aut alias nuncupatis. Quibus omnibus, etiam si, pro sufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscumque; seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod praesentium transsumptis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius Episcopi vel personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis originalibus litteris haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Transsumptis habeatur fides.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die undevigesimo Augusti MDLXI, Pontificatus Nostri anno secundo.

Cae. Glorierius.

PII V

CONFIRMATIO ET EXTENSIO

PRIVILEGII SOCIETATIS CONTRA APOSTATAS.

PIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI,
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

PII V

Aequum reputamus et rationi consonum, ut ea, quae de Romani Pontificis gratia processerunt, licet eius superveniente obitu litterae apostolicae super illis confectae non fuerint, suum consequantur effectum.

Concessio Pauli III contra apostatas Societatis.

Dudum siquidem fel. rec. Pio Papae IV, praedecessori Nostro, pro parte charissimi in Christo filii Nostri, tunc sui, Sebastiani Portugalliae et Algarbiorum Regis illustris, ac dilectorum filiorum, Praepositi Generalis et Religiosorum Societatis Iesu, exposito, quod licet alias piae mem. Paulus Papa III, etiam praedecessor Noster, in sui dictaeque Societatis favorem inhibuisset, ne quis post emissa vota in dicta Societate secundum illius Constitutiones, sive Professus, sive Scholaris, sive Coadiutor Societatis huiusmodi ille esset, et quemvis alium Ordinem, etiam per Sedem Apostolicam approbatum (ordine Carthusiensium dumtaxat excepto), nisi de expressa ipsius Praepositi aut Sedis licentia transferri posset; volens et concedens, quod Generalis et alii inferiores Praepositi dictae Societatis, per se vel per alios, sic egressos ac alios quoscumque dictae Societatis apostatas, in quocumque habitu illos contingeret inveniri, excommunicare, capere et incarcerare, aut alias suae disciplinae submittere, et ad id, si opus foret, auxilium brachii saecularis invocare libere et licite valerent, prout in ipsius Pauli praedecessoris litteris desuper confectis plenius dicebatur contineri; ac inhibitio, voluntas et concessio Pauli praedecessoris huiusmodi, quae tranquillitatem, conservationem et commune bonum dictae Societatis concernebant, ab omnibus illius Religiosis humiliter servari debuissent: nihilominus nonnulli animi levitate, ut credebatur, ducti, ac quietem labori, cui procul dubio Religiosi Societatis huiusmodi, pro excolenda et propaganda christiana religione continuo erant expositi, ac privatum commodum publicae, tam dictae Societatis quam christianae reipublicae utilitati indiscrete praeferentes, fucatisque coloribus asserentes se id facere ob frugem melioris vitae aut strictioris observantiae, seu non obtenta Superiorum licentia, ad alios, etiam Fratrum Mendicantium, Ordines transire posse iactabant, et forsan aliqui de facto iam transierant; alii vero (quod turpius erat) ambitiosa cupiditate moti, postquam se Deo dediderant, saeculi libertatem quaerentes, ad illud reverti et in illo palam degere non dubitaverant nec dubitabant, in animarum suarum detrimentum ac Societatis praedictae

17 Ian. 1566

Quibus de causis e Societate nonnulli ad Religionem aliam transire voluerint.

PII V

17 Ian. 1556

Societas non debet carere viris, sua impensa et labore edoctis.

non modicum praeiudicium et iacturam; et nisi opportuno aliquo remedio dictae Societatis indemnitati, tranquillitati et conservationi consuleretur, verendum erat, ne Societas ipsa, quae in erudiendis et docendis viris, qui christianae reipublicae per verbi Dei praedicationem prodessent, et catholicam fidem in remotissimis etiam Brasiliae partibus propagarent et seminarent, sedulo intendebat, taliter delusa et defraudata viris sua impensa et labore edoctis, careret litteratis, qui operam in vinea Domini, iuxta ipsius Societatis instituta moremque praestari et exerceri solitam, valerent adimplere: idcirco pro parte tam Sebastiani Regis, se et Religiosorum Societatis huiusmodi opera et doctrina plurimum uti asserentis, quam Praepositi Generalis ac Religiosorum praefatorum, eidem Pio praedecessori humiliter supplicato, quatenus ipsius Societatis quieti et conservationi prospicere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaretur; praefatus Pius praedecessor, qui votis illis quae dictae Religionis profectum concernebant, catholicis Regibus praesertim instantibus, gratum praebere solebat assensum: eosdem Sebastianum Regem ac Praepositum, et utrumque eorum, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati exsistebant, ad effectum infra scriptorum dumtaxat consequendum, absolvens et absolutos fore censens; nec non veriores litterarum Pauli praedecessoris, ac Constitutionum Societatis praedictarum tenores, nec non modum, formam et qualitates votorum in ipsa Societate tam per Professos quam Coadiutores et Scholares suos huiusmodi emitti solitorum pro expressis habens, huiusmodi supplicationibus inclinatus, sub datum videlicet sexto kal. Decembris Pontificatus sui anno sexto; quod nullus dictae Societatis Religiosus in litteris Pauli praedecessoris huiusmodi expressus, post emissa vota secundum illius Constitutiones, sive Professus, sive Scholaris, sive Coadiutor, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis ille foret, a dicta Societate exire aut recedere, etiam praetextu cuiusvis indulti ab eodem Pio praedecessore, vel alio Romano Pontifice pro tempore exsistente, seu illius maiore Poenitentiario, aut aliquo Nuntio vel Legato etiam de latere, impetrati vel impetrandi, (quod etiam ex tunc subreptitium idem Pius praedecessor declaravit) absque expressa Superioris sui licentia ad id ab eo specialiter obtenta, etiam quaesito colore ob frugem melioris vitae aut strictioris observantiae, ad quemvis alium, etiam Minorum vel aliorum Fratrum Mendicantium, aut Cisterciensium vel S. Benedicti aut aliorum Monachorum Ordinem transire, vel etiam per Superiores Ordinum huiusmodi suorumve Monasteriorum (praefato Ordine Carthusiensium dumtaxat excepto) recipi seu admitti posset seu praesumeret, sub poena excommunicationis, tam per recipientes quam receptos ac recedentes praefatos ipso facto incurrenda, et quam idem Pius praedecessor ex tunc contra quemlibet transgressorem quomodolibet in praemissis protulit, et a qua sic innodatus, praeterquam in mortis articulo, ab alio quam Romano Pontifice

Nullus post emissa vota, etiam cuiusvis indulti praetextu, potest a Societate exire absque licentia obtenta a suo Superiore.

Nullus de Societate potest transire ad alium Ordinem praeter Carthusiensium, sine licentia sui Superioris

Transeuntes ad alium Ordinem, ut praefertur, et qui eos recipiunt, ac alias, qui recedunt a Societate, sunt ipso facto excommunicati: nec possunt absolvi nisi a Papa aut a Superiore Societatis.

vel Superiore Societatis huiusmodi absolvi non posset; quodque nihilominus secus facta non tenerent, et nullius exsisterent efficaciae vel momenti; et insuper, ut qui pro tempore ab ipsa Societate ad Carthusiensium praefatum, vel de Superioris licentia ad alium Ordinem transire vellent, ad Carthusiensium videlicet infra tres menses a die quo ab ipsa Societate recessissent, ad alium vero Ordinem infra tempus eis a dicto Superiore praefigendum accedere, illosque actualiter ingredi, et si in illis permanere nollent aut non possent, absque ulla mora ad dictam Societatem regredi tenerentur, sub poena excommunicationis praefata, quam tam ipsi Religiosi, quam illos recipientes, vel eis auxilium, consilium vel favorem praestantes, etiam incurrerent; et nihilominus si quis ex Religiosis praefatis, animo indurato aliquid in contrarium attentare praesumeret, vel a dicta Societate post in ea emissa vota, ut praefertur, absque Superioris licentia exiret, et in saeculo vel alio etiam regulari Loco degere praesumeret, liceret dicto Generali aliisque dictae Societatis Praepositis et Superioribus, eosdem transgressores et exeuntes, tamquam apostatas, etiam per auxilii saecularis brachii invocationem, summarie et sine figura iudicii, ad dictam Societatem revocare, capere et incarcerare ac debitae poenitentiae subiicere, auctoritate apostolica perpetuo statuit, ordinavit, praecepit atque mandavit. Ac insuper eidem Societati, illiusque Generali ac aliis Praepositis et singularibus personis, quod omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, favoribus, gratiis et indultis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores suos, singulorum Mendicantium Fratrum Ordinibus illorumque Superioribus et Fratribus, in genere vel in specie, etiam super suis Religiosis alterutrum non recipiendis, quomodolibet concessis et approbatis, ac quibus illi utebantur, potiebantur et gaudebant, uti, potiri, et gaudere libere et licite valerent, eadem auctoritate concessit et indulsit; et sic in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque Iudices et Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contingeret, irritum et inane decrevit.

Recedentes a Societate, infra quod tempus Carthusiensium vel alium Ordinem tenentur ingredi, et sub qua poena, quam etiam incurrunt illos recipientes, vel eis dantes auxilium, etc.

Superioribus Societatis datur facultas procedendi contra dictos apostatas.

Communicantur Societati omnia privilegia procedendi contra dictos apostatas.

Non obstantibus praemissis, ac rec. mem. Innocentii Papae III, similiter praedecessoris Nostri, quae incipit LICET, et aliis quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non Ordinum praedictorum et aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, etiam Mendicantium et aliis quibusvis Ordinibus, eorumque Superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis expressio habenda, aut

Non obstantibus, etc.

PII V. 17 Ian. 1566

aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, idem Pius praedecessor, illorum omnium tenores pro sufficienter expressis habens, illis alias in suo robore permansuris, ea vice dumtaxat specialiter et expresse derogavit, caeterisque contrariis quibuscumque.

Haec Pii contra apostatas concessio a die 26 Novembris anni 1565 sortitur suum effectum.

Ne autem de absolutione, statuto, ordinatione, inhibitione, praecepto, mandato, indulto, concessione, decreto et derogatione praefatis, pro eo quod super illis ipsius Pii praedecessoris, eius superveniente obitu, litterae confectae non fuerunt, valeat quomodolibet haesitari, ipsique Sebastianus Rex ac Praepositus et Societas huiusmodi illorum frustrentur effectu: volumus, et similiter dicta apostolica auctoritate decernimus, quod statutum, ordinatio, inhibitio, praeceptum, mandatum, indultum, concessio, decretum et derogatio Pii praedecessoris huiusmodi, perinde a dicto die sexto kal. Decembris suum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Pii praedecessoris litterae sub eiusdem diei datum confectae fuissent, prout superius enarratur; quodque praesentes litterae ad probandum plene absolutionem, statutum, ordinationem, inhibitionem, praeceptum, mandatum, indultum, concessionem, decretum et derogationem Pii praedecessoris huiusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Deputantur Iudices conservatores.

Quocirca venerabilibus fratribus Nostris Toletan. et Avinionen. Archiepiscopis, ac Episcopo Leodien., per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Sebastiani Regis vel Praepositi Generalis Societatis huiusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate Nostra, illos statuto, ordinatione, inhibitione, praecepto, mandato, indulto, concessione, decreto et derogatione praedictis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos vel eorum aliquem desuper per quoscumque quavis auctoritate fungentes quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet ac inobedientes et rebelles, per sententias, censuras, et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo; nec non legitimis super his habendis servatis processibus, illos censuras et poenas praedictas incurrisse declarando, easque etiam iteratis vicibus aggravando, et auxilium brachii saecularis, si opus fuerit, invocando.

Non obstantibus sanctae mem. Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris Nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis, ad iudicium evocetur, seu ne Iudices a dicta Sede deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere praesumant, et de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo quis ultra tres dietas auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur; et aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscumque omnibus supra dictis, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari

PII V

17 Ian. 1566

non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae voluntatis et decreti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDLXV, sexto decimo kal. Februarii, Pontificatus Nostri anno primo.

Anno vulgari 1566.

Io. Bapt. Fauchier.

F. de Torres.

PII V

CONFIRMATIO CONSTITUTIONUM SOCIETATIS

CIRCA CONTRACTUS NON CAPITULARITER CELEBRANDOS.

PIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

PII V

29 Apr. 1568

Ampla commendatio Societatis.

Innumerabiles fructus, quos, benedicente Domino, christiano orbi Societas Iesu, viros litterarum praecipue sacrarum scientia, religione, vita exemplari morumque sanctimonia perspicuos, multorum religiosissimos praeceptores, ac verbi divini, etiam apud longinquas et barbaras illas nationes, quae Deum penitus non noverant, optimos praedicatores et interpretes producendo, felicissime hactenus attulit et adhuc sollicitis studiis afferre non desistit, animo saepius volventes Nostro: libenter non solum ea, quae alias in ipsius Societatis favorem a Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris Nobisque et aliis emanata sunt, ut firmius subsistant, cum a Nobis petitur, apostolicae et perpetuae firmitatis robore; verum etiam Societatem ipsam, quantum Nobis ex alto conceditur, specialibus favoribus et gratiis munimus.

Iuxta bullas Pauli III et Iulii III et ex Constitutionibus, Collegiorum gubernatio penes Generalem vel Societatem exsistit.

Sane exhibita Nobis nuper, pro parte dilectorum filiorum Religiosorum dictae Societatis, petitio continebat, quod litteris tam fel. rec. Pauli III sub millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, quam piae mem. Iulii III, Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum, sub millesimo quingentesimo quinquagesimo annis Incarnationis Dominicae respective confectis, per dictorum Pontificum successores et Nos confirmatis, in favorem ipsius Societatis emanatis, ac illius Constitutionibus, omnimoda Collegiorum ipsius Societatis gubernatio ad pro tempore exsistentem Praepositum Generalem vel ipsam Societatem spectet. Indeque fit, ut neque Collegia praefata Capitulum habeant, neque capitulariter ad quaevis peragenda congregentur, omnisque facultas celebrandi contractus, ex iisdem Constitutionibus, penes Praepositum praefatum resideat; quod etiam generalis Congregatio ad commodiorem Societatis huiusmodi negotiorum expedi-

In Collegiis Capitula non congregantur.

Facultas celebrandi contractus ad Praepositum Generalem spectat, iuxta Constitutiones et decretum Congregationis.

tionem, utile, immo necessarium iudicans, voluit, et publico instrumento decrevit et declaravit. Quare pro parte eorumdem Religiosorum Nobis humiliter supplicatum fuit, quatenus litteris et Constitutionibus, ac voluntati, decreto et declarationi praefatis, pro illorum firmiore subsistentia, robur apostolicae confirmationis adiicere, ac praemissa eidem Societati de novo concedere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Superiora confirmat Pontifex.

Nos igitur, qui Societatem praefatam Nobis et Apostolicae Sedi apprime charam, singulari paternoque amore prosequimur, Religiosos praefatos eorumque singulos, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati exsistunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; nec non litterarum et Constitutionum, ac decreti et declarationis praedictorum tenores ac datum, praesentibus pro expressis habentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, litteras et Constitutiones, ac voluntatem, et decretum nec non declarationem, praedicta, prout praemissa concernunt, ex certa scientia, apostolica auctoritate, tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, et infra.

Transsumptis habeatur fides.

Volumus autem, et eadem apostolica auctoritate decernimus, quod praesentium litterarum transsumptis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo alicuius Curiae ecclesiasticae, aut personae in dignitate ecclesiastica constitutae, vel Canonici alicuius Cathedralis seu Collegiatae ecclesiae munitis, eadem prorsus fides ubilibet, in iudicio et extra, adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae voluntatis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDLXVIII, tertio kal. Maii, Pontificatus Nostri anno tertio.

Io. Barengus.
Io. Bapt. Fauchier.

PII V.

PRIVILEGIA CIRCA PRAELECTIONES IN COLLEGIIS,

ETIAM UBI ALIORUM SUNT UNIVERSITATES, DECLARANTUR.

PIUS PAPA V
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

PII V CUM LITTERARUM studia ad bene beateque vivendum summopere conferre censeamus, ad ea libenter attendimus, per quae Magistrorum numerum, iam dudum in publicis studiorum Universitatibus institutum, non solum conservemus, sed etiam, quantum cum DEO possumus, per amplius augeamus.

Exhibita sane Nobis nuper, pro parte dilecti filii Praepositi Generalis Societatis IESU, petitio continebat, quod licet ipsa Societas in Collegiis, tam extra quam intra studiorum generalium Universitates constitutis, varios philosophiae et theologiae Professores manu tenere studuerit, ad effectum, ut non solum dictam Societatem ingressi, ab illis eruditi, speratos in vinea Domini fructus portare possent; verum etiam, ut diversarum nationum iuvenes, qui Magistrorum penuria litteris operam dare desistebant, hac commoditate allecti, recte vivendi normam edocti, sapientiaeque donum amplexi, litteris simul et bonis operibus proficerent; ac propterea, prout etiam Sedis Apostolicae auctoritate suffulti, id facere omnino poterant, semper curaverint ut illarum studiosi tam lectionibus quam disputationibus et aliis scholasticis exercitationibus excolerentur: nihilominus, cum in quibusdam Universitatibus, quorumdam privilegiorum praetextu, eveniat, ut, qui in Collegiis Societatis huiusmodi eorum cursus confecerunt, illi eis ad gradus suscipiendos minime suffragentur, interdum etiam scholasticis ipsis prohibeatur ne huiusmodi lectiones, sub poena exclusionis a gradibus praedictis, et aliis forsan censuris, audiant, in magnum inibi proficere studentium detrimentum, et legere ac laborare satagentium vilipendium et gravamen; quare idem Praepositus Generalis, cui nil aliud cordi est, quam catholicae fidei, quae plurimum ex hac ratione propagari potest, conservatio; Nobis humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos, qui quorumlibet privilegia, praesertim ex quibus communis utilitas provenit, illibata ubique cupimus praeservari, eumdem Praepositum Generalem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes; nec non litterarum et aliorum quorumcumque

10 Mar. 1571

dictae Societatis, super hoc illi concessorum, privilegiorum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica per praesentes decernimus et declaramus, quod Praeceptores huiusmodi Societatis, tam litterarum humaniorum quam liberalium artium, theologiae, vel cuiusvis earum facultatum in suis Collegiis, etiam in locis ubi Universitates exstiterint, suas lectiones etiam publicas legere (dummodo per duas horas de mane, et per unam horam de sero cum Lectoribus Universitatum non concurrant) libere et licite possint; quodque quibuscumque scholasticis liceat in huiusmodi Collegiis lectiones et alias scholasticas exercitationes frequentare, ac quicumque in eis philosophiae vel theologiae auditores fuerint, in quavis Universitate ad gradus admitti possint; et cursuum, quos in Collegiis praedictis confecerint, ratio habeatur, ita ut si in examine sufficientes inventi fuerint, non minus, sed pariformiter et absque ulla penitus differentia, quam si in Universitatibus praefatis studuissent, ad gradus quoscumque, tam baccalaureatus quam licentiaturae, magisterii et doctoratus admitti possint et debeant; eisque super praemissis specialem licentiam et facultatem concedimus; districtius inhibentes Universitatum quarumcumque Rectoribus et aliis quibuscumque, sub excommunicationis maioris, aliisque, arbitrio Nostro moderandis, infligendis et imponendis poenis, ne Collegiorum huiusmodi Rectores et scholares, in praemissis, quovis quaesito colore, molestare audeant vel praesumant. Decernentes quoque praesentes litteras ullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostrae vel quopiam alio defectu, notari vel impugnari nullatenus posse; minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus et aliis contrariis dispositionibus comprehendi ullatenus posse; sicque per quoscumque Iudices et Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales ac causarum Palatii apostolici Auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, facultate, iudicari debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Praeceptores Societatis possunt etiam ubi Universitates sunt, publice legere, quibusdam horis exceptis.

Externi possunt Societatis lectiones frequentare; et debent in Universitatibus ad gradus admitti.

Inhibetur Universitatum Rectoribus et aliis.

Hae litterae subreptionis argui non possunt.

Quocirca venerabilibus fratribus Archiepiscopo Valentin. et Episcopo Segovien. et dilecto filio causarum curiae Camerae apostolicae generali Auditori, per praesentes mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte ipsius Praepositi Generalis vel pro eo agentium fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant omnes, quos praesentes litterae concernunt, praemissis omnibus pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, et interdictum eccle-

Iudices qui assistant.

PII V. 10 Mar.1571

siasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus praemissis, ac fel. rec. Bonifacii Papae VIII praedecessoris Nostri de una, et Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis, vigore praesentium, ad iudicium non extrahatur; ac aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis, indultis et litteris apostolicis, tam praedictis quam quibusvis aliis Universitatibus et Collegiis, ac quibuscumque personis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, in genere vel in specie, ac sub quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscumque, aut si aliquibus, communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Transsumptis habeatur fides.

Volumus autem, quod praesentium transsumptis manu Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimo Martii MDLXXI, Pontificatus Nostri anno sexto.

Cae. Glorierius.

PII V

DECLARATUR SOCIETAS EX INSTITUTI RATIONE MENDICANS

ALIISQUE MENDICANTIUM ORDINIBUS CONNUMERATUR ET PRIVILEGIIS AEQUATUR.

PII V 7 Iul. 1571

PIUS PAPA V
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Dum indefessae considerationis intuitu perscrutamur quantam christianae reipublicae utilitatem attulerint dilecti filii Presbyteri Societatis Iesu, ac plane conspicimus, eos vere mundi huius relictis illecebris adeo Servatori suo se dedicasse, ut conculcatis thesauris, quos aerugo et tinea comedit, lumbisque paupertate et humilitate praecinctis, non contenti terrarum finibus, usque ad orientales et occidentales Indias penetraverint, ac eorum aliquos ita Domini

amor perstrinxerit, ut etiam proprii sanguinis prodigi, ut verbum Dei inibi efficacius plantarent, martyrio voluntario se supposuerint, perque eorum spiritualia exercitia etiam regna ipsa fidem Christi agnoverint, ac tam inibi quam ubique terrarum charitatis et misericordiae opera exercere studeant: facere nullo modo possumus, quin eos tamquam veros palmites in Christo per charitatem coniunctos, et benigne amplectamur, et ea sibi specialiter concedamus, quae et paupertatis per eos emissae voto, et eorum Instituto ac commoditati credimus profutura.

Societas Mendicans exsistit.

Hinc est quod Nos attendentes, quod licet dilecti filii Praepositus Generalis et Presbyteri Societatis huiusmodi, tum quia ipsa Societas Mendicans exsistit (quippe quae ex eius Instituto et Constitutionibus, apostolica auctoritate confirmatis, bona stabilia possidere nequit, sed incertis eleemosynis, fideliumque largitionibus et subventionibus vivit), tum quia non minus quam caeteri Mendicantes in excolenda vinea Domini assidue laborant, fructusque ingentes et salutiferos producunt, ac propterea eisdem privilegiis, indultis et gratiis Fratribus Mendicantibus hactenus concessis uti, frui, potiri et gaudere merito possint ac debeant; cum tamen illud aliquando in controversiam deduci posset, ex eo quod dicta Societas Collegia habeat secum adiuncta: Nos ambiguitatem huiusmodi omnino amputare volentes, eosdemque Praepositum et Societatem, eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati exsistunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; nec non dictae Societatis Instituti, Constitutionum et dispositionum, tam de iure quam ab homine provenientium, nec non privilegiorum, immunitatum, indulgentiarum et gratiarum Mendicantibus Fratribus huiusmodi quomodolibet concessorum, ac litterarum desuper confectarum tenores praesentibus pro expressis habentes; motu proprio, non ad ipsorum Praepositi Generalis et Societatis vel alicuius eorum, aut alterius pro eis Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera liberalitate et certa scientia Nostris, illam et illius Praepositum, ac singulas personas Societatis huiusmodi, vere et non ficte Mendicantes fuisse, esse et fore, et inter aliorum Fratrum et Religiosorum Mendicantium Ordines, aliosque Fratres et Religiosos Mendicantes, prout illos Nos connumeramus, et connumerari debere; ac omnes et singulas tam iuris quam hominum dispositiones in favorem Religiosorum seu Fratrum Mendicantium, nunc et pro tempore emanatas, etiam in Societate illiusque Domibus, Collegiis, Praeposito et aliis Religiosis locum habere; nec non omnia et singula, quaecumque, quotcumque et qualiacumque sint, etiam speciali nota digna privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, concessiones, indulta, indulgentias, peccatorum remissiones et gratias tam spirituales quam temporales, litterasque apostolicas, etiam iustitiam, sive mixtim concernentia, hactenus per Nos et quoscumque alios Romanos Pontifices, tam praedecessores quam succes-

Societatem inter Mendicantium Ordines connumerari debere declaratur.

Dispositiones quaelibet in favorem Mendicantium locum habent etiam in Societate.

Gratiae et privilegia omnia Mendicantibus Ordinibus concessa, et concedenda, Societati conceduntur.

sores Nostros, et denique Sedem Apostolicam et illius Legatos de latere sive Nuntios et quascumque alias personas, quavis auctoritate fungentes, etiam motu et scientia similibus, ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, tam in genere quam in specie, et tam communiter et coniunctim quam particulariter et divisim, etiam per modum extensionis seu communicationis, et alias quomodolibet, quibusvis Ordinibus Fratrum et Sororum Mendicantium quocumque nomine nuncupentur, illorumque congregationibus, conventibus et capitulis, ac utriusque sexus personis, ac illorum monasteriis, domibus, ecclesiis, hospitalibus et aliis piis locis hactenus concessa et in posterum concedenda (quorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro expressis et insertis haberi volumus) eisdem Praeposito ac Societati, et omnibus illius personis, Domibus ac Collegiis ubique terrarum sitis, ita quod Societas, Domus, Collegia, Praepositus et personae huiusmodi omnibus et singulis praedictis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, concessionibus, indultis, indulgentiis, remissionibus, gratiis et litteris eisdem Fratrum et Sororum Mendicantium Ordinibus, congregationibus, conventibus, capitulis, personis, monasteriis, domibus, ecclesiis, hospitalibus et aliis piis locis, ut praefertur, concessis et concedendis, antea potuerint, et nunc ac in futurum (dummodo Instituto Societatis, et Praepositi seu deputatarum personarum huiusmodi voluntati et beneplacito non refragentur) possint libere et licite uti, frui, potiri et gaudere in omnibus et per omnia, non solum ad illorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, absque ulla prorsus differentia, perinde ac si Societati, Praeposito, personis, Domibus et Collegiis praedictis nominatim et specialiter ac generaliter concessa fuissent, apostolica auctoritate, tenore praesentium perpetuo sancimus, volumus et declaramus, ac pariter concedimus, indulgemus et elargimur.

Dummodo Instituto Societatis et Praepositi voluntati non refragentur.

Hae litterae sub quibusvis derogationibus non comprehenduntur.

Decernentes, praesentes litteras nullo umquam tempore per Nos aut Sedem praedictam revocari aut limitari, vel illis derogari posse, neque sub ullis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, alterationibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, nunc et pro tempore emanatis comprehendi, sed semper ab illis excipi; et quoties revocari, alterari, limitari vel derogari contingat, toties in pristinum et eum, in quo ante praemissa erant, statum restitutas, et de novo, etiam sub posteriori data per pro tempore exsistentem Societatis huiusmodi Praepositum Generalem eligenda, concessas esse et fore; ac ita, et non aliter per quoscumque Iudices tam ordinaria quam delegata et mixta auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam Sedis Apostolicae Legatos de latere et Nuntios ac causarum Palatii apostolici Auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate, ubique et in quavis instantia interpretari, censeri, iudicari, cognosci et decidi debere; irritum quoque et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputantur Iudices.

Quocirca venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episco-

PII V

7 Iul. 1571

pis, ac dilectis filiis eorum Vicariis in spiritualibus aut Officialibus generalibus, et curiae causarum Camerae apostolicae generali Auditori, nec non Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis et Capitulis, ac aliis ad quos id quomodolibet spectat et spectabit, per praesentes motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Praepositi et personarum Societatis huiusmodi vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant eos praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus Nostra de non expediendis litteris super indulgentiis ad instar, ac fel. rec. Bonifacii Papae VIII praedecessoris Nostri de una, et Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis vigore praesentium ad iudicium non trahatur; et aliis apostolicis constitutionibus, ac quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis personis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores Nostros, ac Nos et Sedem Apostolicam, etiam motu et scientia similibus, ac de apostolicae potestatis plenitudine et cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, revocativis, modificativis, praeservativis, exceptivis, declarativis, mentis attestativis ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac alias quomodolibet, etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiam si in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus derogari possit, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda, seu aliqua alia forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Transsumptis habeatur fides.

Volumus autem, quod praesentium transsumptis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die septimo Iulii MDLXXI, Pontificatus Nostri anno sexto.

P. Ruiz.
Io. Beiel.

GREGORII XIII

FACULTAS CONSERVATORES IUDICES ASSUMENDI

IN QUIBUSCUMQUE CAUSIS.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

GREGORII XIII

AEQUUM REPUTAMUS et rationi consonum, ut ea, quae de Romani Pontificis gratia processerunt, licet eius superveniente obitu litterae apostolicae super illis confectae non fuerint, suum sortiantur effectum.

Dudum siquidem fel. rec. Pio Papae v, praedecessori Nostro, pro parte dilectorum filiorum Praepositi Generalis et Religiosorum Societatis IESU, exposito, quod, cum dicta Societas, benedicente Domino, longe lateque esset propagata, ac ad DEI laudem et honorem militantisque Ecclesiae profectum in dies augeretur; et propter diversa bona temporalia, quae Collegia scholarium sub eorum cura instituta possidebant, conservanda et recuperanda, lites aliaque forensia frequenter subire necessario cogeretur, exindeque fieret, ut eius personae, quae animarum saluti implicitae, litium anfractus, qui ab eorum institutis valde dissonabant, evitare cupiebant, ab earum ministerio, non sine animi sui dolore, cum animarum huiusmodi dispendio distraherentur; et eidem praedecessori, pro parte eorumdem Praepositi Generalis et Religiosorum asserentium eorum bona a quorumcumque locorum Ordinariorum iurisdictione libera et exempta, ac sub Romani Pontificis et Sedis Apostolicae protectione alias recepta fuisse, humiliter supplicato, ut eorum quieti, more pii patris, ac alias in praemissis opportune consulere de benignitate apostolica dignaretur: idem praedecessor, qui ad gratos DEO et universae reipublicae christianae utiles et necessarios fructus, quos Societatis praedictae personae in vinea Domini semper proferebant, debitum respectum habebat, facere nullo modo poterat quin ipsis ea concederet, per quae ipsi eorumque res et bona a noxiis, iustitiae ministerio, praeservarentur; eosdem Praepositum Generalem et Religiosos ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati exsistebant, ad effectum infra scriptorum dumtaxat consequendum absolvens et absolutos fore censens, huiusmodi supplicationibus inclinatus, sub datum videlicet octavo kal. Iunii, Pontificatus sui anno tertio, eidem Societati singulisque illius personis, ac eorum familiaribus, clericali charactere tamen insignitis, ut in quibuscumque causis, tam civilibus quam criminalibus ac mixtis, etiam in eis, in quibus actores vel conventi rei forent, ipsis con-

25 Mai. 1572

Conservatores Iudices eligere possunt Societatis tum Religiosi, tum familiares clerici.

tra quascumque Communitates et Collegia huiusmodi, omnes et singulos Archiepiscopos et Episcopos ac Abbates, nec non alias personas in dignitate ecclesiastica constitutas, ac Metropolitanarum et aliarum Cathedralium ecclesiarum Canonicos, ac eorumdem Archiepiscoporum et Episcoporum Vicarios in spiritualibus et Officiales generales ubilibet constitutos, in suos possent assumere Conservatores et Iudices ordinarios, indulsit.

Ipsis vero sic electis, vel duobus aut uni eorum, ut per se vel alium seu alios, etiam si sint extra loca in quibus Conservatores et Iudices deputati forent, eidem Societati efficacis defensionis praesidio assistentes, non permitterent Societatem Collegiaque huiusmodi, super terris, locis, domibus, possessionibus et iuribus, nec non fructibus, censibus, reditibus et proventibus, ac quibuscumque aliis bonis mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, nec non privilegiis et indultis, eis et dictae Societati, tam apostolica quam ordinaria et alias rite regia auctoritatibus concessis, et aliis rebus ad dictam Societatem communiter vel divisim spectantibus, a quibuscumque personis, tam saecularibus quam ecclesiasticis, ac quacumque auctoritate et superioritate fungentibus, quoquomodo indebite molestari, vel eis gravamina, damna aut iniurias irrogari: facerentque, cum ab eisdem Societate aut personis vel Procuratoribus suis seu aliquo ex eis forent requisiti super restitutione locorum, terrarum, domorum, possessionum, iurium, et bonorum mobilium et immobilium, redituum quoque et proventuum, ac aliorum quorumcumque bonorum, nec non privilegiorum et indultorum eis tunc et pro tempore concessorum observatione; nec non de quibuslibet molestiis, iniuriis, damnis tunc praesentibus et futuris, in illis videlicet, quae iudicialem requirerent indaginem, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii; in aliis vero prout eorum qualitas exegisset, iustitiae complementum; occupatores, seu detentores, praesumptores et iniuriatores huiusmodi, nec non contradictores quoslibet et rebelles, etiam si alias quam ut praefertur qualificati exsisterent, quandocumque et quotiescumque expedisset, auctoritate apostolica per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; legitimisque, super his habendis, servatis processibus, eos, quos sententias, censuras et poenas, per eosdem Conservatores seu Iudices pro tempore latas, incurrisse eis constitisset; eas incurrisse declararent, et quoties opus fuisset, etiam iteratis vicibus aggravarent, nec non auxilium brachii saecularis invocarent, commisit et mandavit. Ac insuper, si per summariam informationem per eos super his habendam ipsis constitisset, quod ad loca, in quibus occupatores, praesumptores, molestatores et iniuriatores huiusmodi, ac alios, quos litterae tunc desuper conficiendae concernerent, pro tempore morari contigisset, pro monitionibus et inhibitionibus ipsis ac citationibus eis faciendis, tutus non pateret accessus, Iudicibus et Conservatoribus huiusmodi monitiones et citationes praefatas ac inhibitiones quaslibet, per edicta publica locis publicis affigenda, de quibus esset verisimilis coniectura quod ad ipsorum monitorum, citatorum, et

In molestiis et damnis summarie,

in aliis, prout rerum qualitas exegerit, procedendum.

Conservatorum Iudicum facultates:

per censuras compescendi,

declarandi, etc.

inhibitorum notitiam pervenire valerent, faciendi; nec non eisdem occupatoribus, detentoribus, praesumptoribus, molestatoribus, iniuriatoribus, contradictoribus et rebellibus, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis ac etiam pecuniariis, eorum arbitrio moderandis, inhibendi; ac quibusvis inhibitionibus eis pro tempore, etiam praetextu quarumcumque litterarum conservatoriarum seu privilegiorum apostolicorum quibuslibet concessorum et concedendorum, pro tempore factis, non obstantibus, eorum iurisdictionem libere exercendi; loca ad quae eos declinare contigerit, et in quibus scienter stare permissi forent, ecclesiastico interdicto subiiciendi plenam et liberam facultatem concessit. Ac monitiones, requisitiones, inhibitiones et citationes sic factae, perinde ipsos monitos, requisitos, inhibitos et citatos arctarent, ac si eis personaliter factae, insinuatae et intimatae forent; ac tunc desuper conficiendis litteris, et in eis contentis dispositionibus, per quascumque derogationes, in quibusvis aliis litteris apostolicis gratiam vel iustitiam et mixtim continentibus, per eumdem praedecessorem et Sedem Apostolicam, etiam cum derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, et per quas earumdem litterarum tunc desuper conficiendarum tenor, ac si de verbo ad verbum in eis insertus foret, pro expresso haberetur, quibuscumque personis, seu in eorum favorem, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine concessas et factas, ac faciendas et concedendas, nullatenus derogatum censeretur, aut derogari posset, nisi tenor earumdem tunc desuper conficiendarum litterarum, de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, foret in illis insertus; et derogatio pro tempore facta huiusmodi, per trinas distinctas litteras eumdem tenorem continentes, tribus similiter distinctis vicibus eidem Societati intimata et insinuata foret; et quod aliter earumdem litterarum tunc desuper conficiendarum pro tempore factae derogationes nemini suffragarentur; quodque quilibet Iudicum et Conservatorum praefatorum valeret prosequi articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo foret canonico impedimento praepeditus; quodque cuilibet Conservatorum et Iudicum eorumdem, ab eodem die octavo kal. Iunii, esset in praemissis omnibus ac eorum singulis, coeptis et non coeptis, tunc praesentibus et futuris, perpetua potestas et iurisdictio attributa; ut eo vigore eaque firmitate possent in praemissis omnibus, coeptis et non coeptis, tunc praesentibus et futuris, et pro praedictis procedere, ac si praedicta omnia et singula coram eis coepta fuissent, et eorum ac cuiuslibet ipsorum iurisdictio, de praemissis omnibus et singulis, per citationem vel modum alium perpetuata legitime exstitisset; sicque per quoscumque Iudices et Commissarios, et causarum Palatii apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac ex tunc, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contingeret, irritum et inane decrevit.

Non obstantibus piae mem. Bonifacii Papae VIII, etiam praedecesso-

inhibendi, — *interdicendi.* — *His litteris per quascumque alias derogationes non censetur derogatum.* — *Quilibet Conservator potest prosequi articulum per alium inchoatum.* — *Non obstantibus, etc.*

ris Nostri, qua cavebatur, ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis ad iudicium evocaretur, seu ne Iudices a Sede praedicta deputati, extra civitatem vel dioecesim in quibus deputati forent, contra quoscumque procedere praesumerent; et de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo non ultra tres dietas aliquis, vigore earumdem litterarum tunc desuper conficiendarum, extraheretur; et quibusvis aliis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac quibusvis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis Regibus, Ducibus, Comitibus caeterisque cuiuscumque dignitatis, qualitatis et praeeminentiae ac Ordinis, etiam Mendicantium, et conditionis exsistentibus personis, in genere vel in specie, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis.

Quibus omnibus idem Pius praedecessor, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, pro sufficienter expressis habens, illis alias in suo robore permansuris, ea vice dumtaxat specialiter et expresse derogavit caeterisque contrariis quibuscumque. Voluit insuper idem Pius praedecessor, quod litterarum tunc desuper conficiendarum transsumptis, manu alicuius Notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhiberetur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Transsumptis habeatur fides.

Ne autem de absolutione, indulto et aliis praemissis, pro eo quod super illis ipsius Pii praedecessoris, eius superveniente obitu, litterae confectae non fuerunt, valeat quomodolibet haesitari, ipsaque Societas illorum frustretur effectu, volumus et similiter apostolica auctoritate decernimus, quod indultum et alia praemissa, perinde a dicto die octavo kal. Iunii suum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Pii praedecessoris litterae confectae fuissent, prout superius enarratur; quodque praesentes litterae ad probandum plene absolutionem, indultum et alia praemissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae voluntatis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDLXXII, octavo kal. Iunii, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Quintal.

GREGORII XIII

APPROBATIO ET NOVA CONCESSIO FACULTATUM

HORAS CANONICAS EXTRA CHORUM RECITANDI, ET SACROS ORDINES POST EMISSA VOTA, ETIAM ANTE PROFESSIONEM, SUSCIPIENDI.

GREGORIUS PAPA XIII
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

GREGORII XIII

Ex sedis apostolicae benignitate provenire dignum est, ut regularia instituta, pro Religionum quarumlibet salubri directione edita, illibatam obtineant roboris firmitatem.

Cum itaque Instituto clericorum regularium Societatis Iesu, quod per fel. rec. Paulum III, et Iulium etiam III, praedecessores Nostros, approbatum et confirmatum fuit, cuique per sacrum Concilium Tridentinum derogatum minime exstitit, inter alia expresse caveatur, quod Socii omnes, etiam qui in sacris fuerint, horis canonicis recitandis satisfecisse censeantur, si eas iuxta usum Romanae Ecclesiae, singuli privatim et particulariter et non communiter seu in choro, recitaverint; nec non ut ii, qui in eadem Societate tria paupertatis et castitatis et obedientiae vota emiserint, ad omnes, etiam sacros et Presbyteratus ordines, de licentia pro tempore exsistentis sui Praepositi Generalis, etiam antequam solemnem Professionem emiserint, promoveri valeant: Nos considerantes Religionem praedictam uberrimos fructus, ad Dei laudem et sanctae catholicae fidei propagationem per universum orbem, dedisse, meritoque in suis piis institutis confovendam esse; motu proprio et ex certa Nostra scientia Sociis praedictis, ut horas canonicas, singuli et privatim, iuxta usum Romanae Ecclesiae, non autem communiter seu in choro, recitare teneantur, quo acrius studiis, lectionibus et praedicationibus intendere possint; nec non ut ii, qui tria vota praedicta in eadem Societate emiserint, de licentia sui Praepositi Generalis ad sacros etiam Presbyteratus ordines, etiam ante solemnem Professionem emissam, dummodo alias aetate, moribus et doctrina idonei sint, promoveri valeant; instituta praedicta approbantes, tenore praesentium, auctoritate apostolica, quatenus opus sit, de novo concedimus.

28 Feb. 1573

Emissis tribus votis ad sacros ordines, etiam ante Professionem, promoventur Nostri.

Non obstantibus constitutionibus apostolicis, et in specie constitutione Pii V, praedecessoris Nostri, qua decretum Concilii Tridentini, quod incipit Cum non deceat, ad clericos regulares non professos extendit, caeterisque contrariis quibuscumque.

Non obstantibus, etc.

Sess. 21 c. 2 de Reform.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die ultimo Februarii MDLXXIII, Pontificatus Nostri anno primo.

Cae. Glorierius.

GREGORII XIII

FACULTATES VARIAE CIRCA LIBRORUM PROHIBITORUM USUM.

GREGORIUS PAPA XIII
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

GREGORII XIII

8 Ian. 1575

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii, Praepositus Generalis et Religiosi Societatis Iesu, quod alias, dum fel. rec. Pius Papa v, praedecessor Noster, in minoribus constitutus, Inquisitoris generalis officium gereret, sufficienti facultate suffultus, inter alia eisdem concessit, quod Praepositus Generalis praedictus posset impertiri facultatem legendi libros haereticos et alios prohibitos, ad oppugnandum, dum tamen id considerate fieret et cum delectu, re consultata cum suis Assistentibus; ac Religiosi dictae Societatis possent uti libris non haereticis, licet haberent annotationes et scholia auctorum haereticorum, vel auctores ipsi mali essent, si libri non essent editi ad stabilienda dogmata haeretica, dummodo nomen auctoris, si haereticus esset vel in Indice prohibitus, et si quid inter legendum impium occurreret, deleretur; ipsique a Superiore deputati ad emendandos libros eorum, qui ad ipsos Religiosos vel in scholis vel extra illas recurrere solent, facultatem haberent, quando auctores boni essent, ut Augustinus, Hieronymus et similes, sed haberent prava scholia vel malas annotationes; aut cum auctor et impressor impii essent, sed non libri; aut cum ethnici exsisterent auctores, sicut Cicero et alii similes, sed haberent scholia, annotationes vel quid eiusmodi propter quod prohibiti essent, donec purgarentur, deletis tamen erroribus et nomine auctoris vel impressoris mali; nec non quod ipsi Religiosi non solum libros suos, quos in suis Collegiis vel Domibus haberent, sed etiam scholasticorum, qui ad eiusdem Societatis scholas confluerent, quorum auctores ethnici, quamvis alioqui boni essent, sed propter scholia vel annotationes aut commentaria vel impressorem, in Indice prohiberentur, emendare possent, si ad id a Praeposito Generali per se ipsum vel per alios deputati forent, et suis scholasticis utendos relinquere possent, deletis tamen erroribus et nominibus auctorum prohibitorum; quodque ipsi Religiosi ea in suis libris exsecutioni demandarent, quae in catalogo et decreto sanctae Romanae et universalis Inquisitionis praecipiuntur ad effectum ut illi retineri possent; easdemque concessiones et facultates circa libros prohibitos et suspectos, alias a praedecessoribus Nostris et Sede Apostolica eisdem Praeposito et Religiosis concessas et confirmatas, venerabilis frater Noster Scipio Episcopus Sabinensis, Cardinalis de Pisis nuncupatus, vivae vocis oraculo, a Nobis desuper sibi facto, approbavit et confirmavit.

Generalis quomodo possit dare Sociis facultatem legendi libros haereticos.

Socii quomodo et quibus libris prohibitis uti possint.

Quos aliorum libros, et quomodo emendare:

similiter et proprios et scholasticorum.

Exsequantur catalogi Romanae Inquisitionis praeceptum.

GREGORII XIII

8 Ian. 1575

Cum autem ea firmius subsistant, in quibus pluries apostolica auctoritas intercedit, propterea Praepositus et Religiosi praedicti Nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus praedictis et aliis facultatibus circa eadem sibi concessis, pro eorum subsistentia firmiori, apostolicae confirmationis robur adiicere, aliasque circa illa opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem Praepositum ac Religiosos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati exsistunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; nec non facultatum et concessionum huiusmodi seriem, ac si de verbo ad verbum insereretur, praesentibus pro expressa habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, easdem concessiones et facultates ac alias quascumque, super huiusmodi libris habendis, legendis aut corrigendis, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque plenariae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus; omnesque et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus, illaque de novo, quatenus opus sit, potiorique pro cautela, concedimus et impertimur.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus praemissis, ac litteris in die Coenae Domini legi solitis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile nimis esset, praesentes ubique locorum, in quibus illarum usus opus erit, deferri, volumus harum litterarum exemplis, etiam impressis, Notarii publici manu, et sigillo eiusdem Societatis vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eamdem prorsus fidem in iudicio et extra ubique locorum haberi, quae praesentibus haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Transsumptis adhibeatur fides.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die octavo Ianuarii MDLXXV, Pontificatus Nostri anno tertio.

Cae. Glorierius.

GREGORII XIII

FACULTAS SOCIETATI CONCEDITUR

SUIS ET ALIORUM ORDINUM PRIVILEGIIS MORE SUO UTENDI, AC PRAEPOSITO, ILLA PER SE VEL ALIOS COMMUNICANDI, ETC.

GREGORIUS PAPA XIII
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

GREGORII XIII

8 Mai. 1575

Decet Romanum Pontificem de religiosae personae pro usu gratiarum a Sede Apostolica emanatarum ab Instituti sui norma recedere cogantur, declarationis suae oraculo, aliisque opportunis remediis diligenter providere.

Sane dilectus filius Everardus Mercurianus, Praepositus Generalis Socie-

GREGORII XIII

3 Mai. 1575

tatis Iesu, tam suo quam dilectorum filiorum Societatis huiusmodi nominibus, Nobis nuper exposuit: Quod licet gratiae, immunitates, indulgentiae et privilegia aliorum Ordinum Mendicantium, caeterarumque Religionum et piorum locorum, per nonnullos Romanos Pontifices, et praesertim fel. rec. Pium v, praedecessores Nostros, dictae Societati fuerint communicata et concessa, nihilominus aliquando circa illorum praxim et usum, seu modum et formam eisdem utendi, propter Instituti ipsius Societatis ab aliis praedictis Religionibus diversitatem, dubitari contingit.

Nos igitur, dubietatem huiusmodi omnino submovere volentes, Praepositum praedictum, ac omnes alias et singulas personas Societatis huiusmodi, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati exsistunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; nec non immunitatum, indulgentiarum, gratiarum et privilegiorum huiusmodi, ac litterarum dictorum praedecessorum desuper confectarum tenores pro expressis habentes, supplicationibus praedicti Everardi Praepositi eisdem nominibus Nobis hac in parte porrectis, inclinati: quod praefatus pro tempore exsistens Praepositus et Societas huiusmodi, omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, concessionibus, indultis, indulgentiis, remissionibus, gratiis et litteris Fratrum et Sororum Mendicantium, aliarumque Religionum Ordinibus, Congregationibus, Conventibus, Capitulis, Monasteriis, Domibus, ecclesiis, Confraternitatibus, hospitalibus et aliis piis locis ac personis, tam saecularibus quam regularibus, hactenus concessis et in futurum concedendis; ac Praeposito Societatique praedictis, nec non eius Domibus, Collegiis, locis et personis, ubique terrarum constitutis, communiter vel divisim, apostolica seu delegata auctoritate, vel vigore quarumcumque facultatum, etiam ad instar, aut aeque principaliter, etiam per communicationem, seu alias quomodolibet concessis, iuxta Societatis huiusmodi Instituti rationem, Constitutiones, ritus, mores, usus, consuetudines, normas, observationes et procedendi modum, in praedictis Societatis Domibus, Collegiis, Congregationibus, concionibus, lectionibus, disputationibus, caeremoniis et aliis cuiusvis generis actibus publicis et privatis, ac denique ubique locorum, uti, frui, potiri, gaudere et illa exsequi, ac in eis procedere possint; quodque privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, concessiones, indulta, indulgentiae, remissiones, gratiae et litterae huiusmodi, nec non et ipsi Societati nominatim, vel eius Praeposito, aut personis seu locis hactenus concessa seu in posterum concedenda, praedicto et pro tempore exsistenti Praeposito Generali Societatis huiusmodi concessa esse intelligantur; qui illa per se ipsum vel alium seu alios, ab eo vel de eius commissione electos seu eligendos, quibuscumque locis et personis dictae Societatis, sub eiusdem Societatis obedientia, emissis tribus votis, etiam simplicibus, degentibus, prout magis expediens fuerit, communicare libere et licite valeat; nec aliter caeterae personae dictae Societatis praedictis privilegiis, facul-

Societas gaudet privilegiis omnium Ordinum ac piorum locorum concessis et concedendis, et iuxta Instituti rationem.

Privilegia Societatis et aliorum Ordinum censentur concessa Generali, qui per se vel alios potest illa quibusvis Sociis, postquam tria vota emiserint, communicare.

GREGORII XIII

3 Mai. 1575

Nec aliter Socii privilegis gaudent.

tatibus et aliis praemissis, aut aliquo eorum, nisi per Generalem Praepositum, et de eius beneplacito, aut per alium seu alios de eius commissione electos, ut praemissum est, uti aut gaudere possint; et insuper quod omnia privilegia aliaque praemissa, aliarum Religionum Capitulis, sive Conventibus aut Congregationibus, tam in celebrandis quibusvis contractibus quam in quibuscumque aliis actibus, tam publicis quam privatis, per eiusmodi Capitula sive Conventus exerceri solitis, hactenus concessa et in posterum concedenda, Congregationibus Societatis praedictae, eiusque Domorum, Collegiorum et locorum, congregatis et intervenientibus illis dumtaxat, qui more Societatis praedictae et secundum eius Constitutiones et statuta, regimen et administrationem Domorum et Collegiorum iuvare et promovere solent: cuiusmodi sunt, in generalibus Congregationibus, qui ex diversis provinciis conveniunt; in universali autem totius Societatis administratione, Generalis Praepositus cum suis Assistentibus; in rebus vero et negotiis Domorum et Collegiorum tractandis, Praepositi aut Rectores, vel Vice Praepositi aut Vice Rectores, Ministri, Consultores et Procuratores; servato in eiusmodi Congregationibus peculiari ac proprio dictae Societatis procedendi modo, concessa esse intelligantur: ac eo modo per Praepositum et Societatem huiusmodi, in quibuscumque Domibus, Collegiis et locis, ubique terrarum observari, et ad praxim ac usum plene et perfecte ac valide deduci et referri valeant. Ne quis autem apostolicorum indultorum praetextu regularem ac exemplarem Instituti praedictae Societatis disciplinam, quam modis omnibus retineri et conservari volumus, dissolvere aut relaxare praesumat, non esse nec fore umquam mentis Nostrae aut Sedis Apostolicae, ut personae Societatis, absque expressa Superiorum eiusdem Societatis licentia, utantur facultatibus, quae in iubilaeis, bullis cruciatae, confessionalibus aut aliis quibusvis apostolicis indultis, sive communitatibus, sive privatis personis, sive piis locis, aut quomodocumque aliter hactenus concessae sunt aut in posterum concedentur, etiam si in illis expresse indulgeatur, ut omnes Regulares, etiam Mendicantes, huiusmodi facultatibus uti possint; si quando autem usus aliquarum ex praefatis facultatibus personis de dicta Societate ab eisdem Societatis Superioribus concedetur, ut nulli earum liceat, nisi intra numerum eorum, qui ad confessiones personarum eiusdem Domus aut Collegii audiendas deputati sunt, confessarium eligere, nisi ratione itineris aut alia de causa ab eisdem Superioribus, aliis confessariis, intra aut extra Societatem, confitendi facultas ad id specialiter daretur; apostolica auctoritate, tenore praesentium perpetuo declaramus, statuimus et ordinamus, secusque facta, irrita et inania fore decernimus.

Privilegia celebrandi contractus, aliis Religionibus concessa et concedenda, Societati nonnullis intervenientibus Sociis conceduntur.

Socii nullis vel cruciatae vel aliis privilegiis, absque expressa Superioris licentia, uti, vel dum eis sic licet uti, aliis confiteri non possunt praeterquam ab eo deputatis, sine speciali eius facultate.

Et quia ipsa Societas inter omnia Religionum instituta, ex peculiari ac solemni voto specialem curam habet, causa salutis proximorum, per totum orbem discurrendi; eius salutari ministerio, et universi Christi gregis saluti consulentes, omnibus et singulis ipsius Societatis praedicatoribus ac confessariis, ab aliquo Ordinario semel approbatis, et a suis Superioribus ad huiusmodi munera deputatis, ut

Socii semel approbati possunt ubique, extra loca tamen ubi Ordinarii exsistunt, concionari et confessiones audire, non repugnante Parocho.

GREGORII XIII — **8 Mai. 1575**

quandocumque, sive mari sive terra, iter fecerint, populos, non repugnantibus tamen Curatis parochialium ecclesiarum, praedicatione verbi DEI instruere ac consolari, et quorumcumque Christi fidelium, praesertim aegrotorum et eorum qui in vinculis detinentur, confessiones audire, eisque pro commissis salutares poenitentias iniungere (dummodo id non faciant in ipsis oppidis aut locis, in quibus Ordinarii exsistunt, nisi eorum licentia desuper obtenta) libere et licite valeant, eadem auctoritate, etiam perpetuo, de speciali gratia concedimus. Et insuper facultatem, alias Presbyteris Societatis praedictae a Sede Apostolica concessam, commutandi vota etiam adiurata, dummodo commutatio huiusmodi in alterius praeiudicium non fiat, extendimus. Postremo considerantes quantae Societati huiusmodi curae sit perfectio divini cultus, quamque etiam saepe remotis in locis Collegia et Residentias habeat, volumus, ut in oratoriis et capellis, quae ipsius Societatis Provinciales per se in Domibus, Collegiis et aliis locis, ubi aliqui Societatis residebunt, approbaverint et ad divinum dumtaxat cultum deputaverint, Missae et alia divina officia, alterius licentia desuper minime requisita, celebrari possint. Et sic in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque Iudices et Commissarios, etiam causarum Palatii apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Facultas Societatis commutandi vota adiurata extenditur, dummodo id in praeiudicium alterius ne fiat.

In Societatis oratoriis et capellis per Provinciales approbatis, Missae et divina officia celebrari possunt.

Deputantur Iudices.

Quocirca venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis eorum Vicariis in spiritualibus aut Officialibus generalibus, et curiae causarum Camerae apostolicae generali Auditori, nec non Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis et Capitulis, ac aliis ad quos id quomodolibet spectat et spectabit, per easdem praesentes mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Praepositi et personarum Societatis huiusmodi vel alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant eos praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus praemissis, ac de non expediendis litteris super indulgentiis ad instar, et de non tollendo iure quaesito, Cancellariae apostolicae regulis, ac piae mem. Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris Nostri, de una, et Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis vigore praesentium ad iudicium

GREGORII XIII

non trahatur, et aliis apostolicis, nec non in generalibus, provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibuscumque personis, per quoscumque Romanos Pontifices, praedecessores Nostros, ac Nos et Sedem praedictam, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, et cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, revocativis, modificativis, praeservativis, exceptivis, declarativis, mentis attestativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis irritantibus, et aliis decretis, in genere vel specie, ac alias quomodolibet, etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus aut non nisi sub certis modo et forma in illis expressis derogari possit, et pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

3 Mai. 1575

Transsumptis habeatur fides.

Volumus autem, quod earumdem praesentium transsumptis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae, seu etiam ipsius Societatis, munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die tertio Maii MDLXXV, Pontificatus Nostri anno tertio.

Io. Bapt. Canobius.

GREGORII XIII

FACULTAS MEDENDI, CITRA ADUSTIONEM ET INCISIONEM,

PRO MEDICINAE PERITIS.

GREGORIUS PAPA XIII
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

GREGORII XIII

11 Feb. 1576

Unigeniti Dei Filii, Redemptoris nostri Iesu Christi vices, licet immeriti, gerentes in terris, animarum salutem, quibus possumus mediis, sedulo procuramus.

Cum itaque, sicut experientia compertum est, Christi fideles ad religionem et pietatem plurimum moveantur, si spirituales et religiosas

GREGORII XIII

11 Feb. 1576

personas in ipsos et alios charitatis officia, non solum ad animarum sed etiam corporum salutem, exercere experiantur; in Societate autem Iesu, sicut accepimus, non desint aliqui Religiosi medicinae periti, quorum opera, maxime in regionibus medicorum penuria laborantibus, dum saepe ad infirmis spiritualia exhibendum officia et animas iuvandas vocantur, etiam aegris corporibus curandis posset esse perutilis, et id pietatis opus in animarum quoque non modicam aedificationem et omnipotentis Dei laudem redundaret: ut igitur Religiosi praefati id absque aliquarum censurarum seu poenarum incursu, et conscientiae scrupulo, valeant exercere; omnibus et singulis praefatae Societatis Iesu Religiosis medicinae peritis, nunc vel in futurum pro tempore exsistentibus, ut de suorum Superiorum licentia, quibuscumque personis infirmis, sive illae eiusdem Societatis Religiosi, sive extranei et saeculares fuerint, absque aliquo conscientiae scrupulo, aut aliquarum censurarum et sententiarum ecclesiasticarum vel aliarum poenarum incursu, citra tamen adustionem et incisionem per seipsos faciendam, mederi libere et licite valeant, apostolica auctoritate, tenore praesentium, quando tamen medici saeculares commode haberi non possunt, indulgemus, et ad id licentiam et facultatem eis concedimus et impertimur.

Medendi facultas de Superiorum licentia, citra adustionem et incisionem,

quando saeculares medici commode haberi non possunt.

Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae Societatis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et cònsuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die undecimo Februarii MDLXXVI, Pontificatus Nostri anno quarto.

Cae. Glorierius.

GREGORII XIII

EXEMPTIO SOCIETATIS A PUBLICIS SUPPLICATIONIBUS.

GREGORII XIII

16 Iul. 1576

GREGORIUS PAPA XIII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quaecumque sacrarum Religionum instituta offendere, et illarum personarum functiones et salutaria ministeria retardare noscuntur, Nostrum Nos incitat officium de medio removere.

Sane, licet, sicut accepimus, dilecti filii Praepositus Generalis et alii Presbyteri Religiosi Societatis Iesu, ab illius primaeva erectione a Sede hac Apostolica iuxta divinae vocationis directionem emanata et per Nos confirmata, ad divinum officium privatim tantum, et non in communi seu in choro, recitandum teneantur; ac propter ipsius Societatis tam multa Collegia et Seminaria, quae specialem postulant Instituti religiosi modum, nec non mi-

GREGORII XIII

16 Iul. 1576

nisteriorum illius amplitudinem ac difficultatem, et in Ecclesia Dei utilitatem, ex antiqua consuetudine iam inde ab huiusmodi erectione recepta observatum, decretoque etiam generalis eorum Congregationis desuper edito, ne ad publicas supplicationes seu processiones quivis ex illius personis accederet, nisi ubi propter haereticorum vel gentilium conversionem, aut alias expediens esse, pro tempore exsistens Generalis ipsius Societatis Praepositus iudicaret, ordinatum fuerit: nihilominus nonnulli locorum Ordinarii, forsan Concilii Tridentini auctoritate et decreto moti, dictos Presbyteros ad supplicationes praedictas procedere nuper coegerunt, non sine illorum functionum ac ministeriorum retardatione.

Cong. III decr. 35.

Nos igitur, qui praefatos Presbyteros et Religiosos dictae Societatis a studiis, lectionibus, praedicationibus, confessionibus audiendis, et aliis verbi Dei ministeriis ac pietatis operibus, quibus continue laudabiliter incubuerunt et incumbere non desistunt, quavis ex causa distrahi nolumus; considerantes in Ecclesia Dei non deesse alios Ordines Religionum, qui vel ex instituto, vel absque propriarum functionum impedimento, supplicationibus huiusmodi interesse, aliaque publica divina officia exercere sancte continenterque valeant; in praemissis opportune providere, ipsosque Praepositum, Presbyteros et eorum singulos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati exsistunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; motu proprio, non ad dictorum Praepositi et Presbyterorum, vel aliorum pro eis Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de Nostra mera deliberatione, Praepositum ac omnes et singulos Presbyteros ac Religiosos et personas alias omnes dictae Societatis ubique locorum exsistentes, ab interessentia supplicationum seu precum aut processionum huiusmodi, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo eximimus et liberamus; districtius inhibentes quibusvis locorum Ordinariis, etiam patriarchali vel archiepiscopali dignitate, ac etiam cardinalatus et legationis Sedis Apostolicae honore praefulgentibus, et aliis personis quacumque auctoritate fungentibus, ne modernos et pro tempore exsistentes Praepositum et alios Presbyteros et Religiosos Societatis huiusmodi, ad processionibus praefatis interessendum, quavis occasione, causa, seu quovis praetextu, ingenio vel colore, directe vel indirecte, mediate vel immediate cogere, aut eos desuper praemissis molestare, perturbare vel inquietare, seu molestari, perturbari, aut inquietari facere audeant vel praesumant seu permittant.

Universa Societas a publicis supplicationibus eximitur.

Inhibentur Ordinarii omnes.

Quocirca venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis eorum Vicariis in spiritualibus, aut Officialibus generalibus, et curiae causarum Camerae apostolicae generali Auditori, nec non Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis et Capitulis, ac aliis ad quos id quomodolibet spectat et spectabit, per easdem praesentes mandamus, quate-

Deputantur Iudices.

GREGORII XIII

nus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Praepositi, Presbyterorum et Religiosorum Societatis huiusmodi vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant eos praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papae VIII, praedecessoris Nostri, de una, et Concilii generalis de duabus dietis, dummodo non ultra tres dietas quis, vigore praesentium, ad iudicium trahatur; et aliis apostolicis, nec non in generalibus, provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

16 Iul. 1576

Transsumptis habeatur fides.

Volumus autem quod earumdem praesentium transsumptis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae, seu etiam Praepositi ipsius Societatis munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimo sexto Iulii MDLXXVI, Pontificatus nostri anno quinto.

Cae. Glorierius.

GREGORII XIII

CONFIRMATIO ET EXTENSIO PRIVILEGII SOCIETATIS

AEDIFICANDI ET HABITANDI UBIQUE, ETIAM INTRA CANNAS ALIORUM ORDINUM.

GREGORIUS PAPA XIII
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

GREGORII XIII

Salvatoris Domini nostri Iesu Christi, qui charitas est et Deus pacis, his in terris vices, licet immeriti, gerentes; ea quae pacis sunt, praesertim cum militantis Ecclesiae firmamentum, omnisque filiae Sion decor in animorum coniunctione, pace et tranquillitate versetur, nosque unum in Christo corpus simus, pro

30 Oct. 1576

GREGORII XIII

30 Oct. 1576

Nostri debiti officio, tamquam ipsius mystici corporis caput, quaerentes; litium quarumvis, quae fraternam dilectionem lacerant, maxime vero, quae inter Religiosas personas ventilantur, occasionibus obviamus, exortasque, quantum cum Deo possumus, consopimus.

Commendatio Societatis.

Sane, ut accepimus, licet dilecti filii Presbyteri venerabilis Societatis Iesu in vinea Domini, tamquam fructiferi palmites, in toto fere orbe, tam in continendis in via mandatorum Christi fidelibus, infirmis in fide consolidandis, aegrotisque sanandis, confractis alligandis, et abiectis reducendis, ovibusque dispersis, et lupis vespertinis leonumque famelicis catulis in devorationem expositis, reclamandis et defendendis; quam etiam iis, quae extra ovile Christi sacrosanctique imperii Nostri tutelam, sub ignorantiae iugo in obscuris et tenebricosis locis ac desertis per montuosas ac difficiles vias aberrant, convertendis, et ad nationes catholica religione imbutas, et ad immanes barbarasque divini cultus politicique ornatus ignaras gentes, ferino potius quam humano more viventes, sese extendentes, opimum et uberrimum fructum attulerint, et in dies maiori cum sollicitudine afferre, zizania exstirpare, bonum semen renovare, plantare, terrasque incultas evangelico sulco ac ecclesiasticae disciplinae vomere eruderare non cessent; ac dudum propter ipsius Societatis tam utiles tamque necessarias functiones, quae tum in Domibus per frequentem Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentorum administrationem, et ad eorum frequentationem sectandam exhortationem, praedicationemque et Spiritualia Exercitia ac alia verbi Dei ministeria, tum in Collegiis per lectiones tam bonarum litterarum quam philosophiae etiam et theologiae ad iuventutem bonis moribus et litteris inbuendam, ex ipsius Societatis primaeva Instituti erectione ac divina vocatione, magno Dei beneficio et Ecclesiae spirituali emolumento exercet; fel. rec. Paulus Papa III speciali privilegio, ut quaecumque Domos, ecclesias et Collegia aedificare, vel concessa recipere et inhabitare posset, indulserit; et deinde piae mem. Iulius etiam Papa III indultum huiusmodi confirmaverit, et successive recol. mem. Pius IV, praedecessores Nostri, idem indultum, etiam intra centum quadraginta cannas Ordinum Mendicantium, de novo concesserit; Nosque postremo, cum lis et causa seu controversia aut quaestionis materia desuper, occasione certae domus per ipsos Presbyteros a dilecto filio Comite de Orgaz Toleti emptae, concessionem eiusdem Pii praedecessoris confirmantes, emptionem dictae domus recte factam, et in ea Presbyteros ipsos habitare posse et debere, declaraverimus, et alias, prout in singulis litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur: nihilominus praefati Presbyteri a diversis dictorum Ordinum Religiosis diversimode, vigore seu praetextu privilegiorum huiusmodi cannarum, adhuc, prout de facto, tam in Mexicana quam in Guaxicana Novae Hispaniae civitatibus, non sine animi Nostri displicentia molestantur, immo et excommunicationis sententia interdum feriuntur, in christiani populi scandalum non modicum.

Ministeriorum Societatis utilitas ac necessitas.

Privilegia Pauli III,

Iulii III et Pii IV.

Nos igitur attendentes, dictam Societatem, (quae, quamvis Collegia habeat annexa, et haec reditus pro

Societas declarata est Mendicans.

studentium necessitate habere possint, inter Mendicantium Ordinum Religiones, per sanctae mem. Pium Papam v similiter praedecessorem Nostrum, per quasdam suas in forma brevis litteras, sub die septima mensis Iulii, Pontificatus sui anno sexto expeditas, adscripta et declarata, ac privilegiorum Ordinum Mendicantium particeps effecta fuit) ex eius Instituto et Constitutionibus, apostolica auctoritate confirmatis, bona stabilia possidere non posse, sed incertis eleemosynis, fideliumque largitionibus et subventionibus vivere, nec minus quam caeteros Mendicantes Ordines in excolenda vinea Domini assidue laborare, immo nec alios iuxta se Domos et Monasteria aedificare prohibere, neve ullum, aut certe quam minimum, praeiudicium aliis Religiosorum Monasteriis ex Societatis Domorum, Collegiorum et ecclesiarum vicinitate provenire, ex eo quod, propter diversam functionum et Instituti rationem, Societas ipsa nec chori usum habet, nec ad funerales associationes accedit, nec defunctorum funera, nisi rara, nulla item Missarum vel sepulcralia stipendia, nullas sepulcrorum vel capellaniarum fundationes, nullam denique prorsus eleemosynam, quae ad quodvis ipsius Societatis ministerium vel opus dirigi intelligatur, admittit; ac, prout Nostrum Nos invitat officium, inconvenientibus huiusmodi obviare, ac scandala quaecumque et contentionum, praecipue inter Religiosas personas, occasiones removere, nec non tam salubribus dictae Societatis ministeriis, quae pro eorum dignitate ac maiori fidelium fructu, in locis aptis, ubi maior seges et frequentior populi consuetudo viget, exerceri et ministrari debent, viam potius aperire quam impedimenta ulla obiici permittere volentes: motu proprio, ac de apostolicae potestatis plenitudine, non ad alicuius Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, eosdem Presbyteros eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati exsistunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ac supra dictarum litterarum, nec non et aliorum Ordinum privilegiorum et in eis contentarum clausularum tenores, ac alia etiam forsan circa praemissa de necessitate exprimenda, praesentibus pro expressis habentes; ac privilegia dictorum Ordinum super non aedificatione intra dictas cannas, quoad dictam Societatem tantum, suspendentes, revocantes ac invalidantes; silentium perpetuum quibusvis super praemissis aut eorum aliquo, vigore cuiusvis confirmationis aut ampliationis et de novo concessionis dictarum cannarum, a Sede Apostolica quomodolibet, et pari motu, etiam consistorialiter, ac cum quibusvis praesentium derogationibus specifice factis, obtentarum et in futurum obtinendarum, contra praesentium tenorem venientibus, imponentes; eisdem Presbyteris et Societati, ut quaecumque Domos, Collegia, ecclesias et alia aedificia erigere, ac per eos ubivis locorum erecta inhabitare, ac quaecumque loca, Domos, ecclesias, oratoria et alia cuiuscumque structurae aedificia, sibi quomodolibet relicta

Privilegia cannarum quoad Societatem revocantur.

Perpetuum silentium imponitur, non obstante quacumque nova concessione aut confirmatione, etiam obtinenda.

Facultas aedificandi et habitandi ubique.

vel oblata, recipere, acceptare, emere, possidere et retinere, ac in eis omnia et singula, functiones, lectiones et ministeria in aliis eiusdem Societatis Domibus, Collegiis, ecclesiis et aliis locis fieri et exerceri solita, habere, facere et exercere libere et licite possint et valeant, earumdem praesentium tenore, de specialis dono gratiae concedimus et indulgemus; eosque a quibusvis censuris et poenis in illos praemissorum occasione forsan latis absolvimus. Nec non indulta per Paulum, Iulium et Pium, praedecessores Nostros praedictos, et Nos, eis, ut praefertur, concessa et confirmata, cum omnibus et singulis in eis contentis concessionibus, privilegiis, facultatibus, praerogativis, et aliis gratiis, declarationibus, derogationibus aliisque quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis decretis et clausulis, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus. Nec non oppositionem et contradictionem quorumcumque, quovis titulo, vigore, praetextu, colore, ipsis Presbyteris praeiudicium afferre, ac praesentes litteras de obreptionis vel subreptionis vitio, aut intentionis Nostrae defectu notari vel impugnari, suspendi, revocari, annullari, invalidari, aut ad viam iuris reduci, vel contra illas attentari non posse neque debere; sed illas perpetuo validas, efficaces et illibatas exsistere; et ubi aliquid contra eas extorqueri et obtineri contigerit, illas nihilominus in suo pleno et integro robore, absque eo quod desuper impetranda sit a Sede praedicta illarum confirmatio, restitutio, revalidatio vel nova concessio, permanere; irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attentari, decernimus. Ac quasvis excommunicationis sententias, vigore talium privilegiorum cannarum, contra dictos Presbyteros vel Societatem latas et ferendas eos vel eorum aliquem nullatenus afficere posse declaramus.

Privilegia Societatis circa hoc confirmantur.

Hac litterae subreptionis argui non possunt.

Censurae desuper latae vel ferendae Socios non afficiunt

Deputantur Iudices.

Quocirca universis et singulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus et aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, per praesentes pari motu mandamus, quatenus ipsi vel eorum quilibet, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum Presbyterorum aut alterius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate Nostra eos decreto, confirmatione, indulto, aliisque praemisis pacifice gaudere, ac easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque perpetuo inviolabiliter observari; non permittentes eos super eisdem praemissis vel eorum aliquo, per quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, Religiosos, seu locorum Ordinarios, aut alios quoscumque Iudices et personas, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis exsistant, et quacumque, etiam pontificali, regia, vel alia auctoritate fungantur, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse, quovis quaesito colore vel ingenio, impediri, molestari, perturbari vel alias quomodolibet inquietari; contradictores quoslibet et re-

belles, per censuras ecclesiasticas et alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus praemissis ac piae mem. Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris Nostri, de una, et in Concilio generali de duabus dietis, dummodo non ultra tres dietas quis auctoritate praesentium ad iudicium trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictorum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem Ordinibus illorumque Superioribus et personis, etiam super non aedificandis ecclesiis, Domibus, Collegiis et aliis aedificiis aliarum Religionum intra centum quadraginta cannas ab eorum Coenobiis et Conventibus vel Monasteriis et Domibus, ac aliis sub quibuscumque tenoribus et formis, per quoscumque Romanos Pontifices concessis, confirmatis et innovatis; ac omnibus aliis, quae Nos et praedicti praedecessores Nostri in singulis litteris praedictis voluimus non obstare. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non tantum per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, tenores illorum, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, motu simili, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Transsumptis habeatur fides.

Volumus autem et eadem auctoritate decernimus, quod ipsarum transsumptis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius Praelati vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae, aut curiae ecclesiasticae vel etiam Generalis Praepositi ipsius Societatis, munitis, in iudicio et alibi ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die trigesimo Octobris MDLXXVI, Pontificatus Nostri anno quinto.

Cae. Glorierius.

GREGORII XIII

FACULTAS ALIENANDI

IN EVIDENTEM UTILITATEM, IUXTA SOCIETATIS CONSTITUTIONES.

GREGORIUS PAPA XIII
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

GREGORII XIII

Apostolicae sedis circumspecta benignitas in quarumvis Religionum, praesertim earum quae gregi Dominico invigilant, ac praedicationibus et lectionibus, cum humanis, tum sacris insistunt, commodis et utilitatibus consequendis providentiae suae auctoritatem interponit, et quanto potest favore prosequitur.

Facultas concessa a Paulo III et Iulio III,

Sane dilectus filius Everardus Mercurianus, Praepositus Generalis Societatis Iesu, Nobis nuper exponi fecit, quod, cum litteris tam fel. rec. Pauli III, quam piae mem. Iulii etiam III Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum, in favorem dictae Societatis emanatis, et per dictorum Pontificum successores et Nos respective confirmatis, ac eiusdem Societatis Constitutionibus, omnimoda Collegiorum illius ac etiam temporalium bonorum ad ipsa Collegia spectantium gubernatio, ad pro tempore exsistentem Praepositum Generalem vel ipsam Societatem, ita tamen, quod in ipsius Praepositi aut Professae Societatis, vel alios quam ipsorum Collegiorum usus, bona huiusmodi expendi aut distrahi non possint, sed in studentium utilitatem sic converti, ut illi dictis bonis abuti non valeant, spectare et pertinere dignoscatur; indeque fiat, ut Collegia ipsa capitulariter nullo modo congregentur, sed omnis facultas celebrandi contractus, prout per easdem Constitutiones, ac etiam primam ipsius Societatis generaliter habitam Congregationem, stabilitum et declaratum fuit, penes eumdem Praepositum pro tempore exsistentem resideat; cumque etiam dicta Societas, quae Ordo Mendicans exsistit, aliorum Ordinum Mendicantium, super contractibus ineundis, a Sede Apostolica concessis privilegiis gaudeat; Nosque eisdem Everardo Praeposito et Societati, ut intervenientibus illis dumtaxat, qui more Societatis praedictae, et secundum eius Constitutiones et statuta, regimen et administrationem Domorum et Collegiorum iuvare et promovere solent, servato in eiusmodi Congregationibus peculiari ac proprio dictae Societatis procedendi modo, privilegiis illis utendi, nec non contractus ineundi licentiam et facultatem concesserimus, prout in singulis litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur: tamen, quia nec modus ille quis sit, nec omnes, per quos Praepositus Generalis facultatem huiusmodi alioqui exercere potest, in dictis Nostris litteris satis expressi fuere; ac etiam quia eidem Societati, privilegiis et litteris apostolicis huiusmodi, tum quod variis litteris et monumentis concessa sunt, uti, et illa

18 Dec. 1576

et a Gregorio XIII,

GREGORII XIII

18 Dec. 1576

ad singulos contractus ineundos afferre dispendiosum molestumque exsistit; tum quod in nonnullis regionibus emphyteuses ad tres vitas concedi solent, nec particulares homines illas ad brevius tempus accipere facile adducuntur; et propterea, ac etiam ex eo, quod nonnumquam pro Collegiorum ipsorum, nec non Domorum Probationis vel aliorum locorum eiusdem Societatis necessitate, bona huiusmodi locare, alienare, permutare, vel in emphyteusim seu libellum dare expedit, ac quandoque contingit, ut conditio semel oblata, si praetermittatur, non parvam afferat iacturam; pro parte dicti Everardi Praepositi Nobis fuit humiliter supplicatum, ut praemissa omnia plenius declarare, et alias in eisdem opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

plenius declaratur.

Nos igitur, qui operarios in vinea Domini, praesertim pondus diei et aestus sustinentes, sincero prosequimur affectu, Nostrarum ac eorumdem praedecessorum Nostrorum litterarum, nec non Societatis praedictae Constitutionum, aliorumque praemissorum tenores praesentibus pro expressis habentes; et eumdem Praepositum ac dictae Societatis singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati exsistunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem Societati ac Generali Praeposito moderno, et pro tempore exsistenti, ut ex nunc de caetero perpetuis futuris temporibus, informatione de contractibus ineundis per litteras vel alias, prout ipse Generalis statuerit, a subordinatis localibus Praepositis vel Rectoribus aut Praefectis, seu eorum vices gerentibus, vel a Provincialibus seu Visitatoribus aut Commissariis, vel ab aliis sibi bene visis, auditis iuxta eorum Institutum consultoribus, accepta, quaecumque Domorum, tum Professarum tum Probationis, Collegiorum et aliorum locorum eiusdem Societatis ubilibet consistentium bona stabilia et immobilia seu quasi stabilia, nec non et pretiosa mobilia, cuiuscumque qualitatis et quantitatis ac valoris, et in quocumque loco posita, pro pretio et sub pactis, conditionibus, modis et formis hinc inde conveniendis, in evidentem tamen Domorum et Collegiorum huiusmodi utilitatem, per se vel alium seu alios, vendere, alienare, permutare, ac etiam in emphyteusim seu libellum ad tres generationes vel nominationes tantum, seu aliud longum tempus pro affictu sibi bene viso concedere, absque alia a Nobis vel successoribus Nostris Romanis Pontificibus pro tempore exsistentibus, aut Sede praedicta, vel illius de latere Legatis seu Nuntiis, aut etiam locorum Ordinariis, petenda vel obtinenda licentia seu confirmatione, libere et licite possit et valeat, concedimus et indulgemus; ita tamen, quod si ex eiusdem Generalis Praepositi facultate, pro rerum exigentia, opus sit, in Europae videlicet provinciis, ante datam eidem Praeposito informationem, contractus alienationum fieri, dominium nihilominus et possessio bonorum quorumvis, super quibus contractus huiusmodi initi fuerint, penes Domos, Collegia ac loca praedicta, donec ipse Generalis rem confirmaverit, aut suum consensum

Generalis, informatione accepta, quaecumque bona Domorum et Collegiorum

in evidentem eorum utilitatem alienare potest,

in emphyteusim ad tres generationes, tantum.

absque alia confirmatione;

GREGORII XIII

18 Dec. 1576

extra Europam contractuum confirmationes committere potest.

desuper praestiterit, remaneat ac remanere intelligatur; in Indiis vero et aliis extra Europam regionibus, contractuum huiusmodi confirmatio ipsis Provincialibus aut Vice Provincialibus, Visitatoribus seu Commissariis, simili per eos informatione accepta, committi possit ab ipso Generali Praeposito: alias, et in eventum, in quem ordo suprascriptus non fuerit observatus, venditio, alienatio, permutatio, locatio et concessio, ac contractus, nec non inde secuta quaecumque, nulla et invalida, nulliusque roboris ac momenti exsistant. Ac ita in praemissis sic perpetuo declaramus et decernimus. Et nihilominus ex nunc, prout ex tunc, et e contra, postquam venditiones, alienationes, permutationes, locationes, concessiones ac contractus pro tempore, ut praemittitur, facti et per dictum Praepositum Generalem approbati et ratificati fuerint, seu consensus eiusdem Praepositi Generalis intervenerit, easdem venditiones, alienationes, permutationes, locationes, concessiones et contractus, et inde secuta quaecumque, nec non instrumenta et scripturas, desuper pro tempore confecta, apostolica auctoritate approbamus et confirmamus, ac perpetuae firmitatis robur obtinere debere statuimus; omnesque et singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint quomodolibet, in eisdem supplemus: decernentes, ea omnia, absque alio desuper ordinaria vel apostolica aut alia auctoritate, seu de Sedis Apostolicae commissione, faciendo examine, ac praesentes et in eis contenta, validas et efficaces, validaque et efficacia perpetuo fore, nec non ab omnibus observari debere; ipsosque contrahentes ad contractuum et stipulatarum conventionum observationem omnino teneri; ac super praemissis et inde secutis quibuscumque per quoscumque quavis auctoritate quomodolibet molestari vel impediri non posse; nec non irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Approbantur ex nunc auctoritate apostolica contractus sic facti.

Contrahentes ad contractuum observationem tenentur.

Deputantur Iudices.

Quocirca venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis, eorum in spiritualibus Vicariis aut Officialibus generalibus, et curiae causarum Camerae apostolicae generali Auditori, nec non Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis et Capitulis, ac aliis ad quos id quomodolibet spectat et in futurum spectabit, per easdem praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Generalis Praepositi, vel aliarum personarum eiusdem Societatis, aut alicuius eorum, super his fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque et eorum cuilibet in praemissis, efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant easdem praesentes et in eis contenta quaecumque, ab omnibus quos illa concernunt integre et inviolabiliter observari; non permittentes eos aut eorum aliquem desuper contra earumdem praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas,

GREGORII XIII

18 Dec. 1576

etiam iteratis vicibus, aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus fel. rec. Bonifacii VIII de una, et in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, et piae mem. Symmachi ac Pauli II, praedecessorum Nostrorum, de rebus Ecclesiae non alienandis vel alienatis recuperandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si de illis ac totis eorum tenoribus specialis, specifica, individua et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque; seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Transsumptis habeatur fides.

Volumus autem, quod earumdem praesentium transsumptis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae, seu etiam ipsius Praepositi Societatis munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimo octavo Decembris MDLXXVI, Pontificatus Nostri anno quinto.

Cae. Glorierius.

GREGORII XIII

DEROGATIO CAPITULI *NUPER* DE DECIMIS.

GREGORIUS PAPA XIII
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

GREGORII XIII

1 Ian. 1578

PASTORALIS OFFICII cura Nobis, meritis licet imparibus, ex alto commissa, Nos admonet, ut Nostrae provisionis efficiatur ministerio, quod ea, quae Religiosis quibuslibet, praesertim sub sacratissimi Nominis IESU totius humani generis Redemptoris vexillo, ad illius honorem et gloriam proximorumque spiritualem profectum, ac

GREGORII XIII — 1 Ian. 1578

orthodoxae fidei defensionem et propagationem in terris, militantibus, ab Apostolica Sede provide concessa reperiuntur, sublatis quibuslibet impedimentis, suos, ut par est, debitos effectus, perpetuis futuris temporibus sortiantur.

Pauli III exemptio a decimis.

Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Everardus Mercurianus, Praepositus Generalis Societatis Iesu, quod licet alias fel. rec. Paulus Papa III, praedecessor Noster, volens dictam Societatem, per eum apostolica auctoritate institutam et approbatam, illiusque Socios favore prosequi gratiae specialis, inter alia eidem Societati et Sociis dicta auctoritate concessit ac indulsit, ut de iis quae in ornamentis, aut pro eis seu libris, fabrica, luminaribus, vel victu aut indumentis eorum, nec non annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquae Domus ipsius Societatis obligatae forsan exsistebant, ac de Domibus et Collegiis, eorumque praediis, hortis et aliis locis eisdem Sociis iuxta eorum vivendi institutum habere concessis, aut de iis, quae pro huiusmodi rebus, Domibus, Collegiis, praediis, locis et hortis emendis, per quascumque personas pro tempore legari aut relinqui contingeret, et aliis bonis quibuscumque, per dictam Societatem et illius Collegia possessis et obtentis, aliquam decimam etiam papalem solvere, seu canonicam portionem exhibere, aut ad praestationem procurationum Legatorum dictae Sedis vel Nuntiorum ipsius, seu Ordinariorum locorum, aut exactionum, collectarum, vel subsidiorum seu provisionum quorumcumque minime tenerentur; nec ad id per litteras Sedis vel Legatorum seu Nuntiorum aut Dioecesanorum praedictorum, cuiuscumque tenoris forent, ullo umquam tempore compelli possent, nisi ipsae litterae apostolicae plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto et concessione huiusmodi ac de eorum Ordine mentionem facerent; et si forte per ipsum praedecessorem vel dictam Sedem, de piis legatis dispositis et relictis, in genere vel specie, decima vel altera portio, seu quarta, alteri piae vel non piae causae, quomodolibet eatenus concessa esset, vel illam in posterum concedi seu solvi aut dari, mandari contingeret; Socios praedictos, ac illorum Domos et bona quaecumque, nec non eis legata et relicta, aut alias in eorum favorem disposita, in concessionibus et mandatis huiusmodi decreverit et voluerit minime comprehendi, nisi de ipsis, ac suis decreto et voluntate huiusmodi, non per clausulas generales idem importantes, sed vera, expressa et specifica mentio fieret in eisdem; et successive piae mem. Pius Papa IV, etiam praedecessor Noster, exemptionem, ac cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis litteras ipsius Pauli praedecessoris desuper confectas, nec non inde secuta quaecumque, per suas litteras ex certa scientia confirmaverit, approbaverit et etiam plenarie innovaverit; ac pro potiori cautela universam Societatem praedictam, omniaque et singula illius Domos, etiam Probationis, et Collegia ubilibet consistentia, praesentia et futura, eorumque personas, fructus, reditus et proventus, etiam bonorum ecclesiasticorum, saecularium et regularium quorumcumque, illis pro tempore unitorum, aliasque res et bona quaecumque, a quibusvis decimis, etiam papalibus, praedialibus,

Pii IV confirmatio superioris exemptionis.

personalibus, quartis, medietatibus et aliis fructuum partibus, subsidiis etiam charitativis, et aliis ordinariis oneribus, etiam pro expeditione contra infideles, defensione patriae, ac alias quomodolibet, etiam ad Imperatorum, Regum, Ducum et aliorum Principum instantiam, pro tempore impositis, etiam si in illorum impositione caveretur, quod nulla prorsus exemptio cuiquam adversus illa suffragaretur, ita quod Societas eiusque Domus, etiam Probationis, Collegia, fructus, res et bona praefata, semper ab illis, absque declaratione desuper facienda, excepta essent et esse censerentur, perpetuo liberaverit et exemerit, prout in singulis litteris praedecessorum huiusmodi plenius continetur: nihilominus, quia in illis nulla de constitutione recol. mem. Innocentii Papae III similiter praedecessoris Nostri, in Concilio generali super decimis edita, quae incipit NUPER, expressa et specifica mentio facta, nec ei specialiter et expresse derogatum fuit, idem Praepositus dubitat, singulas litteras praedictas de subreptionis seu nullitatis vitio notari, ac Societati illiusque Domibus, Collegiis et personis praedictis minus utiles reddi, aut illa super exemptione huiusmodi molestari vel perturbari posse tempore procedente.

Nos igitur, qui votivum ipsius Societatis profectum sincero paternae charitatis affectu libenter amplectimur, eidem Societati illiusque Domibus, etiam Probationis, Collegiis et personis, ne propterea dictarum litterarum frustrentur effectu, opportune providere volentes; ipsumque Praepositum et singulares personas Societatis huiusmodi, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati exsistunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; nec non singularum litterarum praedictarum veriores tenores, ac quarumcumque litium et causarum, super praemissis iam forsan motarum, statum et merita nominaque et cognomina Iudicum et collitigantium, ac titulos et iura eorum, praesentibus pro sufficienter expressis habentes; ipsius Praepositi supplicationibus in hac parte inclinati, volumus, ac Societati illiusque Domibus, etiam Probationum, Collegiis et personis praedictis, eadem auctoritate concedimus, quod singulae litterae praedictae, cum exemptionibus caeterisque omnibus et singulis in eis contentis, clausulis et decretis, processusque habiti per easdem, ac inde secuta quaecumque valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, et eis quibus concessae exsistunt perpetuo suffragentur in omnibus et per omnia, perinde ac si in illis de constitutione Innocentii praedecessoris seu Concilii generalis huiusmodi specifica et expressa mentio facta, eique specialiter et expresse derogatum fuisset, prout Nos eidem constitutioni, ad effectum praemissum, specialiter et expresse harum serie derogamus. Decernentes ita in quibuscumque causis pendentibus et futuris, per quoscumque Iudices et Commissarios, quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Pauli III et Pii IV privilegia perinde valeant, etc.

Derogatur constitutioni Innocentii III.

GREGORII XIII

Non obstantibus, etc.

1 Ian. 1578

Non obstantibus litis pendentiis, si quae sint, et aliis praemissis, ac Innocentii praedecessoris seu generalis Concilii huiusmodi aliisque apostolicis, nec non in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac omnibus illis, quae in singulis litteris praedictis expressum fuit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptis habeatur fides.

Volumus autem, quod earumdem praesentium transsumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae, seu etiam pro tempore exsistentis Praepositi Generalis dictae Societatis, munitis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra, ubicumque adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, snb annulo Piscatoris, die primo Ianuarii MDLXXVIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

Cae. Glorierius.

GREGORII XIII

INDULGENTIA PLENARIA SEMEL IN ANNO,

FACULTAS CELEBRANDI PER HORAM ANTE AURORAM, CONFERENDI GRADUS, ETIAM PER STUDIORUM PRAEFECTUM, AC CONCURRENDI CUM UNIVERSITATUM LECTORIBUS.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

GREGORII XIII

QUANTA IN VINEA DOMINI fructuosa opera Societas IESU quotidie verbo et exemplo in populo christiano attulerit, continuosque labores, quos pro divini Nominis gloria et exaltatione fidei catholicae, Presbyteri dictae Societatis supportant, cordi Nostro provenit satisfactio. Ac propterea dignum censemus, ut ipsam Societatem, eiusque in odorem suavitatis Altissimo deservientes personas, specialibus favoribus prosequamur, illaque sibi favorabiliter concedamus, per quae Societas ipsa ad animarum auxilium fideliter in Domino procedere valeat.

7 Mai. 1578

Concessiones Pauli III,

Sane pro parte dilecti filii Everardi Mercuriani, Praepositi Generalis praedictae Societatis, Nobis nuper exhibita petitio continebat, Quod alias fel. rec. Paulus Papa III, praedecessor Noster, inter caeteras gratias eidem Societati concessas, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, seu statutis a iure temporibus firmum confitendi propositum habentibus, qui aliquam ecclesiam aut alium pium locum dictae Societatis semel singulis annis, praeter annum iubilaei, in die per pro tempore exsistentem eiusdem Societatis Praepositum eligendo, a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei inclusive, devote visitarent, ac inibi Orationem Domi-

GREGORII XIII

7 Mai. 1578

nicam et Salutationem Angelicam recitarent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in forma iubilaei: et deinde, ex certis tunc expressis causis, Presbyteris eiusdem Societatis, ut Missas ante diem, circa tamen diurnam lucem, et etiam infra horam post meridiem, quando et quoties, stante legitimo impedimento, tunc et pro tempore exsistenti eiusdem Societatis Praeposito id necessarium vel alias in Domino expedire visum foret, celebrare: ac

Iulii III,

postmodum piae mem. Iulius Papa III, etiam praedecessor Noster, Collegiis eiusdem Societatis tam in Universitatibus studiorum generalium quam extra illas consistentibus, ut Scholares dictae Societatis ab illius Generali, vel de eius licentia a quovis alio ex Praepositis vel Rectoribus Collegiorum huiusmodi, accitis sibi duobus vel tribus Doctoribus, ad quoscumque baccalaureatus ac magisterii, licentiaturae et doctoratus gradus promoveri; ac studii generalis Universitatum privilegiis, indultis, praerogativis et aliis gratiis quomodolibet, non solum ad instar, sed pariformiter et aeque principaliter, gaudere libere et licite possent et valerent, sub certis modo et forma concesserunt: et

Pii IV,

successive recol. mem. Pius Papa IV, similiter praedecessor Noster, dictam promovendi concessionem ad scholares pauperes externos, qui in Collegiis eisdem, in quibus ordinariae artium liberalium et theologiae lectiones haberentur, lectiones easdem frequentarent; et etiam ad divites, in Universitatibus tamen, si illarum Officiales eos promovere recusarent, alias per examinatores Societatis huiusmodi idoneos repertos et solutis per divites iuribus suis eisdem Universitatibus, extendit et ampliavit; praeterea

et Pii V.

sanctae mem. Pius Papa V, pariter praedecessor Noster, ut praeceptores dictae Societatis in suis Collegiis, etiam in locis ubi Universitates, ut praefertur, exsisterent, suas lectiones, dummodo per duas de mane et per unam de sero horas cum Lectoribus Universitatum huiusmodi non concurrerent, publice legere, ac eorum auditores in quibuslibet Universitatibus ad gradus admittere possent, decrevit et declaravit, prout in singulis eorumdem praedecessorum desuper confectis litteris plenius continetur.

Inseritur petitio.

Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, idem Everardus Praepositus cupiat indulgentiam huiusmodi, quam a pluribus pro quibuslibet dictae Societatis ecclesiis concessam fuisse iudicatum exstitit (cuius quidem usus, si pro unica tantum ecclesia quolibet anno esset futurus, raro admodum cuilibet dictae Societatis ecclesiae ob magnam illius ecclesiarum, Deo benedicente, multiplicationem usque modo per diversas totius orbis christiani partes factam, id contingere posset; sicuti e converso, eo maiori pietate ac devotionis fervore Christi fideles per eumdem christianum orbem ad Poenitentiae et sacrosanctae Eucharistiae Sacramenta frequentanda, Christo propitio, accederent, quo maioribus et frequentioribus in singulis eiusdem Societatis ecclesiis quolibet anno ad id a Nobis sanctaque Sede Apostolica gratiis et indulgentiis se invitari cognoscerent), eisdem Christi fidelibus in qualibet dictae Societatis ecclesia suffragari; ac etiam eisdem Presbyteris, propter itinerum et alia impedimenta, quae frequenter eveniunt, facultate celebrandi Missas etiam per horam ante auroram et

GREGORII XIII

7 Mai. 1578

infra horam post meridiem, uti licere; nec non concessionem promovendi ad quoscumque gradus, ad Collegii cuiuslibet Praefectum studiorum, in quo philosophiae vel theologiae lectiones ordinariae habentur, extendi; nec non Lectores dictae Societatis in illius Collegiis ubi Universitates fuerint studiorum generalium, dummodo de mane per unam et de sero per aliam horas cum aliis Universitatum Lectoribus praefatis, qui hoc postulaverint, non concurrant, publice legere posse: quare pro parte dicti Everardi Praepositi Nobis fuit humiliter supplicatum, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui personarum quarumlibet praesertim Deo famulantium votis, quantum cum Deo possumus, libenter annuimus; Everardum Praepositum praefatum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes; ac singularum litterarum praefatarum tenores praesentibus pro expressis habentes; huiusmodi supplicationibus inclinati: quod praedicta indulgentia omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis et sacrosanctae Eucharistiae cibo refectis, qui Circumcisionis Dominicae, vel alio per praefatum Everardum Praepositum seu visitandi loci Superiorem semel pro semper nominando die, quamlibet ex dictae Societatis ecclesiis seu capellis aut piis locis, ubicumque Societatis huiusmodi Religiosos habitare contigerit (dummodo, si plures eiusdem Societatis ecclesiae in eadem civitate, terra vel loco fuerint, una tantum ex eis ad id per illius Generalem Praepositum statuatur), annis singulis devote visitaverint, et inibi quinquies Orationem Dominicam et totidem Salutationem Angelicam recitaverint, vel alias ad Deum orationes pro sanctae matris Ecclesiae exaltatione fideique catholicae incremento effuderint, et alias iuxta illius continentiam et tenorem suffragetur; nec non Presbyteris Societatis huiusmodi, ut Missas per horam ante auroram et infra horam post meridiem, itineris vel alterius legitimi impedimenti causa, de ipsius Everardi et pro tempore exsistentis Praepositi Generalis, vel cuiusvis alterius ad id ab eo deputati licentia, celebrare valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, de speciali gratia indulgemus.

Indulgentia plenaria semel in anno in Societatis ecclesiis, etc.

Facultas Missas celebrandi per horam ante auroram et infra horam post meridiem,

Et insuper facultatem praefatam promovendi ad gradus in philosophia vel theologia ad cuiuslibet dictae Societatis Collegii studiorum, in quo artium vel theologiae facultates huiusmodi pro tempore legentur, Praefectum, et alias in omnibus et per omnia, iuxta litterarum praefatarum tenores, auctoritate et tenore praedictis, extendimus et ampliamus. Ac etiam, quod Lectores dictae Societatis in illius Collegiis in locis ubi Universitates sunt studiorum generalium, dummodo de mane per unam et de sero per aliam horas cum aliis Universitatum huiusmodi Lectoribus, qui id postulaverint, non concurrant, publice legere possint et valeant, reliquis omnibus in iisdem litteris contentis in suo robore et

promovendi ad gradus per studiorum Praefectum,

concurrendi cum Universitatum Lectoribus, etc.

statu permansuris, eisdem auctoritate et tenore etiam de speciali gratia concedimus et indulgemus; sicque per quoscumque Iudices et Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Deputantur Iudices.

Quocirca venerabilibus fratribus Nostris, Archiepiscopo Valentin. et Parisien. ac Salamanticen. Episcopis, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Everardi Praepositi fuerint requisiti, solemniter publicantes, sibique in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate Nostra easdem praesentes et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac singulos, quos ipse concernunt, illis pacifice gaudere; non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris remedia auctoritate Nostra, appellatione postposita, compescendo; nec non legitimis super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras et poenas incurrisse declarando; nec non eas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus piae mem. Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris Nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis, ad iudicium vocetur; seu ne Iudices a Sede praedicta deputati extra civitatem vel dioecesim in quibus deputati fuerint, per quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere, seu aliquos ultra unam dietam a fine dioeceseon eorumdem trahere praesumant, et de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur; et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus illis, quae dicti praedecessores in singulis eorum litteris praedictis voluerunt non obstare contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Transsumptis habeatur fides.

Caeterum, quia difficile foret easdem praesentes litteras ad singula loca, in quibus de eis fides forsan facienda foret, deferri: volumus et similiter auctoritate apostolica decernimus, quod ipsarum praesentium transsumptis, etiam impressis, manu unius Notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius Praelati seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur et habeatur, quae adhiberetur et haberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, indultorum, extensionis, ampliationis, concessionis, decretorum, mandati et

GREGORII XIII

voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis DEI ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, an. Incarnationis Dominicae MDLXXVIII, nonis Maii, Pontificatus Nostri anno sexto. 7 Mai. 1578

Cae. Glorierius.

GREGORII XIII

RESTITUITUR SOCIETATI USUS ALTARIS PORTATILIS

AD ILLIUS MISSIONES.

DILECTIS FILIIS, PRAEPOSITO GENERALI ET PRESBYTERIS SOCIETATIS IESU GREGORIUS PAPA XIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

GREGORII XIII

Usum altaris viatici, Societati vestrae a fel. rec. Paulo Papa III concessum, deinde a Concilio Tridentino universe sublatum, vobis eatenus restituimus, ut inter missiones, quae a Superioribus fiunt, Presbyteri vestri, servata alias forma dictae concessionis, Missae sacrificium licite valeant celebrare super huiusmodi altari ubique gentium, etiam in castris militum; modo loca, etsi communia et profana, tuta et honesta sint, et Generalis aut per eum Provinciales Praepositi eo tum utendum fore iudicaverint; itidemque possint ibi Presbyteri ipsi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum ministrare fidelibus ad illud sumendum debite praeparatis. 1 Oct. 1579

Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Eadem porro fides ubique detur praesentium exemplis, eo quo solent alia in vestra Societate transsumpta modo munitis, quae daretur ipsis praesentibus, si exhiberentur vel ostenderentur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die primo Octobris MDLXXIX, Pontificatus Nostri anno octavo.

Cae. Glorierius.

GREGORII XIII

CONCEDUNTUR RELIGIOSIS SOCIETATIS IESU

IN EORUM ECCLESIIS INDULGENTIAE OMNES ECCLESIIS ALIIS LOCORUM UBI ILLI MORANTUR CONCESSAE.

GREGORIUS PAPA XIII
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

GREGORII XIII

Cum, sicut accepimus, dilecti filii Religiosi Societatis Iesu ad ecclesias et alia pia loca civitatum, terrarum et locorum in quibus moram trahunt, ut consequantur indulgentias illis pro tempore elargitas, inter medios utriusque sexus populos promiscue, absque decentiae religiosae dispendio ac functionum suarum et spiritualium ministeriorum incommodo accedere vix possint; ideoque frequenter contingat tanto eos indulgentiarum fructu privari; immo et interdum, quod ad illas consequendas non accedant, de earum contemptu notari formident: quare Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut illorum devotioni ac spirituali fructui providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur Religiosorum praedictorum statui, decentiae commodisque annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, universis et singulis dictae Societatis personis nunc 23 Dec. 1579
et pro tempore in qualibet mundi parte exsistentibus, ut ante altare Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti in ipsius Societatis ecclesiis orationes ad Deum pro Sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione, haeresum exstirpatione et inter Principes christianos fovenda pace, aut alias pro cuiusque peculiari devotione fundendo, omnes et singulas indulgentias etiam plenarias et peccatorum remissiones consequantur, quas scilicet consequerentur, si indulgentiarum ipsarum diebus ecclesias et loca pia his decorata in locis in quibus eosdem Religiosos moram trahere contigerit, visitarent, de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, tenore praesentium concedimus et largimur, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesimo tertio Decembris MDLXXIX, Pontificatus Nostri anno octavo.

Cae. Glorierius.

GREGORII XIII

FACULTAS APERIENDI LITTERAS S. POENITENTIARIAE.

DILECTO FILIO CLAUDIO AQUAVIVAE, PRAEPOSITO GENERALI SOCIETATIS IESU,

GREGORIUS PAPA XIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

GREGORII XIII

Exponi nobis nuper fecisti, quod alias quondam Alexander Frumentus, tunc officii sacrae Poenitentiariae Regens, dilectis filiis Presbyteris Societatis Iesu, cui praeesse dignosceris, etiam si nullis magisterii in sacra theologia et doctoratus in iure canonico gradibus insigniti essent, alias tamen idoneis et approbatis ipsius Societatis confessariis, ut quascumque obsignatas, etiam Magistris in theologia vel iure canonico Doctoribus directas, in foro conscientiae, eiusdem sacrae Poenitentiariae litteras aperire, et absolutionis beneficium iuxta illarum dispositionem impendere possent et valerent, verbo tenus concessit, eaque facultate ipsi Presbyteri hactenus usi sunt. Cum itaque ipsius Societatis Religiosi ad huiusmodi gradus nisi pro necessitate scholarum suarum promoveri non soleant, poenitentes etiam ad ipsos Presbyteros cum suis litteris absolutionum in dies recurrant et importune obsecrent, opportune etiam eos iuvari convenit.

Nos idcirco, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, Presbyteris Societatis huiusmodi, per te vel tibi subordinatos illius Superiores de tua licentia designandis, et ab Ordinariis locorum approbatis vel approbandis, etiam si magisterii vel doctoratus aut aliis gradibus insigniti non sint, litteras huiusmodi aperiendi, confessionibusque fidelium ad ipsos recurrentium auditis et imposita salutari in illis expressa vel de iure infligenda poenitentia, absolvendi, ac in foro conscientiae quascumque sibi verbo vel scriptis commissas absolutiones, dispensationes et poenitentiarum iniunctiones excipiendi et exsequendi licentiam et facultatem, tenore praesentium, concedimus et impertimur. 3 Apr. 1582

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod praesentium transsumptis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo tuo seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die tertio Aprilis MDLXXXII, Pontificatus Nostri anno decimo.

Cae. Glorierius.

GREGORII XIII

EXTENDITUR FACULTAS ALIENANDI

AD CENSUS REDIMIBILES.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

GREGORII XIII

EX DEBITO pastoralis officii ad ea libenter intendimus, per quae religiosorum locorum ac personarum in eis degentium utilitates et commoda valeant procurari.

Auctoritas Praepositi in celebrandis contractibus refertur.

Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Claudii Aquavivae, Praepositi Generalis Societatis IESU, petitio continebat, quod postquam alias per diversas litteras apostolicas diversorum Romanorum Pontificum, praedecessorum Nostrorum, et dictae Societatis Constitutiones et decreta, illius Praeposito Generali pro tempore exsistenti vel ipsi Societati omnimoda Collegiorum et Domorum Probationum bonorumque ad illa spectantium gubernatio, absque alia personarum in eis degentium capitulari Congregatione facienda; etiam cum facultate quosvis contractus emptionum, venditionum aliarumque alienationum, nec non obligationum et cessionum quarumlibet rerum temporalium mobilium et immobilium, etiam in beneficialibus ac spiritualibus aliisque quibuscumque, etiam praeiudicialibus, nec non instrumenta quaecumque tam per se quam per alios celebrandi, ac insuper Mendicantium, nec non per Nostras litteras aliorum Ordinum et piorum locorum privilegiis omnibus utendi, et alias sub certis modo et forma inibi expressis concessa fuisset; denique cum usus privilegiorum huiusmodi dictae Societati parum prodesset, eo quod contrahentes renuerent, neque adducerentur ad contrahendum solo privilegio communicationis, essetque frequentissimum et maxime necessarium ipsi Societati in his suis quasi primordiis, pro Collegiorum et Domorum illius fundationibus et ampliationibus, Domos, agros et bona alia commutare et vendere, ac super his census imponere. His aliisque de causis, Nos eidem Societati illiusque Praeposito Generali pro tempore exsistenti, quod informatione de contractibus ineundis per litteras vel alias, prout ipse Praepositus Generalis statueret, a subordinatis localibus Praepositis vel Rectoribus aut Praefectis seu eorum vices gerentibus, vel a Provincialibus seu Visitatoribus aut Commissariis vel ab aliis sibi bene visis, auditis iuxta eorum Institutum Consultoribus, accepta, quaecumque Domorum tum Professarum tum Probationis, Collegiorum et aliorum locorum eiusdem Societatis ubilibet consistentium bona stabilia, nec non etiam pretiosa mobilia cuiuscumque qualitatis et quantitatis ac valoris, et in quovis loco posita, pro pretio et sub pactis, conditionibus, modis et formis hinc inde

5 Aug. 1582

Dubia desuper orta itidem recensentur.

Inseritur facultas alienandi alias concessa.

GREGORII XIII

5 Aug. 1582

conveniendis, in evidentem tamen Domorum et Collegiorum huiusmodi utilitatem, per se vel alium seu alios vendere, alienare, permutare, in emphyteusim seu libellum ad tres generationes vel nominationes tantum pro affictu sibi bene viso, dare licite valeret, etiam absque alia Sedis Apostolicae vel locorum Ordinariorum licentia seu confirmatione desuper obtinenda, ita quod venditiones, alienationes, permutationes, locationes, concessiones, contractus, instrumenta et inde secuta quaecumque, postquam ab ipso Praeposito Generali ratificata fuissent, seu illius consensus intervenisset, eo ipso apostolica auctoritate, nullo alio desuper habendo examine vel commissione, approbata et confirmata essent, indulsimus, prout in singulis litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur. Cum autem, sicut eadem subiungebat petitio, ea quae de novo emergunt novo indigeant auxilio; ipsique contrahentes, praesertim in Curia, varias quotidie requirant cautelas, sine quibus exsistimant sibi non fore satis cautum; inter quas ea potissima est, quod in indulto huiusmodi non fuerit expressum, quod etiam census redimibiles super eisdem bonis possent vendi, quae tamen species est, eaque minima, venditionis; et idcirco ab aliquot iam annis frequens fuit, ut census redimibiles alias iuxta formam privilegii huiusmodi venderentur et imponerentur: quare pro parte dicti Claudii Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus sibi dictaeque Societati in praemissis consulere de benignitate apostolica dignaremur.

Alia dubia sunt postea exorta.

Extensio prioris facultatis.

Nos igitur, eumdem Claudium et singulares ipsius Societatis personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati exsistunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; ac praedictarum litterarum et Constitutionum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Claudio et pro tempore exsistenti Praeposito Generali dictae Societatis, vel ipsi Societati dum ea scilicet erit generaliter congregata, ex nunc de caetero perpetuis futuris temporibus, per se vel alios, ut informatione, sicut praemittitur, vel si utrilibet visum erit, extraiudicialiter ac summarie et simpliciter accepta, vel etiam ea omnino omissa, bona Domorum, Collegiorum et locorum huiusmodi stabilia et etiam mobilia pretiosa, praesentia et futura, pro illorum utilitate seu necessitate, quibuscumque personis, tam ecclesiasticis quam saecularibus cuiuscumque gradus, ordinis et dignitatis exsistentibus, etiam Collegiis, Communitatibus et Universitatibus, ad eam rationem, quae facilius inveniri poterit, et pro pretio reperibili vendere, alienare, permutare, in emphyteusim seu libellum ad tres generationes vel in aliud longum tempus dare, locare, etiam cum donationis seu investiturae receptione, ac representata pecunia, sine tamen soliti illorum reditus diminutione, nec non generaliter et specialiter obligare et hypothecare, super illis census quoscumque redimibiles imponere et vendere, nec non de bonis eisdem compromittere et quomodolibet super illis transigere, illisque simplici-

GREGORII XIII

ter, vel liti desuper habitae ac actioni, etiam in non possessorem cedere, et reum citare, utilitatemque venditionum et aliorum huiusmodi, vel etiam necessitatem aut aliam causam propter quam fiant, simpliciter et absque figura iudicii cognoscere, iudicare, definire et penitus terminare libere et licite valeant, et alias iuxta dictarum litterarum tenorem, harum serie, apostolica auctoritate concedimus, et ad hoc, si opus sit, licentias et facultates omnes praedictas extendimus et ampliamus; ipsosque contrahentes, habita sola Praepositi Generalis vel congregatae Societatis, per litteras patentes, more ipsius Societatis vel alias, confirmatione aut consensu, solo contractu securos exsistere; nec ad venditionum, communicationum et aliarum huiusmodi alienationum utilitatis seu necessitatis aut in aequivalentia vel meliora bona pretii conversionis, vel aliam demonstrationem teneri; nec non contractus quoscumque super his hactenus initos perpetuo valere, partesque ipsas ad illorum observationem omnino obligari; et tam ipsos hactenus initos contractus quam in futurum ineundos, quibus ipsius Generalis Praepositi nunc et pro tempore exsistentis, vel etiam congregatae Societatis consensus seu confirmatio accesserit, alia Sedis Apostolicae confirmatione et approbatione non indigere; sicque per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; nec non quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

5 Aug. 1582

Deputantur Indices.

Quocirca venerabilibus fratribus Nostris, Toletan. et Treveren. ac Rigen. Archiepiscopis, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, easdem praesentes et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Claudii vel pro tempore exsistentis Praepositi Generalis, aut Societatis huiusmodi vel alicuius eorum, fuerint desuper requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate Nostra praesentes et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac singulos, quos litterae ipsae concernunt, pacifice frui et gaudere; non permittentes eos vel aliquem eorum desuper, contra praesentium tenorem, per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles, per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus fel. rec. Symmachi et Pauli aliorumque Romanorum Pontificum, etiam praedecessorum Nostrorum, de rebus Ecclesiae non alienandis seu alienatis recuperandis, aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, nec non quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis, sub quibuscumque

GREGORII XIII

5 Aug. 1582

tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, etiam motu proprio et consistorialiter, ac de apostolicae potestatis plenitudine concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ac dictis litteris, si in aliqua obstent, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscumque.

Transsumptis habeatur fides.

Caeterum, quia difficile foret easdem praesentes ad singula quaeque loca ubi necessarium fuerit deferre: volumus, quod illarum transsumptis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae, seu etiam ipsius Societatis Praepositi Generalis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, concessionis, extensionis, ampliationis, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Marcum, an. Incarnationis Dominicae MDLXXXII, nonis Augusti, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro Reverendissimo D. Summatore,
A. Lanfredinus.
Cae. Glorierius.

GREGORII XIII

FACULTAS TRANSEUNDI AD ALIOS ORDINES

DE LICENTIA PRAEPOSITI GENERALIS, ETIAM PROFESSIS CONCESSA.

GREGORIUS PAPA XIII
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

GREGORII XIII

22 Sept. 1582

Cum alias fel. rec. Paulus Papa III Societati Iesu inter alia concesserit, ut eorum nemo, sive Professus sive Scholaris sive Coadiutor, ex dicta Societate egrediens, ad alium quam ad Carthusiensium Ordinem, nisi de expressa Romani Pontificis vel Praesiti Generalis dictae Societatis licentia, se conferret; itemque Pius Papa IV voluerit, ut ne quis praedictorum ab eadem Societate, praetextu cuiusvis indulti vel quaesito colore melioris vitae vel strictioris observantiae, etiam ad Mendicantium vel Cisterciensium seu S. Benedicti aut aliorum mona-

GREGORII XIII

chorum Ordinem, Carthusiensi excepto, transire possit, dubitare contingit an Praepositus pro tempore exsistens valeat etiam Professos, ex causis id exigentibus, ab ipsa Societate emittere, aut eis sic emissis liberum sit de eius licentia se ad quemvis alium Mendicantium vel non Mendicantium Ordinem transferre.

Licet Praeposito quibus iudicaverit, a Societate ad quemvis alium Ordinem transeundi licentiam concedere.

Nos, re perpensa atque diligenter examinata, Societatis ipsius puritati atque incremento, emissorumque pro tempore saluti consulere volentes, statuimus, ut deinceps in perpetuum liceat dicto Praeposito quos iudicaverit ab ipsa Societate emittere, eosque de ipsius Praepositi licentia, non tantum ad Carthusiensium, sed ad quemvis alium Mendicantium vel non Mendicantium, paris, laxioris aut arctioris observantiae Ordinem, per ipsum Praepositum illis praescribendum, de consensu tamen Superiorum loci illius quo destinabuntur, demigrare, in eisque Professionem per loci illius monachos aliosque regulares eiusdem emitti solitam, emittere, habitumque suscipere et consueta uti eorum disciplina; ipsis inhibentes sub excommunicationis latae sententiae poena, ne quid contra praesentium tenorem quomodolibet audeant attentare. 22 Sept. 1582

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus omnibus iis quae dicti Pontifices voluerunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praesentis privilegii communicatio prohibetur.

Praesentis autem gratiae communicationem omnibus aliis, etiam qui sua privilegia cum praedicta Societate copiose participant participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus.

Transsumptis habeatur fides.

Caeterum, quia difficile esset praesentes, quocumque illis opus erit, deferre, volumus ut praesentium transsumptis, manu Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae, seu etiam dicti Praepositi, munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die vigesimo secundo Septembris MDLXXXII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Cae. Glorierius.

GREGORII XIII

FACULTAS ORDINES SUSCIPIENDI

A QUOCUMQUE ANTISTITE, IDQUE ETIAM EXTRA TEMPORA, ETC.

GREGORIUS PAPA XIII
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

GREGORII XIII

Pium et utile Societatis Iesu Institutum non patitur certa quaedam ab iis, qui sub eius vexillo atque disciplina salutari militant, obiri, quae in sacris ineundis generaliter praescribuntur. 22 Sept. 1582

Quocirca, cum dictae Societatis ac disciplinae alumni nulli ecclesiae, nullive loco certo mancipati sint, ut ibi

GREGORII XIII

22 Sept. 1582

permaneant, sed veluti viatores, omni tempore parati exspectantesque diem et horam, qua vel ad extremas orbis regiones, cum venit usus, emittantur, ubi quisque, pro captu suo et iuxta datam sibi a Domino sapientiam, sese in vinea Domini excolenda exerceat; eiusque rei causa fel. rec. Paulus Papa III Praeposito eiusdem Societatis concesserit, ut idoneos et comprobatos ab ipsa Societate, quibuscumque mallet catholicis Antistitibus gratiam et communicationem Sedis Apostolicae habentibus praesentare posset, qui illos sic praesentatos, absque ulla promissione vel obligatione, ad ordines huiusmodi promoverent: nonnulli tamen Antistites, post Concilii Tridentini decreta, eos sic praesentatos, prius in cuiusque, tam minorum quam sacrorum ordinum huiusmodi praescripto munere exercitatos, temporumque determinatorum post susceptos praescriptum finem, antequam ad superiores ordines ascendant, omnino exspectandum, eosque in eorumdem ordinum functionibus chorique officiis plene instructos, et denique super eorumdem vita, moribus, aetate et natalibus ad Parochi inquisitionem, aut alias, testimonium et certa alia requisita habenda esse contendunt, quamvis non nisi ad eosdem ordines suscipiendos numeris alioqui omnibus idonei dimittantur.

Pauli III concessio.

Nos his incommodis, quantum in Nobis est, occurrere volentes, omnibus Episcopis et aliis Antistitibus praesentibus et futuris in perpetuum praecipimus, atque interdicimus ne ab huiusmodi promovendis, qui licentiam a Praeposito Generali dictae Societatis pro tempore exsistente, vel ab eo delegatis habuerint, quidquam praedictorum requirant vel exigant; sed ipsos, etiam absque ulla functione in ordinibus ipsis, interstitiorumque ad illos suscipiendos observatione, aut inquisitione de cantu, officiis et caeremoniis ecclesiasticis, idoneitate, proprii Ordinarii licentia et aliis in aliis requisitis, ad minores, ac etiam extra tempora a iure statuta, tribusque Dominicis vel aliis festis diebus etiam continuis, ad sacros, etiam Presbyteratus ordines promoveant, ac si illi omnibus requisitis praedicti essent: Nos enim illis ordines omnes praedictos sic suscipiendi, ac praedictis Antistitibus eos ipsis conferendi facultatem tribuimus.

Facultas ad ordines suscipiendos,

etiam extra tempora, etc.

Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Non obstantibus, etc.

Praesentis autem gratiae communicationem omnibus aliis, etiam qui sua privilegia cum ipsa Societate copiose participant participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus.

Praesentis privilegii communicatio prohibetur.

Caeterum, quia difficile esset praesentes quocumque illis opus erit deferre, volumus, ut earumdem praesentium transsumptis, manu Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae, seu etiam dicti Praepositi, munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Transsumptis habeatur fides.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die vigesimo secundo Septembris MDLXXXII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Cae. Glorierius.

GREGORII XIII

SOCIETATIS IESU

INSTITUTUM, PRIVILEGIA ET CONSTITUTIONES CONFIRMANTUR,
ET EOS OMNES QUI, PERACTO NOVITIATU,
TRIA VOTA EMISERINT, TAMETSI SIMPLICIA,
VERE ET PROPRIE RELIGIOSOS ESSE, DECLARATUR.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

GREGORII XIII

1 Febr. 1583

Quanto fructuosius in colenda Domini vinea se exercet veneranda Iesu Societas, dignisque aeterna mercede operariis abundare conatur, tanto propensius contendimus eam, religiosamque subinde quam instituit prolem, unde tota respublica christiana ubique sublevatur, prosequi et confovere; simulque omnia removere, quibus et spiritualis ipsorum profectus retardari, et charitatis fervor, qui ab eisdem in regeneratas pretioso Domini nostri Iesu Christi sanguine animas se diffundit, alicubi frigescere aut in lubricum defluere posset.

Causa constitutionis edendae et commendatio Societatis.

Cum enim, sicut iuxta dictae Societatis Constitutiones et laudabile Institutum a fel. rec. Paulo III et Iulio etiam III confirmatum, ac etiam a Paulo IV, Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris, diligentissime examinatum, et a Concilio Tridentino commendatum, Societas ipsa, non solum Professis et Novitiis, sicut et reliqui regulares Ordines, constet; sed varii in eadem Societate religiosarum personarum gradus sint, in quibus singuli, iuxta commissi cuique a magno Patrefamilias talenti mensuram et Praepositorum suorum directionem, Altissimo famulantur: — Sicut enim finis dictae Societatis est fidei propagatio et defensio, animarumque in vita et doctrina christiana progressus, ita etiam gratiae eius vocationis proprium est diversa loca, ex Romani Pontificis ac Praepositi Generalis eiusdem Societatis directione, peragrare, vitamque in quavis mundi parte agere, ubi laboriosam eorum operam et industriam fructuosam copiosiores salvandarum animarum proventus, ad Dei aeterni gloriam, consequi posse sperantur: ad quem finem Spiritus Sanctus, qui bonae mem. Ignatium Loyolam, ipsius Societatis institutorem, eiusque Socios, excitavit, media etiam praeclara maximeque opportuna, huius Sedis ministerio, eis tribuit atque confirmavit, publicarum scilicet praedicationum, verbi Dei ministerii cuiuscumque, Spiritualiumque Exercitiorum, et charitatis operum, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentorum administrationis ac frequentis usus. Ad quae pro dignitate exsequenda, et ad difficultates superandas subeundaque pericula, quibus

GREGORII XIII

1 Febr. 1583

dictae Societatis Religiosi in huiusmodi excursionibus et ministeriis exponuntur, cum haec magnum tum virtutis tum devotionis praesidium postulent, statutum est, ut et Novitii in Societate praedicta per biennii spatium probentur, et qui expleto Novitiatu litteris operam dederint, illorum studiis absolutis, tertium etiam annum Probationis in humilitatis exercitiis expendant, ut, si qua in re vel huius virtutis amor, vel pietas ac devotionis fervor per litterarum occupationem distractus intepuerit, per earumdem virtutum frequentiorem exercitationem et divinae gratiae ardentiorem invocationem restauretur. Qui enim Professionem emittere debent, eos vocatio haec viros in vitae puritate ac litteris conspicuos, diuturnisque et diligentissimis experimentis probatos, eosque Sacerdotes, et in verbi Dei ac Sacramentorum administratione diu multumque versatos, exigit, ut et Constitutionibus dictae Societatis et a Summis Pontificibus est decretum: sed neque omnes ad eamdem Professionem idonei esse possunt, neque, qui temporis progressu futuri sunt, tales evadere aut cognosci sine longa exercitatione atque experimento. Quapropter Societatis corpus in sua membra, ordinem et gradus idem Ignatius, divino instinctu, ita duxit disponendum, ut biennio Novitiatus absoluto, omnes qui in Societate perseverare voluerint, tria vota, substantialia quidem, paupertatis, castitatis et obedientiae, simplicia tamen, emittere debeant ac Novitii esse desinant. Quibus votis emissis, in corpus eiusdem Societatis cooptati, et quantum ex parte ipsorum, perpetuo obligati remanent. Quod si iniussi discedant, apostasiae notam et excommunicationis, ac alias, quibus ipsi Professi subiacent, poenas incurrunt; quamvis rationabili ex causa, iuxta Constitutiones easdem, ab ipso Praeposito Generali dimitti et votis huiusmodi liberari possint. Quae omnia ipsis, primo ingressu per aliquot dies in separata habitatione constitutis, antequam ad aliorum Novitiorum communem convictum admittantur, in ipsius Societatis privilegiis, Constitutionibus et Regulis, consideranda traduntur. Biennio itaque Novitiatus completo et emissis votis simplicibus, una est omnibus omnino vivendi et obediendi ratio; debentque omnes in communi vivere, ac in omnibus obedire, non secus ii qui Professionem non emiserunt, quam Professi. Quod vero ad paupertatem attinet, quamvis bonorum suorum ius atque dominium, iustas ob causas, pro Superiorum arbitratu, ad tempus retinere valeant, ut in pios usus, iuxta evangelicum consilium, distribuant; in illorum tamen usu religiosam paupertatem servant, nec ulla re tamquam propria et sine Superioris facultate uti possunt. Peractis igitur huiusmodi probationibus et experimentis, cum dictae Societati fuerit per ea in Domino satisfactum, quos idem Praepositus Generalis idoneos iudicat, eos vel ad Professionem per vota solemnia, vel ad gradus Coadiutorum formatorum spiritualium, si Sacerdotes, vel temporalium, si laici sint, per vota eadem publice emissa, quamvis non solemnia, iuxta Constitutiones admittit. Quibus emissis, eo ipso nihil omnino proprii amplius vel domi vel foris habere possunt, fiuntque incapaces cuiusvis haereditariae successionis; nec propter emissa huiusmodi vota publica, aut per mortem ab inte-

GREGORII XIII **1 Feb. 1588**

stato, in illorum, sicuti nec in Professorum bonis, Domus ulla aut ecclesia vel Collegium dictae Societatis succedere potest — Et licet eos, qui post biennium Novitiatus emensum, dicta tria vota simplicia, sicuti ab hac Sede probata sunt, emittentes, et extra Novitiorum numerum habiti, ac in corpus ipsius Societatis cooptati, illiusque meritorum et privilegiorum, non secus atque ipsi Professi, ex praedictae Sedis dispositione participes effecti, quique, quantum in eis est, et Professionem emittere parati, si ipse Praepositus Generalis id praedictae Societatis Instituto congruere iudicaverit, et in perpetuum DEI servitio consecrati, ac sua sorte, prout illorum laudabile Institutum exigit, contenti, ac denique excommunicationis et aliis apostatarum poenis subiecti sunt, vere et proprie Religiosos esse compertum sit; nonnullorum tamen animos, qui pii alioqui et utiles operarii exsistunt, sollicitari et affligi interdum contingat, quasi non sint Religiosi, eo quod non sint Professi; nec etiam desint, qui religionis praetextu, transfigurante se Satana in angelum lucis, non solum ea occasione inquieti sunt, sed etiam aliorum pacem et vocationem disturbare, eosque in fraudem et defectionem deducere conantur; unde gravissima posset haec Religio, tantopere utilis et ubique ab omnibus expetita, concipere detrimenta: Nos considerantes divinae sapientiae atque providentiae thesauros, pro temporum necessitate, varia et inter se dissimilia eademque salubria Ordinum Instituta in Ecclesia sua produxisse; et nunc maxime, ut felicissimi toto orbe successus testantur, mirificos in agro Domini fructus hoc peculiari dictae Societatis Instituto proferri; quare ad submovenda circumstantia huiusmodi pericula, eamque in sincera vocatione sua continendam, partes nostras adhibendas decrevimus, ut, praecisis huiusmodi perturbationum causis, Religio ipsa, quae in propagandam religionem christianam emendandosque in ea mores corde, animo viribusque omnibus sine intermissione insistit, votivo munere perfruatur: motu proprio, certaque scientia nostra et de apostolicae potestatis plenitudine, laudabile huiusmodi Institutum ac praedicta caeteraque omnia dictae Societatis privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias et indulta, tam a praedictis quam aliis praedecessoribus Nostris et etiam a Nobis concessa, Constitutiones quoque et statuta, qualiacumque sint, ea omnia, ac si ad verbum praesentibus insererentur, pro expressis habentes, auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus et confirmamus; supplentes omnes iuris et facti defectus, si qui intervenerint in praedictis Constitutionibus et statutis; ac decernentes ex nunc irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Instituti, privilegiorum ac Constitutionum confirmatio.

Eos omnes qui biennio Novitiatus peracto tria vota, tametsi simplicia, emiserunt, esse vere ac proprie Religiosos.

Ad haec dictam Societatem firmo declarationis Nostrae praesidio communire volentes, statuimus ac etiam decernimus, non modo eos, qui in Coadiutorum formatorum, sive spiritualium sive temporalium, gradus et ministeria admittuntur, sed etiam alios omnes et quoscumque, qui in ipsa Societate admissi, biennio Probationis a quocumque peracto, tria vota praedicta, tametsi simplicia, emiserint emittentque in futurum, vere et proprie Religiosos fuisse et esse, et ubique semper et ab omnibus cen-

GREGORII XIII

1 Feb. 1583

Praecipitur ne quisquam rem hanc in dubium revocare audeat.

seri et nominari debere, ac si in Professorum praedictorum numerum adscripti fuissent. Praecipimusque et interdicimus, ne quisquam scrupulum de hoc cuiquam iniicere, neve illud in controversiam, dubium vel suspicionem ponere audeat quoquo modo.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae Societatis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptis habeatur fides.

Volumus autem, ut praesentium transsumptis, etiam impressis, manu Secretarii dictae Societatis vel Notarii publici subscriptis, et sigillo Praepositi Generalis eiusdem Societatis vel alterius personae in dignitate ecclesiastica constitutae, munitis, eadem omnino fides habeatur in iudicio et extra illud, quae litteris ipsis originalibus haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae approbationis, confirmationis, suppletionis, decretorum, statuti, praecepti, interdicti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Anno civili 1583.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDLXXXII, kal. Februarii, Pontificatus Nostri anno undecimo.

M. Datarius.
Cae. Glorierius.

GREGORII XIII

NOVA CONFIRMATIO INSTITUTI SOCIETATIS IESU.

25 Mai. 1584

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

GREGORII XIII

Ascendente Domino et Salvatore nostro in naviculam, ecce motus magnus factus est in mari; ipse autem a discipulis rogatus ventis imperavit, et facta est tranquillitas. Quam Nos, in Petri navicula collocati, turbinibus excitatis, ab eodem Domino assiduis precibus postulantes, Nostram interea operam et laborem in frangendis procellosis fluctibus impendere non desistimus; cumque tanti laboris socios et validos remiges divina Nobis providentia praeparaverit, eorum opera in superandis saevientis pelagi tempestatibus Nos maxime sublevat, qui pro communi fluctuantium animarum salute, propria commoda nihili pendunt, seque ad omnia discrimina exponunt. In quo, cum aliarum Religionum studia, tum Societatis Iesu assiduus pro Christo labor, nec non usque ad finem perseverantia promptam se ostendit; cumque prolem catholicae religioni valde proficuam, et ad omnia pericula pro universali Ecclesia subeunda paratam procreaverit, aliam atque aliam a pri-

ma non degenerem, praestante gratia DEI, quotidie substituit, ut Nobis eorum alumni, per multiplices probationum gradus altius provecti, semper praesto sint, quos in rebus arduis suscipiendis fructuosos operarios adsciscamus; eos autem, ut firmiorem Nobis opem ad praedicta navare possint, ab omni non modo iniuria, sed etiam calumnia studemus intactos conservare.

Quod ut a Nobis efficiatur, ipsius instituta, tamquam fundamenta eius praesidii quod catholicae religioni impendunt, immota atque inconcussa, aliorum etiam Romanorum Pontificum exemplo, debemus apostolica auctoritate tueri; quorum fel. rec. Paulus III et Iulius etiam III Constitutiones et laudabile dictae Societatis Institutum confirmarunt; Paulusque idem eam ipsam ab omni quorumcumque Ordinariorum iurisdictione exemit; quo Instituto per Paulum IV examinato et a Synodo Tridentina commendato, Pius V, item praedecessor Noster, Societatem ipsam Ordinem esse Mendicantem declaravit: quae omnia non immerito ab eis sunt concessa, ob egregias virtutes et dona Societati ante dictae divinitus elargita.

Societatis confirmationes aliae.

Exemptio.

Societas Mendicans declarata.

Societatis finis,

Cuius praecipuus finis catholicae est religionis defensio ac propagatio, animarumque in christiana vita et doctrina profectus; gratiae quoque eius vocationis est proprium diversa orbis terrarum loca, ex Romani Pontificis, seu Praepositi Generalis eiusdem Societatis directione, peragrare vitamque in quavis mundi parte agere, ubi salvandarum sua opera animarum copiosior proventus ad DEI gloriam speretur.

media,

Ad quem finem Spiritus Sanctus, bonae mem. Ignatii Loyolae, Societatis ipsius institutoris eiusque Sociorum excitator, media quoque praedicationum, ac cuiuscumque ministerii verbi DEI, doctrinaeque christianae, et Spiritualium Exercitiorum, aliorum item charitatis operum, et Sacramentorum administrationis ac praecipue Poenitentiae et Eucharistiae, horumque frequentioris usus accommodavit. Ad quae sufficienter et pro dignitate praestanda, difficultates superandas periculaque adeunda, quibus dictae Societatis Religiosi in huiusmodi discursionibus et ministeriis exponuntur, necesse est ut ipsi, talia obituri, magno virtutis et devotionis praesidio muniantur; quod illis gratia in primis omnipotentis DEI, simulque educatio ipsa, longa item in Societate probatio, nec non Regularum et Constitutionum observantia, praestare noscuntur.

longa probatio.

Quibus Constitutionibus, ut tantae ponant rudimenta virtutis ad quam aluntur, statutum est, ut Novitii in Societate biennio probentur; quo expleto, si ipsi perseverare voluerint et Societati fuerit ab eis satisfactum, (quoniam Societas ipsa non solis Novitiis et Professis, ut reliqui regulares Ordines, constat) tria substantialia vota simplicia (nisi quis interdum ad Professionem vel gradum Coadiutorum formatorum admittendus videretur), paupertatis, castitatis et obedientiae in eadem Societate, ex apostolico indulto ac iuxta vovendi formulam in eisdem Constitutionibus expressam, emittunt; ac secundum illas promittunt se eamdem Societatem ingressuros, hoc est ulteriorem aliquem illius gradum, prout Praeposito videbitur Generali. Quibus votis emissis, Novitii esse desinunt, et in Societatis corpus, qui litteris operam dederint vel daturi sunt, ut

Novitii biennio probantur.

Tria substantialia vota simplicia.

Scholares approbati, Coadiutores temporales.

Scholares approbati, alii vero ut Coadiutores temporales nondum formati, cooptantur; ac quantum est ex parte ipsorum perpetuo, ex parte vero Societatis iuxta apostolica indulta et Constitutiones praedictas, tam diu obligati sunt, quam diu Praepositus Generalis eos in Societate retinendos esse censuerit. Quod ad Societatis conservationem maxime est necessarium, idque ab illius exordio provisum, et post experimento comprobatum est, idque initio ingressus illis explicite manifestatur, atque ipsi conditionem hanc amplectuntur, quae eis (si quos dimittere oporteat) multo est commodior, ut liberi potius quam votis obligati dimittantur, aliisque iustis et rationalibus de causis.

Coadiutorum temporalium formatorum tria substantialia vota publica, et in manibus Superioris, sed simplicia.

Coadiutores temporales non formati, qui non ad studia litterarum sed ad domestica munia curanda destinantur, post aliquot annos, quibus Generali Praeposito et Societati satisfecerint, per tria item paupertatis, castitatis et obedientiae vota, quae licet publica et in manibus Superioris emissa, non tamen solemnia, sed tum ex Constitutionum praescripto, tum ex voventis et admittentis intentione, simplicia exsistunt, in Coadiutorum temporalium formatorum gradum admittuntur.

Tertius Probationis annus.

Scholares vero, studiis in Societate absolutis, ante quam Professi vel Coadiutores spirituales formati fiant, non solum tertium adhuc ulterioris Probationis annum in devotionis et humilitatis exercitiis impendunt, ut, si qua fortasse in re harum virtutum fervor per litterarum occupationem intepuerit, per earumdem virtutum frequentiorem exercitationem ardentioremque divini auxilii invocationem recalescat; sed etiam in verbi Dei, sacrarum et scholasticarum lectionum, Poenitentiaeque et Eucharistiae Sacramentorum, Societatis ministeriis tam diu probantur, quam diu Praeposito Generali videtur; nec ante quam ipsi Praeposito sint plane perspecti eique in omnibus satisfecerint, ad huiusmodi gradus promoventur.

Quinam ad Professionem quatuor votorum admittendi.

Qui enim ad Professionem quatuor votorum admittendi sunt, eos, iuxta Constitutiones easdem et apostolica decreta et indulta, viros omnino humiles ac prudentes in Christo, et in vitae puritate ac litteris conspicuos, diuturnisque ac diligentissimis experimentis probatos, atque Sacerdotes, et in ministeriis huiusmodi prius diu multumque versatos, vocatio haec requirit, utpote quos ardua maneant ministeria. Quo fit, ut non omnes ad eamdem Professionem idonei esse, nec tales sine longa exercitatione atque experimento fieri aut etiam cognosci possint.

Professi trium votorum. Coadiutores spirituales formati.

Quapropter Societatis corpus in sua membra et gradus idem Ignatius, divino instinctu, ita duxit disponendum, ut praeter eos quos Praepositus Generalis ad Professionem quatuor votorum idoneos esse censuerit, et nonnullos quos interdum ad Professionem trium admittere potest, reliqui etiam Sacerdotes, quorum vita et doctrina in Societate diu probata esset ac Praeposito Generali perspecta, et de ipsius licentia, in Coadiutorum spiritualium formatorum gradum, per tria illa vota similiter publica sed simplicia in Superioris manibus emissa, admitterentur.

Coadiutorum formatorum certus in Societate gradus, et paupertas.

Quibus emissis, tam hi qui spirituales quam qui temporales Coadiutores formati fuerint, certum in Societate gradum habent, suntque omnis haereditariae successionis incapaces, nihilque omnino

proprii iuxta Constitutiones easdem habere possunt. Nec propter emissa huiusmodi vota publica, aut per mortem ab intestato, in illorum, sicuti nec in Professorum bonis, Domus ulla aut ecclesia vel Collegium dictae Societatis succedere potest. Qui vero quatuor votorum Professi futuri sunt, ii tribus illis solemnibus substantialibus votis quartum similiter solemne addunt speciale, Summo Pontifici obedientiae circa missiones praestandae, ob certiorem Spiritus Sancti in missionibus ipsis directionem, ac maiorem ipsorum mittendorum Sedi Apostolicae obedientiam, maioremque devotionem, humilitatem, mortificationem ac voluntatum abnegationem.

Quartum votum solemne.

Post emissam vero Professionem, sive quatuor sive trium votorum, Professi ad paupertatis, quae regularis instituti murus est et propugnaculum, perfectionem tuendam, omnemque ambitionis occasionem excludendam, nonnulla alia simplicia vota emittunt, quibus promittunt se numquam quacumque ratione acturos vel consensuros, ut, quae in Constitutionibus Societatis circa paupertatem ordinata sunt, immutentur, nisi quando ex iusta rerum exigentium causa paupertas magis restrigenda videretur; neque praetensuros, ne indirecte quidem, ut in aliquam praelationem vel dignitatem intra vel extra Societatem eligantur; nec extra Societatem in sui electionem, quantum in eis fuerit, consensuros, nisi coactos obedientia eius qui id ipsis possit sub poena peccati praecipere; item Societati vel eius Praeposito manifestaturos, si quem sciant aliquid huiusmodi moliri.

Alia vota simplicia Professorum.

Porro non solum Professi et Coadiutores formati, sed ex aliis quicumque, absoluto probationis biennio, praedicta tria substantialia vota etiam simplicia emiserint, si absque expressa licentia a Societate discedant, etiam si praetextu melioris frugis et transitus ad alium quemcumque Ordinem (Carthusiensium dumtaxat excepto) id faciant, apostasiae et excommunicationis, ex Apostolicae Sedis decreto, poenas incurrunt; a quibus non nisi a Summo Pontifice vel a Generali Praeposito absolvi possunt. Inique enim cum Societate ipsa ageretur, si viris multo labore ad ardua ministeria eruditis, cum religionis catholicae et huius Sedis detrimento privaretur; praesertim cum Societatis Constitutiones et privilegia quae supradicta continent, in separata, antequam ad Novitiorum convictum admittantur, habitatione eis maturius consideranda tradantur. Biennio Novitiatus completo, et emissis votis simplicibus, una est omnibus omnino vivendi et obediendi ratio; debent enim omnes in omnibus obedire et in communi vivere, non secus alii atque ipsi Professi et Coadiutores formati, idque in Domibus quidem Probationum et Collegiis ex reditibus, in Domibus vero Professorum, quae nullos omnino reditus habere possunt, ex eleemosynis tantum. Et licet qui ad gradus Professorum et Coadiutorum formatorum nondum pervenerunt, bonorum suorum ius atque dominium (tum alias ob iustas causas, tum etiam ut maiorem Societas habeat libertatem illos, si opus fuerit, cum minori offensione dimittendi), ad tempus Generalis Praepositi iudicio praescribendum valeant retinere, ut in pauperes tandem seu alios pios usus pro ipsorum devotione distribuant, iuxta evangelicum consilium, ac promissionem quam initio Novitiatus faciunt:

Qui emissis votis, etiam simplicibus, sine licentia discedunt, apostasiae et excommunicationi poenas incurrunt.

Poenae reservatae.

Omnibus una est vivendi et obediendi ratio.

Domus Probationum et Collegia.

Domus Professorum.

Promissio distribuendi bona in pauperes.

GREGORII XIII

25 Mai. 1584

interim tamen, quantum ad illorum usum, religiosam paupertatem servant, nec ulla re tamquam propria, et sine Superioris facultate, uti possunt.

Qui expleto biennio Novitiatus tria substantialia Societatis vota simplicia emiserint, vere et proprie Religiosi exsistunt.

Et quamvis ii omnes qui post biennum Novitiatus dicta tria vota simplicia, ut praefertur, emiserint, ac in corpus Societatis cooptati, illiusque meritorum et privilegiorum, non secus atque ipsi Professi, participes effecti; quique, quantum in eis est, et Professionem emittere parati, si ipse Praepositus Generalis id praedictae Societatis Instituto congruere iudicaverit, et in perpetuum Dei servitio votis simplicibus consecrati, ac sua sorte, prout laudabile Societatis Institutum exigit, contenti, vere et proprie Religiosi exsistant; et, si a Societate deficiant, excommunicationis et aliis apostatarum poenis sint subiecti: tamen, cum non ita pridem intellexissemus nonnullorum animos, qui pii alioqui et utiles operarii exsistebant, sollicitari interdum et affligi, quasi non essent Religiosi, eo quod non essent Professi; nec etiam deesse, qui religionis praetextu, transfigurante se in angelum lucis Satana, non solum ea occasione inquieti exsisterent, sed etiam aliorum pacem et vocationem disturbare, eosque in fraudem et defectionem deducere conarentur, unde fructuosa haec Religio gravissima potuisset accipere detrimenta: idcirco, cum divina providentia, pro temporum necessitate, varia et salutaria Ordinum instituta in Ecclesia sua produxerit, novisque subinde in ea nascentibus morbis, nova remedia, novisque emergentibus hostium impugnationibus, nova regularium Ordinum auxilia excitarit; et cuique illorum, iuxta cuiuslibet peculiaris gratiae vocationem, peculiares quasdam notas, propria insignia ac opportuna ad finem quem intendit media suggesserit, et nunc maxime (ut felicissimi toto orbe successus testantur) mirificos in agro dominico fructus, praedicto Societatis Iesu Instituto, proferat (quae Societas, quemadmodum et alia nascentium regularium Ordinum exordia, a spiritu contradictionis impugnatur); cumque ipsi Ordines Romanorum Pontificum propterea constitutionibus circummuniri consueverint, cuius rei SS. Dominici et Francisci praeclarissimi Ordines exempla abunde suppeditarunt: ita Nos, licet alias Institutum praedictum, privilegia et Constitutiones ipsius Societatis confirmaverimus et declaraverimus, motu proprio statuentes eos qui, biennio Novitiatus peracto, tria vota tametsi simplicia emiserunt, esse vere et proprie Religiosos, cum praecepto ne quis haec in dubium revocare audeat, ac cum irritante et aliis decretis, prout in Nostris super hoc confectis litteris plenius continetur; quia tamen non defuit temeraria quorumdam audacia, qui post declarationem, decretum, praeceptum et interdictum Nostrum huiusmodi, non solum multa ex praedictis, et fortasse alia ad Societatis Institutum ac vivendi formam spectantia, labefactare, sed et ipsa apostolica decreta ac praecepta publice et ex cathedra ausu temerario impugnare, mentemque Nostram perverse interpretari non erubescant; disputantes et praedicta in dubium revocantes, omniaque ex aliorum regularium Ordinum communibus rationibus, formis ac statutis metientes, Societatis Institutum, peculiares Constitutiones, ac vim votorum simplicium illius, a Sede Apostolica in ea-

Si a Societate deficiant, excommunicationis, et aliis apostatarum poenis subiacent.

Societatis exordia impugnata, ut et aliorum Ordinum.

Alia Instituti declaratio et confirmatio refertur.

Impugnantium obiectiones.

dem Societatis Religione probata admissorum, penitus ignorantes, ac nonnulla iure antiquo, quae post illud successu temporum huius Sedis auctoritate, approbatione et confirmatione, ac peculiaribus privilegiis sancita et roborata esse dignoscuntur, perperam interpretantes, convellere nituntur; quin etiam Nos, supradicta, motu simili et ex certa scientia, de apostolicae potestatis plenitudine decernentes ac praecipientes, privato sensu locutos fuisse, ac tamquam privatos doctores errare potuisse, immo vere et de facto ob falsam supradictorum informationem errasse, ideoque praeceptum Nostrum nullam ad obligandum vim habere; neminem praeterea eorum, qui solemnem Professionem in dicta Societate non emiserunt, de illius corpore aut vere et proprie Religiosum esse posse, sed eos mere saeculares ac Ordinariorum iurisdictioni subditos exsistere; nec Societatem ipsam, aut illius Superiores, immo nec Nos ius in eos ullum ex vi votorum huiusmodi habere vel acquirere, aut Superioribus ipsis conferre posse; non considerantes voti solemnitatem sola Ecclesiae constitutione inventam esse, triaque huiusmodi Societatis vota, tametsi simplicia, ut substantialia religionis vota ab hac Sede fuisse admissa, illaque emittentes in statu Religionis vere constitui, quippe qui per ea ipsa se Societati dedicant atque actu tradunt, seque divino servitio in ea mancipant, in quibus votis nullus praeter Romanum Pontificem potest manum apponere; aliisque atque aliis modis Societatem ipsam impetunt universali Ecclesiae perutilem, quae, diversis functionibus et personarum gradibus distributa, a

Caput quod votum de voto et voti redemptione.

Romanis Pontificibus Presbyterorum, a Tridentina Synodo Clericorum Religio appellata, habitu, nomine, plerisque personarum gradibus votorumque differentiis ab aliis Regularibus Ordinibus distinguitur; quibus etiam adiungunt, licere iisdem non Professis, etiam invitis dictae Societatis Superioribus, ad quosvis alios regulares Ordines se transferre, transgressoresque horum votorum, ac inobedientes aut etiam uxorem ducentes, nullam ipsi Societati iniuram facere, immo posse Episcopos cum eis dispensare, ut, invitis etiam Superioribus eisdem, uxorem ducant: quibus cum glossatores et obtrectatores huiusmodi sua falsa doctrina favere pergunt, horum votorum naturam et poenarum vim vel non intelligentes vel eludere conantes, eo sunt progressi, ut etiam vi facultatum, quae litteris indulgentiarum Cruciatae sanctae nuncupatarum continentur, omnes transfugas et ab ipsa Societate deficientes non Professos, quoties ab ea defecerint, ab excommunicationis latae sententiae poena a quocumque confessario absolvi posse; nullamque ipsi Societati, suis operariis privatae, iniuriam fieri aut praeiudicium generari existiment; sed et votorum substantialium Religionis praedictae, ac decretorum contra eosdem apostatas Sedis huius auctoritate editorum vim quantum in eis est, enervare contendant: insuper asserant non posse vota aliqua in saeculo emissa in tria haec substantialia Societatis commutari, cum tamen haec vota sint status, ut praefertur, religiosi adeo utilis et perfecti, ut illa in haec possint, haec vero in aliorum Ordinum etiam solemnia vota commutari sit ab hac Sede iustis de causis interdi-

GREGORII XIII

ctum; nec etiam desint alia, quae in animarum suarum praeiudicium, Societatis perturbationem et scandalum plurimorum comminiscantur: Nos, universalis Ecclesiae utilitati, quam ex inviolato et inconcusso dictae Societatis Instituto et religiosae sobolis educatione sentimus et maiorem in dies speramus, prospicientes; et praeterea eiusdem Societatis indemnitati, paci, quieti et incremento consulere volentes; motu simili, et ex certa scientia Nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, laudabile ipsius Societatis Institutum et quae illud concernunt praemissa omnia et singula, praedictaque illius ac quaecumque alia privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias et indulta a praedictis Praedecessoribus Nostris et a Nobis, etiam per communicationem, concessa, Constitutiones quoque ac statuta et decreta qualiacumque, ac si ad verbum praesentibus insererentur, pro expressis habentes, tenore praesentium approbamus et confirmamus; supplentes omnes iuris et facti defectus, si qui intervenerint in praedictis Constitutionibus et statutis.

Societatis commendatio.

Nova Instituti ac praemissorum omnium Constitutionumque et privilegiorum Societatis confirmatio.

Ad haec dictam Societatem firmo Sedis huius praesidio communire volentes, hac Nostra perpetua constitutione, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, statuimus atque decernimus, tria vota huiusmodi, etsi simplicia, ex huius Sedis institutione ac Nostra etiam declaratione et confirmatione, esse vere substantialia Religionis vota, ac in dicta Societate tamquam in Religione approbata per Sedem eamdem admissa fuisse et esse, ac per Nos admitti; nec in illis a quoquam, praeter Nos et Sedem huiusmodi, dispensari, nec ea ullo alio modo quam per legitimam dimissionem a Societate cessare posse; et non modo eos, qui in Coadiutorum formatorum sive spiritualium sive temporalium gradus et ministeria, ut praefertur, admittuntur, sed et Scholares ipsos, ac supra dictos alios omnes et quoscumque, qui in ipsam Societatem admissi, biennio probationis a quolibet eorum peracto, tria vota substantialia praedicta, tametsi simplicia, emiserint aut emittent in futurum, vere et proprie Religiosos fuisse et esse ac fore, et ubique semper et ab omnibus censeri et nominari debere, non secus atque ipsos tum Societatis tum quorumvis aliorum Regularium Ordinum Professos, suisque Praepositis in omnibus et per omnia obedire, et huic Sedi immediate subiectos, et a quorumvis Ordinariorum et delegatorum seu aliorum Iudicum iurisdictione omnino exemptos, prout Nos etiam vigore praesentium eximimus; denique, ut omnium Societatis privilegiorum iuxta Generalis Praepositi dispositionem sunt participes, ita quoque excommunicationis maioris latae sententiae et aliis apostatarum poenis, si qui a Societate deficiant, subiacere, ac tamquam veros apostatas puniri posse, nec a quoquam, nisi per Nos et Sedem praedictam, aut Generalem Praepositum, ab eisdem poenis absolvi; nec ante huiusmodi absolutionem et a Societate dimissionem matrimonium contrahere; quin immo eos omnes ad contrahendum inhabiles, ac contractus huiusmodi nullos et irritos esse, prout irritos facimus et annullamus; et ut contradicentium audacia coerceatur, praemissas omnes et quasvis alias illis similes assertiones contra dictae Societatis Institutum, vel quomodolibet

Huiusmodi tria vota etsi simplicia, vere tamen sunt Religionis substantialia vota.

25 Mai. 1584

Huiusmodi vota, etsi simplicia, emittentes, vere et proprie sunt Religiosi.

Nova exemptio.

Poenae Apostatarum innovantur.

Absolutio reservatur.

Novum matrimonii impedimentum dirimens.

GREGORII XIII — 25 Mai. 1584

in illius praeiudicium pronuntiatas aut scriptas, falsas omnino et temerarias esse et censeri debere.

Praecipitur sub excommunicationis et inhabilitatis poenis, eo ipso incurrendis, ne quis audeat Societatis Institutum, etc. impugnare,

Praecipimus igitur in virtute sanctae obedientiae, ac sub poenis excommunicationis latae sententiae, nec non inhabilitatis ad quaevis officia et beneficia saecularia et quorumvis Ordinum regularia, eo ipso absque alia declaratione incurrendis (quarum absolutionem Nobis et successoribus Nostris reservamus) ne quis, cuiuscumque status, gradus et praeeminentiae exsistat, dictae Societatis Institutum, Constitutiones, vel etiam praesentes, aut quemvis earum vel supra dictorum omnium articulum, vel aliud quid supra dicta concernens, quovis disputandi vel etiam veritatis indagandae quaesito colore, directe vel indirecte impugnare vel eis contradicere audeat; districtius inhibentes, ne quis sive extra, sive intra dictam Societatem, nisi de illius Generalis aut inferiorum Praepositorum licentia, notationes, declarationes, glossas vel scholia ulla super praemissis facere, vel ea, nisi quantum verba ipsa sonant, interpretari, aut de eis disceptare seu scrupulum cuiquam iniicere, vel in controversiam aut dubium revocare audeat quoquomodo; nec glossas aut interpretationes, sive impressas seu scriptas ad id pertinentes legere, docere aliisque tradere, vendere vel apud se retinere praesumat: si quid vero dubii de eisdem oriri contigerit, ad Sedem praedictam vel ad Generalem Praepositum dictae Societatis, aut ad eos quibus id ipse commiserit, referatur; sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque Iudices et Commissarios, etiam causarum Palatii apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; nec non irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari; mandantes universis et singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et caeteris ecclesiarum et locorum etiam regularium Praelatis, per universum orbem constitutis, ut praesentes litteras in suis quisque ecclesiis, provinciis, civitatibus, dioecesibus et iurisdictionibus ab omnibus inviolate observari; quin etiam Praepositum ac personas Societatis huiusmodi defendant, eosque praemissis omnibus et singulis pacifice frui faciant et gaudere; non permittentes ipsos per quoscumque quomodolibet molestari; contradictores per censuras ecclesiasticas et alia iuris et facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

nec nisi de Praepositorum licentia interpretari,

nec in controversiam revocare,

nec glossas legere, docere, aliis tradere, vel apud se retinere.

De dubiis referendum.

Sic iudicari debere.

Mandatur omnibus Ordinariis, ut praesentes litteras observari faciant.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus recol. mem. Bonifacii Papae VIII, quae incipit QUOD VOTUM, et aliis apostolicis constitutionibus, ac etiam aliorum Ordinum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibuscumque huiusmodi Ordinibus, Universitatibus, locis vel personis per quoscumque Romanos Pontifices, praedecessores Nostros, ac Nos et Sedem praedictam, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, et cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, revocativis, modificativis, praeservativis, exceptivis, declarativis,

mentis attestativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias quomodolibet, etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis modo et forma in illis expressis, derogari possit, vel pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscumque: aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Praesens concessio non communicatur.

Praesentis autem constitutionis et gratiae communicationem omnibus aliis, qui sua privilegia cum ipsa Societate copiose participant participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus.

Transsumptis habeatur fides.

Caeterum volumus, ut praesentium transsumptis etiam impressis, manu Secretarii dictae Societatis vel Notarii publici subscriptis, et sigillo Praepositi Generalis eiusdem Societatis vel alterius personae in dignitate ecclesiastica constitutae, munitis, eadem omnino fides habeatur in iudicio et extra illud, quae litteris ipsis originalibus haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae approbationis, confirmationis, suppletionis, decretorum, statuti, praecepti, interdicti, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, an. Incarnationis Dominicae MDLXXXIV, octavo kal. Iunii, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

M. Car. S. Stephani.
Cae. Glorierius.
A. de Alexiis.

Registrata apud Caesarem Secretarium.

Anno a Nativitate Domini MDLXXXIV, *Indict. duodecima, die vero Lunae, decimo sexto mensis Iulii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Gregorii, divina providentia Papae* XIII *anno decimo tertio, retroscriptae litterae apostolicae affixae, lectae et publicatae fuerunt, et per aliquod temporis spatium dimissae in valvis basilicarum Principis Apostolorum de Urbe, et S. Ioannis Lateranensis, nec non Cancellariae apostolicae, et aciei Campi Florae, per nos Ioannem Freril et Nicolaum Tagliettam, S. D. N. Papae Cursores.*

GREGORII XIII

ANTIQUA SOCIETATIS EXEMPTIO

RERUM AC PERSONARUM

CONFIRMATUR, ET NOVA ALIA CONCEDITUR.

GREGORIUS PAPA XIII
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

GREGORII XIII

SATIS SUPERQUE dilectos filios, Societatis IESU alumnos, suscepti iuxta maiorum suorum instituta, pro animarum salute et Christi Domini nostri nomine et orthodoxa fide propagandis, labores defatigant; quibus sublevandi essent, nedum ad alia opera, officiis eorum interruptis, distrahendi. Quod ne accideret, neve obedientiae perfectio, quam subditi suis Praepositis praestare debent, quidquam imminueretur, nonnulli Romani Pontifices, praedecessores Nostri, dictam Societatem a primaeva eius erectione, illiusque personas et bona quaecumque a quorumvis Ordinariorum visitatione, iurisdictione, correctione et superioritate exemerunt, et sub Sedis Apostolicae protectione susceperunt, ut illa Romano Pontifici pro tempore exsistenti immediate subiecta esse noscatur.

Societatis operarii non distrahendi. Obedientiae perfectio non imminuenda.

Romani Pontifices Societatem exemerunt.

Quare Nos praecipua erga eam animi Nostri propensione dictam exemptionem illi confirmamus, ac in perpetuum statuimus, neminem ex Religiosis sub praedictae Societatis obedientia degentem, a quibusvis, quacumque ecclesiastica vel saeculari dignitate seu auctoritate fungentibus, etiam si S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi vel alii Antistites et Praelati, nec non synodi, Communitates et Capitula quaecumque, aut officii haereticae pravitatis Inquisitores, ac Commissarii vel Iudices, tam ipsius officii, quocumque illi nomine censeantur, quam alii ordinarii vel delegati, vel etiam Imperator, Reges et alii saeculares Principes, ad quodvis munus, officium vel exercitium obeundum, etiam praetextu quod alii inibi non inveniantur a quibus adiuvari possint, absque expresso sui Superioris consensu ac etiam mandato destinari, adigi vel cogi posse: decernentes irritum et inane quidquid secus super his per praedictos et alios quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Confirmatio exemptionis, ac nova concessio.

10 Sept. 1584

Non obstantibus apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, etiam de examinatoribus deputandis, vel etiam deputatis seu approbatis, nec non privilegiis, indultis et litteris apostolicis supradictis omnibus et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis decretis in genere et in specie, etiam motu proprio et ex certa scientia ac

Non obstantibus, etc.

GREGORII XIII

de apostolicae potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Communicatio prohibetur.

Praesentis autem gratiae communicationem omnibus aliis, etiam qui sua privilegia cum ipsa Societate copiose participant participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus.

10 Sept. 1584

Caeterum, quia difficile esset nimis easdem praesentes, quocumque illis opus erit, deferri: volumus, ut ipsarum transsumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae, seu etiam dictae Societatis Praepositi Generalis, munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die decimo Septembris MDLXXXIV, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Cae. Glorierius.

GREGORII XIII

NULLI DE SOCIETATE LICET AD CARTHUSIAM

SECUNDO TRANSIRE NISI DE LICENTIA PRAEPOSITI GENERALIS.

18 Oct. 1584

DILECTO FILIO CLAUDIO AQUAVIVAE, PRAEPOSITO GENERALI SOCIETATIS IESU,

GREGORIUS PAPA XIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

GREGORII XIII

Privilegia Pii IV.

Exponi nobis nuper fecisti, quod alias, postquam fel. rec. Pius Papa IV, praedecessor Noster, statuisset ac praecepisset, ne ulli ex Societatis Iesu Religiosis post emissa vota secundum illius Constitutiones, sive Professus sive Scholaris sive Coadiutor ille foret, ab eadem Societate exire aut recedere, nec ad quemvis alium, etiam Mendicantium Ordinem (Carthusiensium Ordine dumtaxat excepto), absque expressa sui Superioris licentia ad id ab eo specialiter obtenta, se transferre; vel etiam per Superiores Ordinum huiusmodi eorum quempiam admitti liceret, sub poena excommunicationis, tam per recipientes quam per ipsos receptos aut recedentes, ipso facto incurrenda; quodque nihilominus secus facta non tenerent, et nullius exsisterent efficaciae vel momenti; et insuper, ut qui pro tempore ab ipsa Societate ad praefatum Carthusiensium, vel de Superioris licentia ad alium Ordinem transire vellent, ad Carthusiensium videlicet intra tres menses a die quo

GREGORII XIII

18 Oct. 1584

ab ipsa Societate recessissent, ad alium vero Ordinem, intra tempus eis a dicto Superiore praefigendum, accedere et actualiter ingredi, ubi si permanere nollent aut non possent, absque ulla mora ad dictam Societatem regredi, sub praefata excommunicationis latae sententiae poena tenerentur, quam tam ipsi Religiosi quam illos recipientes, vel eis auxilium, consilium vel favorem praestantes, etiam incurrerent, successive piae mem. Pius Papa v, etiam praedecessor Noster, Praeposito Generali pro tempore exsistenti eiusdem Societatis, vivae vocis oraculo concessit, ut, si quis ex dicta Societate ad Carthusiensium Ordinem, iuxta Pii iv indultum huiusmodi, transire vellet, si vel non ingrederetur vel non admitteretur vel non perseveraret, ad eamdem Societatem redire teneretur; nec ei amplius ab ipsa Societate ad eumdem Carthusiensium Ordinem, absque ipsius Praepositi Generalis licentia, transire liceret.

et Pii v.

Verumtamen cum posterioris Pii v facultatis usus eidem Praeposito difficilior interdum reddatur, quod litterarum apostolicarum praesidio fretus non sit: ideo tuis in hac parte supplicationibus inclinati, concessionem et facultatem huiusmodi tibi et pro tempore exsistenti Praeposito Generali praedicto, tenore praesentium confirmamus; eaque omnia, sicut supra dicta sunt, vobis concedimus, eamque etiam quoad praeterita valere decernimus, ac si litterae apostolicae super concessione Pii v, praedecessoris huiusmodi, tunc confectae fuissent.

Confirmatio et nova concessio.

Qui secus fecerit, in excommunicationis, et alias apostatarum censuras et poenas eo ipso incurrat, a quibus non nisi a Nobis, vel a Romano Pontifice pro tempore exsistente, vel a dictae Societatis Generali Praeposito absolutionem valeat obtinere.

Qui secus fecerint excommunicantur.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praesentis autem gratiae communicationem omnibus aliis, etiam qui sua privilegia cum ipsa Societate copiose participant participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus.

Communicatio prohibetur.

Volumus insuper, ut praesentium transsumptis etiam impressis, manu Secretarii dictae Societatis vel Notarii publici subscriptis, et sigillo Praepositi Generalis eiusdem Societatis, vel alterius personae in dignitate ecclesiastica constitutae, munitis, eadem omnino fides habeatur in iudicio et extra illud, quae litteris ipsis originalibus haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die decimo tertio Octobris MDLXXXIV.

Cae. Glorierius.

GREGORII XIII

FACULTAS PRAEDICANDI

CONCESSA IIS ETIAM QUI NONDUM AD SACROS ORDINES PROMOTI ESSENT, DECLARATUR EADEMQUE DE NOVO CONCEDITUR.

20 Nov. 1584

DILECTIS FILIIS, PRAEPOSITO GENERALI ET RELIGIOSIS SOCIETATIS IESU,

GREGORIUS PAPA XIII.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

GREGORII XIII

Praedicandi facultas a Paulo III concessa.

Vigore privilegii vestrae Societati a fel. rec. Paulo Papa III praedecessore Nostro concessi, ut vestrum quisque idoneus, et a Praeposito pro tempore exsistente eiusdem Societatis deputatus, verbum Dei publice praedicare, et qui ex vobis Presbyteri fuerint, quorumcumque utriusque sexus Christi fidelium confessiones audire possint, ex illo concessionis huiusmodi tempore, etiam Scholares et alii Religiosi vestri sacris ordinibus nondum initiati, alias tamen idonei, ad praedicandum verbum Dei passim et ubique mittuntur.

Declaratur concessam olim fuisse facultatem.

Verum, quia nonnullis dubitatio curiosius incessit, an dictum privilegium praedicandi etiam eos comprehendat, qui ad ordines ipsos nondum ascenderunt: Nos, quemcumque hoc scrupulo eximere volentes, praesentium auctoritate declaramus ac etiam decernimus, vestrum unumquemque, etiam ad sacros ordines praedictos non promotum, praedicationis munus in vim privilegii huiusmodi exercere potuisse et posse; vobis insuper concedentes, ut etiam clerici vestri prima tantum tonsura insigniti, prout hucusque fecerunt, valeant deinceps ipsum Dei verbum ubique populo praedicare; districtius inhibentes universis et singulis locorum Ordinariis et quibusvis aliis, quacumque dignitate et auctoritate fungentibus, ne quemquam vestrum, quovis praetextu, praemissorum occasione, impedire vel molestare audeant quoquo modo.

Ad praedicandum nova concessio.

Non obstantibus apostolicis, ac in generalibus et provincialibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptis habeatur fides.

Volumus autem, ut praesentium transsumptis etiam impressis, manu Notarii publici seu Secretarii Societatis, subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae seu etiam dictae Societatis Praepositi Generalis, munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die vigesimo Novembris MDLXXXIV, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Io. Bap. Canobius.

GREGORII XIII

ERECTIO PRIMARIAE CONGREGATIONIS

IN ECCLESIA ANNUNTIATAE COLLEGII ROMANI SOCIETATIS IESU, CUM INDULGENTIIS, ET CUM FACULTATE AGGREGANDI QUASVIS ALIAS CONGREGATIONES SIMILES PRO GENERALI PRAEPOSITO.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

GREGORII XIII

Omnipotentis Dei Salvatoris nostri, qui ex pietatis suae superabundantia fidelium mentibus coelestis inspirationis gratiam et devotionis ardorem, ad Divinae Maiestatis obsequia et piorum operum exercitia salubriter peragenda, continuo infundit, exemplo adducti: in eam pastoralis officii curam cogitationemque sedulo incumbimus, per quam ipsorum fidelium, fructuosis huiusmodi operibus et exercitiis vacantium, religio et devotio continuum suscipiat incrementum, eisque votiva salus proveniat animarum.

Primordia Congregationis studiosorum.

Alias siquidem per Nos accepto, quod plerique probi et pii adolescentes, bonarum litterarum studiis in Collegio Nostro Societatis Iesu de Urbe insistentes, singulari erga Beatissimam Mariam Virginem Dei Genitricem affectu ducti, ac etiam Lectorum et Magistrorum suorum spiritualibus cohortationibus ad id accensi, ecclesiam Annuntiationis eiusdem B. Mariae, in corpore aedificiorum dicti Collegii consistentem, certis statutis diebus et horis frequentare, et cum eximia devotionis sinceritate cordisque contritione conscientiam suam per confessionis et Sanctissimae Eucharistiae ministerium expurgare, ac divinis officiis, colloquiis et exhortationibus spiritualibus aliisque piis et salutaribus operibus vacare soliti erant, factoque inde ad illorum exemplum maiore aliorum concursu, mutuis studiis se invicem consociaverant: Nos, ut pium hoc institutum peramplius coalesceret, eisdem et aliis Christi fidelibus, huiusmodi spiritualibus operibus et exercitiis pro tempore addictis, nonnullas indulgentias et peccatorum suorum remissiones concessimus, prout in Nostris inde confectis litteris plenius continetur.

5 Dec. 1584

Aliorum concursus.

Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Praepositi Generalis dictae Societatis petitio continebat, in diversis mundi partibus et praesertim insignioribus Europae civitatibus, eiusdem Societatis Collegia ad iuventutem bonis moribus et virtutibus ornandam, ac vera pietate sacraque doctrina imbuendam, propagari; illorumque externi scholares ibidem studiorum causa confluentes, optima devotionis et piorum operum huiusmodi exercitia ferventi

studio imitari; et exinde multiplices fructus ad DEI gloriam ipsiusque divini Nominis cultum, ac B. MARIAE Virginis honorem, nec non publicam salutem et spiritualem consolationem provenire coeperint; et operae pretium sit, ut, quemadmodum piarum et fructuosarum exercitationum huiusmodi institutum, a scholaribus dicti Collegii de Urbe (quod Nostris auspiciis et impensis magnifico aedificiorum et structurarum opere a fundamentis innovatur et exstruitur) primordium suum in dicta ecclesia Annuntiationis B. MARIAE habuit, ita quoque inibi eorumdem scholarium primaria Congregatio seu primarium Sodalitium, sub titulo eiusdem Annuntiationis B. MARIAE, ad laudabile eorum in piis operibus et officiis huiusmodi studium, Nostris beneficiis et indulgentiarum praemiis conservandum ac augendum, stabiliatur et instituatur: pro parte ipsius Praepositi Nobis fuit humiliter supplicatum, ut praemissis annuere et desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, religiosum ipsorum scholarium in his spiritualibus exercitiis studium piae voluntatis affectu prosequi volentes, ipsumque Praepositum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes; nec non litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, in eadem ecclesia unam seu unum ex-

Primariae Congregationis institutio.

ternorum scholarium dicti Collegii Nostri, ac etiam aliorum Christi fidelium Societati praedictae devotorum, primariam Congregationem seu primarium Sodalitium sub titulo Annuntiationis B. MARIAE huiusmodi, quae seu quod per praedictum et pro tempore exsistentem Praepositum Generalem dictae Societatis, seu, illo defuncto, donec alius ad officium Praepositi Generalis huiusmodi canonice assumatur, per Vicarium etiam Generalem eiusdem Societatis dirigi debeat, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo, sine tamen ipsius Societatis praeiudicio, erigimus et instituimus.

Ut autem primaria Congregatio seu primarium Sodalitium huiusmodi, per gratiarum et munerum coelestium largitionem, devotionis ac pietatis iugiter proficiat incrementis; de omnipotentis DEI misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui deinceps in sodales eiusdem primariae Congregationis seu primarii Sodalitii recipientur, tam die receptionis eorum, si Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in praedicta ecclesia aut ubicumque potuerint eo die sumpserint, quam in mortis articulo; nec non ipsis ac omnibus et singulis aliis utriusque sexus Christi fidelibus, etiam vere poenitentibus et confessis sacraque communione refectis, qui ecclesiam praedictam die festivitatis eiusdem Annuntiationis B. MARIAE, a primis vesperis usque ad occasum solis ipsius festivitatis, devote visitaverint, et inibi pro reipublicae christianae conservatione et augmento, haeresum exstirpatione, Principumque christianorum mutua

Indulgentia plenaria pro sodalibus in ingressu et in mortis articulo.

Plenaria pro omnibus in die Annuntiationis

Plenaria sodalibus sexies in anno.

Indulgentia unius anni, toties quoties, pro sodalibus qui corpora defunctorum associaverint, vel, si impediti, pro eis aut pro infirmis oraverint,

Congregationibus, divinis officiis, exhortationibus interfuerint,

Missae sacrificio diebus feriatis interfuerint, conscientiam examinaverint, infirmos vel incarceratos visitaverint, vel pacem inter inimicos conciliaverint.

et universali pace, ac Nostra et pro tempore exsistentis Romani Pontificis prosperitate, vel alias preces, prout unicuique suggerit devotio, ad Deum devote effuderint; insuper eisdem sodalibus similiter vere poenitentibus et confessis, qui in Nativitatis et Ascensionis Domini nostri Iesu Christi, ac Annuntiationis, Assumptionis et Conceptionis nec non Nativitatis B. Mariae Virginis festis diebus, praedictum Sanctissimum Sacramentum ibidem vel alibi acceperint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem apostolica auctoritate et tenore praesentium misericorditer in Domino concedimus et elargimur. Ipsisque sodalibus, qui de eorum numero exsistentium, vel aliorum Christi fidelium defunctorum, corpora ad sepulturam ecclesiasticam associaverint; aut infirmi vel impediti, audito signo campanae genuflexi si per infirmitatem licebit, Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam pro salute animae defuncti vel corporis infirmi recitaverint; nec non qui Congregationibus tam publicis quam privatis, ac divinis officiis spiritualibusque colloquiis, exhortationibus et aliis piis officiis, etiam in sodalis seu aliorum Christi fidelium defunctorum suffragium, per primariam Congregationem seu primarium Sodalitium ordinandis, et ab ipso Praeposito seu Vicario Generali approbandis; quique diebus feriatis Missae sacrificio interfuerint, aut vespertino tempore, antequam cubent, conscientiam suam diligenter examinaverint; seu pauperes infirmos, tam sodales quam alios, in hospitalibus vel privatis domibus nec non carceratos visitaverint; aut pacem inter inimicos conciliaverint; quoties horum quodvis fecerint, unum annum de eis iniunctis vel alias quomodolibet debitis poenitentiis, apostolica auctoritate et tenore similibus etiam misericorditer in Domino relaxamus; quascumque alias, praesentibus non expressas, indulgentias et peccatorum remissiones etiam plenarias et relaxationes scholaribus et aliis praedictis, ratione dicti eorum instituti vel alias in communi per Nos et Sedem Apostolicam quomodolibet concessas, revocando et abrogando. Insuper ne praefati sodales, si aliquando eos ab ipsa Urbe abesse vel alibi commorari contingat, huiusmodi indulgentiarum et aliarum gratiarum spiritualium effectu et fructu frustrati remaneant: eisdem sodalibus extra Urbem ubivis locorum pro tempore commorantibus, ut in locis ubi eos pro tempore residere seu morari contigerit, opera praedicta quae ipsi sodales in Urbe praesentes pro singularum indulgentiarum, remissionum et relaxationum huiusmodi consecutione observare deberent, apud ecclesias eorumdem locorum aut alibi, prout poterunt, observando et exsequendo, omnes easdem indulgentias, remissiones et relaxationes habeant, et illae eis pariter suffragentur; nec non tam in Urbe praesentes, quam alibi ubivis locorum commorantes sodales primariae Congregationis seu primarii Sodalitii huiusmodi, qui singulis quadragesimalibus et aliis anni temporibus, ac diebus stationum ecclesiarum dictae Urbis et extra illius muros, quae a Christi fidelibus pro consequendis indulgentiis et remissionibus visitari solent, dictae Societatis, si ibi fuerit, alioquin aliam ecclesiam seu cappellam in locis ubi eos pro tempore residere seu morari conti-

Aliae indulgentiarum concessiones revocantur.

Sodales ubivis locorum possunt consequi praedictas indulgentias.

Indulgentiae stationum Urbis, visitantibus ecclesiam Societatis, ubi adsit, vel aliam quamcumque.

GREGORII XIII

5 Dec. 1584

gerit, ut praefertur, devote visitaverint, et ibi septies Orationem Dominicam et septies Salutationem Angelicam recitaverint, tot et easdem indulgentias consequantur, quas consequerentur, si iisdem temporibus et diebus singulas ecclesias dictae Urbis et extra illius muros huiusmodi, pro iisdem stationibus et indulgentiis consequendis deputatas, personaliter visitarent, ac omnia et singula, quae pro huiusmodi gratiarum consecutione quomodolibet requiruntur, plene adimplerent.

Facultas conceditur Generali Praeposito quascumque alias Congregationes in Collegiis extra Urbem erigendi et aggregandi,

Praeterea eidem Praeposito seu Vicario Generali pro tempore exsistenti, ut in quibusvis aliis dictae Societatis Collegiis extra Urbem praedictam per universum orbem nunc et pro tempore erectis, seu eorum ecclesiis, pro eorumdem piorum operum incremento, quascumque alias seu quaecumque alia scholarium ibidem litterarum studiis insistentium, et aliorum Christi fidelium ipsi Societati devotorum Congregationes seu Sodalitia sub eo titulo Annuntiationis B. MARIAE, quae ab ipsa primaria Congregatione seu primario Sodalitio tamquam membra a capite dependeant, auctoritate Nostra, sine tamen Societatis aut Collegiorum et ecclesiarum huiusmodi praeiudicio, erigere et instituere; illasque seu illa eidem primariae Congregationi seu primario Sodalitio aggregare; ac eis sic erectis, institutis et aggregatis, eorumque sodalibus, praedictas ac omnes et quascumque alias indulgentias, peccatorum remissiones, relaxationes, gratias et facultates tam spirituales quam temporales a Nobis dictaque Sede primariae Congregationi seu primario Sodalitio de caetero concedendas, ita ut sodales aliarum Congregationum seu aliorum Sodalitiorum huiusmodi, observantes et exsequentes ea, quae ipsius primariae Congregationis seu primarii Sodalitii sodales pro indulgentiis, remissionibus et relaxationibus huiusmodi consequendis observare et exsequi debent, easdem indulgentias, peccatorum remissiones et relaxationes pariter consequantur, facultate aggregandi et gratias huiusmodi aliis concedendi dumtaxat excepta, communicare: nec non tam primariam seu primarium, quam omnes et singulas ei aggregandas Congregationes seu omnia et singula ei aggreganda Sodalitia huiusmodi, per se vel alium seu alios eiusdem Societatis Presbyteros idoneos ad id ab eo deputandos, visitare, et pro earum felici statu, regimine et directione quaecumque statuta, constitutiones et decreta, licita tamen et honesta sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis non contraria, nec non ab ipso Praeposito seu Vicario, si per alium vel alios deputandos huiusmodi fiant, examinanda et approbanda edere; ac postquam edita fuerint, quoties pro eorum et temporum qualitate aut alias expediens ei videbitur, immutare, corrigere, moderari et reformare, aut alia ex integro condere libere et licite valeat, eisdem auctoritate apostolica et tenore perpetuo concedimus et indulgemus: decernentes statuta, constitutiones et decreta huiusmodi, postquam edita, immutata, correcta, moderata, reformata et condita fuerint, ab omnibus sodalibus praedictis inviolabiliter observari debere; ac praesentes litteras sub quibuscumque similium vel dissimilium indulgentiarum et aliarum gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus et aliis

aggregatis quaevis Primariae indulta et indulgentias concedendi,

Congregationes visitandi,

Statuta condendi,

examinandi, approbandi.

Praesentes litteras non comprehendi sub quibusvis aliis, etiam Cruciatae sanctae, concessionum revocationibus.

GREGORII XIII

5 Dec. 1584

contrariis dispositionibus, etiam in favorem basilicae Principis Apostolorum de Urbe, seu Cruciatae sanctae, aut alias per Nos vel alios Romanos Pontifices successores Nostros aut dictam Sedem, etiam motu proprio et ex certa scientia, apostolicae potestatis plenitudine, seu ad quorumvis etiam Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum et aliorum Principum instantiam, pro tempore quomodolibet factis, minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie redintegratas ac de novo concessas esse et censeri, nec non omnibus quos illae concernunt suffragari debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus praemissis, et Nostra de indulgentiis ad instar non concedendis, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Transsumptis habeatur fides.

Volumus autem, ut earumdem praesentium transsumptis, etiam impressis, Secretarii ipsius Societatis vel Notarii publici manu, et personae alicuius in dignitate ecclesiastica constitutae, vel pro tempore exsistentis Praepositi aut Vicarii Generalis eiusdem Societatis sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginan Nostrae absolutionis, erectionis, institutionis, concessionis, elargitionis, relaxationis, indulti, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDLXXXIV, nonis Decembris, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Pro Reverendiss. D. Summatore,
A. Iustus.
Io. Baptista Canobius.
A. de Alexiis.

Registrata apud Io. Baptistam Secretarium.

SIXTI V

EXTENSIO FACULTATIS ERIGENDI CONGREGATIONES

SCHOLARIUM IN COLLEGIIS, PRIMARIAEQUE ROMANAE AGGREGANDI

AC INDULGENTIAS EIS COMMUNICANDI,

AD ALIAS NON SCHOLARIUM, ETIAM IN DOMIBUS ERIGENDAS, CONGREGATIONES.

SIXTUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

SIXTI V

Superna dispositione, cuius inscrutabili providentia ordinationem suscipiunt universa, in supereminenti apostolicae dignitatis specula meritis licet imparibus constituti; et pia et salubria Christi fidelium vota, quae ad Confraternitatum seu Sodalitatum, praesertim in hac Urbe Nostra rite institutarum, laudem et gloriam, cum animarum salute tendere dignoscuntur, libenter exaudimus, ipsasque Confraternitates seu Sodalitates condignis titulis extollimus, ac alias desuper disponimus, prout in Domino conspicimus eisdem Christi fidelibus salubriter expedire.

Concessio Gregorii XIII.

Alias siquidem pro parte dilecti filii Claudii Aquavivae Praepositi Generalis Societatis Iesu, fel. rec. Gregorio Papae XIII praedecessori Nostro exposito, externos scholares ad Collegia eiusdem Societatis in diversis mundi partibus instituta studiorum causa confluentes, pia quaedam et laudabilia scholarium Collegii praedictae Societatis de Urbe exercitia ferventi studio incitari; exindeque dictis Collegiis maiorem in dies propagationem accipientibus, multiplices fructus ad Dei gloriam, ac eius Divini Nominis cultum, et B. Mariae Virginis honorem, publicam salutem et animarum spiritualem consolationem provenire coepisse: idem praedecessor, ad laudabile eorumdem scholarium in piis operibus et officiis huiusmodi studium conservandum atque augendum, dicti Claudii Praepositi supplicationibus inclinatus, in ecclesia Annuntiationis eiusdem B. Mariae sita in corpore aedificiorum dicti Collegii Urbis, (in qua ab eiusdem Collegii scholaribus sub illius Rectoris et aliorum dictae Societatis Religiosorum directione instructis, tam piarum et fructuosarum exercitationum institutum primordium suum habuerat) unam seu unum externorum scholarium dicti Collegii, ac cum eis simul etiam aliorum Christi fidelium Societati praedictae devotorum primariam Congregationem seu primarium Sodalitium, sub titulo eiusdem Annuntiationis B. Mariae per dictum Claudium tunc et pro tempore exsistentem Praepositum Generalem, vel eo absente aut esse desinente donec novus succederet, Vicarium etiam Generalem dictae Societatis, dirigendam seu dirigendum, sine tamen ipsius Societatis praeiudicio, apostolica auctoritate perpetuo erexit et in-

5 Ian. 1587

Primariae Congregationis per Gregorium erectio.

Indulgentiarum concessio.

Facultas Congregationes alias erigendi, ac Primariae aggregandi,

stituit; pluresque indulgentias etiam plenarias et peccatorum remissiones scholaribus et Christi fidelibus praedictis concessit; ac Praeposito seu Vicario praedicto, ut in quibusvis aliis dictae Societatis Collegiis, extra dictam Urbem, per universum orbem tunc et pro tempore erectis et erigendis, sive eorum ecclesiis, pro dictorum piorum operum incremento et animarum salute, quascumque alias sive alia scholarium inibi bonarum litterarum studio insistentium, ac simul cum eis etiam aliorum Christi fidelium, ut praefertur, devotorum, Congregationes sive Sodalitia sub eodem titulo, in singulis scilicet Collegiis singulas seu singula, quae a primaria Congregatione seu primario Sodalitio praedicto tamquam membra a capite suo dependerent, erigere et instituere; illasque seu illa eidem primariae Congregationi seu primario Sodalitio aggregare; illisque sic erectis et aggregatis, eorumque sodalibus, praedictas et quascumque alias indulgentias et peccatorum remissiones, relaxationes, gratias et facultates, ab eodem praedecessore et Sede Apostolica ipsi primariae Congregationi seu primario Sodalitio eatenus concessas et de caetero concedendas, communicare, et alia facere posset itidem etiam perpetuo concessit et indulsit sub certis modo et forma tunc expressis, prout in litteris ipsius praedecessoris desuper confectis plenius continetur.

Primariae indulgentias aggregatis Congregationibus communicandi.

Petitio.

Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Claudii Praepositi petitio continebat, ex Congregationibus seu Sodalitiis huiusmodi novi in dies, atque eo maiores quo plures sunt sodales, fructus provenire noscantur; et in multis Collegiis, pro sodalium frequentia ac disparitate, opus fuerit non unam tantum, sed plures in eodem Collegio Congregationes huiusmodi instituere; quin etiam in eisdem Collegiis ac etiam Domibus dictae Societatis alia non studiosorum scholarium, sed aliorum piorum Christi fidelium Sodalitia seu Congregationes passim instituantur: ut igitur tam scholares quam caeteri Christi fideles eo promptiores ad huiusmodi Congregationes vel Sodalitia ingredienda reddantur, et ad piorum operum exercitia magis excitentur, ac excitati manu teneantur, quo amplioribus coelestis gratiae donis se ac eorum Congregationes seu Sodalitia decoratas ac refectas ac decorata et refecta esse conspexerint; pro parte dicti Claudii Praepositi Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus sibi ac pro tempore exsistenti praedictae Societatis Praeposito seu Vicario Generali, ut in quibusvis dictae Societatis ecclesiis seu Domibus ac Collegiis, tam in Urbe quam extra eam per universum orbem nunc et pro tempore erectis seu erigendis, quasvis alias, sive scholarium tantum, sive aliorum Christi fidelium tantum, sive utrorumque simul, tam sub eodem B. Mariae Annuntiatae quam alio quovis titulo et invocatione, Congregationes seu Sodalitia, dicta auctoritate perpetuo erigendi et instituendi facultatem et licentiam concedere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod litterae super indulgentiis non expedirentur ad instar, nisi specificarentur; ac animarum salutem, nostris potissimum temporibus, sinceris desideramus affectibus: Claudium Praepositum seu Vicarium

SIXTI V — 5 Ian. 1587

praedictum ac eorum quemlibet, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, posterioribus supplicationibus hac in parte Nobis porrectis inclinati, eidem Claudio et pro tempore exsistenti dictae Societatis Praeposito seu Vicario Generali, ut in quibusvis eiusdem Societatis ecclesiis seu Domibus ac Collegiis, tam in dicta Urbe quam extra eam per universum orbem nunc et pro tempore erectis seu erigendis et instituendis, quasvis alias, sive scholarium tantum, sive aliorum Christi fidelium tantum, sive utrorumque simul, tam sub eodem B. Mariae Annuntiatae quam alio quovis titulo et invocatione, Congregationes seu Sodalitia, unum scilicet vel plura in singulis locis vel ecclesiis, pro personarum frequentia seu qualitate, auctoritate Nostra sine alicuius praeiudicio, perpetuo erigere et instituere; nec non Congregationes seu Sodalitia huiusmodi iam nunc et pro tempore erecta et instituta, eidem primariae Congregationi seu primario Sodalitio auctoritate apostolica et vigore praesentium litterarum etiam perpetuo aggregare; eisque sic erectis, institutis et aggregatis respective, eorumque sodalibus, scholaribus et non scholaribus, omnes et singulas tam plenarias quam alias indulgentias et peccatorum remissiones ac relaxationes, nec non exemptiones, immunitates, caeterasque gratias, facultates, indulta et privilegia spiritualia et temporalia, tam dictae primariae

Praecedentis facultatis extensio ad plures etiam non scholarium Congregationes in quibusvis Societatis locis erigendum,

aggregandum,

aggregatis, Primariae et aliarum Congregationum indulgentias comunicandum et concedendum.

quam singulis aliis, in quibusvis dictae Societatis Collegiis vel Domibus aggregatis vel aggregandis scholarium et aliorum Congregationibus seu Sodalitiis, hactenus tam per dictum quam alios quoscumque Romanos Pontifices, praedecessores Nostros, Nosque et Sedem Apostolicam, ac etiam regia et imperiali auctoritate, ac tam per viam extensionis quam alias quomodolibet et quandocumque concessas et concessa hactenus ac in posterum concedenda, quibuscumque aliis, sive scholarium dumtaxat, sive aliorum Christi fidelium tantum, sive utrorumque simul ac mixtim, Congregationibus seu Sodalitiis in quibuslibet Collegiis aut Domibus dictae Societatis hucusque institutis ac in posterum instituendis, eorumque sodalibus scholaribus et non scholaribus, auctoritate apostolica et vigore praesentium huiusmodi etiam perpetuo communicare, illasque et illa ad easdem omnes Congregationes seu Sodalitia, eorumque sodales etiam non scholares, indifferenter et aeque principaliter extendere, ac etiam illis concedere et elargiri libere et licite valeat; ita quod nunc, et quandocumque in futurum ipsi sodales scholares et non scholares, quicumque sint, faciendo et observando ea quae sodales primariae et aliarum Congregationum seu Sodalitiorum praedictorum, pro indulgentiis, peccatorum remissionibus, relaxationibus et aliis gratiis praedictis consequendis, facere et exsequi tenentur, ipsas indulgentias etiam plenarias et alias huiusmodi gratias plenarie et integre consequantur, ac illis fruantur et potiantur, ac si illae eis specialiter et ab initio concessae fuissent, auctoritate apostolica, tenore praesen-

tium perpetuo indulgemus: - Dictique Gregorii praedecessoris litteras, immunitates, exemptiones et facultates, privilegia et indulta, nec non in eis contenta quaecumque, tam respectu dictarum Congregationum seu Sodalitiorum huiusmodi, quam dicti et pro tempore exsistentis Praepositi seu Vicarii Generalis dictae Societatis, ad praedictas Congregationes seu Sodalitia scholarium et non scholarium, etiam Christi fidelium quorumcumque, tam erectas quam in posterum, ut praefertur, erigendas, instituendas ac aggregandas, pariter perpetuo extendimus: ita ut omnia in illis contenta et praesentibus litteris huiusmodi concessa, indulta et elargita, ac si specialiter de verbo ad verbum eisdem praesentibus inserta, eorumque toti tenores expressi forent, concessa esse intelligantur.

Decernentes, easdem praesentes litteras sub quibuscumque similium vel dissimilium indulgentiarum vel aliarum gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus, etiam in favorem basilicae Principis Apostolorum de dicta Urbe, seu Cruciatae sanctae, aut etiam per Nos seu alios Romanos Pontifices praedecessores Nostros ac dictam Sedem, etiam motu proprio, etiam potestatis plenitudine, seu ad quorumvis Imperatorum et Regum instantiam pro tempore quomodolibet factis, minime comprehendi; sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie redintegratas ac de novo concessas esse et censeri debere: irritumque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, ac voluntate Nostra praedicta, nec non constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Generalis potest Congregationes dissolvere.

Volumus autem, quod si dictae Congregationes aut Sodalitia vel eorum quaecumque aliquo modo eidem Societati vel Domibus seu Collegiis aliquod impedimentum seu praeiudicium pro tempore attulerint, idem Praepositus seu Vicarius illas vel illa, aut eorum singulas vel singula, dissolvere possit; quodque praesentium transsumptis etiam impressis, manu Secretarii ipsius Societatis aut Notarii publici subscriptis, et personae alicuius in dignitate ecclesiastica constitutae, seu ipsius Praepositi aut Vicarii Generalis pro tempore exsistentis eiusdem Societatis sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in iudicio et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Transsumptis habeatur fides.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, indulti, extensionis, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, an. Incarnationis Dominicae MDLXXXVI nonis Ianuarii, Pontificatus Nostri anno secundo.

Anno civili 1587.

A. Brigantius.
Pontius Scaeva.

Quibus omnibus et singulis praemissis, tamquam rite, recte et legitime factis auctoritatem et decretum dictae Curiae atque nostram interponendam du-

SIXTI V

ximus et interposuimus, prout interponimus praesentium per tenorem. In quorum omnium et singulorum fidem, praemissorumque robur et testimonium, praesentes nostras exinde fieri per Notarium nostrum publicum infra scriptum subscribi et publicare sigillique rev. Camerae apost. quo in talibus utimur, iussimus et fecimus impressione muniri.

Datum Romae, in palatio nostro iudiciali, hora vesperorum audientiae causarum consueta, sub anno a Nativitate Domini N. Iesu Christi MDLXXXVII, *Indict. decima quinta, die vero vigesimo sexto mensis Augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Sixti divina providentia Papae* V *anno tertio. Praesentibus ibidem Dominis Io. Iacobo de Fabiis et Marco Antonio Bruto eiusdem nostrae Curiae Notariis, testibus ad praemissa omnia et singula vocatis, habitis specialiter atque rogatis.*

5 Ian. 1587

SIXTI V

FACULTAS ERIGENDI CONGREGATIONES

IN ECCLESIIS, DOMIBUS ET COLLEGIIS SOCIETATIS AC SEMINARIIS ET LOCIS SUB ILLIUS GUBERNIO EXSISTENTIBUS, ET PRIMARIAE ROMANAE AGGREGANDI, INDULGENTIASQUE ILLIS COMMUNICANDI AC EAS TRANSFERENDI, CONFIRMATUR ET DE NOVO CONCEDITUR.

SIXTUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

SIXTI V

ROMANUM DECET PONTIFICEM cum de gratiis per eum et Sedem Apostolicam, pro Christi fidelium divinae Maiestatis obsequiis et piorum operum exercitiis vacantium, animarum salute ac religionis devotionisque et divini cultus incremento concessis, dubitari contingit, illas suae provisionis adminiculo elucidare, ac dubitationis huiusmodi causam tollere, et alias desuper opportune providere, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Primordia Congregationis studiosorum.

Dudum siquidem, postquam fel. rec. Gregorius Papa XIII, praedecessor Noster, acceperat, quod plerique probi et pii adolescentes bonarum litterarum studiis in Collegio suo Societatis IESU de Urbe insistentes, singulari erga Beatissimam MARIAM Virginem DEI Genitricem affectu ducti, etiam Lectorum et Magistrorum suorum spiritualibus exhortationibus ad id accensi, ecclesiam Annuntiationis eiusdem B. MARIAE in corpore aedificiorum dicti Collegii consistentem, certis statutis diebus et horis frequentare, et cum eximia devotionis sinceritate cordisque contritione conscientiam suam per confessionem et Sanctissimae Eucharistiae ministerium expurgare, et divinis officiis, colloquiis et exhortationibus spiritualibus, aliisque piis et salutaribus operibus vacare soliti erant; factoque inde ad illorum exemplum maiore aliorum concursu, mutuis studiis se

29 Sept. 1587

Aliorum concursus.

SIXTI V

29 Sept. 1587

invicem consociaverant: cupiens, ut pium istud institutum per amplius coalesceret, eisdem et aliis Christi fidelibus, huiusmodi spiritualibus operibus et exercitiis pro tempore addictis, nonnullas indulgentias et peccatorum remissiones per quasdam concessit.

Primariae Congregationis per Gregorium XIII erectio.

Et deinde ipsi praedecessori, pro parte dilecti Claudii Aquavivae Praepositi Generalis dictae Societatis exposito, quod externi scholares ad Collegia dictae Societatis in diversis mundi partibus instituta studiorum causa confluentes, optima devotionis et piorum operum huiusmodi exercitia ferventi studio imitari, et exinde multiplices fructus ad Dei gloriam et eius divini Nominis cultum et B. Mariae Virginis honorem, nec non publicam salutem et animarum spiritualem consolationem provenire coeperant: dictus praedecesor ad laudabile eorumdem scholarium in piis operibus et officiis huiusmodi studium conservandum et augendum, supplicationibus eiusdem Claudii Praepositi ea in parte inclinatus, per alias suas, in eadem ecclesia unam seu unum externorum scholarium primordii Collegii, ac etiam aliorum Christi fidelium Societati praedictae devotorum, primariam Congregationem seu primarium Sodalitium sub titulo Annuntiationis B. Mariae huiusmodi, per dictum et pro tempore exsistentem Praepositum Generalem dictae Societatis, vel eo absente aut esse desinente, donec alius ad officium Praepositi Generalis huiusmodi canonice assumeretur, per Vicarium etiam Generalem eiusdem Societatis dirigendum seu dirigendam, perpetuo (sine tamen praeiudicio dictae Societatis) erexit et instituit.

Indulgentias varias concessit Gregorius XIII.

Omnibusque et singulis Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui de caetero in sodales eiusdem primariae Congregationis seu primarii Sodalitii reciperentur, tam die receptionis eorum, si Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in praedicta ecclesia aut ubicumque potuerint eo die sumerent, quam in mortis articulo; nec non ipsis ac omnibus et singulis aliis utriusque sexus Christi fidelibus, etiam vere poenitentibus et confessis sacraque communione refectis, qui ecclesiam praedictam die festivitatis eiusdem Annuntiationis B. Mariae, a primis vesperis usque ad occasum solis ipsius festivitatis, devote visitarent, et inibi pro reipublicae christianae conservatione et augmento, haeresum exstirpatione, Principumque christianorum mutua et universali pace, ac pro tempore exsistentis Romani Pontificis prosperitate, vel alias preces, prout unicuique suggereret devotio, ad Deum devote effunderent; nec non eisdem sodalibus, similiter vere poenitentibus et confessis, qui in Nativitatis et Ascensionis Domini nostri Iesu Christi, ac Annuntiationis, Assumptionis et Conceptionis nec non Nativitatis B. Mariae festis diebus, praedictum Sacramentum ibidem vel alibi sumerent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate praedicta concessit et elargitus est. Ipsisque sodalibus, qui de eorum numero exsistentium, vel aliorum Christi fidelium, corpora ad sepulturam ecclesiasticam associarent, aut infirmi vel impediti, audito signo campanae genuflexi, si per infirmitatem liceret, Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam pro salute animae defuncti, vel corporis infirmi, recitarent; nec non, qui Congregationibus tam publicis quam

privatis, ac divinis officiis, spiritualibusque colloquiis, exhortationibus et aliis piis officiis, etiam in sodalis seu aliorum Christi fidelium defunctorum suffragium, per primariam Congregationem seu primarium Sodalitium ordinandis et ab ipso Praeposito seu Vicario Generali approbandis; quique diebus feriatis Missae sacrificio interessent, aut vespertino tempore, ante quam cubarent, conscientiam suam diligenter examinarent; seu pauperes infirmos, tam sodales quam alios, in hospitalibus vel privatis domibus, nec non carceratos visitarent, aut pacem inter inimicos conciliarent, quoties eorum aliquod facerent, unum annum de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavit. Insuper, ne praedicti sodales, si aliquando eos ab ipsa Urbe abesse vel alibi commorari contingeret, huiusmodi indulgentiarum et aliarum gratiarum spiritualium effectu et fructu frustrati remanerent, eisdem sodalibus extra Urbem ubivis locorum pro tempore commorantibus, ut in locis ubi eos pro tempore residere seu morari contingeret, opera praedicta quae ipsi sodales in Urbe praesentes pro singularum indulgentiarum, remissionum et relaxationum huiusmodi consecutione observare deberent, apud ecclesias eorumdem locorum, aut alibi prout possent, observando et exsequendo, omnes easdem indulgentias, remissiones et relaxationes haberent, et illae eis pariter suffragarentur; nec non tam in Urbe praesentes, quam alibi ubivis locorum commorantes, sodales primariae Congregationis seu primarii Sodalitii huiusmodi, qui singulis quadragesimalibus et aliis anni temporibus ac diebus stationum ecclesiarum dictae Urbis et extra illius muros, quae a Christi fidelibus pro consequendis indulgentiis et remissionibus visitari solent, dictae Societatis, si ibi forent, alioquin aliam ecclesiam seu cappellam, in locis ubi eos residere seu morari contingeret, ut praefertur, devote visitarent, et ibi septies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam recitarent, tot et easdem indulgentias consequi possent, quas consequerentur, si iisdem temporibus et diebus singulis ecclesias dictae Urbis et extra illius muros huiusmodi pro iisdem stationibus et indulgentiis consequendis deputatas, personaliter visitarent, ac omnia et singula, quae pro huiusmodi gratiarum consecutione quomodolibet requiruntur, plene adimplerent.

Facultas Congregationes alias in Collegiis Societatis extra Urbem erigendi, ac primariae aggregandi,

Praeterea, eidem Claudio et pro tempore exsistenti Praeposito seu Vicario Generali, ut in quibusvis aliis dictae Societatis Collegiis extra Urbem praedictam per universum orbem tunc et pro tempore erectis, seu eorum ecclesiis, pro eorumdem piorum operum incremento, quascumque alias seu quaecumque alia scholarium ibidem litterarum studiis insistentium, et aliorum Christi fidelium ipsi Societati devotorum, Congregationes seu Sodalitia sub eo titulo Annuntiationis B. Mariae, quae ab ipsa primaria Congregatione seu primario Sodalitio tamquam membra a capite dependerent, auctoritate praedicta (sine tamen Societatis aut Collegiorum et ecclesiarum huiusmodi praeiudicio) erigere et instituere; illasque seu illa eidem primariae Congregationi seu primario Sodalitio aggregare, ac eis sic erectis, institutis et aggregatis, eorumque sodalibus,

et communicandi indulgentias primariae concessas.

praedictas ac omnes et quascumque alias indulgentias, peccatorum remissiones, relaxationes, gratias et facultates, tam spirituales quam temporales, ab eodem praedecessore dictaque Sede primariae Congregationi seu primario Sodalitio eatenus concessas et de caetero concedendas, ita ut sodales aliarum Congregationum seu aliorum Sodalitiorum huiusmodi observantes et exsequentes ea, quae ipsius primariae Congregationis seu primarii Sodalitii sodales, pro indulgentiis, remissionibus et relaxationibus huiusmodi consequendis, observare et exsequi debebant, easdem indulgentias, peccatorum remissiones et relaxationes pariter consequerentur, facultate aggregandi et gratias huiusmodi aliis concedendi dumtaxat excepta, communicare; nec non tam primariam seu primarium quam omnes et singulas ei aggregandas Congregationes seu omnia et singula ei aggreganda Sodalitia huiusmodi, per se vel alium seu alios eiusdem Societatis Presbyteros idoneos ad id deputandos, visitare, et pro earum felici statu, regimine et directione, quaecumque statuta, constitutiones et decreta, licita tamen et honesta sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis non contraria, nec non ab ipso Praeposito seu Vicario, si per alium vel alios deputandos huiusmodi fierent, examinanda et approbanda, edere, ac postquam edita forent, quoties pro eorum et temporum qualitate aut alias expediens videbitur, immutare, corrigere, moderari et reformare, aut alia ex integro condere libere et licite valeret, auctoritate praedicta concessit et indulsit; ac statuta et constitutiones et decreta huiusmodi, postquam edita, immutata, correcta, moderata, reformata et condita forent, ab omnibus sodalibus praedictis inviolabiliter observari debere; nec non secundo dictas litteras, sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus, etiam in favorem basilicae Principis Apostolorum de Urbe, seu Cruciatae sanctae, aut alias, per dictum praedecessorem vel alios Romanos Pontifices successores suos aut Sedem Apostolicam, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, seu ad quorumvis Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum et aliorum Principum instantiam pro tempore quomodolibet factis, minime comprehendi; sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanarent toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie redintegratas esse et censeri; ac omnibus, quos illae concernerent, suffragari debere; nec non, si secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contingeret, irritum et inane decrevit.

item statuta condendi.

Extensio praecedentis facultatis ad plures, etiam non scholarium, Congregationes in quibusvis Societatis locis erigendum.

Et successive Nos, nuper per reliquas Nostras litteras, eidem Claudio et pro tempore exsistenti Praeposito seu Vicario huiusmodi, ut in quibusvis eiusdem Societatis ecclesiis seu Domibus ac Collegiis, tam in dicta Urbe quam extra eam per universum orbem nunc et pro tempore erectis seu erigendis et instituendis, quasvis alias, sive scholarium tantum, sive aliorum Christi fidelium tantum, sive utrorumque simul, tam sub eodem B. Mariae Annuntiatae, quam alio quovis titulo et invocatione, Congregationes seu Sodalitia, unum scilicet seu plura in singulis locis vel eccle-

SIXTI V

29 Sept. 1587

siis pro personarum frequentia seu qualitate, auctoritate Nostra, sine alicuius praeiudicio, perpetuo erigere et instituere, illasque seu illa, postquam erectae seu erecta forent, eidem primariae Congregationi seu primario Sodalitio aggregare, nec non illis eorumque sodalibus scholaribus et non scholaribus, omnes et singulas, tam plenarias quam alias, indulgentias et peccatorum remissiones ac relaxationes, nec non exemptiones, immunitates, caeterasque gratias, facultates, indulta et privilegia spiritualia et temporalia, tam primariae seu primario huiusmodi, quam singulis aliis in quibusvis dictae Societatis Collegiis vel Domibus aggregatis vel aggregandis scholarium et aliorum Congregationibus seu Sodalitiis, hactenus tam per dictum quam quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores Nostros ac Nos et Sedem praedictam, ac etiam imperiali et regia auctoritate, nec non tam per viam extensionis quam alias quomodolibet et quandocumque concessas et concessa eatenus, et in posterum concedenda, quibuscumque aliis, sive scholarium dumtaxat, sive aliorum Christi fidelium tantum, aut scholarium et Christi fidelium simul ac mixtim, Congregationibus seu Sodalitiis, in quibuslibet Collegiis aut Domibus dictae Societatis eo usque institutis, ac in posterum instituendis, eorumque sodalibus scholaribus et non scholaribus communicare; illasque et illa ad Congregationes seu Sodalitia, earumque seu eorum sodales etiam non scholares indifferenter et aeque principaliter extendere, ac etiam illis concedere et elargiri libere et licite valeret: ita, quod ex tunc de caetero, ipsi sodales scholares et non scholares quicumque essent, faciendo et observando ea, quae sodales primariae seu primarii et aliarum seu aliorum Congregationum aut Sodalitiorum huiusmodi, pro indulgentiis, remissionibus, relaxationibus et aliis gratiis praedictis consequendis facere et exsequi tenebantur, ipsas indulgentias etiam plenarias et alias huiusmodi gratias, plenarie et integre consequerentur, illisque fruerentur et potirentur, ac si illae eis specialiter et ab initio concessae fuissent, auctoritate apostolica praedicta perpetuo indulsimus. Nec non praedicti Gregorii praedecessoris litteras et in eis contenta quaecumque, tam respectu Congregationum seu Sodalitiorum huiusmodi, quam dicti Claudii et pro tempore exsistentis dictae Societatis Praepositi seu Vicarii Generalis, ad Congregationes seu Sodalitia scholarium et aliorum quorumcumque Christi fidelium non scholarium, tam erectas seu erecta quam in posterum erigendas seu erigenda ac aggregandas seu aggreganda, similiter perpetuo extendimus et ampliavimus, prout in singulis litteris praedictis plenius continetur.

aggregandum,

et aggregatis, indulgentias communicandum.

Petitio.

Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Claudii Praepositi petitio continebat, a nonnullis dubitetur, utrum ipse et pro tempore exsistens dictae Societatis Praepositus seu Vicarius Generalis, vigore Nostrarum dictarum litterarum et per eas sibi concessae facultatis, possit etiam Congregationes seu Sodalitia personarum, quae in Collegiis seu Seminariis vel aliis locis sub directione et institutione aut gubernio ipsius Societatis vel personarum illius degunt et morantur, praesertim earum, quae per Nos et praedecessores Nostros Romanos Pontifices ac Sedem

praedictam et eius Nuntios vel Legatos instituta vel ordinata sunt, de novo erigere, instituere, aggregare, ac indulgentias et alias gratias, quibus aliae seu alia Congregationes seu Sodalitia potiuntur et gaudent ac in futurum potientur et gaudebunt, communicare: pro parte eiusdem Claudii Praepositi Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. — Nos omnem dubitandi materiam circa praemissa quomodolibet insurgentem tollere cupientes, ac ipsum Claudium Praepositum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes; nec non singularum litterarum praedictarum etiam veriores et totos tenores, illarumque emanationis causas et occasiones, praesentibus pro expressis habentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Claudio et pro tempore exsistenti dictae Societatis Praeposito seu Vicario Generali, ut quascumque seu quaecumque Congregationes seu Sodalitia, unam seu unum vel plures seu plura, dictarum personarum in singulis Collegiis, Domibus, seu Seminariis vel locis sub directione, gubernio, administratione vel institutione ipsius Societatis Iesu seu illius personarum exsistentibus, vel ab ea dependentibus, sub quovis titulo seu invocatione, modo praemisso ac sine eiusdem Societatis Iesu praeiudicio etiam de novo erigere et instituere, illasque seu illa, postquam erectae vel erecta fuerint et etiam alias iam erectas et institutas, eidem primariae seu primario Congregationi vel Sodalitio aggregare, nec non illis omnes et quascumque gratias, indulgentias etiam plenarias, et peccatorum remissiones, privilegia, immunitates et indulta, eidem primariae seu primario Congregationi seu Sodalitio, et aliis, tam apostolica, imperiali et regia, quam quavis alia auctoritate concessa et in posterum concedenda communicare, concedere et elargiri libere et licite valeat, licentiam et facultatem omnimodam, apostolica auctoritate praedicta, tenore praesentium perpetuo concedimus. Nec non singulas litteras praedictas et in eis contenta quaecumque, ad Congregationes seu Sodalitia in dictis Seminariis, Domibus seu Collegiis aliisque locis, sub directione, gubernio, administratione vel institutione eiusdem Societatis seu illius personarum exsistentibus, vel ab eis quomodolibet dependentibus, in omnibus et per omnia, auctoritate et tenore praedictis etiam perpetuo extendimus et ampliamus.

Confirmatur, iterumque conceditur facultas Generali, etiam in Seminariis et locis sub Societatis gubernio exsistentibus, denuo erigendi sub quovis titulo,

Primariae Romanae aggregandi, et indulgentias communicandi Primariae et aliis concessas.

Et insuper de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, indulgentias et peccatorum remissiones et relaxationes, Congregationibus seu Sodalitiis huiusmodi sub invocatione eiusdem Annuntiationis B. Mariae erectis et erigendis, pro illarum vel illorum personis in festo Annuntiationis, huiusmodi ecclesias vel cappellas visitantibus, concessas, omnibus et singulis Congregationibus seu Sodalitiis, quae sub quacumque alia invocatione seu titulo erectae vel institutae seu erecta vel instituta sunt, seu in posterum erigentur et in-

SIXTI V

Si festum transferri contigerit, etiam transferri possunt indulgentiae.

stituentur, pro eorum seu earum personis visitantibus ecclesias, cappellas, oratoria seu loca in quibus erunt in die festivitatis seu solemnitatis, invocationis seu tituli sub qua seu quo institutae sunt vel in posterum instituentur, ita quod in eventum, in quem officium eiusdem Annuntiationis seu cuiusvis alterius festi seu tituli invocationis Congregationum seu Sodalitiorum huiusmodi transferri contigerit, indulgentiae praedictae similiter in diem translationis huiusmodi arbitrio Superioris loci dictae Societatis transferri possint, auctoritate apostolica et tenore praedictis similiter perpetuo concedimus et elargimur.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus praemissis ac Nostra, quatenus opus sit, de indulgentiis ad instar non concedendis, et aliis apostolicis constitutionibus, nec non omnibus illis quae Nos in Nostris, et dictus Gregorius praedecessor in suis litteris praedictis, voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut earumdem praesentium transsumptis etiam impressis, Secretarii ipsius Societatis et Notarii publici manu, et personae alicuius in dignitate ecclesiastica constitutae vel pro tempore exsistentis Praepositi aut Vicarii Generalis eiusdem Societatis sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae. 29 Sept. 1587

Transsumptis habeatur fides.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, extensionis, ampliationis, concessionum, elargitionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Marcum, an. Incarnationis Dominicae MDLXXXVII, tertio kal. Octobris, Pontificatus Nostri anno tertio.

R. Bergerius.

GREGORII XIV

CONSTITUTIO, QUA SOCIETATIS INSTITUTUM ET RATIO GUBERNANDI CONFIRMANTUR; ET NE QUID CONTRA HAEC A QUOQUAM TENTETUR, GRAVITER INTERDICITUR.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

GREGORII XIV

Ecclesiae catholicae, cui Deo auctore praesumus, decor atque utilitas postulat, ut, cum in omnibus illius membris fovendis atque ornandis assidue Nobis laborandum sit, 28 Iun. 1591
in illa tamen praecipuam vigilantiae Nostrae partem impendere debeamus, quae non modo ipsa per se robur ac pulchritudinem corpori huic mystico

afferunt, sed caeteras etiam eiusdem partes, vel disruptas consolidare, vel integras custodire, vel foedatas eluere atque etiam ornare valeant. Inter haec autem quem locum obtineant Religiosi Ordines, praesertim vero qui proximorum utilitati deserviunt, non obscure perspicimus, cum et superiora tempora et praesentia diligenter attendimus.

Societas commendatur.

In his vero Religio Societatis Iesu, quam novissimis hisce diebus divina providentia excitavit, adeo strenue laboravit ac sine intermissione laborat, ut illius vel turbationem et infirmitatem ad commune Ecclesiae damnum, vel pacem atque integritatem ad eiusdem utilitatem maxime pertinere putemus. Et quoniam neque tranquillitati neque firmitati huiusmodi Ordinum prospectum esse poterit, nisi eorum instituta firmiter inconcussa serventur, iisdemque modis feliciter progrediantur et crescant quibus a fundatoribus, Domino inspirante atque hac Sancta Sede approbante, primum fundati sunt: necessarium duximus, ea quae ab Ignatio huius Ordinis fundatore ordinata, et a praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus circa eiusdem Societatis Institutum sancita sunt, apostolicae firmitatis munimine denuo roborare.

Regulares Ordines eisdem modis crescere debent quibus fundati sunt.

Summorum Pontificum Instituti Societatis approbationes.

Quamvis enim praefatae Societatis Institutum iam inde ab eius primordiis fuerit per fel. rec. Paulum III et Iulium etiam III, Romanos Pontifices praedecessores Nostros, approbatum, et a fel. rec. Gregorio XIII, etiam praedecessore Nostro, primo per eius quasdam litteras sub datum kal. Februarii Pontificatus eius anno undecimo, deinde copiosius per constitutionem quae incipit Ascendente domino, confirmatum: nihilominus tamen non idcirco defuerunt, qui adhuc sub zeli et boni specie, aliqua ex iis quae in dictis pontificiis approbationibus et confirmationibus continentur, et alia etiam quae ad Institutum et rationem gubernandi dictae Societatis pertinent, variis modis impugnare, quin etiam apud piae mem. Sixtum Papam V, praedecessorem item Nostrum, oblatis libellis et variis excogitatis modis traducere et calumniari, atque ut ea quae consultissime sancita erant infringerentur conari veriti non fuerint, instantes scilicet, ut res et negotia Societatis non per Superiores, ut hactenus iuxta illius Constitutiones et apostolica diplomata factum est, sed per Capitula seu Congregationes definiantur; ut electiones tam Provincialium quam Superiorum localium non a Praeposito Generali iuxta huiusmodi Constitutiones ac diplomata, sed in Capitulis eisdem fiant; ut Novitii in Societatem et ad vota Scholasticorum, peracto biennio Novitiatus, in Capitulis eisdem admittantur; ut Professioni certum ac praefixum tempus statuatur, quo exacto, per suffragia Congregationis Religiosi huiusmodi ad Professionem admittantur; ut qui, iuxta Institutum ac formulam ipsam votorum qua voverunt Sanctaeque huius Sedis approbationem, a Societate dimittuntur, non nisi ordinarii iudicii forma servata dimittantur. Illa etiam in controversiam et examen eodem tempore adducta fuere: nempe, nomen ipsum Societatis Iesu, quod non esset ita deinceps vocanda; Religiosos non Professos non debere ad sacros ordines promoveri; huiusmodi Religiosos non esse prohibendos, quin ad alios regulares Ordines transire; similiter nec laicos ut ad Sacerdotium, nec alios non Professos ut

Impugnantium inventa et praesumptiones.

Quaedam in dubium vocata.

GREGORII XIV

28 Ian. 1591

ad Professionem aut ad gradus mutationem aspirare possint; facultatem praeterea eos, qui Professi non sunt, dimittendi, non probari. Quibus et huiusmodi aliis novis impugnantium inventis si aditus pateret, universa Societatis structura labefactaretur atque convelleretur.

Nos igitur, huiusmodi impugnationibus diligenter consideratis, et perpenso, circa reliqua quae in controversiam et examen deducta fuerant, nonnullorum venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium iudicio, qui ex mandato eiusdem Sixti praedecessoris illa accurate discusserant et examinaverant; simul etiam perpendentes, primum quidem, quod modus ille, res et negotia per Capitula definiendi, optimum Societatis ordinem ac universam gubernandi rationem prorsus everteret (illam enim Ignatius fundator, quamvis Superiorum consilium prudentiamque ac rerum experientiam adiuvare et promovere curaverit, adhibitis scilicet tam Generali Praeposito quam singulis aliis Superioribus tum provincialibus tum localibus, suis ex selectioribus Consiliariis atque Admonitoribus, monarchicam tamen, et in definitionibus unius Superioris arbitrio contentam esse decrevit); deinde quod ratio capitularium electionum maxima ipsi Societati afferret incommoda, in qua licet electiones quaedam primariae, cuiusmodi sunt Generalis Praepositi ac illius Assistentium et Admonitoris in generalibus Congregationibus, in provincialibus vero, tam eorum qui Generalem Praepositum eligere vel generali ipsi Congregationi cum iure suffragii interesse, quam Procuratorum etiam, qui e singulis Provinciis quolibet triennio in Urbem ad Procuratorum Congregationem mittuntur, et eiusmodi quaedam aliae electiones per secreta scrutinia et decisiva suffragia fiant; in reliquis nihilominus proprii cuiusque gradus iudicium, et officiorum discretio ac distributio, iuxta Constitutiones easdem et apostolica diplomata ipsius Instituti confirmatoria praedictorum Pauli III ac Iulii etiam III, praedecessorum Nostrorum, tota est in ipsius Praepositi Generalis manu (quam Praepositi Generalis ac reliquorum illi subordinatorum Superiorum auctoritatem nonnulli impugnatores multis modi contrahere ac enervare tentarunt); denique quod in ipsorum dimissionibus, qui iuxta formulam votorum simplicium in Constitutionibus expressam voverunt, quosque in Societate retinere non expedit, nec contractus vitiose claudicet, nec ulla alia interveniat iniustitia; considerantes insuper, quod in regularis disciplinae ac spiritualis perfectionis non exiguum detrimentum, totiusque Ordinis perturbationem maximam atque perniciem vergeret, si ea quae a fundatoribus sancte statuta sunt, atque ab universo ipso Ordine saepius in illius generalibus Congregationibus recepta et approbata, et quod praecipuum est, ab hac Sancta Sede sancita et confirmata sunt, non solum mutari sed quocumque praetextu impugnari ac labefactari contingat: omni Nobis studio curandum esse duximus, eiusmodi novitatibus ac temerariis impugnantium praesumptionibus omnem aditum praecludere, ac Societatis indemnitati prospicere; ut hac ratione Societas ipsa, Nostro et Apostolicae Sedis praesidio munita, atque in sui Instituti puritate et regularis disciplinae integritate, quiete ac pace conservata, uberiores in dies fructus

Ratio gubernandi in Societate.

Primariae quaedam electiones in Congregatione fiunt.

Graduum discretio ac officiorum distributio est in manu Praepositi.

In simplicibus Societatis votis, nec contractus vitiose claudicat, nec iniustitia ulla intercedit.

in agro Domini pergat, ipso Domino adiuvante, alacriter absque impedimento proferre.

Nova Instituti, Constitutionum ac praemissorum omnium, et privilegiorum Societatis confirmatio.

Motu igitur proprio et ex certa scientia Nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, laudabile ipsius Societatis Institutum, Constitutionesque omnes ac statuta et decreta, et quae illud concernunt praemissa omnia et singula, praedictaque ac quaecumque alia eius privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias et indulta a praedictis seu etiam ab aliis praedecessoribus Nostris, etiam per communicationem, concessa, qualiacumque illa, ac si ad verbum praesentibus insererentur, pro expressis habentes, tenore praesentium approbamus et confirmamus; supplentes omnes iuris ac facti defectus, si qui intervenerunt in eisdem.

In Congregationibus procedatur iuxta Constitutiones et decreta.

Et nihilominus hac Nostra perpetuo valitura constitutione, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus statuimus, decernimus et ordinamus, ut in Societatis praedictae Congregationibus quibuscumque eo prorsus modo procedatur, atque ea tantum tractentur et definiantur, quae in Constitutionibus ac Congregationum generalium decretis statutum iam est, vel in posterum statuetur, ut in eisdem Congregationibus tractentur et definiantur.

Superiorum electio tota sit penes Praepositum.

Electio vero Superiorum, tam Provincialium et Visitatorum quam quorumcumque localium, tota sit penes Praepositum Generalem, iuxta Constitutiones easdem; prout penes ipsum esse et conservari districte praecipimus, cum potestate illorum facultatem revocandi, restringendi et etiam augendi, ac administrationis rationem ab illis exigendi et eosdem ab officio removendi, prout in Domino iudicaverit expedire.

Novitii ad Societatem, et Scholasticorum vota, per Superiores admittendi.

Novitios etiam, tam in eorum admissione ad Societatem quam ad Scholasticorum vota post biennium Novitiatus, iuxta Societatis morem, per Superiores admittendos esse;

Graduum discretio, et ad illos promotio, sit in manu Praepositi.

graduum etiam discretio et iudicium, ac Coadiutorum tam spiritualium quam temporalium, simulque et Professorum promotio, iuxta huiusmodi Constitutiones similiter sit in manu Praepositi Generalis.

Tempus promotionis ad huiusmodi gradus non sit determinatum.

Tempus autem promotionis ad huiusmodi gradus nullo modo volumus certum seu determinatum esse; sed Constitutiones ac diplomata praedicta, hac etiam in parte, omnino observari volumus et mandamus,

Qui ad Professionem admittendi, promoveri non debent nisi cum Societati fuerit ab eis satisfactum.

quae statuunt selectos tantum spiritus et doctrinae viros, et multum diuque exercitatos, ac in variis probationibus virtutis et abnegationis sui ipsorum cum omnium aedificatione et satisfactione satis cognitos, ad Professionem esse admittendos, et denique non nisi cum Societati vel eius Praeposito Generali fuerit ab eis plene in Domino satisfactum.

Omnis auctoritas Praeposito concessa inviolate conservetur.

Omnis vero auctoritas, omnes denique facultates per dictae Societatis Constitutiones et apostolica diplomata Praeposito Generali concessae, tam in iis quae ipse per se exercere debet, quam in communicatione Provincialibus et Visitatoribus ac aliis quibuscumque Superioribus per ipsum facienda, integre et inviolate conserventur; quoniam, ut ratio ipsa docet et Ignatius fundator prudenter animadvertit, ad hoc ut Societas bene gubernetur, valde expedit ut Praepositus Generalis omnem habeat in ea auctoritatem ad aedificationem, ex qua praeter caetera quam plurima illud sequetur commodi, ut universus Ordo, ad monarchicam gubernationem compositus, maxime servetur unitus, ipsiusque membra per universum orbem di-

16

GREGORII XIV

28 Iun. 1591

spersa, per omnimodam hanc subordinationem suo capiti colligata, promptius atque facilius a summo capite, Christi in terris Vicario, ad varias functiones, iuxta eorum peculiarem vocationem ac speciale votum, dirigi atque moveri possint. Quod vero attinet ad dimissionem, declaramus formam iudiciariam adhibendam non esse, sed modum in Constitutionibus praescriptum et hactenus in ipsa Societate servatum de caetero servari volumus; nempe ut etiam sine aliquo processu, tela aut ordine iudiciario, ac nullis terminis etiam substantialibus servatis, sola facti veritate inspecta, culpae vel rationabilis causae tantum ratione habita, ac personarum aliarumque circumstantiarum (quarum consideratio sit cum charitate et prudentia coniuncta) procedi possit, auctoritate praedicta declaramus et decernimus. Quin etiam omnes facultates omnemque iurisdictionem, quod ad subditorum correctionem et punitionem pertinet, quibuscumque Ordinibus eorumque Generalibus hactenus concessas, non ad instar, sed aeque principaliter, ipsi Societati eiusque Praeposito Generali concedimus et elargimur.

Formam iudiciariam in dimissionibus servandam non esse.

Omnes facultates ad correctionem et punitionem aliis Ordinibus concessae, Societati eiusque Praeposito conceduntur.

Quo vero ad reliqua quae in controversiam vocata erant, sic statuimus: nomen Societatis Iesu, quo laudabilis hic Ordo nascens a Sede Apostolica nominatus est et hactenus insignitus, perpetuis futuris temporibus in ea retinendum esse; ac Religiosos huiusmodi, post emissa vota etsi simplicia, ad sacros etiam Presbyteratus ordines iuxta Summorum Pontificum concessiones promoveri posse; eisdemque, emissis huiusmodi votis, ad quemvis alium Ordinem Mendicantium vel non Mendicantium (Carthusiensium dumtaxat excepto) transire minime licere; laicos vel alios non Sacerdotes, ad sacerdotium, vel eosdem aut qui Sacerdotes sunt, ad Professionem aut cuiusvis alterius gradus mutationem aspirare non debere; potestatem quoque a Societate dimittendi quosvis non Professos ab hac Sede Apostolica saepius approbatam, eosque ab omni obligatione votorum iuxta Constitutiones et diplomata huiusmodi emissorum, per dimissionem ipsam, per quam vota praedicta cessant, liberandi, tamquam rem magni momenti ad Societatis puritatem et conservationem retinendam, omnino ratam, intactam et illibatam esse volumus. Et ut perturbatorum et contradicentium audacia coerceatur, ac ne ipsi, vel pernicioso eorum exemplo alii in posterum, quae ab hac Apostolica Sede semel stabilita sunt, praecipue circa Regularium Ordinum institutionem et confirmationem, in quibus alioquin ad eamdem Sedem tantum manus apponere spectat, impugnare aut enervare impune praesumant, aut ullo modo valeant; praecipimus in virtute sanctae obedientiae universis et singulis personis, tam saecularibus quam quorumvis Ordinum Regularibus, cuiuscumque status, gradus et praeeminentiae exsistant, etiam si episcopali, archiepiscopali, patriarchali aut maiori ecclesiastica dignitate, seu cardinalatus honore, vel mundana quavis auctoritate seu excellentia praefulgeant; ipsis vero Regularibus, etiam dictae Societatis Religiosis, sub poenis excommunicationis latae sententiae, nec non inhabilitatis ad quaevis officia et dignitates, vocisque tam activae quam passivae privationis, eo ipso absque alia declaratione incurrendis (quarum absolutio-

Nomen Societatis Iesu esse retinendum.

Societatis Religiosos, emissis votis simplicibus, ad sacros ordines promoveri posse.

Ad nullum Ordinem (Carthusiensi excepto) eis transire licet.

Ad Sacerdotium vel ad Professionem aut cuiusvis gradus mutationem aspirare non debere.

Perturbatorum audacia coercetur.

Praecipitur omnibus in virtute sanctae obedientiae,

Regularibus vero etiam sub excommunicationis latae sententiae, inhabilitatis, ac vocis activae et passivae privationis poenis eo ipso incurrendis,

GREGORII XIV

28 Iun. 1591

ne Societatis Institutum, Constitutiones aut decreta impugnent, vel alterari curent,

nem Nobis ac successoribus Nostris dumtaxat reservamus), ne dictae Societatis Institutum, Constitutiones aut decreta, vel ex eis quidpiam, aut ex praemissis omnibus articulum quemlibet, vel aliud quid supra dicta concernens, etiam maioris boni aut zeli seu quovis alio quaesito colore aut praetextu, directe vel indirecte impugnare, vel immutari, alterari, aut formam aliam seu rationem circa ea induci curare, aut contra, vel praeter ea seu quaevis alia ipsius Instituti substantialia agere; vel quidpiam ulli alii, praeterquam Nobis aut Romano Pontifici pro tempore exsistenti, idque immediate vel per Nostrum aut Sedis Apostolicae Legatum seu Nuntium, vel ipsius Societatis generali Congregationi aut Praeposito Generali addendum, minuendum aut immutandum sive alterandum proponere quoquo modo audeant vel praesumant.

aut contra vel praeter ea agant, vel quidpiam ulli alii alterandum praeter quam Romano Pontifici, idque immediate, vel per Legatum, aut Societati vel Praeposito proponant.

Poenas denique omnes in Gregorii XIII praedecessoris praedicti constitutione Ascendente Domino contentas, ac constitutionem eamdem cum omnibus et singulis in ea contentis, ac si ea omnia ad verbum praesentibus insererentur, per praesentes approbamus et innovamus.

Innovantur poenae constitutionis Gregorii XIII, omniaque in ea contenta confirmantur,

Decernentes, praemissa omnia et singula, nec non praesentes ac in eis contenta quaecumque, nullo umquam tempore, etiam ex eo quod interesse forsan habentes ad id vocati non fuerint, vel alio quocumque praetextu et ex quavis causa quantumvis urgenti, legitima et rationabili, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostrae vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, annullari, revocari, ad viam iuris reduci, in dubium vel controversiam revocari, aut adversus illa quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari posse vel debere; nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed ab illis semper excepta, et quoties emanabunt, toties in pristinum, et eum in quo antea quomodolibet erant statum restituta, reposita et plenarie redintegrata, ac de novo etiam, sub data per Societatem illiusque Praepositum Generalem et alios Superiores praedictos quandocumque eligenda, de novo concessa, ac etiam confirmata et approbata, validaque, efficacia et illibata, etiam absque eo quod desuper a dicta Sede illorum ulterior restitutio, revalidatio, confirmatio seu nova concessio impetranda sit, fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac easdem praesentes litteras ad probandum plene omnia et singula praemissa sufficere, nec ad id alterius probationis adminiculum requiri; sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque Iudices et Commissarios, etiam causarum palatii apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et definiri debere; nec non irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Praesentes de subreptionis vitio notari non posse,

nec sub quibusvis revocationibus comprehendi.

Sic indicari debere.

Mandantes universis et singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac caeteris ecclesiarum et locorum etiam Regularium Praelatis per universum orbem constitutis, ut praesentes litteras in suis quisque ec-

Mandatur Ordinariis, ut curent praesentes litteras ab omnibus observari.

clesiis, provinciis, civitatibus, dioecesibus et iurisdictionibus ab omnibus inviolate observari faciant; quin etiam Praepositum ac personas Societatis huiusmodi defendant, eosque praemissis omnibus et singulis pacifice frui faciant et gaudere; non permittentes ipsos per quoscumque quomodolibet molestari, contradictores per censuras ecclesiasticas et alia iuris et facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus tam ipsius Sixti praedecessoris super modo et forma admittendi Novitios ad Religionem, quam aliis quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, aut decretis per eumdem vel quoslibet alios praedecessores Nostros, etiam vivae vocis oraculo aut alias quomodolibet editis, ac etiam aliorum Ordinum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibuscumque, huiusmodi Ordinibus, Universitatibus, locis aut personis per quoscumque Romanos Pontifices, praedecessores Nostros, ac Nos et Sedem praedictam, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, et cum quibusvis irritatoriis, annullativis, cassativis, revocativis, modificativis, praeservativis, exceptivis, declarativis, mentis attestativis ac derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si in eis caveatur expresse quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis modo et forma in illis expressis, derogari possit, aut pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem Sede sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Praesens concessio non communicatur.

Praesentis autem constitutionis et gratiae communicationem omnibus aliis, qui sua privilegia cum ipsa Societate copiose participant participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus.

Transsumptis habeatur fides.

Caeterum volumus, ut praesentium transsumptis etiam impressis, manu Secretarii dictae Societatis vel Notarii publici subscriptis, et sigillo Praepositi Generalis eiusdem Societatis vel alterius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem omnino fides habeatur in iudicio et extra illud, quae litteris ipsis originalibus haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae approbationis, confirmationis, suppletionis, statuti, ordinationis, decretorum, concessionis, elargitionis, praecepti, reservationis, innovationis, mandati, declarationis, derogationis, prohibitionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc

GREGORII XIV

28 Iun. 1591

attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis DEI ac BB. Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDXCI, quarto kal. Iulii, Pontificatus Nostri anno primo.

L. Dat.

M. Vestrius Barbianus.

A. de Alexiis.

Registrata apud Marcellum Secretarium.

Anno a Nativitate Domini MDXCI, *Indict. quarta, die vero Veneris, vigesimo octavo mensis Iulii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Gregorii divina providentia Papae* XIV *anno primo, retroscriptae litterae apostolicae affixae, lectae et publicatae fuerunt, et per aliquod temporis spatium dimissae in valvis basilicarum Principis Apostolorum de Urbe, et S. Ioannis Lateranensis, nec non cancellariae apostolicae, et aciei campi Florae, per nos Laertium Cecchettum et Franciscum Baron S. D. N. Papae cursores.*

Claudius Mongeat magister cursorum.

GREGORII XIV

FACULTAS NOVITIOS IUXTA CONSTITUTIONES ADMITTENDI

ET CUM ILLEGITIMIS DISPENSANDI

SOCIETATI RESTITUITUR ET DE NOVO CONCEDITUR.

GREGORIUS PAPA XIV
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

GREGORII XIV

30 Aug. 1591

EXPONI NOBIS nuper fecit dilectus filius Claudius Aquaviva, Societatis IESU Praepositus Generalis, quod cum in ipsa Societate, iuxta illius Institutum apostolica auctoritate confirmatum, nec Conventus seu Congregationes generales, nisi ad Praepositum Generalem eligendum, et alias rarissime et ex causis tantum magni momenti, neque provinciales, in quibus, iuxta fel. rec. Sixti Papae V, praedecessoris Nostri, priorem de Novitiis admittendis constitutionem, quae incipit CUM DE OMNIBUS, Novitii ipsi admitti deberent, frequentius quam singulis trienniis cogantur; et dum hae coguntur, duodecim ad summum dies durare, in quibus non de Novitiis admittendis, sed graviora alia, iuxta Societatis eiusdem Constitutiones, tractari debent; ratio vero deputandi eos qui Novitios extra Congregationes ipsas, iuxta posteriorem eiusdem praedecessoris declarationem, admittere possint, primum quidem valde difficulter et incommode in praxim deduci possit, praesertim in regionibus aquilonaribus et ultramarinis, propter magnam Collegiorum inter se distantiam, et saepissime etiam propter itinerum difficultates bellaque et alia pericula; denique etiam in universum modus ille minus

GREGORII XIV

30 Aug. 1591

exactus sit eo modo quem Societas ipsa sequitur, cum in illo duo vel tres deputati sufficiant, in hoc plures communiter interveniant; et postremo, cum ratio illa decernendi valde differat a modo quem Societatis Constitutiones et apostolica diplomata in deliberationibus faciendis ac universa illius gubernatione praescribunt, iuxta quem modum Superior, auditis in rebus alicuius momenti Consultoribus, decernit quod sibi ad maiorem Dei gloriam facere videtur; admissio autem illa per deputatos, cum ad eorum suffragia non consultiva, ut sunt in Societate, sed decisiva fieri debeat, diversitatem non parvam in Societatem inducit: quare Nobis humiliter supplicari fecit dictus Claudius, quatenus statui et indemnitati dictae Societatis consulentes, in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui Societatem praedictam, propter eius in Ecclesia Dei uberes fructus, sinceris semper amplexi sumus affectibus; atque, ut uberiores in dies proferre valeat, integram et intactam illi suos Novitios admittendi, et tam cum illis quam cum veteranis illegitimis dispensandi, facultatem servari cupimus: praedictum Claudium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, Societati praedictae, ut ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus tam in Novitiis etiam cuiusvis generis illegitimis admittendis, quam in dispensationibus ad quaelibet officia, gradus et dignitates in Societate obtinenda ipsis cuiusvis generis illegitimis concedendis, formam et rationem omnimodam in illius apostolicis diplomatis ac privilegiis quibusvis nec non et regulis expressam, libere et licite prosequi et retinere valeat, apostolica auctoritate decernimus, et quatenus opus sit etiam de novo concedimus et indulgemus, eamque perpetuo observari volumus et mandamus.

Facultas Novitios iuxta Constitutiones admittendi,

et cum illegitimis dispensandi.

Non obstantibus, etc.

Praedictis ac Nostra nuper edita, quae incipit CIRCUMSPECTA, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis non obstantibus quibuscumque.

Transsumptis habeatur fides.

Volumus autem, quod praesentium transsumptis etiam impressis, manu dictae Societatis Secretarii aut Notarii publici subscriptis, ac personae alicuius in ecclesiastica dignitate constitutae, seù Praepositi Generalis pro tempore exsistentis eiusdem Societatis sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in iudicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die trigesimo Augusti MDXCI, Pontificatus Nostri anno primo.

M. Vestrius Barbianus.

Super quibus omnibus et singulis praemissis, tamquam rite, recte et legitime factis, auctoritatem et decretum dictae Curiae atque nostram interponendam duximus et interposuimus, prout interponimus praesentium per tenorem. In quorum omnium et singulorum fidem, praemissorumque robur et testimonium,

GREGORII XIV *praesentes nostras exinde fieri per Notarium nostrum publicum infrascriptum subscribi et publicari, sigillique Reverendissimae Camerae apostolicae, quo in talibus utimur, iussimus et fecimus impressione muniri. Datum Romae, in palatio nostro iudiciali, hora vesperorum audientiae causarum consueta, sub anno a Nativitate Domini* MDXCVIII, *Indict. undecima, die vero decimo mensis Novembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Clementis, divina providentia Papae* VIII, *anno septimo. Praesentibus ibidem Dominis Marco Antonio Bruto et Ioanne Francisco Ugolino eiusdem nostrae Curiae Notariis, testibus ad praemissa omnia et singula vocatis, habitis specialiter atque rogatis.* 30 Aug. 1591

CLEMENTIS VIII

INTERDICITUR SOCIETATIS RELIGIOSIS

USUS BULLAE CRUCIATAE QUOAD ELIGENDUM CONFESSARIUM ET OBTINENDAM ABSOLUTIONEM A RESERVATIS.

CLEMENS PAPA VIII
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

CLEMENTIS VIII ROMANUS PONTIFEX ad ea sollicitudinis suae partes intendere debet, per quae Religiosorum status in pace et quiete tutius conservatur.

Sane cum ratio doceat et experientia compertum sit, Religionibus valde perniciosum exsistere ut earum Religiosis licitum sit confessarium sibi eligere; et licet fel. rec. Gregorius Papa XIII, praedecessor, per suas in forma brevis litteras expresse prohibuerit, ne Religiosi Societatis IESU facultatibus Cruciatae sanctae uti, absque Superiorum suorum licentia, valerent; nihilominus, quia nonnulli existimant, ex clausulis litterarum dictae Cruciatae, cuicumque ipsius Societatis privilegio derogari, et propterea ipsis Religiosis huiusmodi facultatibus uti licitum esse, ita ut speciali ad hoc Nostro et Apostolicae Sedis opportuno remedio necesse sit: Nos pro Nostri pastoralis muneris debito, ea quae ipsius Societatis quieto et pacifico statui ac debitae Superioribus obedientiae conservandae opportuna esse cognoscimus, salubriter providere volentes; motu proprio et ex certa scientia, meraque deliberatione Nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac Nostrà perpetuo valitura constitutione sancimus, nulli Religiosorum eiusdem Societatis licere facultatibus Cruciatae huiusmodi, in quacumque mundi parte publicatae vel publicandae, quoad eligendum Confessarium et obtinendam absolutionem a casibus reservatis uti; nec eis, quoad hanc eligendi Confessarium et obtinendi absolutionem praedictam facultatem, Cruciatam huiusmodi suffragari; sicque per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, sublata eis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac

14 Iun. 1595

Nostris interdicitur usus Cruciatae quoad eligendum Confessarium et obtinendam absolutionem a reservatis.

CLEMENTIS VIII

14 Iun. 1595

irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis quoque et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptis habeatur fides.

Volumus autem, ut praesentium transsumptis etiam impressis, manu Secretarii dictae Societatis vel Notarii publici subscriptis, et sigillo eiusdem Societatis vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae praesentibus ipsis haberetur.

Datum Romae, apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die decimo quarto Iunii MDXCV, Pontificatus Nostri anno quarto.

M. Vestrius Barbianus.

CLEMENTIS VIII

PRAESCRIBITUR ET COMMENDATUR USUS LIBELLI

VENERABILIS CARDINALIS ROBERTI BELLARMINI

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

CLEMENS PAPA VIII
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

CLEMENTIS VIII

15 Iul. 1598

Pastoralis Romani Pontificis sollicitudo in eam praecipue curam incumbere debet, ut Christi fideles pueri catholicam doctrinam facile edoceantur, ut in illis uno eodemque tempore pietas ac divinorum observantia praeceptorum in dies crescat.

Cum itaque, sicut accepimus, plures doctrinae christianae libelli, a variis personis compositi, diversum ordinem verborumque seriem continentes hactenus emanarint, ita ut in docendo et discendo non modica sit orta difficultas atque varietas: Nos huic malo occurrere cupientes, novum eiusdem doctrinae christianae libellum per dilectum filium Robertum Bellarminum Presbyterum Societatis Iesu de mandato Nostro conscriptum, ac in duas partes divisum, a dilectis filiis Reformatoribus in congregatione reformationis Nostrae deputatis diligenter examinari mandavimus. Cum libellum huiusmodi, iam omnino absolutum et a praedicta congregatione comprobatum, in lucem edi et typis tradi mandaverimus, ut posthac unus idemque modus in docendo et discendo christianam doctrinam ab omnibus teneatur, motu proprio et ex certa scientia maturaque deliberatione Nostris, dilectis filiis confratribus confraternitatis doctrinae christianae de Urbe, qui, ut etiam accepimus, multis abhinc annis in ipsa Urbe et extra in diversis locis doctrinam huiusmodi docere consueverunt, praedictum novum doctrinae christianae libellum, ut praefertur, examinatum et approbatum, auctoritate Nostra imprimi facere; quodque nemo umquam tam in alma Urbe quam in toto statu Nostro ecclesiastico libellum huius-

CLEMENTIS VIII

15 Iul. 1598

modi, sine expressa ipsorum confratrum seu officialium eiusdem confraternitatis licentia imprimere possit, ad decennium proximum, auctoritate apostolica, tenore praesentis, Christi fidelibus, praesertim librorum impressoribus et bibliopolis in ditione Nostra ecclesiastica consistentibus, sub indignationis Nostrae, et amissionis librorum, nec non quingentorum ducatorum auri de camera, pro una camerae apostolicae, pro alia denuntiatori seu accusatori, et pro reliqua tertiis partibus camerae praedictae applicandorum, eo ipso incurrenda poena; nec libellum doctrinae christianae huiusmodi, sine officialium Societatis praedictae pro tempore exsistentium licentia, etiam in scriptis obtenta, imprimere aut impressum vendere, seu venalem habere, vel promovere audeant seu praesumant. Mandantes dilecto filio Nostro nunc et pro tempore exsistenti in Urbe Vicario et eius Officialibus in dicta Urbe et eius districtu, ut tam in publicis quam in privatis scholis et ecclesiis alios doctrinae christianae libellos adhiberi, imprimi et iam impressos vendi, seu venales haberi vel proponi minime permittant; quin immo sub poenis praemissis contradictores quoscumque, ad omnia supra dicta inviolabiliter observanda, auctoritate Nostra cogant et compellant.

Hortamur autem in Domino venerabiles Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos et dilectos filios eorum Vicarios, nec non Abbates, Parochos universos ubique locorum exsistentes et alios ad quos spectat, ut quantum per eos fieri poterit in docendo christianam doctrinam in eorum quisque ecclesiis, dioecesibus et parochiis respective, libellum huiusmodi, ut praefertur, approbatum et iussu Nostro editum recipiant et adhibeant, nec non recipi et adhiberi curent et faciant. Dilectis vero filiis Nostris Sedis Apostolicae Legatis, Vice Legatis nec non Gubernatoribus et aliis status Nostri ecclesiastici Officialibus per praesentes iniungimus et respective mandamus, ut poenas praedictas in contravenientes, quando et quoties requisiti fuerint, irremissibiliter exsequantur; decernentes irritum et inane quidquid secus super his quovis modo contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Ferrariae, sub annulo Piscatoris, die decimo quinto Iulii MDXCVIII, Pontificatus Nostri anno septimo.

M. Vestrius Barbianus.

CLEMENTIS VIII

EXTENSIO FACULTATIS ERIGENDI CONGREGATIONES

PRIMARIAEQUE ROMANAE AGGREGANDI,

AC INDULGENTIAS EIS COMMUNICANDI, ETIAM IN RESIDENTIIS.

DILECTO FILIO PRAEPOSITO GENERALI SOCIETATIS IESU,

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

CLEMENTIS VIII

Cum, sicut Nobis nuper exponi fecisti, Presbyteri Societatis Iesu in insula Chiensi residentes, unam Congregationem laicorum ad instar aliarum Congregationum personarum saecularium apud Collegia et Domos Professas eiusdem Societatis erectarum, quarum personae ecclesiastica Sacramenta frequentare, et alia exercitia et opera pia et spiritualia exercere consueverunt, erexerint; et ipsius Congregationis, ut praefertur, erectae personae magno cum fructu et aedificatione ecclesiastica huiusmodi Sacramenta frequentent, et exercitiis ac operibus piis et spiritualibus vacare studeant; cumque, ut maiori cum fructu et spirituali consolatione in illis perseverent, et alii Christi fideles ad illa alliciantur, quo uberius coelestium gratiarum donis conspexerint se esse refectos, cupiant Congregationi primariae Collegii Romani, ut indulgentiarum et gratiarum spiritualium eidem Congregationi Collegii Romani dictae Societatis per Romanos Pontifices concessarum participes fiant, aggregari; tuque non solum Congregationem praedictam in insula Chiensi, sed alias etiam Congregationes apud quascumque Residentias Societatis Iesu erectas et erigendas eidem Congregationi primariae Collegii Romani aggregare, illisque indulgentias et gratias spirituales huiusmodi communicare ex Nostra speciali gratia posse cupias: Nobis humiliter supplicari fecisti, ut opportunam ad hoc facultatem tibi concedere de benignitate apostolica dignaremur. **30 Aug. 1602**

Extenditur facultas Congregationes erigendi, aggregandi, etc.

Nos igitur piis votis tuis benigne annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati; tibi praedictam insulae Chiensis et quascumque alias similes Congregationes apud quascumque Residentias Presbyterorum dictae tuae Societatis Iesu iam erectas et in posterum erigendas praedictae Congregationi primariae Collegii Romani aggregandi, illisque indulgentias et gratias spirituales per quoscumque Romanos Pontifices, praedecessores Nostros, ac Nos et Apostolicam Sedem eidem Congregationi primariae concessas communicandi facultatem, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Non obstantibus Nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinatio-

CLEMENTIS VIII

nibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die trigesimo Augusti MDCII, Pontificatus Nostri anno undecimo. **30 Aug. 1602**

M. Vestrius Barbianus.

PAULI V

CONFIRMATIO INSTITUTI ET PRIVILEGIORUM

ET APPROBATIO CONSTITUTIONUM GREGORII XIII ET XIV, NOVAQUE CONCESSIO.

PAULUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

PAULI V

Quantum religio Societatis Iesu in Ecclesia ad fidei, pietatis et religionis augmentum profecerit, et in dies magis proficiat, Nos ipsi scimus et christiana respublica novit universa. Propterea illam diversimode perturbare, ab incoepto retardare malis artibus humani generis hostis quotidie nititur; e contra vero illam et in suo laudabili proposito confovere, et ad Instituti ipsius puritatem et nitorem pristinum retinendum adiuvare, in quo uno solo vis Religionis consistit, procurarunt praedecessores Nostri, et Nos totis viribus contendimus.

Summorum Pontificum Instituti Societatis approbationes.

Accepimus siquidem, quod licet Institutum ipsum iam inde ab initio fuerit a fel. rec. Paulo III semel per quasdam sub datum quinto kal. Octobris, Pontificatus sui anno sexto; et iterum per alias sub datum pridie idus Martii, eiusdem Pontificatus sui anno decimo; et a Iulio etiam III per alias sub datum duodecimo kal. Augusti, Pontificatus sui anno primo; ac a Gregorio XIII, per alias etiam, semel sub datum kal. Februarii, Pontificatus sui anno undecimo, et iterum per alias sub datum octavo kal. Iunii, Pontificatus sui anno tertio decimo; et denique a Gregorio XIV, Romanis Pontificibus, praedecessoribus Nostris, per alias litteras sub datum quarto kal. Iulii, Pontificatus sui anno primo, approbatum et confirmatum, et in pristino candore, quo dicta Societas a bonae mem. Ignatio Loyola, illius institutore et fundatore, Sancto Spiritu inspirante, decoratum, adversus malas quorumdam, quae sua sunt, non quae Iesu Christi, quaerentium impugnationes et calumnias, apostolica auctoritate, poenis etiam adhibitis conservatum: nihilominus quia nonnulli inquieti spiritus, ad suam temeritatem promovendam, perpetuitatem Praepositi Generalis dictae Societatis in illius Constitutionibus statutam et perpetuo usu in dicta Societate, quemadmodum et in Religione S. Dominici, sancitam et approbatam, impugnare atque immutandam satagere veriti non sunt; et praetextu melioris gubernationis unitatem eiusdem Societatis scindere, nationum collectionem, quae ingens gloria dictae Societatis est, dissolvere atque in partes misere dissecare, nec unam sed multas Societates statuere cupientes, certum aliquod in

4 Sept. 1606

Perpetuitatis Praepositi Generalis et aliarum rerum Instituti impugnatio.

* anno 1804 suppressa est perpetuitas Magistri Generalis O.P.
At anno 1804 ad annum 1862 ad 6 annos;

PAULI V — 4 Sept. 1606

suis regionibus caput, et ut vocant Commissarium aut perpetuum Visitatorem statui desiderarunt et forte desiderant; et multa alia nova, quae quietem et tranquillitatem ipsius Ordinis perturbant, regularem disciplinam, obedientiam et illius statuta labefactant, moliti fuerunt, tentarunt et forsan impetrarunt: propterea ipsa Societas universa in quinta generali Congregatione superioribus annis congregata, volens praedictis incommodis, molestiis et perturbationibus occurrere, eiusdem fundatoris Constitutionibus firmiter inhaerendo, pro felici regimine dictae Societatis ac illius Instituti perpetua et firmiori observantia, infrascripta salubria decreta seu statuta inter alia fecit et ordinavit, videlicet: — " Quoniam diuturno quietis suae detrimento Societas nostra satis superque experta est gravissima incommoda, quae filii quidam praevaricatores, et communis pacis illius perturbatores, ac rerum novarum architecti, suis conatibus illi attulerunt; et multae provinciae maiorem in modum id efflagitarunt, ut huiusmodi homines debitis poenis castigarentur: Congregatio, pro eo ac debuit, spiritualium filiorum suorum iacturam dolenter ingemiscens; ac nihilominus perpendens, quantum detrimenti unio, obedientia religiosaque disciplina Societatis ab iis hominibus passa sit; quantumque apud externos bonae illius famae, qua bonus odor ubique gentium in Christo esse solet, detractum fuerit; statuit omnino, salutari alicuius severi decreti medicamento, huic tam gravi morbo depellendo prospiciendum esse. Siquidem frequentes illi falsas calumnias et varias criminationes, de quibus speciale postea iudicium Praeposito Generali habendum erit, suae Religioni immerito imposuerunt; atque zeli communisque boni pallio se contegentes, id sibi arrogare ausi sunt, ut iudicio totius Societatis, immo et ipsiusmet fundatoris Patris Nostri sanctae mem. se praeferrent; nec dubitarunt libellis scriptis atque ad summos Pontifices transmissis, subscribere his verbis: *Ita petit tota Societas,* cum tamen ii pauci essent et degeneres filii nostrae Religionis, eaque postularent quae essentialia Instituti nostri labefactarent, rationemque gubernationis in Constitutionibus expressam immutarent, ac novam prorsus formam et rationem inducentes, universam Societatis structuram dissolverent, atque a fundamentis everterent. Quocirca Congregatio declarat eiusmodi homines, tantorum malorum auctores, aliorumque seductores ac eorumdem vere complices, censuras et poenas omnes in apostolicis bullis contentas incurrisse; nec non decernit, eos omnes, utpote gravissimae divisionis Societatis auctores, a tota Societate velut pestem quam primum separandos esse; iudicio P. Praepositi permittens, utrum eos peculiaribus poenitentiis ante dimissionem castigari conveniat. Quod si per aliqua necessaria impedimenta eos e Societate statim eiici non licuerit, Congregatio statuit, eos praeterea inhabilitatis ad quaevis officia et dignitates seu praelationes, vocisque tam activae quam passivae privationis poenis obnoxios fore, quam diu eos in Societate necessario retineri contigerit. Insuper Congregatio statuit, ut qui vehementer suspecti de praedictis machinationibus reperti fuerint, ii vel iurent se humiliter amplexuros Constitutiones et decreta generalium Congregationum, nec non Summorum

Decretum 54 v Congregationis generalis contra praevaricatores et communis pacis Societatis perturbatores.

Perturbatorum inventa et praesumptiones.

A Societate ut pestis eiiciantur, et poenis arbitrio Praepositi Generalis subiiciantur.

Interea inhabilitatis et vocis activae et passivae privationis poenis obnoxii sint.

Suspecti iurent, vel eiiciantur; etiam Professi.

PAULI V **4 Sept. 1606**

Pontificum bullas, quibus Societatis Institutum confirmatur seu explicatur, praesertim vero fel. rec. Iulii III, Gregorii XIII et Gregorii XIV, nec umquam se acturos quocumque praetextu contra illas, neque, ut quidpiam de nostri Instituti ratione immutetur, curaturos per quoscumque in bulla Gregorii XIV non permissos; vel, si hoc iuramentum praestare noluerint, aut post illud praestitum non servaverint, etiam si Professi et antiqui fuerint, de Societate omnino eiiciantur. Praecipit etiam Congregatio in virtute sanctae obedientiae, supra dictos omnes auctores et complices, tamquam Societati perniciosos et Apostolicae Sedi inobedientes, a quocumque ex nostris, sive certa scientia sive fide digna auditione deprehensi fuerint, et quoscumque alios, si qui in posterum pariter deprehendentur similia machinari, ad Praepositum Generalem fideliter esse deferendos, ut ille, pro suo officio et huius Congregationis voluntate, eos iisdem poenis afficiat et a Societate dimittat; certus, nisi id viriliter exsequatur, se nec bono Societatis, pro qua sanguinem fundere paratus esse debet, nec propriae conscientiae satisfacturum. Quod ut sine impedimento fiat, et optata pace tandem aliquando Societas nostra frui possit, Congregatio decernit, suppliciter a SS. D. N. Clemente totius Religionis nomine petendum esse, ut praedecessorum suorum exemplo confirmare circa nostrum Institutum quae ab illis confirmata et declarata sunt, et sua auctoritate et potestate illi assistere dignetur, ut quae in huiusmodi perversos homines hoc dereto sancita sunt, sine impedimento exsecutioni mandentur „.

Praecipitur omnibus in virtute sanctae obedientiae, ut machinantes revelent.

Decretum 47 v Congregationis generalis contra negotia saecularia, et ad res politicas, et status gubernationem pertinentia tractantes.

“ Quoniam Societas nostra, quae ad fidei propagationem et animarum lucra a Domino excitata est, sicut per propria Instituti ministeria, quae spiritualia arma sunt, cum Ecclesiae utilitate ac proximorum aedificatione sub Crucis vexillo finem feliciter consequi potest quem intendit, ita et haec bona impediret, et se maximis periculis exponeret, si ea tractaret, quae saecularia sunt, et ad res politicas atque ad status gubernationem pertinent; idcirco sapientissime a nostris maioribus statutum est, ut militantes Deo, aliis, quae a nostra professione abhorrent, non implicemur. Cum autem his praesertim temporibus valde periculosis, pluribus locis, et apud varios Principes (quorum tamen amorem et charitatem sanctae mem. P. N. Ignatius conservandam ad divinum obsequium pertinere putavit), aliquorum fortasse culpa et vel ambitione vel indiscreto zelo, Religio nostra male audiat, et alioquin bonus Christi odor necessarius sit ad fructificandum: censuit Congregatio ab omni specie mali abstinendum esse, et querelis, quoad fieri poterit, etiam ex falsis suspicionibus provenientibus, occurrendum. Quare praesenti decreto graviter et severe nostris omnibus interdicit, ne in huiusmodi publicis negotiis, etiam invitati aut allecti, ulla ratione se immisceant, nec ullis precibus aut suasionibus ab Instituto deflectant. Et praeterea, quibus efficacioribus remediis omnino huic morbo, sicubi opus sit, medicina adhibeatur, Patribus Definitoribus accurate decernendum et definiendum commendavit „.

Decretum 55 v Congregationis generalis de non praefigendo tempore Superioribus localibus.

“ Petitum fuit, ut auctoritate Congregationis statueretur, ne Superiorum localium officia ultra triennium continuentur. Decrevit autem Congregatio, nullum certum tempus praefigendum,

PAULI V

4 Sept. 1606

sed servandum esse decretum LXXXVII * Congregationis secundae generalis „. –

*Hic decret. 68.

Nos igitur, certo scientes totum sanctae huius et numquam satis laudatae Religionis stabilimentum et profectum in viridi Instituti ipsius, et decretorum super hoc in generalibus Congregationibus eiusdem Societatis editorum, observantia consistere; illamque ab huiusmodi et aliis impugnationibus, molestiis et calumniis, ac illorum inventis vendicare, et in sui Instituti puritate, integritate, quiete ac pace conservare, quantum cum DEO possumus, cupientes; ac dilectum filium Claudium Aquavivam, modernum Praepositum Generalem dictae Societatis, illiusque singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati exsistunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; nec non singulorum privilegiorum, constitutionum, ordinationum, statutorum, indultorum, facultatum et litterarum supra dictorum, et inde secutorum quorumcumque, veriores etiam totos tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, eisdem praesentibus pro expressis habentes: motu proprio, et ex certa scientia ac mera deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, laudabile dictae Societatis Institutum, Constitutiones, ac perpetuitatem Praepositi Generalis Societatis huiusmodi iam diu stabilitam et in eadem Societate usu receptam et solitam, ac ipsum Praepositum ad vitam eligendi usum et consuetudinem, illiusque in Urbe ordinariam residentiam, et ipsius Societatis unitatem et omnium nationum sub uno capite collectionem, in dictis Constitutionibus sancitam; nec non supra dicta et quaecumque alia decreta, statuta et ordinationes, quae Institutum et Societatem huiusmodi illiusque gubernandi rationem quomodolibet concernunt, in generalibus Congregationibus edita, nec non privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias et indulta a praedictis et aliis praedecessoribus Nostris eidem Societati et illius pro tempore exsistenti Praeposito Generali et Religiosis principaliter vel per communicationem concessa, qualiacumque illa sint, ac desuper confectas litteras, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, et inde secuta quaecumque (salvis litteris piae mem. Leonis Papae XI, etiam praedecessoris Nostri, super decimis emanatis), apostolica auctoritate praedicta, earumdem tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis, ac Nostrae et Sedis Apostolicae auctoritatis robur adiicimus, eaque omnia et singula innovamus et de novo concedimus; ac omnes et quoscumque tam iuris quam facti defectus, si qui forte quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus; hortantes et paterne monentes Praepositum Generalem illius, caeterosque Superiores nunc et pro tempore exsistentes, ut observationi supra dictorum decretorum serio invigilent, ne humanis respectibus, aut quorumcumque potentium intercessionibus aut minis, Religionis suae bonum, quod ex eorum observatione maxime pendet, ulla ratione postponant; eosdemque monentes, ut eos, qui novitati

Nova Instituti, Constitutionum, praemissorum decretorum et privilegiorum Societatis, nec non aliorum decretorum et ordinationum in generalibus Congregationibus editorum confirmatio.

Perpetuitas praepositi Generalis et electio ad vitam, eiusdemque in Urbe ordinaria residentia, et unum in Societate caput approbantur et confirmantur.

Praepositi Generales et alii Superiores ad observationi praedictorum decretorum serio invigilandum, et contra praedicta aliquid machinari audentes, tamquam perturbatores sui Ordinis corrigendos et puniendos monentur.

studentes, aliquid contra ipsius Societatis Institutum, Constitutiones, decreta, canones, regulas, ordinationes et communem vivendi rationem et normam ipsius, et praesertim dicti Praepositi Generalis perpetuitatem, usumque eligendi illum ad vitam, ac ipsius Societatis unitatem, sub uno capite collectionem, et liberam, et sine ulla triennii aut certi temporis praefixione, Superiorum localium gubernationem, per se vel alios quoscumque, quavis auctoritate et dignitate, etiam regia, fulgentes, quomodolibet machinari ausi fuerint, tamquam perturbatores sui Ordinis et rerum novarum molitores, praeter poenas in supra dictis decretis contentas, ipsius Praepositi pro tempore exsistentis arbitrio, coerceant, corrigant et puniant.

Praesentes de subreptionis vitio notari non posse,

Decernentes easdem praesentes nullo umquam tempore, etiam ex eo, quod causae, propter quas emanarunt, prius examinatae, verificatae et approbatae non fuerint, aut ex quovis alio capite vel praetextu, ac alia quacumque quantumvis legitima et iuridica causa, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, aut in ius vel controversiam revocari, seu ad terminos iuris reduci, aut adversus eas quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari, etiam motu pari concedi posse; illasque sub similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, modificationibus, suspensionibus, derogationibus, per quoscumque Romanos Pontifices, praedecessores Nostros, ac etiam Nos et Sedem praedictam, etiam in crastinum assumptionis ad summi apostolatus apicem quorumcumque successorum Nostrorum, vel alias, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis, ac etiam irritantibus et aliis decretis et clausulis quandocumque emanatis, etiam si de eisdem praesentibus earumque toto tenore specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, mentio fieret, minime comprehensas, sed tamquam in divini cultus favorem et fidei augmentum et propagationem concessas, semperque et omnino ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie redintegratas, ac de novo etiam, sub quacumque posteriori et nova data per pro tempore exsistentem Praepositum Generalem et alios Superiores dictae Societatis quandocumque eligenda, concessas ac etiam confirmatas et approbatas, validasque et efficaces ac illibatas, etiam absque eo, quod desuper a dicta Sede illarum ulterior restitutio, revalidatio, confirmatio seu nova concessio impetranda sit, fore et esse ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, ac causarum palatii apostolici Auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, dictaeque Sedis Nuntios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

nec sub quibusvis revocantibus comprehendi.

Sic iudicari debere.

PAULI V

4 Sept. 1606

Mandatur Ordinariis, ut curent praesentes litteras ab omnibus observari.

Quocirca universis et singulis venerabilibus fratribus Nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus et aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, per apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Praepositi Generalis aliorumque Superiorum pro tempore exsistentium Societatis huiusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate Nostra litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus ad quos spectat et pro tempore spectabit inviolabiliter observari, non permittentes eos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari, impediri aut perturbari; contradictores quoslibet et rebelles, per sententias et censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus praemissis, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum contra praemissorum et Instituti ac decretorum Societatis huiusmodi tenorem concessis litteris, nec non fel. rec. Bonifacii Papae VIII, praedecessoris Nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis expressis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne Iudices a Sede praedicta deputati, extra civitatem vel dioecesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere praesumant; et in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate earumdem praesentium ad iudicium non trahatur; ac Nostra de non tollendo iure quaesito, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac decretis, per quoscumque Romanos Pontifices, praedecessores Nostros, etiam vivae vocis oraculo aut alias quomodolibet editis, ac etiam aliorum Ordinum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibuscumque, huiusmodi Ordinibus, Universitatibus, locis et personis, per eosdem Romanos Pontifices praedecessores, ac Nos et Sedem praedictam, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, ac cum quibusvis irritantibus, annullativis, cassativis, revocatoriis, modificativis, praeservativis, exceptivis, declarativis, mentis attestativis ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis fortissimis decretis in contrarium etiam pluries concessis, confirmatis, approbatis, et etiam iteratis vicibus innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo

PAULI V — 4 Sept. 1606

ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter ei expresse latissime derogamus ac derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transsumptis habeatur fides.

Volumus autem, quod praesentium transsumptis etiam impressis, manu Secretarii dictae Societatis vel Notarii publici subscriptis, et sigillo Praepositi Generalis eiusdem Societatis aut personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem omnino fides adhibeatur in iudicio et extra illud, quae litteris ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, adiectionis, innovationis, concessionis, suppletionis, hortationis, monitionis, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDCVI, pridie nonas Septembris, Pontificatus Nostri anno secundo.

Pro Illustriss. et Reverend. Dom. Summatore,

L. Ducius.
Scipio Cobellucius.
S. De Ursinis.

PAULI V

INDULGENTIA PLENARIA PERPETUA

PRO OMNIBUS ECCLESIIS SOCIETATIS IESU IN FESTO TITULI SEU FUNDATIONIS.

16 Dec. 1611

UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS PRAESENTES LITTERAS INSPECTURIS, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

PAULI V

Splendor paternae gloriae, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementissima eius Maiestate sperantium tunc praecipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas Sanctorum precibus et meritis adiuvatur.

Volentes igitur ecclesias Presbyterorum Societatis Iesu in quacumque mundi parte constitutas aliquo spiritualis gratiae dono decorare; ac ut Christi fideles ad illas libentius devotionis causa confluant, quo uberius dono coelestis gratiae conspexerint se refectos: de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi; omnibus utriusque sexus Christi fidelibus

PAULI V

vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex supra dictis ecclesiis in die festo illius invocationis, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad DEUM preces effuderint, ultra alias indulgentias a Nobis eisdem ecclesiis ad tempus concessas, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem quod, si alias Christi fidelibus dictas ecclesias visitantibus aliquam aliam indulgentiam perpetuam concesserimus, praesentes nullae sint. Volumus etiam quod praesentium transsumptis etiam impressis, manu Secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo Praepositi Generalis eiusdem Societatis munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae. 16 Dec. 1611

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimo sexto Decembris MDCXI, Pontificatus Nostri anno septimo.

S. Cobellucius.

PAULI V

DISPENSATIO IN DUOBUS VOTIS SIMPLICIBUS,

QUAE PROFESSI SOCIETATIS IESU EMITTUNT, RESERVATUR PAPAE.

PAULUS PAPA V

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

PAULI V

Ex incumbenti Nobis pastoralis officii debito ad ea sedulo intendimus, per quae Religiosorum Ordines in militanti Ecclesia ad Divini Numinis laudem et gloriam animarumque salutem pie recteque instituti, sub salubribus eorum regulis et constitutionibus perseverent, et maioribus in dies in DEI obsequio et sanctitate vitae proficiant incrementis.

Sane dilectus filius Mutius Vitelleschus, Societatis IESU Praepositus Generalis, Nobis nuper exponi fecit, quod Clerici Regulares eiusdem Societatis qui ad solemnem Professionem in dicta Societate admittuntur, post emissam Professionem huiusmodi, inter alia, infra scripta simplicia vota emittere consueverunt verbis subsequentibus, videlicet: — "Ego N., Professus Societatis IESU, promitto DEO omnipotenti coram eius Virgine Matre, et tota curia coelesti, et coram Reverendo Patre Praeposito Generali, (vel coram N., locum Praepositi Generalis tenente) numquam me acturum quacumque ratione vel consensurum, ut quae ordinata sunt circa paupertatem in Constitutionibus Societatis immutentur, nisi quando, ex causa iusta rerum exigentium, videretur paupertas restringenda magis. Promitto praeterea, numquam me curatu- 31 Ian. 1618

Votum de non relaxanda Societatis paupertate.

PAULI V 31 Ian. 1618

et de non ambienda aliqua praelatione, dignitate.

rum praetensurumve extra Societatem praelationem aliquam vel dignitatem, nec consensurum in mei electionem, quantum in me fuerit, nisi coactum obedientia eius, qui mihi praecipere potest sub poena peccati. „ — Cum vero vota huiusmodi laudabilibus praedictae Societatis institutis convenientia sint: Nos ad eximios et uberes fructus, quos eiusdem Societatis Clerici in agro dominico in dies faciunt, considerationis Nostrae dirigentes intuitum; ne Societas praedicta processu temporis aliquod in spiritualibus detrimentum faciat, quantum cum Domino possumus, providere volentes; supplicationibus eiusdem Mutii Praepositi Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: quod de caetero perpetuis futuris temporibus, cum Clericis eiusdem Societatis super votis praedictis, nisi per Nos aut Romanum Pontificem pro tempore exsistentem, dispensari nullatenus possit, apostolica auctoritate, tenore praesentium decernimus et ordinamus; ac facultatem super votis praedictis dispensandi Nobis et Romano Pontifici pro tempore exsistenti reservamus; decernentes, quascumque votorum praedictorum dispensationes contra praesentium tenorem quandocumque faciendas, nullas, irritas et inanes, nulliusque roboris vel momenti; praesentes vero litteras validas, firmas et efficaces exsistere et fore, et ab omnibus et singulis ad quos spectat inviolabiliter observari debere; sicque per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, et causarum Palatii apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et Nuntios, quavis auctoritate fungentes, ubique iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, quidquid secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Dispensatio in utroque reservatur Romano Pontifici.

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, etc.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die trigesimo primo Ianuarii MDCXVIII, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

S. Card. S. Susannae.

GREGORII XV

FACULTAS ERIGENDI CONGREGATIONES IN RESIDENTIIS.

GREGORIUS PAPA XV
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

GREGORII XV 15 Apr. 1621

Alias pro parte quondam Claudii Aquavivae Praepositi Generalis Societatis Iesu, fel. rec. Gregorio Papae XIII, praedecessori Nostro, exposito, externos scholares ad Collegia eiusdem Societatis in diversis mundi partibus instituta studiorum causa confluentes, ad pia quaedam et laudabilia scholarum Collegii praedictae Societatis de Urbe exercitia ferventi studio incitari; exindeque, dictis Collegiis maiorem in dies propagationem accipientibus, multiplices fructus ad Dei gloriam, ac eius divini Nominis cultum, et B. Mariae Virginis hono-

GREGORII XV

15 Apr. 1621

Erectio primariae Congregationis a Gregorio XIII approbata,

rem, publicam salutem et animarum spiritualem consolationem provenire coepisse; idem praedecessor ad laudabile eorumdem scholarium in piis operibus et officiis huiusmodi studium conservandum atque augendum, dicti Claudii Praepositi supplicationibus inclinatus, in ecclesia Annuntiationis B. MARIAE sita in corpore aedificiorum dicti Collegii Urbis, in qua ab eiusdem Collegii scholaribus, sub illius Rectoris et aliorum dictae Societatis Religiosorum directione instructis, tam piarum et fructuosarum exercitationum institutum primordium suum habuerat, unam seu unum externorum scholarium dicti Collegii, ac cum eis simul etiam aliorum Christi fidelium Societati praedictae devotorum Congregationem seu primarium Sodalitium, sub titulo eiusdem Annuntiationis B. MARIAE per dictum Claudium tunc, et pro tempore exsistentem Praepositum Generalem, vel eo absente aut esse desinente, donec novus succederet, Vicarium etiam Generalem dictae Societatis dirigendum seu dirigendam, sine tamen ipsius Societatis praeiudicio, apostolica auctoritate perpetuo erexit et instituit, pluresque indulgentias etiam plenarias et peccatorum remissiones scholaribus et Christi fidelibus praedictis concessit; ac Praeposito seu Vicario praedicto, ut in quibusvis aliis dictae Societatis Collegiis extra Urbem per universum orbem tunc et pro tempore erectis et erigendis, sive eorum ecclesiis, pro dictorum operum incremento et animarum salute, quascumque alias sive alia scholarium inibi bonarum litterarum studio insistentium, ac simul cum eis etiam aliorum Christi fidelium, ut praefertur, devotorum Congregationes sive Sodalitia, sub eodem titulo, in singulis scilicet Collegiis singulas seu singula, quae a primaria Congregatione seu primario Sodalitio praedicto tamquam membra a capite suo dependerent, erigere et instituere, illasque seu illa eidem primariae Congregationi seu primario Sodalitio aggregare, illisque sic erectis et aggregatis eorumque sodalibus praedictas et quascumque alias indulgentias et peccatorum remissiones, relaxationes, gratias et facultates, ab eodem praedecessore et Sede Apostolica ipsi primariae Congregationi seu primario Sodalitio eatenus concessas et de caetero concedendas, communicare, et alia facere posset, itidem etiam perpetuo concessit et indulsit, sub certis modo et forma tunc expressis.

cum indulgentiis.

Facultas alias eidem aggregandi.

Sixti V confirmatio, et ampliatio facultatis aggregandi alias non scholarium Congregationes.

Et subinde pro parte dicti Claudii piae mem. Sixto Papae V, etiam praedecessori Nostro, exposito quod ex Congregationibus seu Sodalitiis huiusmodi novi in dies, atque eo maiores quo plures erant sodales, fructus provenire noscebantur, et in multis Collegiis pro sodalium frequentia ac disparitate opus fuerat non unam tantum sed plures in eodem Collegio Congregationes huiusmodi instituere, quam etiam in eisdem Collegiis ac etiam Domibus dictae Societatis, alia non studiosorum scholarium, sed aliorum piorum Christi fidelium Sodalitia seu Congregationes passim instituebantur; idem Sixtus praedecessor supplicationibus dicti Claudii ea in parte inclinatus, eidem Claudio et pro tempore exsistenti dictae Societatis Praeposito seu Vicario Generali, ut in quibusvis eiusdem Societatis ecclesiis seu Domibus ac Collegiis, tam in dicta Urbe quam extra eam per universum orbem tunc et pro tempore

erectis seu erigendis et instituendis, quasvis alias sive scholarium tantum, sive aliorum Christi fidelium tantum, sive utrorumque simul, tam sub eodem B. MARIAE Annuntiatae, quam alio quovis titulo et invocatione, Congregationes seu Sodalitia, unum scilicet vel plura in singulis locis vel ecclesiis, pro personarum frequentia seu qualitate, auctoritate apostolica, sine tamen alicuius praeiudicio, perpetuo erigere et instituere; nec non Congregationes seu Sodalitia huiusmodi, tunc et pro tempore erecta et instituta, eidem primariae Congregationi seu primario Sodalitio etiam perpetuo aggregare; eisque sic erectis, institutis et aggregatis respective, eorumque sodalibus scholaribus et non scholaribus, omnes et singulas tam plenarias quam alias indulgentias et peccatorum remissiones ac relaxationes, nec non exemptiones, immunitates caeterasque gratias, facultates, indulta et privilegia spiritualia, tam dictae Primariae quam singulis aliis, in quibusvis dictae Societatis Collegiis vel Domibus aggregatis vel aggregandis, scholarium et aliorum Congregationibus seu Sodalitiis, tam per dictum Gregorium, quam alios quoscumque Romanos Pontifices, praedecessores suos, ac Sedem praedictam, ac etiam regia et imperiali auctoritate, ac tam per viam extensionis quam alias quomodolibet et quomodocumque tunc concessas et concessa ac in posterum concedendas, quibuscumque aliis, sive scholarium dumtaxat, sive utrorumque simul ac mixtim Congregationibus seu Sodalitiis, in quibuslibet Collegiis ac Domibus dictae Societatis tunc institutis et in posterum instituendis, eorumque sodalibus scholaribus et non scholaribus, etiam perpetuo communicare, illasque et illa ad easdem omnes Congregationes seu Sodalitia, eorumque sodales etiam non scholares indifferenter et aeque principaliter extendere, ac etiam illis concedere et elargiri libere et licite valeret, dicta auctoritate concessit, et alias prout in Gregorii et Sixti praedecessorum praedictorum desuper confectis litteris plenius continetur.

Petitio.

Cum autem, sicut pro parte dilecti filii Mutii Vitelleschi, moderni dictae Societatis Praepositi Generalis, Nobis nuper expositum fuit, ex praedictarum Congregationum seu Sodalitiorum erectionibus et institutionibus uberes in vinea Domini fructus emanaverint, et in dies, benedicente Domino, producantur; in nonnullis vero civitatibus et locis, non Collegia seu Domus Professae, sed pro illorum seu illarum principio quaedam Domus dumtaxat, Residentiae nuncupatae, dictae Societatis erigi possint; et propterea, ne oriatur dubium, an scilicet dictae Societatis Praepositus seu Vicarius Generalis pro tempore exsistentes, in huiusmodi Residentiis vel earum ecclesiis, Congregationes seu Sodalitia in vim litterarum praedictarum erigere possint, sibi per Nos, ut infra, opportune provideri summopere desideret: Nos, piis dicti Mutii desideriis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, ipsumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes; ac litterarum praedictarum tenores prae-

GREGORII XV

15 Apr. 1621

Facultas erigendi Congregationes etiam in Residentiis, et eas aggregandi etc.

sentibus pro expressis habentes, supplicationibus eius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: eidem Mutio, moderno, et pro tempore exsistenti dictae Societatis Praeposito seu Vicario Generali, ut in quibusvis eiusdem Societatis Residentiis seu illarum ecclesiis per universum orbem exsistentibus, Congregationes seu Sodalitia huiusmodi, sicut in aliis dictae Societatis ecclesiis seu Domibus ac Collegiis potest, eadem auctoritate, sine alicuius praeiudicio, perpetuo erigere et instituere; illasque seu illa nunc et pro tempore erecta et instituta eidem primariae Congregationi seu primario Sodalitio, dicta auctoritate etiam perpetuo aggregare, eisque sic erectis, institutis et aggregatis respective, eorumque sodalibus scholaribus et non scholaribus omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac relaxationes, nec non exemptiones, immunitates, caeterasque gratias, facultates, indulta et privilegia spiritualia et temporalia praedicta similiter perpetuo communicare; illasque et illa ad easdem omnes Congregationes seu Sodalitia in dictis ecclesiis vel earum Residentiis erectas seu erecta, vel erigendas aut erigenda, eorumque sodales etiam non scholares indifferenter et aeque principaliter extendere, ac etiam illis concedere et elargiri libere et licite valeat, servata alias in omnibus et per omnia litterarum praedictarum forma, dicta auctoritate tenore praesentium facultatem concedimus et impartimur.

Decernentes praedictas Gregorii et Sixti praedecessorum, nec non praesentes litteras, sub constitutione rec. mem. Clementis Papae VIII, similiter praedecessoris Nostri, super modo et forma Confraternitates erigendi, aggregandi, edita, minime comprehendi, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus praemissis, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus illis quae dicti praedecessores in litteris suis praedictis voluerunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut praesentium transsumptis etiam impressis, Secretarii ipsius Societatis vel Notarii publici manu subscriptis, et personae alicuius in dignitate ecclesiastica constitutae vel pro tempore exsistentis Praepositi aut Vicarii Generalis eiusdem Societatis sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. MARIAM maiorem, sub annulo Piscatoris, die decimo quinto Aprilis MDCXXI, Pontificatus Nostri anno primo.

GREGORII XV

INDULGENTIAE DOCENTIBUS, DISCENTIBUS,

PROMOVENTIBUS ETC. DOCTRINAM CHRISTIANAM.

GREGORIUS PAPA XV
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

GREGORII XV

PIETATIS ET CHRISTIANAE charitatis opera ubique cum divini cultus incremento exerceri cupientes, Christi fideles quoscumque, praesertim sub suavi Religionis iugo Altissimo famulantes, ut ad illa exercenda promptiores reddantur, indulgentiis et peccatorum remissionibus invitamus, prout ad christianam propagandam religionem et animarum salutem procurandam conspicimus in Domino salubriter expedire.

Peculiare studium Societatis in tradenda doctrina christiana.

Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filii Clerici Societatis IESU, inter pia quae exercent opera, peculiare illud institutum, iuxta vota per eos emissa, summa pietate et diligentia amplectantur, ut nimirum pueros et adultos quoscumque per universum christianum orbem catholicae fidei rudimenta et christianas omnes virtutes accurate doceant: Nos pro Nostri pastoralis officii munere, hoc pium christianaeque reipublicae necessarium opus, ex quo hactenus uberrimi fructus provenerunt, ac multo uberiores posthac proventuros speramus, confovere volentes; ut eorumdem Clericorum devotio ad dictum opus exercendum in dies magis augeatur, de omnipotentis DEI misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, supplicationibus quoque dilecti filii Mutii Vitelleschi, praedictae Societatis Praepositi Generalis, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; omnibus et singulis dictae Societatis Clericis, ac aliis universis Christi fidelibus ubivis locorum exsistentibus, ac cum eisdem Clericis in infra scriptis cooperantibus, qui de Superiorum suorum licentia respective, ac de consensu Ordinariorum locorum, pueros et adultos quoscumque doctrinam christianam, iuxta decreta sacri Concilii Tridentini docere, aut eidem, dum docetur, interesse consueverint, si vere poenitentes et confessi, Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, die festo, ab eisdem Ordinariis in ecclesiis, in quibus doctrina christiana docetur, semel in anno designando, refecti fuerint, plenariam; nec non ipsis, qui vere etiam poenitentes et confessi dictum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, aut id facere non valentes, animo contrito nomen IESU, saltem corde, in mortis articulo invocaverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea eisdem qui, pariter vere poenitentes et confessi, semel quolibet mense Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, septem annos et totidem quadragenas.

27 Sept. 1622

Conceduntur plenariae indulgentiae semel in anno,

et in hora mortis.

Indulgentia 7 annorum et totidem quadragenarum.

Qui vero in causa fuerint, ut pueri,

GREGORII XV

27 Sept. 1622

Indulgentiae stationum etc.

famuli aut quaevis aliae personae ad doctrinam christianam eant, ducentos dies; et qui diebus stationum eiusdem Urbis hanc doctrinam in ecclesiis aut oratoriis de Ordinariorum licentia docuerint, ac etiam illi qui ad eamdem discendam accesserint, easdem indulgentias consequantur, quas consequerentur et consequi possent si ecclesias stationum eiusdem Urbis personaliter visitarent; easdem etiam indulgentias visitatores scholarum doctrinae huiusmodi, qui ex commisso sibi officio visitabunt illas scholas quas illo die visitare poterunt, consequantur, si peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint.

Insuper eisdem, qui diebus feriatis hanc doctrinam christianam aut publice aut privatim, ut praemittitur, explanaverint, centum dies; nec non omnibus et singulis Praeceptoribus, qui diebus festis discipulos suos ad doctrinam christianam duxerint, eosque illam docuerint, septem annos; et qui diebus feriatis in propriis scholis eamdem doctrinam explicaverint, centum dies: praedictis etiam Clericis, qui in ecclesiis seu oratoriis, ubi doctrina christiana docetur, verbum Dei praedicaverint aut collationes fecerint, licet illo die non intervenerint in aliqua schola docendi causa, septem annos; omnibus autem et singulis patribus et matribus familias, qui in suis domibus liberis, famulis et familiaribus utriusque sexus doctrinam christianam similiter explanaverint, qualibet vice id fecerint, centum dies: item iis, qui per civitates, terras et alia loca, viros, mulieres aut pueros ad discendam eamdem doctrinam christianam, docendi causa circumierint, septem annos; ac etiam qui extra civitates ad illam, ut praefertur, docendum, per castra et villas exierint, decem annos; omnibus etiam et singulis Christi fidelibus, qui per mediam horam doctrinae praedictae, aut discendi aut docendi causa, studuerint, aut eidem doctrinae interfuerint, centum dies; eisdem etiam, qui doctrinam praedictam docere solent, si infirmos visitaverint, quoties id fecerint, ducentos dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis, in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut si aliquae aliae indulgentiae praedictis Clericis praemissa peragentibus, a Nobis vel praedecessoribus Nostris, ad tempus nondum elapsum vel perpetuo duraturae, concessae fuerint, praesentes nullae sint; utque etiam praesentium transsumptis etiam impressis, manu Secretarii subscriptis, et sigillo Praepositi Generalis dictae Societatis vel alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transsumptis habeatur fides.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die vigesimo septimo Septembris MDCXXII, Pontificatus Nostri anno secundo.

S. Card. S. Susannae.

URBANI VIII

BULLA CANONIZATIONIS B. P. N. IGNATII DE LOYOLA,

CELEBRATAE PER GREGORIUM XV.

URBANUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

URBANI VIII

RATIONI CONGRUIT, et convenit aequitati, ut ea quae de Romani Pontificis providentia processerunt, licet eius superveniente obitu litterae apostolicae desuper confectae non fuerint, suum debitum consequantur effectum.

§ 1. Excitaverat Dominus spiritum Ignatii Loyolae ad disseminandum Nomen eius ac fidem propagandam in Indiarum et aliorum locorum remotissimis insulis, pro quibus magis exercendis instituit Societatem IESU. Ideoque ex his causis Gregorius XV decrevit intendere eius canonizationi.

Dudum siquidem fel. rec. Gregorius Papa XV, praedecessor Noster, pie attendens, quod ineffabilis DEI bonitas et misericordia (quae miro consilio suis quaeque temporibus apte disponit, et praeteritis saeculis, sive ad disseminandum Evangelium inter gentes, sive contra subnascentes haeresiarchas, destinavit plures sanctitate ac doctrina illustres viros) novissimis temporibus, cum pii Lusitanorum Reges in longinquas Indiarum terras ac remotissimas insulas late patentem vineae Domini propagandae aditum aperuissent, nec minorem Catholici Castellae Reges novum in orbem ad occidentem repertum patefacerent; veterem autem religionem, omnemque illius sanctitatem ac perfectioris vitae professionem Lutherus, monstrum teterrimum, aliaeque detestabiles pestes, blasphemis eorum linguis in septemtrionis partibus corrumpere et depravare, ac Sedis Apostolicae auctoritati detrahere conarentur: excitavit spiritum Ignatii Loyolae, qui ex medio honorum cursu et a saeculari et terrena militia admirabili quadam ratione vocatus, ita se divino imperio regendum et formandum tradidit, ut demum nova Societatis IESU, quae inter alia pietatis et charitatis opera, gentilibus convertendis, haereticis ad fidei veritatem revocandis et Romani Pontificis potestati tuendae ex instituto se totam impendit, Religione fundata, vitam admirabili sanctitate traductam sanctissimo pariter concluserit exitu, ac plurimis sit miraculis illustratus; eiusdem Ignatii catalogo Sanctorum adscriptioni, de qua dudum agebatur, decrevit intendere. 6 Aug. 1628

§ 2. Pro qua antea Reges et Principes, ac ipsius Societatis Religiosi, aliique apud Clementem VIII instituerunt.

Quippe, increbrescente in dies in diversis mundi partibus ipsius Ignatii sanctitatis fama et miraculorum gloria; cum clarae mem. Philippus II et Philippus III, Hispaniarum Reges Catholici, et Maria similis mem. Maximiliani II Romanorum Regis illustris in Imperatorem electi, et Margarita dicti Philippi III Regis coniuges, nec non plures ecclesiarum Praesules et populi, una cum dilectis filiis Praeposito et aliis dictae Societatis Religiosis, apud piae mem. Clementem Papam VIII, etiam praedecessorem Nostrum, oblatis illi processibus per diversos locorum Ordinarios, etiam auctoritate tunc exsistentis Sedis Apo-

URBANI VIII

6 Aug. 1623

stolicae in regnis Hispaniarum Nuntii, super praedictis sanctitate et miraculis fabricatis, pro litterarum remissorialium et compulsorialium ad faciendos pro canonizatione processus concessione, institissent;

§ 3. Ipse Pontifex negotium discutiendum commisit Cardinalibus super sacris ritibus deputatis, qui postea censuerunt canonizandum, si Pontifici placuisset; sed morte praeventus nihil desuper constituit.

Ipseque Clemens praedecessor oblatos processus et petitionem ad dilectos filios Nostros, tunc suos, S. R. E. Cardinales super sacris ritibus deputatos discutiendos commisisset; dictique Cardinales petitioni praedictae satis faciendum esse censuissent, si ita eidem Clementi praedecessori placuisset; et dictus Clemens praedecessor, morte praeventus, nihil desuper constituere potuisset;

§ 4. Similiter Paulus v, ad instantiam praedictorum et Henrici iv Regis Christianissimi, commisit Rotae Auditoribus, ut causa huiusmodi e statu quo tunc reperiebatur reassumentes, ultra procederent.

Similis rec. Paulus Papa v, similiter praedecessor Noster, repetitis per dictos Principes ac Praepositum et Religiosos ac novis per clarae etiam mem. Henricum iv Francorum et Navarrae Regem Christianissimum porrectis instantiis permotus, praedicto Gregorio praedecessori tunc in minoribus constituto, et officio Auditoris causarum palatii apostolici fungenti, ac dilectis filiis Alphonso Manzanedo et Ioanni Baptistae Pamphilio, etiam causarum earumdem Auditoribus, dedit in mandatis, ut causam huiusmodi in statu et terminis quibus reperiebatur reassumentes, coniunctimque procedentes, acta omnia et probationes perpenderent; et si opus esset, alios testes super vita et miraculis eiusdem Ignatii, per se et alios ab eis subdelegandos, de novo in genere reciperent, et super his suum ipsorum interponerent iudicium, ut si ex iis constaret inquisitiones, probationes ac processus huiusmodi esse legitime factos, causamque sufficienter esse instructam, ea posset ipse Paulus praedecessor exsequi, quae sanctorum Patrum dogmata et sacrorum canonum postulant instituta.

§ 5. Dictique Auditores, omnibus bene consideratis, ac aliis desuper formatis processibus, ea ad Cardinales super sacris ritibus transmiserunt, de quorum sententia ipse Paulus eum Beatum nuncupari, ac Missam et officium de eodem posse celebrari indulsit.

Unde dicti Auditores, visis et diligenter discussis processibus coram eis exhibitis, censuerunt cum illis debere coniungi processus auctoritate apostolica conficiendos; et ad hunc effectum per se ipsos in Romana Curia, et per nonnullos Archiepiscopos et Episcopos extra eam in diversis mundi partibus ab eis subdelegatos, iuridicos processus super praemissis confici curarunt. Quibus, iussu eiusdem Pauli praedecessoris, ad eosdem Cardinales super sacris ritibus, ut praefertur, deputatos transmissis, et per eos visis et perpensis, idem Paulus praedecessor, ex sententia eorumdem Cardinalium, quod dictus Ignatius Beatus nuncupari et de eo Missa et officium de communi Confessoris non Pontificis celebrari posset, benigne concessit et indulsit.

§ 6. Deinde, cum preces pro dicta canonizatione in dies fierent auctiores, omnia praedicta diligentissime examinari mandavit eisdem Auditoribus.

Et deinde, cum preces eorum, qui pro canonizatione eiusdem B. Ignatii institerant, fierent in dies auctiores, volens idem Paulus praedecessor in huiusmodi causa secundum consuetudinem sanctae Sedis Apostolicae procedere, eisdem Auditoribus per speciale rescriptum mandavit, ut processus factos etiam de novo perpenderent, et alios testes super veritate praemissorum in specie diligentissime examinarent, et ipsi Paulo praedecessori referrent.

§ 7. Qui postea eidem Paulo retulerunt, omnia desuper firmata, rite ac recte fuisse peracta, ac miracula et sanctitatem satis fuisse probata.

Quod quidem mandatum Auditores praedicti exsequi, prout par erat, volentes, causam similiter de novo excutere coeperunt, et alios quamplures testes super eisdem praemissis per se ipsos receperunt in dicta Curia, et per alios ab eis subdelegatos extra eam examinari curarunt; ac nonnulla iura ad causam facientia ex

archivio dictae Societatis extraxerunt, et Alphonsus ac Ioannes Baptista Auditores praedicti, nec non dilectus filius Noster Franciscus eiusdem S. R. E. Cardinalis Sacratus nuncupatus, tunc, tamquam Archiepiscopus Damascenus, unius ex Auditoribus causarum dicti palatii locum tenens, et in locum dicti Gregorii praedecessoris, qui iam ad ecclesiam Bononiensem assumptus fuerat, subrogatus, in pluribus congregationibus inter eos habitis de novo fabricatos et alios processus praedictos etiam perpenderunt, illosque legitime confectos ac probationes in eis contentas rite et recte peractas, ac sanctitatem et miracula satis superque probata fuisse praedicto Paulo praedecessori retulerunt.

§ 8. Ipso Paulo defuncto, Praepositus Soc. Iesu institit apud dictum Gregorium xv, pro ipsius Beati canonizatione, qui omnia Cardinalibus sac. rit. recognoscenda remisit.

Cumque, ipso Paulo praedecessore viam universae carnis ingresso, dictus Praepositus eiusdem Societatis humiliter apud Gregorium praedecessorem praedictum institisset, ut ad ulteriora in canonizatione eiusdem B. Ignatii procedere dignaretur: idem Gregorius praedecessor, illius petitionem benigne audiens, relationem, ut praefertur, factam ad eosdem Cardinales super praedictis sacris ritibus deputatos, recognoscendam etiam remisit.

§ 9. Postea Cardinali a Monte suam sententiam in Consistorio secreto exposuit, in quam etiam alii Cardinales devenerunt, ut scilicet dictus B. Ignatius posset inter Sanctos referri.

Cumque, pendente dictae relationis discussione, supervenissent charissimi in Christo filii Nostri Ludovici Francorum et Navarrae Regis Christianissimi primum, mox vero nobilis viri Maximiliani utriusque Bavariae Ducis, et successive etiam charissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi Romanorum Regis in Imperatorem electi preces acessissent, dictique Cardinales relationem praedictam comprobassent: venerabilis Frater Noster Franciscus Maria Episcopus Portuensis, eiusdem S. R. E. Cardinalis a Monte nuncupatus, rei summam suamque et aliorum, ut praefertur, deputatorum Cardinalium sententiam in Nostro, tunc eiusdem Gregorii praedecessoris, Consistorio secreto exposuit; et alii qui in illo Consistorio aderant Cardinales, dilecti filii Nostri, in eamdem sententiam devenerunt, posse videlicet dictum Gregorium praedecessorem iuxta sacros dictae S. R. E. ritus dictum B. Ignatium inter Sanctos referre.

§ 10. Et ad ulteriora devenire volens, mandavit Pontifex nonnulla de eodem recenseri.

Quare idem Gregorius praedecessor ad ulteriora procedi mandavit. Voluerat autem ipse Gregorius praedecessor nonnulla ex iis, quae in processibus et actis de vita, sanctitate et miraculis eiusdem B. Ignatii constabant, in eodem Consistorio recenseri, videlicet:

§ 11. Oritur in Hispaniis ex catholicis nobilibusque parentibus.

Natus est B. Ignatius in ea Hispaniarum regione, quae ad Pyrenaeum pertinet, ad oppidum Azpeitiae Pampilonen. dioecesis, anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo primo ex Beltramo Loyola et Maria Sanchez, nobilibus, catholicis et piis parentibus, qui simili pietate filium educandum curarunt.

§ 12. Pampilonensi civitate a Gallis obsessa, B. Ignatio ibi dimicanti tibiae laesae fuerunt a lapide ex vi bombardae e muro excusso; quae vulnera patienter ferens, cum libros sibi ad legendum offerri petiisset, profanis libris tunc non repertis ac piis porrectis,

Adolescens ille factus, cum esset eximia et animi et corporis indole, missus fuit in clarae similiter mem. Ferdinandi Regis Catholici Curiam; ubi cum inter honorarios pueros aliquamdiu mansisset, ad tunc exsistentem Navarrae Proregem, in civitate Pampilonen. degentem, se contulit et rei militari operam dare coepit. Cumque dicta civitas ab exercitu Gallorum obsideretur, ipsi Ignatio ante alios dimicanti lapis ex muro bombardae vi excussus laevam laesit tibiam, dexteram vero ita confregit, ut semivivus corruerit; quo-

ex eorum lectione adeo fuit incensus, ut Christi et Sanctorum vestigia sequi, Hierosolymam proficisci, ac animarum saluti incumbere decreverit.

rum vulnerum acerbam, gravem et diuturnam curationem ita patienter tulit, ut omnibus esset domesticis admirationi. Cumque eidem, in lecto affixo, libros profanos, tunc sic Deo volente non repertos, petenti, nonnulli pii libri legendi causa porrecti fuissent, ex eorum lectione tam ardenter fuit incensus, ut ingenti sui odio concepto, decreverit Christi et Sanctorum vestigia sequi, Hierosolymam proficisci, ut sacra illa loca veneraretur, et fideles in spiritu promoveret, ac infideles ad Evangelium adduceret.

§ 13. Curatis vulneribus, ac omnibus caducis rebus relictis, ad monasterium B. Mariae de Monte Serrato Ordinis S. Benedicti perrexit, ibique armis suspensis, aspera indutus tunica, fune praecinctus, ac nudo capite se penitus divino cultui addixit.

Curatis ergo vulneribus, patriam, parentes, res omnes fluxas et caducas reliquit; et Christo deinceps militaturus, ad monasterium B. Mariae de Monte Serrato Ordinis S. Benedicti Vicen. dioecesis perrexit, ibique generali confessione peracta, gladio et pugione in templo eiusdem monasterii suspensis, aspera talari tunica indutus, fune praecinctus, nudo capite, baculum manu gestans, totam eam noctem, cui dies festus angelicae salutationis illuxit, ante aram eiusdem B. Mariae Virginis inter preces et lacrymas vigilavit, seque penitus divino cultui, novum exinde militiae genus secuturum, addixit.

§ 14 Minorissam inde petiit, et in quodam specu prope amnem asperam et pauperem vitam transegit, sordidis etiam hominibus inserviens.

Minorissam inde vicinum oppidum petiit, et ad hospitale S. Luciae divertit; et in eo, et quodam specu ad praeterfluentis amnis ripam sito, faciens dignos poenitentiae fructus, pauperem atque asperam vitam transegit inter egentes et sordidos homines, quibus etiam humillimis inserviebat obsequiis.

§ 15. Postea Roma ac Venetiis perlustratis, 30 annos natus grammaticae, philosophiae et theologiae studuit, Sociis adhibitis, inter quos Franciscus Xaverius, contracto cum eis voto, ut post studia Hierosolymam adirent, evangelica contenti paupertate proximorum saluti inservituri, si per annum illum navigandi occasionem habuissent; alias illo voto absoluti Romam irent, et suam ipsorum operam Rom. Pontifici offerent.

Post aliquod vero tempus almam Urbem Nostram, et successive Venetias ac postmodum Hierosolymam contendit; et perlustratis sacris locis, ibidem permanere et animarum saluti incumbere vetitus, rediit ad partes Hispaniarum, et quo melius posset in spiritu proximis utilitatem afferre, triginta iam natus annos, grammaticae primo in civitate Barchinonen., et deinde Compluti philosophiae et theologiae per annum cum dimidio operam dedit; ac demum Parisiis omnia illa studia repetiit, ex eleemosynis victitans, et officia charitatis, humilitatis et poenitentiae non intermittens, Sociis eiusdem propositi, inter quos fuit Franciscus Xaverius vir sanctus et Indiarum apostolus, collectis, et voto cum eis nuncupato, ut consummatis studiis incoeptis, evangelica contenti paupertate, Hierosolymam omnes adirent unanimi ac summo conatu saluti proximorum inservituri: quod si per annum navigandi se non offerret occasio vel Hierosolymis permanere prohiberentur, illo voto absoluti Romam irent, et suam ipsorum operam Summo Pontifici in auxilium spirituale proximi offerrent.

§ 16. Sed propter morbum stomachi quo afflictabatur rediit in patriam anno 1535, ibique victum emendicans, pauperibus inserviens per tres menses fuit.

Verum, cum ex studiorum laboribus et vigiliis gravem stomachi morbum Parisiis contraxisset, iussu medicorum et ex sociorum consilio, in patriam rediit anno eiusdem Domini millesimo quingentesimo trigesimo quinto; ibique per tres menses in hospitali S. Mariae Magdalenae, ostiatim victum emendicans et pauperibus inserviens, tempus sedulo traduxit.

§ 17. Deinde Venetias profectus, ibi ad Sacerdotium promoveri voluit, et paupertatis castitatisque votum in manu Nuntii Apost. emisit.

Quo transacto, cum convaluisset, Venetias, quo socii ex composito venire debebant, etiam ipse profectus, in ea civitate ad Sacerdotium promoveri voluit; et paupertatis castitatisque in manibus Hieronymi Veralli Archiepiscopi Rossanen., in ea tunc Sedis Apostolicae Nuntii, votum emisit.

§ 18. Elapso anno,

Et elapso anno inter eos condicto, et navigatione in Palaestinam, pro-

et navigatione in Palestinam interclusa, Romam venit anno 1537, et constitutam operam Paulo III obtulit paratissimam.

pter pacem inter Turcas et Venetos per id tempus sublatam, interclusa, Romam cum Sociis venit anno millesimo quingentesimo trigesimo septimo; ubi a quodam Quirino Garzonio Romano cive in quadam ipsius Garzonii vinea sub Monte Pincio receptus hospitio, constitutam operam piae similiter mem. Paulo III, pariter praedecessori Nostro, ad animarum salutem obtulit paratissimam.

§ 19. *Quam ut uberius tractare posset, Societatem a se institutam cum tribus votis quarto adiuncto, per quod Rom. Pontifici peculiarem obedientiam in missionibus ad infideles, non petito viatico, praestaret, confirmandam ab ipso Paulo curavit.*

Quam causam quo uberius et cumulatius tractare posset, dictam Societatem a se institutam (ad tria cum aliis Religionibus communia vota quarto adiuncto, per quod peculiarem polliceretur Romano Pontifici obedientiam in missionibus, non petito viatico, etiam ad infideles, Turcas, haereticos, schismaticos et quoscumque alios obeundis) a praedicto Paulo III praedecessore confirmandam curavit; eamque postmodum optimis etiam Constitutionibus et legibus stabilivit, et in Praepositum Generalem electus, summa cum prudentia et probitatis laude moderatus est.

§ 20. *Anno 1556, die 31 Iulii, Romae Iesum appellans obdormivit in Domino.*

Ac post multos labores Iesum appellans, in eadem Urbe pie obdormivit in Domino pridie kal. Augusti anni eiusdem Domini millesimi quingentesimi quinquagesimi sexti. Vir vere quem praeelegerat Dominus, ut eorum dux foret, qui portarent eius sanctissimum Nomen coram gentibus et populis, et infideles ad verae fidei cognitionem inducerent, ac rebelles haereticos ad illius unitatem revocarent, suique in terris Vicarii auctoritatem defenderent.

§ 21. *Fide et Spe excelluit.*

Ornavit enim illum Dominus magnitudine et excellentia fidei, et maxima spe communivit, ut satis superque eius testantur actiones.

§ 22. *Utilitatis*

in proximum desiderio adeo exarsit, ut multa pia loca ipsius cura fuerint excitata.

Assiduum autem obsequium, quod pauperibus et aegrotis exhibuit in hospitalibus, et eleemosynarum distributio, quas a piis personis suo ipsius studio corrogabat; maxima etiam cura et studium, quod iam inde a principio suae conversionis in eo posuit, ut rudes et pueri doctrinam christianam perdiscerent; et detentorum in carcere visitatio ac sublevatio, quam instituit et exercuit accurate; nec non per universum terrarum orbem missiones quas fecit; et Domus, ecclesiae et Collegia quae erexit, et in dicta Urbe, praeter scholas grammaticae et humaniorum litterarum, quas gratis aperuit, Collegium Germanicum, ac orphanorum et catechumenorum domus, et S. Marthae ac S. Catharinae monasteria, aliaque loca pia quae excitari curavit; et dissidentium reconciliatio, salubria consilia data, et Spiritualia Exercitia ab eo composita, Sacramentorum frequentationes procuratae; iniuriarum denique remissio et pro inimicis oratio, quam ardenter amaret proximum propter Deum plane demonstrant.

§ 23. *Dilectione erga Deum emicuit.*

Deum autem ipsum quantopere diligeret, patet ex illa summa cura et diligentia, qua studuit propter Deum proximo in spiritualibus et temporalibus semper benefacere, et ex maxima vigilantia qua curavit cor suum mundum custodire. A sua enim conversione nullum in eo deprehensum est dictum factumve, quod censeri posset esse peccatum mortale; omnes suas cogitationes, verba et opera in Deum tamquam in finem referebat, et ad Deum et Dei gloriam et honorem destinabat; atque haec verba, videlicet: Ad maiorem Dei gloriam, uti symbolum in ore semper habebat.

§ 24. *Prudentia fuit admirabilis.*

Prudentia quoque fuit in eo admirabilis; in negotiis enim ad Dei ho-

URBANI VIII

6 Aug. 1623

norem peragendis prius quidem omnia DEO commendabat, deinde, solerti habita consultatione et rationibus ad examen vocatis, congruentia ad optatum finem adhibebat praesidia, et eo pacto contingentia mala facile declinabat.

§ 25. Iustitiam coluit, et in ea usque ad finem constanter perseveravit.

Eius erga DEUM et homines iustitiam, aspera vita et voluntariae poenitentiae quibus offenso iam DEO satis facere se putabat, spiritus devotio et religio qua DEO reddidit debitum cultum et honorem, gratitudo quoque quam erga suos et Societatis benefactores continuo ostendit, et pura veritas quae ex eius ore sine ulla fallacia, fuco, fictione aut obscuritate procedebat, cum cordis puritate et simplicitate, satis commendant.

§ 26. Animi magnitudine et patientia emicuit.

Animi praeclara magnitudo ex poenitentiis, obsequio erga aegrotos, ex operibus charitatis, a quibus propter labores et difficultates, irrisiones, iniurias et contumelias non recessit, sed in illis constanter usque ad optatum finem perseveravit; patientia vero admirabilis et mansuetudo, ex multis et ingentibus laboribus, ex opprobriis, confusionibus et persecutionibus libenter et alacriter pro DEI amore perpessis, ex gratiarum actione in maledicentes relata, et beneficiis in iniuriantes collatis apparent.

§ 27. Ieiunium servavit etiam per hebdomadam, solo pane et aqua contentus.

Ieiunium ipse adeo coluit, ut eo tempore quo fuit Minorissae et Barchinone, per totam ieiunans hebdomadam, exceptis diebus Dominicis, solo pane vesceretur et aquam biberet; et propter continuatas orationes et abstinentias semel et iterum debilis ac fere sine viribus est inventus.

§ 28. Castitatem custodivit.

Castitatis fuit adeo diligens custos in se et in aliis, ut in Constitutionibus Societatis voluerit illam suis esse tam perfecte servandam, ut eniti debeant, corporis mentisque munditia, angelicam puritatem imitari.

§ 29. Profundae etiam fuit humilitatis.

Profundae etiam humilitatis non obscura dedit indicia, dum, se ad novae vitae genus accingens, noluit suum audire germanum, sibi familiae nobilitatem, opes et in militia strenuitatem, ac futuram inde gloriam repraesentantem; sed, statim atque ex morbo et vulnere convaluit, saeculo nuntium remisit. Idem etiam denotatur, quia in patriam valetudinis causa rediens, cum se a quodam iam cognitum esse animadvertisset, timens honorem quem et germanum et incolas Azpeitiae sibi exhibituros esse intelligebat, noluit cum eo, a quo cognitus fuerat, via recta Azpeitiam proficisci, sed per montes et semitas obliquas solus illuc accessit, et nobile palatium cum vilitate humilis hospitalis libentissime commutavit, nullisque precibus adduci potuit, ut domum paternam ingrederetur.

§ 30. Mundi gloriam ac seipsum contempsit.

Denique non solum vanam mundi gloriam, sed se etiam ipsum egregia magnanimitate contempsit; renuntiatus enim Praepositus Generalis Societatis, tam diu id muneris subire recusavit, quoad eius confessarius ei, ut demandatum reciperet officium, imperavit, et post receptum munus, ut eos, quos in Constitutionibus ad humilitatem hortatur verbo, firmaret exemplo, primum quidem in coquinae ministeriis aliquot versatus est dies, tum docere aggressus est pueros et rudes doctrinam christianam.

§ 31. Adhuc vivi vultum eius splendore circumdatum viderunt B. Philippus Nerius et Oliverius Manareus.

Excellentem vero famuli sui sanctitatem comprobari voluit etiam Altissimus supernaturali splendore vultus, quem, dum viveret, aliquando viderunt B. Philippus Nerius, et quondam Oliverius Manareus Flander eiusdem Societatis Religiosus; ac testimo-

§ 32. Miraculis quoque claruit.

nio miraculorum, quorum plura etsi ab eo vivente facta in processibus recensentur, insigniora tamen post eius felicem dormitionem edita probantur.

§ 33. Moniali ad terram collapsae cui coxendix confracta fuerat, et doloribus ac febri superventis, cum salus ei naturalibus remediis reddi non posset, sanitatem restituit.

Isabella enim Rebelles monialis, Ordinem S. Clarae in monasterio S. Elisabethae Barchinonen. eiusdem Ordinis expresse professa, annos nata sexaginta septem, dum aliquid operis alto in loco molitur, repente tam gravi casu ad terram est collapsa, ut coxendicis seu femoris os, quod maximum est in humano corpore, totum fuerit confractum; et per quadraginta dies et ultra, adhibitis per medicum et chirurgum, eventu plane irrito, medicamentis, ac dolore et febri quae ex confractione supervenerant non cessantibus, aegrota apud omnes erat citra ullam salutis opem, quae saltem naturalibus parari posset remediis, ut eadem die moritura crederetur; petita tamen pia cum religione et impetrata reliquia B. Ignatii, et super coxendicem applicata, statim sana est reddita, et coxendicem ac tibiam, prius tumentem atque immobilem, expedite ac sine dolore movere coepit, et die proxima surrexit ac libere et perfecte ambulavit.

§ 34. Periculosam febrim cum stomachi nausea sanat.

Ioannes Leida Maioricensis in valde acutam et periculosam febrim inciderat; augebat periculum maxima stomachi nausea; post duodecimum vel tertium decimum diem aucto periculo, cum Deo sese per merita B. Ignatii impense commendasset, sequenti nocte somno excitatus, magno splendore circumfusum cubiculum vidit; et uxorem inclamans: Nonne, inquit, vides me a B. Ignatio sanatum? et illucescente die, sanus et valens sine alicuius auxilio e lecto surrexit et vestibus se induit, ac in gratiarum actionem templum Societatis expedite adiit.

§ 35. Puero lethale vulnus, quod in supercilio prope tempora acceperat, consolidavit.

Hieronymus Honuphrius Etruscus, incola oppidi Gandiae Valentin. dioecesis, puer decennis, cum lethale in supercilio prope tempora vulnus accepisset, propter quod totius oculi tumor et vehemens febris accesserant, et post adhibita per mensem integrum per chirurgum, ex artis praescripto, medicamenta, vulnus non solum non solidaretur, sed adeo latum et profundum esset, ut linamentum digitale inserendum esset, ac tanta sanies et putredo flueret, ut chirurgus ipse miraretur et crederet os aliquod intus confractum, et alterum chirurgum etiam vocari iussisset, et ambo coram infirmo convenissent; remotis fasciis quibus vulnus erat opertum et obligatum, praeter omnem exspectationem, meritis B. Ignatii cui mater pueri, voto iam facto, illum commendaverat, vulnus illud penitus obductum, clausum et solidatum invenerunt.

§ 36. Obstructiones seu hydropisim confirmatam, ventri admota imagine, expulit.

Magdalena Talavera, in eodem oppido Gandiae commorans, cum per tres annos gravibus laborasset obstructionibus, quae in hydropisim, quam confirmatam appellant, terminaverant, eiusque ventrem adeo tumentem et inflatum reddiderant, ut se de loco ad locum movere non posset nisi permoleste; videns remedia per duos medicos adhibita sibi nihil profuisse, ad divina confugit subsidia, et voto Deo facto, ac imagine dicti Beati ventri admota, statim melius se habuit, depulsusque est morbus obstructionis et hydropisis ita prorsus, ut intra tres vel quatuor dies detumuerit venter, et exinde illa se bene habuerit.

§ 37. Pestilentem febrim cum mentis stupore ac extraordi-

Ferdinandus Pretel de Mendoza, cum in febrim incidisset tertianam, quae mox in duplicem, deinde in pestilentem una cum mentis stupore et

URBANI VIII

6 Aug. 1623

nariis horroribus sua pariter imagine liberat.

extraordinariis horroribus, ex humorum abundantia et virium naturalium defectu accedentibus, degeneraverat, et ex multis purgationibus incassum adhibitis, vis morbi adeo aucta esset, ut a medicis destitutus, in supremo iam mortis discrimine versaretur; rite confessus, et communione instructus, ac sacro perunctus oleo, manibus tenens imaginem B. Ignatii, quam collo pendentem gestabat, et ex toto corde illi se commendans, convalescere coepit, et morbo est liberatus.

§ 38. Foeminae sexagenariae, paralysis ac apoplexiae morbis vexatae, et humanis remediis destitutae, valetudinem reddit.

Anna Barcelona fere sexagenaria, cum toto biennii spatio morbo paralysis graviter vexata immobilis esset ad omne opus laboris, et gradus ascendere aut ex illis descendere non posset nisi scipionibus innixa, et insuper novus apoplexiae in altero latere morbus accessisset; humanis remediis omnino destitutam se intelligens, voto nuncupato, melius se habere coepit, et toto illo die ac nocte insequenti inchoata valetudo ita est aucta, ut iam illucescente mane, sana omnino ad ecclesiam Collegii dictae Societatis accurrerit expeditissime, gratias Deo ac B. Ignatio redditura.

§ 39. Coecitate laboranti visum restituit.

Ioannae quoque Clarae et Noguerae, mulieri Maioricensi, annos natae quinquaginta sex, coecitate laboranti, videndi facultatem reddidit B. Ignatius.

§ 40. Eius ope, capitis doloribus et oculorum inflammatione oppressi sanitatem et visum recuperant.

Bartholomaeus Contesti chirurgus, adeo acerbis et diuturnis capitis doloribus opprimebatur, ut prae nimio dolore saepe ad terram allideretur: accessit in oculorum altero tam gravis inflammatio, ut alterum etiam divexaret, ita ut ne tenuissimum quidem lucis radium perferre aut aliquantulum quiescere posset, ob idque in tenebroso conditus cubiculo, inde non egrediebatur; et eo deventum est, ut ex intolerando dolore non dubitaret affirmare, quod si quidam chirurgus iam defunctus in humanis ageret, oculum sibi erui iussurus esset: religione demum eximia erga Beatum istum incensus, illius reliquiam ad se afferri iussit, et in puncto quo fuit illa delata, bene se habuit, capitis et oculorum cessavit dolor, visum recuperavit, et lucis splendorem sine ulla offensione sustinuit. Utque intelligeretur subitam curationem divinae virtuti atque intercessioni B. Ignatii tribuendam esse, bis terve sacra reliquia e cubiculo exportata, dolor rediit, eademque in cubiculum reducta, illico morbus discessit; quo facto admonitus Bartholomaeus sacram reliquiam penes se retinuit, atque ita intra tres vel quatuor dies ita perfecte sanatus est, quasi numquam aegrotasset. Quo audito, Columna Cortei et Vich, quae capitis dolore ita vexabatur, ut neque noctu quiesceret, et superveniente in uno oculorum tanto cruciatu, ut palpebram attollere non posset, et caeca denique remansisset, misit qui eamdem reliquiam ad se deferret; qua allata et super oculos, praevia invocatione eiusdem Beati, imposita, palpebra, quae prius per chirurgos aperiri non poterat, confestim ultro ac per se coepit aperiri; cessavit dolor, lucis splendorem Columna pertulit, et intra tres dies paulatim visum omnino recuperavit et perfecte convaluit.

§ 41. Dolorem ex tumore et duritie mammillae evenientem sanat.

Ioanna quoque de Aragona et Pignatella, ducissa Terrae Novae, quae quatuor iam menses vehementissimo dolore cruciabatur ex tumore et duritie alterius mammillae, eoque reducta erat, ut neque pedes neque brachia movere posset, quin sibi viscera transfigi quodammodo viderentur, ad opem

eiusdem Beati confugiens, et illius imaginem religiose de mane venerata et illi se commendans, vespere eiusdem diei sana sine tumore, sine duritie et sine ullo doloris sensu reperta est.

§ 42. Demum his et aliis miraculis permoto dicto Gregorio, in publico consistorio, per consistorialis aulae Advocatum, merita ipsius Beati et Principum ac populorum vota relata fuerunt.

Demum his et quam plurimis aliis permotus idem Gregorius praedecessor, ex antiquo Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum, tunc suorum, instituto, publico prius (in quo praeter praedictos Cardinales, etiam venerabiles fratres Nostri Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi, ac alii Romanae Curiae Praelati et dicti Gregorii praedecessoris familiares dilecti filii convenerunt, et dilectus filius Nicolaus Zambeccarius aulae pontificiae consistorialis Advocatus, dicti B. Ignatii merita et Principum ac populorum super huiusmodi canonizatione vota retulit); et successive altero, quod semipublicum vocant (in quo praedicti omnes, ac etiam Sedis Apostolicae Notarii, et causarum dicti palatii Auditores dilecti filii interfuerunt, et omnes, quod dictus B. Ignatius canonizandus esset, publiciis suffragiis iudicarunt), convocatis consistoriis, toto cordis affectu exsultans in Domino, eumdem B. Ignatium una cum BB. Isidoro agricola et Francisco Xaverio inter Sanctos referendum duxit.

§ 43. Et successive in semipublico consistorio omnes dictum B. Ignatium canonizandum iudicarunt.

§ 44. Omnibus tandem rite et recte expletis, die 12 Martii 1622 dictus Gregorius B. Ignatium Sanctum esse definivit ac SS. Confessorum catalogo una cum BB. Isidoro, Francisco, Philippo ac Theresia adscripsit.

Praescripto itaque canonizationis die festo S. Gregorii, Magni nuncupati, quarto videlicet idus Martii, Pontificatus ipsius Gregorii praedecessoris anno secundo, iterum dictus Gregorius praedecessor est hortatus ad iteratas preces, ieiunia et eleemosynas, ut in tanto opere exsequendo lumen eius, qui lucem habitat inaccesibilem, implorarent ad ea peragenda, quibus divinae gloriae honor et catholicae Ecclesiae fides augeretur. Omnibus vero iuxta Sanctorum Patrum traditiones, sacrorumque canonum instituta, et Romanae Ecclesiae consuetudinem rite et recte peractis, dicta die quarto idus Martii, idem Gregorius praedecesssor ad Principis Apostolorum basilicam cum Cardinalibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Praelatis et ipsius Gregorii praedecessoris familiaribus praedictis, nec non dilectis filiis Clero saeculari et regulari, ac maxima populi frequentia, convenit; et post iteratas primo, secundo ac tertio pro canonizationis decreto petitiones per dilectum filium Nostrum, tunc suum, Ludovicum Tituli S. Mariae Transpontinae Presbyterum Cardinalem Ludovisium nuncupatum, nomine praedictorum qui pro ea institerant: post sacros hymnos, litanias aliasque preces, et post imploratam Spiritus Sancti gratiam, ad honorem Sanctissimae et Individuae Trinitatis, et fidei catholicae exaltationem, et christianae religionis augmentum, auctoritate eiusdem Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, et BB. Petri et Pauli Apostolorum, decrevit et definivit dictum Ignatium Loyolam, praedictae Societatis fundatorem, una cum Isidoro et Francisco praefatis, ac BB. Philippo nec non Theresia, Sanctum et Sanctorum catalogo adscribendum et aggregandum esse, prout adscripsit et aggregavit.

§ 45. Ecclesias quoque et altaria in ipsius honorem aedificari, et festum eiusdem die 31 Iulii celebrari posse statuit.

Statuens, ut ab universis Christi fidelibus in eius honorem ecclesiae et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, aedificari, et quolibet anno dicta die illius obitus, pridie kal. Augusti, festum ipsius et officium, tamquam de Confessore non Pontifice, ad formam in rubricis Romani bre-

URBANI VIII

6 Aug. 1623

viarii praescriptam, solemniter celebrari possint.

§ 46. Sepulcrum eius dicto festo vel octava visitantibus indulgentias elargitus est.

Insuper eadem auctoritate omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui annis singulis ipsius festo ad sepulcrum, in quo corpus eius requiescit, visitandum accesserint, unum annum et quadraginta dies; iis vero qui in eiusdem festi octava id fecerint, etiam quadraginta dies de iniunctis eis, aut alias quomodolibet debitis, poenitentiis misericorditer in Domino relaxavit.

§ 47. Aliamque plenariam impertitus fuit praesentibus canonizationi.

Et decantato solemniter hymno TE DEUM LAUDAMUS, et divina ope implorata S. Ignatii et aliorum Sanctorum praedictorum meritis, per peculiarem ad id orationem quam dictus Gregorius praedecessor pie et solemniter recitavit, sacrosanctum Missae sacrificium solemni pompa et ritu, cum eorumdem Sanctorum commemoratione, ad altare Principis Apostolorum celebravit; et omnibus Christi fidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, ad DEI laudem et gloriam Sanctorum eius, impertitus fuit.

§ 48. Modo SS. Dominus Urbanus quia dictus Gregorius litteras canonizationis, superveniente obitu, expedire non potuit, eas expedit, ac suum effectum ab ipsa die 12 Mart. 1622 consequi debere decernit.

Ne autem de decreto, definitione, adscriptione, aggregatione, statuto, relaxatione, impertitione, aliisque praemissis, pro eo quod super illis ipsius Gregorii praedecessoris litterae, eius superveniente obitu, confectae non fuerunt, valeat quomodolibet haesitari: volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod decretum, definitio, adscriptio, aggregatio, statutum, relaxatio, impertitio, aliaque praemissa a dicta die quarto idus Martii suum debitum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Gregorii praedecessoris litterae sub datum eiusdem diei confectae fuissent, prout superius enarratur: quodque praesentes Nostrae litterae ad probandum plene decretum, definitionem, adscriptionem, aggregationem, statutum, relaxationem, impertitionem et alia praemissa ubique sufficiant, nec ad id approbationis alterius adminiculum requiratur.

§ 49. Transsumptisque huius constitutionis fidem dari vult.

Caeterum, quia difficile foret praesentes Nostras litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus ut earum exemplis etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

§ 50. Decretum poenale superaddit.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam utriusque Nostrarum voluntatum et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis DEI ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Pontificis anno primo die 6 Augusti.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIII, octavo idus Augusti, Pontificatus Nostri anno primo.

Papae subscriptio.

✠ EGO URBANUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Cardinalium subscriptiones.

✠ Ego Franciscus Maria Episcopus Portuen. Card. a Monte.

✠ Ego Octavius Episcopus Praenestin. Card. Bandinus.

✠ Ego Ioannes Baptista Episcopus Albanen. Card. Detus.

✠ Ego Andreas tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Card. Perettus.

✠ Ego B. tit. S. MARIAE in Transtiberim Presbyter Card. Bevilaqua.

URBANI VIII

✠ Ego Dominicus SS. Apostolorum Card. Ginnasius.

✠ Ego Carolus Card. tit. S. Caesarii Madrutius.

✠ Ego S. tit. S. Chrysogoni Presbyter Card. Burghesius maior Poenitentiarius.

✠ Ego Ioannes Garsia tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Cardin. Millinus.

✠ Ego M. tit. SS. Quirici et Iulittae Presb. Card. Lantes.

✠ Ego Ioannes Baptista tit. S. Caeciliae Presbyter Card. Lenius.

✠ Ego D. tit. B. Martini in Montibus Card. Rivarola.

✠ Ego Petrus Paulus tit. SS. Nerei et Achillei S. R. E. Presb. Card. Crescentius.

✠ Ego G. tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyter Card. Borgia.

✠ Ego Fr. Felix tit. S. Anastasiae Presbyter Card. Asculanus.

✠ Tib. tit. S. Priscae Presbyter Card. Mutus.

✠ Ego Gabr. tit. S. Bartholomaei in Insula Presbyter Card. de Treio.

✠ Ego Iulius tit. S. Sabinae Presbyter Card. Sabellus. 6 Aug. 1628

✠ Ego Melchior tit S. Mariae de Pace Presbyter Card. Kleselius.

✠ Ego S. Presbyter Card. S. Susannae, S. R. E. Bibliothecarius.

✠ Ego Guido tit. S. Mariae de Populo Presbyter Card. Bentivolus.

✠ Fr. Desiderius tit. S. Clementis Presbyter Card. de Cremona.

✠ Ego Ludovicus Presbyter Card. Ludovisius, tit. S. Laurentii in Damaso, S. R. E. Vice Cancellarius.

✠ Ego Cosmus tit. S. Pancratii Presb. Card. de Torres.

✠ C. S. Nicolai in Carcere Tulliano Diac. Card. Pius.

✠ M. S. Eustachii Diac. Card. de Sabaudia.

✠ Ego Alexander S. Mariae in-Cosmedin Diac. Card. Ursinus.

✠ Ego Franciscus S. Angeli in Foro Piscium Diac. Card. Boncompagnus.

✠ Ego Hippolytus S. Mariae Novae Diaconus Card. Aldobrandinus, S. R. E. Camerarius.

URBANI VIII

BULLA CANONIZATIONIS B. FRANCISCI XAVERII

CELEBRATAE PER GREGORIUM XV.

URBANUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

URBANI VIII

Rationi congruit et convenit aequitati, ut ea quae de Romani Pontificis providentia processerunt, licet eius superveniente obitu litterae apostolicae desuper confectae non fuerint, suum debitum consequantur effectum. 6 Aug. 1628

Causa huius constitutionis. Dudum siquidem fel. rec. Gregorius Papa XV, praedecessor Noster, pie praemeditans, quod unigenitus et coaeternus aeterni Patris Filius, cum de regalibus sedibus in hunc mundum, ut salutem humani generis operare-

URBANI VIII

tur, descendisset, semen bonum verbi sui in agro orbis terrarum seminaverat, ut omnium coelestium virtutum et ad extremum aeternae vitae fructum credentibus germinaret; quodque, cum pro divinae huius segetis incremento pretiosissimum sanguinem suum, ignominiam crucis voluntarie subiens, effudisset, ac perfecto demum opere ad quod missus fuerat, super omnibus coelorum sublimitatibus ad dexteram Patris in saeculorum aeternitate consessurus ascendisset, plurimos servos et amicos suos in terris reliquerat, qui laboribus, vigiliis atque ad ipsius exemplum proprii sanguinis effusione, divinam hanc excolentes sementem, messem quam uberrimam in horreum eius congregarent, eiusque fines eousque dilatarent, donec iuxta promissionem Patris omnes gentes et termini terrae darentur ei in haereditatem et possessionem; et quamvis verbum eius semper a generatione in generationem prosperatum esset, attamen quando ab aeternis temporibus praedestinatum beneplaciti eius tempus advenerat, ut abundare faceret, quasi imbrem inundantem, misericordiam suam magnam super universum semen filiorum Adam, gloriamque crucis suae usque ad ultimum terrae et in mari longe propagaret, vere admirabilis facta erat potentia ipsius, cum revelatis incognitis antea tribubus et linguis ac populis et nationibus, messem magnam atque uberem aperuerat, atque in ea operarios multiplicaverat; tantaque fructuum abundantia labores eorum compleverat, ut ipsis annuntiantibus, evangelicae praedicationis sonus usque ad extremos orbis terrarum fines penetrasset, et a solis ortu usque ad occasum, ab aquilone et mari, magnum nomen Domini DEI nostri in universis gentibus redditum esset; inter caeteros vero, quos ad perficiendum voluntatis suae sacramentum in tantarum gentium vocatione Dominus praeordinaverat, egregius Servus eius Franciscus Xaverius, novus INDIARUM APOSTOLUS, gloria sanctitatis et meritorum splendore praecipue emicuerat; qui cum a iuventute sua perfecte coram DEO ambulasset, spretisque ac conculcatis divitiis ac saeculi dignitatibus, ac semetipso iuxta verbum Domini abnegato, animam suam pro Nomine Domini nostri IESU Christi tradidisset, dignus inventus erat, qui a Spiritu Sancto in tam insigne opus assumeretur, ac tamquam aliorum dux divina providentia constitutus, apostolicis charismatibus affluenter decoraretur; etiam ob signa apostolatus, quae in eo in omni patientia, in signis et prodigiis ac virtutibus manifesta facta erant, novarum gentium Apostolus unanimi totius christiani orbis consensu meruerat appellari; ac propterea decebat, ut tantum DEI famulum (qui pro gloria eius et animarum Domini nostri IESU Christi sanguine redemptarum salute innumeros maximosque labores atque aerumnas perpessus erat, ingentiaque terra marique subiverat pericula; quem DEUS adeo magnificaverat, ut nomen eius honorabile esset apud omnes gentes) idem Gregorius praedecessor, pro suo pastorali munere, vere sanctum et electum DEI in militanti Ecclesia declararet, eiusque virtutes, tamquam eximias et praecellentes, universis Christi fidelibus imitandas proponeret, ut populus christianus actiones suas ad honorem DEI ipsius exemplo dirigens, eum apud DEUM et Dominum IESUM Christum in eius necessitatibus

6 Aug. 1623

§ 1. Recenset eximias et praecellentes virtutes et merita B. Francisci Xaverii, quibus permotus Gregorius XV eum in Sanctorum Confessorum numerum retulit.

habere mereretur intercessorem; atque, ut omnes Christi fideles promptius ad laudandum DEUM omnipotentem secundum multitudinem magnitudinis eius excitarentur, devotionisque ardor erga tantum DEI famulum augeretur, dum eius in terris coelestem et laudabiliter actam vitam orbi terrarum explicaret et patefaceret; in primis et ante omnia praemitteret,

Quod natus erat insignis hic DEI Servus Navarrae in oppido Xaverio, Pampilonen. diocesis, maternae ditionis loco, nobilibus ac piis progenitoribus. Qui, cum ipsum ab infantia timere DEUM ac ab omni peccato abstinere edocuissent, ubi aetas demum adoleverat, Lutetiam Parisiorum studiorum gratia eumdem miserant. Quibus cum alacriter operam daret, post haud multum temporis de eo domum revocando pater cogitare coeperat. Quod cum tunc in humanis agens Maria Magdalena eius soror, quae monasterium monialium oppidi civitatis nuncupati Gandiae, Ordinis S. Clarae discalceatarum nuncupatarum, Valentin. dioecesis, non sine ingenti sanctitatis fama tunc regebat, persensisset; fratris vocationem divinitus edocta, per litteras cum patre vehementius egerat, ut Francisci studia omni ope, etiam cum rei domesticae detrimento, foveret: eum enim incognitarum gentium Apostolum divina providentia praeordinatum esse praevidebat. Cumque Lutetiae commoraretur, in familiaritatem S. Ignatii insinuatus, ac postmodum in Socium ipsius, qui id ardentibus precibus a DEO ad ingentem Ecclesiae utilitatem praestandam postulaverat, adscriptus, eoque duce ingressus erat arctam viam, quae ad vitam ducebat: ut enim spiritu vivificaretur, carnem suam, ad antiquorum sanctorum Patrum exemplum, severissime mortificaverat. Interdicto enim sibi, non solum carnis et vini, sed panis etiam triticei usu, vilibus tantummodo ac insulsis cibis, iisque quam parcissime usus erat; quin etiam frequenter integro biduo triduoque ab omni cibo prorsus abstinuerat; aliquando vero omnes maioris hebdomadae dies usque ad sabbatum Paschatis ieiunus transegerat; somnoque brevissimo vires reficere consueverat, humi vel lectulo vilissimis stragulis contecto iacens. Corpus suum ferreis flagellis adeo diverberabat, ut saepe copiosus sanguis efflueret; aliquando autem, funiculis arctissime constrictis lacertis et coxendicibus, iter aggressus erat; cumque plures dies in eo cruciatu perseverasset, vincula adeo corpori eius infixa erant, ut prae doloris magnitudine viribus destitutus, in via concideret; ac nisi praecipuo DEI beneficio, absque ulla humana ope, disrupta fuissent, de eius vita omnino desperatum fuisset. Quam praeclare vero in eius animo reliquae christianae virtutes effulsissent, quam potenter scuto fidei protectus omnia nequissimi ignea tela exstinxisset, et quam firmiter in DEO sperasset, et Sacramentorum frequentia, quibus non solum semetipsum, sed et alios etiam summa cum devotione ac indefessa assiduitate pascebat, et verbi DEI assidua praedicatio, qua tam ingentem orbis terrarum partem illuminaverat, insigniter attestabantur. Sed inter caeteras eius virtutes, quasi sidus matutinum, praecipue resplenduerat charitas; quae in omnibus quidem eius actionibus, praesertim tamen cum aegrotis inserviret, manifestabatur. Eo etenim dilectionis ardore erga inopes infirmos,

URBANI VIII

6 Aug. 1623

qui in domibus vel hospitalibus morabantur, se gerebat, ut raro ab eis discederet; tantaque sensuum mortificatione quantumvis sordidissima ministeria peragebat, ut aquam saepius, qua horribilia et incurabilia ulcera laverat, ebibisset. Cum vero de vita periclitarentur, tunc cibi somnique prorsus oblitus, et praeter proprias vires a Deo confortatus, veluti a commissa custodia nec die nec nocte discedebat, illisque Sanctissima Ecclesiae Sacramenta caeterasque spirituales alimonias praebebat. Quae adeo libenter atque hilariter exsequebatur, ut deliciae eius deservire aegrotis ac morientibus esse dicerentur, et quasi aliquod talentum sibi divinae benignitatis munificentia creditum negotiaretur; assiduamque hanc erga aegrotos curam ac vigilantiam toto vitae suae tempore, ubicumque moraretur, exercuerat. Sed et per eamdem charitatem, quae per Spiritum Sanctum diffusa erat in corde ipsius, adeo ad Deum accedebat, tantoque spiritus fervore in oratione perseverabat, ut huiusmodi cibo intentus, quo interiorem hominem reficiebat, noctes integras transigeret, nec, cum in navi esset, atque in aperto vitae discrimine in summis tempestatibus versaretur, desisteret, aut quidquam animo commoveretur; fieretque aliquando talis super eum mentis excessus, ut oculis in coelum defixis, divina vi a terra elevaretur vultu adeo inflammatus, ut angelicam prorsus charitatem repraesentaret; nec divini amoris perferre valens incendium, saepius exclamaret: *Satis est, Domine, satis est.* Cum vero sacrosanctum Missae celebraret sacrificium, saepenumero a sensibus usque adeo abalienabatur, ut nec ministri, vestem succutientes, nisi post diuturnam moram, excitare possent. Quin etiam aliquoties altius cubito a terra elatus, ab universa adstantium multitudine, miraculi magnitudinem obstupescente, ac Servi Dei sanctitatem suspiciente, conspectus fuerat. Nec solum vigilans vir sanctus Deum in corde et ore habebat, sed et dormiens in ipso requiescebat. Frequenter enim in somnis sanctissimum Nomen Iesu cum summa mentis dulcedine proferre audiebatur. Cumque tam singularibus floreret virtutibus, atque in dies a Deo potioribus augeretur muneribus, non modo non extollebatur, sed crescebat in eo semper virtus humilitatis; adeo ut infima quaeque domus officia semper, tamquam omnium postremus, obiret. Vestibus vero adeo pannosis ac vilibus utebatur, ut pueris quandoque de ridiculo esset. Venerabatur autem eximie vir Dei non Episcopos modo, sed Sacerdotes quoscumque; Sancto vero Ignatio, tunc Praeposito suo, non nisi flexis genibus scribebat. Honores vero ac laudes hominum adeo horrebat, ut amplissimam apostolici Nuntii dignitatem, qua instructus in Indias a Summo Pontifice missus fuerat, quam studiosissime occultaret, nec nisi semel ea potestate, necessitate coactus, usus fuerat. Caeterum tantus vir insigne stadium a Deo consequutus erat, in quo gloriose, usque ad consummationem cursus et coronam iustitiae, decertaret.

§ 2. Ad Indias orientales missus tempore Pauli Papae III, varia perpessus incommoda, multum in vastissimis illis regionibus profecit ad animarum salutem.

Cum etenim clarae mem. Ioannes Lusitaniae Rex a piae mem. Paulo Papa III, tunc dicti Gregorii nunc etiam Nostro respective praedecessore, nonnullos ex Ignatii Sociis postulasset, quos ad orientales Indias, ut in vastissimis illis regionibus verbum Dei disseminarent, transmitteret: idem Pontifex, S. Ignatii hortatu, ad tan-

URBANI VIII **6 Aug. 1623**

tum opus peragendum Franciscum Xaverium elegerat; quem etiam apostolici Nuntii dignitate et amplissima potestate decoraverat. Cumque viatici nomine plurima ei a Praetore regio pararentur; homo, qui pro viatico ac pera, de Dei benignitate, in cuius Evangelii opus segregabatur, praesumebat, numquam adduci potuerat, ut quidquam, praeter vilissimum centonem, acciperet; et in navi super funem nauticum dormiebat, ac emendicato vivebat; aegrotis in villissimis ministeriis indefessa charitate noctu diuque serviebat. In Indiam ut pervenerat, statim, nec modico quidem tempore ad quietem post longissimam ac difficillimam navigationem sumpto, ad praedicandum illis gentibus Evangelium se accinxerat; et indutus virtute ex alto, apostolico spiritus fervore ministerium, quod sortitus erat, tanto cum fructu exsequebatur ut, gratia Dei efficaciter verbo eius cooperante, non solum christianorum mores depravatos ad meliorem frugem passim toto Oriente revocaret, sed multa centena hominum millia, qui in tenebris et in regione umbrae mortis ambulabant, ad agnitionem verae lucis perducti, regenerationis lavacro mundarentur. Nam praeter Indos, Brachmanos et Malabares (in quorum regnis apostolica praedicatio, quae antiquis temporibus illic viguerat, sed hostis humani generis fraude ex omnium memoria prorsus abolita erat, Xaverii praedicatione revixerat), ipse primus Paravis, Malais, Iais, Acenis, Mindanais, Malacensibus et Iaponibus Evangelium Christi annuntiaverat, nonnullique illarum nationum Reges et magni Principes, ingenti cum fidei nostrae emolumento, suavi Christi iugo colla subdiderant. Incredibilia autem videbantur, quae propter Nomen Domini nostri Iesu Christi toleraverat. Per diversa etenim regna, in vastis illis orbis terrarum spatiis, semper pedibus, et saepius nudis, per arenas calidas pergebat; per spinas longissima itinera conficiebat; contumeliis saepe numero, probris et illusionibus, quin etiam verberibus et lapidibus appetitus, in periculis hostium, in periculis itinerum versatus, saepe naufragus, vigilias, frigus et nuditatem, sitim famemque perpessus erat, contractis ob assiduos ac intolerabiles labores gravissimis morbis; nec enim, Apostoli exemplo, animam suam faciebat pretiosiorem quam se, dummodo consummaret cursum suum, et ministerium verbi, quod acceperat, testificari Evangelium gratiae Dei.

§ 3. Multis signis ac miraculis praedicationem Servi sui Francisci, dum in vita fuit, Dominus confirmavit, quae hic enarrantur.

Signa vero et prodigia, quibus Dominus Apostolorum suorum sermonem in nascentis Ecclesiae exordiis confirmavit ad illius novae sobolis incrementum, in manu etiam Servi sui Francisci misericorditer renovaverat. Subito enim a Deo diversarum ac incognitarum gentium linguas, quas non noverat, edoctus, disertissime, quasi in iisdem terris educatus esset, loquebatur: et acciderat quandoque ut eum, ad diversarum nationum populos concionem habentem, unusquisque eodem tempore lingua sua, in qua natus erat, magnalia Dei loquentem cum stupore et exstasi audiret; eoque miraculo multitudo magna commota reciperet verbum Dei.

Hinc, post praemissa, ad Christi fidelium aedificationem, aliqua ex insignioribus prodigiis et signis, quibus praedicationem et gesta ipsius Dominus illustraverat, recenseret. Et primum illud memorandum videbatur, quod, cum numerosus Badagarum exer-

URBANI VIII

6 Aug. 1628

citus, in exitium christianorum a Francisco baptizatorum immineret, atque omnia atrocitatis exempla se in christianos editurum minaretur; ipse solus fide armatus procedens obviam, ac severe eorum impietatem increpans, steterat illico immobili vestigio universus exercitus, deterritus, ut milites ducesque referebant, ab homine quodam magno, nigris vestibus induto, qui iuxta Franciscum stabat; cuius maiestatem ac splendorem, vultu oculisque micantem, ferre non poterant: itaque vir sanctus, quos Christo pepererat, a caede ac direptione liberaverat.

Successive apud Comorinum promontorium, cum in quadam ecclesia Servus Dei infidelibus concionaretur, ac propter duritiam cordis eorum nihil proficeret, facta oratione, iussit sepulcrum, in quo pridie defunctus tumulatus fuerat, aperiri; ac populo significans, ad comprobandam christianae fidei veritatem, mortuum illum Dei voluntate rursum victurum, linteo, quo cadaver involutum erat, rescisso, ac rursus precibus ad Deum fusis, mortuo ut viveret imperaverat; qui statim stupentibus omnibus surrexerat vivus: quo tam insigni miraculo commoti, qui aderant, tum alii multi, crediderant in Deum.

Eodem postea loco mendicus quidam Beato viro occurrerat ulceribus plenus; cuius plagas Franciscus magno charitatis affectu lavans, atque aquam, qua eas laverat, ebibens, ac deinde Deum Patrem misericordiarum, ut illius pauperis misereretur, orans; e vestigio ab omni plaga atque ulcere, Dei munere, pauper ipse omnino liber surrexerat.

Sed et puer quidam Mutani in orientali India pestilenti febre vita sublatus, ac linteo insutus de more gentis viginti quatuor horis asservatus, flentibus parentibus ferebatur ad sepulcrum; quos, ut vir Dei vidit, misericordia motus super eos, Deum omnipotentem, ut puerum vivificaret, genibus flexis precatus fuerat; atque aqua benedicta aspersum, rescisso linteo, signo crucis signaverat, apprehensaque manu eius in Nomine Domini Iesu Christi vivum atque incolumem parentibus restituerat: erecta illo in loco, ad tantae rei memoriam conservandam, ab incolis magna cum celebritate cruce.

Et successive apud oppidum Combuturae in ora Piscariae puer alius in puteum delapsus, suffocatusque, maximo cum matris et cognatorum eiulatu efferebatur; cumque ex proxima ecclesia Franciscus occurrisset, misertus eorum, in genua provolutus, oculisque in coelum fixis, Deum pro vita pueri precatus, eum apprehensa manu in Nomine Domini Iesu Christi surgere iusserat, et confestim puer surrexerat vivus: quem sanctus vir reddiderat matri suae, stupentibus omnibus ac maximo cum clamore Deo gratias agentibus: quibus ipse praecepit, ne cui rem gestam narrarent.

Insuper dum in Iaponia insula Franciscus Christi fidem praedicaret, accesserat ad eum mercator quidam a multis annis caecus, petens, ut sibi a Deo, ut videret, impetraret; Franciscus, recitato super eum evangelio, signum crucis oculis eius impresserat; qui eodem temporis momento lucem amissam recuperaverat. Postero vero die reversus ad eum cum uxore ac universa familia, genibus advolutus gratias agens, et christianam fidem professus, ad baptismi gratiam una cum suis omnibus pervenerat. Exie-

rat autem tam illustris miraculi fama per omnem terram illam, ac multi relictis idolis suis conversi erant ad verum DEUM, et IESUM Christum Filium eius.

Cumque Servus DEI ad Sinas in magna navi, qua quingenti vehebantur, navigaret, cessaverant adeo venti, ut quatuordecim diebus navis eodem loco haesisset immota. Cumque, inter caeteras difficultates, aquae penuria valde laboraretur, multique iam siti deficerent, vir sanctus omnia navis vasa marina aqua impleri iusserat, fusisque instanter ad DEUM precibus, super ea signum crucis fecerat; ac repente aqua illa salsa dulcis salubrisque effecta erat. Quo miraculo, plures qui in navi erant infideles crediderant in DEUM: quin etiam aquae illius, quae abunde superfuerat, potu plurimi per multas Indiarum provincias, variis, quibus vexabantur, morbis sanati fuerant.

Ad eosdem Sinas contendens, cum saevissima orta tempestate omnes de se actum esse existimarent; et gubernator navis, ne repentinae vis procellae scapham auferret, validis eam rudentibus ad onerariam alligari iussisset; non multo post, abruptis retinaculis, scapham tempestas abstulerat tanto impetu, ut pene temporis momento omnium conspectum effugisset; et prout quisque cognatos et necessarios in scapha habebat, certatim eorum casum deplorare coeperant. Franciscus ergo universos collacrymantes bonum eos habere animum iusserat, ac praedixerat fore ut ante triduum filia remearet ad matrem, significans scapham ad onerariam redituram; prout, DEO dante, apparere visa fuerat, et recte ad onerariam tendere et sponte ad illius latus accedere, atque ita apte se applicare, ut illi omnes, qui in ea erant, commode excepti fuissent: quae etiam in mediis fluctibus, nemine illam retinente, tam diu steterat, quoad religaretur ad navim, attonitis omnibus ex miraculo remanentibus.

Ad Moluchas insulas etiam Franciscus advenerat, ubi magno spiritus fervore verbum DEI primus annuntiabat: atque in urbe Tolo viginti quinque millia hominum baptizaverat: qui cum suasu tyranni cuiusdam Christi fidem deseruissent, ecclesiam solo aequassent, cruces Sanctorumque imagines confregissent et conculcassent; Franciscus, zelum Domini zelatus, viginti Lusitanos ac quadringentos circiter indigenas ad ultionem tanti sceleris incitaverat: eoque duce ac victoriae sponsore, tam parva militum manus adversus urbem munitissimam, Christi rebellem, expeditionem aggrediebatur; sed cum prope urbem pervenissent, substiterat vir DEI ac orationi se dederat: statimque vicinus mons magnum emiserat incendium, adeoque ingentem cineris ac pumicum vim eructaverat, ut urbis atque arcis, quae in edito sita erat, muros aequasset; horribilisque propterea terrae motus totam urbem concusserat, plurimasque domos subverterat; quibus malis exterriti incolae, deserta urbe in proximas silvas confugerant: urbs itaque a Francisci militibus facile capta erat; cives vero ad eius pedes prostrati, acceptaque salutari poenitentia, delicti veniam impetrarant.

Ulterius, cum inter easdem insulas Franciscus navigaret, ac saevissima orta esset maris tempestas, ad eam sedandam, Crucifixi imaginem, quam collo appositam gestare solebat, undis immiserat; quae vi procellae e

URBANI VIII

manibus excussa, in profundum maris, non sine magno eius moerore, delapsa erat; sed laetificaverat Dominus animam Servi sui: nam, cum ad terram applicuisset ac secus littus iter faceret, marinus cancer ex undis subito prosiluerat, atque ante pedes ipsius steterat, eamdem crucem morsibus elevatam gerens; et Franciscus in genua provolutus eam devote susceperat, ac diuturna oratione ob tam egregium munus Deo gratias egerat.

Prophetico etiam spiritu Deus Servum suum, quem in lucem gentium dederat, illuminaverat, atque adeo insigne donum plurimis manifestaverat exemplis. Atque inter caetera, cum Aceni populi, inter quos etiam Turcae erant multi, sexaginta navium classe vecti, christianorum naves concremassent, ac multos crudelissimis suppliciis affectos enecassent, ducenti ac triginta milites in octo naves distributi, Francisco suadente, ac in nomine Domini exercituum victoriam promittente, classem barbarorum insecuti erant; transactoque iam mense, cum nullus ab ipsis nuntius adveniret, consternatis omnibus iamque de civium suorum salute desperantibus, Franciscus in ipsa conflictus hora classium congressum ac insignem christianorum victoriam, haud secus ac si praesens esset, in concione narraverat; ac diem, quo tantae rei nuntius adventurus esset, praedixerat. Quae omnia, cum ingenti omnium admiratione, eo ipso quo designaverat tempore, certis nuntiis approbata fuerant.

Cumque duae naves eodem tempore e portu solvissent, praedixerat Franciscus, suborta magna in mari tempestate, alteram naufragium passuram; alteram vero, et in hac ipse reperiebatur, extra omne maris periculum in navali dissolvendam; quam praedictionem utriusque exitus comprobaverat, cum alterius fragmenta non multo post conspecta fuissent, altera vero, multis tute peractis itineribus, cum publicato vaticinio, sancti Patris navis vocaretur, ac ubicumque appelleret, cum plausu exciperetur, demum post multos annos in navali, ut reficeretur subducta, sponte corruerat. 6 Aug. 1623

Grassante quoque pestilentia in Lusitanorum ac Hispanorum classibus, quae ad Amboinam insulam appulerant, cum sanctus vir aegrotis de more ministraret, a Ioanne de Arausio, ut vinum sibi ad eorum usum elargiretur, petierat; quod Arausius gravatim, timens ne sibi deesset, miserat; quem Dei Servus admonuerat ut in charitatis operibus largior esse vellet: brevi etenim fore, ut vita defungeretur, eiusque omnia bona in usus pauperum cederent. Cumque post non multum temporis spatium, ad Ternatem insulam, quae ducentis amplius milliaribus a loco distabat, adventasset, ac Missae sacrificium celebraret, versus ad populum: Orate, dixerat, pro anima Ioannis de Arausio, qui modo exspiravit. Stupentibus omnibus, post duodecimum demum diem supervenerat, qui visionem sancti viri verissimam fuisse, nuntiata Arausii morte, declaraverat.

Mercatori cuidam, Meliapore discessuro ac munusculum aliquod tamquam benevolentiae signum a se postulanti, Servus Dei B. Mariae Virginis coronam precariam e collo detractam elargitus erat, affirmans fore ut, quamdiu illam penes se haberet, ab omni maris periculo incolumis esset evasurus. A portu itaque mercator solvens naufragium fecerat; cumque

in tabulata, ex lignis raptim composita, cum nonnullis aliis vectoribus exsiliisset, et in alto mari, alienato a sensibus animo, visus esset sibi cum ipso Servo Dei Francisco in eo loco, in quo coronam precariam praedictam acceperat, colloqui, quinto demum die, ex quo desilierat in illa tabulata, ab ea animi exstasi, velut ab alto somno experrectus, cum neque tabulata, neque socii umquam comparuissent, in littore Negapatani prope Meliaporem salvum et incolumem se repererat.

Petro Vellio autem, qui summa voluntate in quoddam charitatis opus pecuniam viro Dei elargitus fuerat, promiserat fore ut numquam ei necessaria deessent, ac mortis horam divinitus praecognosceret: quorum utrumque acciderat. Nam quamvis Petrus maxima perpessus esset rei familiaris detrimenta, semper tamen ab omnibus summam liberalitatem expertus erat; ac transactis demum multis annis, revelata sibi mortis hora, se in ecclesia in feretro composuerat, auditaque Missa ac precibus, quas pro animae suae salute recitari iusserat, ibidem statim in pace obdormiverat.

§ 4. Denique bonis operibus plenus, ac sanctitate clarus, migravit in coelum in insula prope Sinas die 2 Decembris 1552. Et post obitum etiam eius sanctitatem Dominus miraculis plurimis, ut hic, declaravit. Eius corpus ad varia loca delatum postremo Goae conditum

Demum vir Dei, consummato feliciter peregrinationis suae cursu, fama sanctitatis clarus et bonis operibus plenus, cum ei benedictionem patriarchae Abrahae Dominus spiritualiter elargitus esset, ut multarum gentium pater efficeretur, et filios, quos Christo Iesu genuerat, super stellas coeli et super arenam, quae est in littore maris, multiplicatos videret, et ex eis plurimos proprio sanguine laureatos ad coelestia regna praemisisset: orientalium Indiarum Apostolus ab universis Indiae regnis totoque christiano orbe appellatus, dum aditum Evangelio in vastissimo Sinarum imperio quaerebat, assiduis laboribus, quos ultra humanas vires pro gloria Dei toleraverat, confractus, in insula prope Sinas, die secundo Decembris anni Domini MDLII, ad coelestem gloriam, perpetuo cum Deo regnaturus, evolaverat. Defuncti corpus viva calce perfusum, ut exesa carne ossa in Indiam exportarentur, inclusumque arca lignea sepultum fuerat; quod post quatuor menses effossum, ita recens ac tractabile, vestimentisque adeo integris, ac si nuper esset tumulatum, repertum exstiterat. Et quamvis nullo odoramentorum genere curatum fuisset, divino tamen munere eam odorum fragrantiam spirabat, ut esset super omnia aromata. Calce itaque rursus iniecta, Malacam, quae in orientali India urbs est celeberrima, delatum exstiterat. In qua cum saevissima pestis plurimos quotidie conficeret, ingenti beneficentia adventum eius Deus insigniverat. Nam sacro corpore in urbem illato, adeo omnis contagio desierat, ut ea deinceps nullus omnino correptus fuisset. Arca itaque rursus aperta, integrum sicut antea, eamdemque odoris suavitatem diffundens, repertum etiam fuerat. Cumque in novo loculo conderetur, ex humero, ob arculae brevitatem paulum compresso, recens sanguis effluxerat. Nono demum post obitum mense, sepulcro iterum patefacto, rursus ut antea divina virtute a corruptione immune ac coelestibus perfusum aromatibus inventum, velo quo facies eius operta fuerat, ob ingestae terrae pondus, recenti cruore consperso. Nova itaque arca, sericea aureaque veste contecta, pretiosissimum pignus inclusum, in Indiam ad Coccini portum delatum

fuit in ecclesia Societatis Iesu.

erat, confluentibus undique, ad honorandum communis in Christo Iesu parentis corpus, plurimis earum gentium populis. Inde Goam insigni celebritate translatum, a Prorege ac omnibus civium ordinibus maxima frequentia ac devotione exceptum, et in ecclesia Societatis Iesu, ut populorum devotioni satis fieret, validis cancellis inclusum, omnium oculis per triduum expositum remanserat; eiusdemque Proregis iussu ab insigni medico, deindeque a Vicario Goano visitatum ac pertentatum, omni ex parte incorruptum, integris etiam intestinis compertum fuerat, manante etiam ex parvo inflicto vulnere recenti cruore.

Quo tempore, cum mulier quaedam affectu devotionis incitata, specie osculantis, pedis digitum, ut illum abscinderet, morsu apprehendisset, statim sanguis effluxerat. Sed Altissimi benignitas non his modo mirabilibus Sanctum suum in conspectu omnium populorum mirificaverat; sed omni tempore ingentia praestabat beneficia his qui eius intercessionem fideliter implorabant: ut plurimis exemplis, praesertim vero infra insertis, manifestum erat.

Puer quidam Goae natus, qui utrumque pedem a nativitate adeo aridum et crura sicca habebat, ut illis non posset insistere, sed manibus reptare cogeretur, ad Servi Dei sepulcrum ab educatrice perductus, singulis novem diebus visitare statuerat. Cumque votum coepisset adimplere, tertia iam die, qua sepulcrum visitabat, puer in eius gremio exsistens, repente ferream sepulcri cratem manibus apprehendens, suis stare pedibus et ambulare coeperat, et statim omnino sanus evaserat; et intra novem dies quos promiserat, crura carne repleta fuerant, et sic semper valens et sanus deinde vixerat.

Cottatae, Indiae orientalis civitate, unius mensis infans mortuus ad sepulturam delatus erat. Voverant itaque cum ingenti fide parentes, se insigne donum, si puer reviveret, sepulcro Servi Dei oblaturos, ac Francisci nomen ei impositeros. Repente infans aperire oculos, brachia pedesque movere ac vagire coeperat; ac paulo post, non vivum modo, sed et omnino sanum atque incolumem filium receperant; redditisque cum ingenti gaudio votis, tam insigne miraculum per totam illam regionem divulgarant.

In eadem urbe caeco cuidam Sanctus per quietem apparuerat, eumque monuerat, ut ad ecclesiam eius visitandam, oculorum lumen ibi recepturus, pergere non differret. Paruerat fideliter homo; ac, dum per novem dies ante Francisci imaginem orabat, repente, discussa omni caecitatis caligine, sanatus erat et perfecte viderat.

Quin etiam leprosus quidam in eodem loco magna fiducia ad Sancti intercessionem confugerat; proprioque corpore, oleo lampadis quae ad eius imaginem ardebat, peruncto, dum prostratus orabat, repente a lepra mundatus atque omnino sanus effectus erat.

Eamdem virtutem experta erat Francisca Rebelles, quae a multo tempore sanguinis fluxum ac ventris tumorem cum ingenti dolore patiebatur. Lampadis enim ante eius imaginem pendentis identidem se oleo ungens, statim adeo perfecte convaluerat, ut nullas amplius eorum morborum sensisset reliquias. Frequenter enim acciderat, ut lampades ad eamdem Servi Dei imaginem appensae, aqua tantum

benedicta infusa, haud secus ac si oleo plenae essent, arderent lucerentque: stupentibus etiam infidelibus, quos ad tantae rei miraculum conspiciendum, non sine magno fidei nostrae incremento Christiani invitabant.

Cum frustra omnes medicae artis opes expertus esset Gundisalvus, Coccinensis civitatis incola, ut inveterato cancri morbo, qui pectus eius assiduis doloribus vexabat, mederetur, ad divinam opem conversus, omnipotentis DEI misericordiam, ut se B. Francisci meritis sanum faceret, imploraverat. Imaginem igitur eius aere excusam ulceri applicaverat, eodemque momento ab omni plaga incolumis evaserat.

Eiusdem urbis civis Emmanuel Rodriguez pedes habebat ulceribus plenos, et ob nervorum contractionem adeo debiles, ut illis insistere non valeret: quibus malis gravis et periculosa dysenteria accesserat. Medicis itaque de eius vita diffidentibus, cum ad intercessionem famuli DEI Francisci aeger confugisset, eadem imagine corpus suum in formam crucis signaverat, et aquam, in qua eadem mersa fuerat, ebiberat; talemque divinae virtutis senserat effectum, ut intra tridui tempus ab omnibus morbis incolumis integram consecutus fuisset sanitatem.

Eiusdemmet Servi DEI imaginis praesentem agnoverat virtutem Maria Diaz; septem etenim annis caecitatem ac paralysim perpessa, signum crucis debilitatis membris impresserat, eaque eiusdem imaginis immersione aqua sanctificata laverat; necdum septem praeterierant dies, cum oculorum lumen, ac totius corporis coelesti dono acceperat incolumitatem.

§ 5. Diffusis tandem per universum orbem eius miraculis, ac crescente erga ipsum populorum devotione, multi et praecipue Philippus III, Hispaniarum Rex, instant pro canonizatione, pro qua Paulus V et Gregorius XV miracula et alia examinanda demandarunt.

Hincque factum erat, ut cum tot tantisque signis Servum suum omnipotens DEUS in brachio excelso clarificaret; et per universum iam terrarum orbem tot mirabilium praeconia longe lateque diffunderentur; ac propterea non solum Christi fidelium erga ipsum devotio magna susciperet incrementa sed multorum etiam infidelium corda ad cognoscendum DEUM et Dominum nostrum IESUM Christum illuminarentur: Ioannes, Lusitaniae Rex praedictus, zelo devotionis accensus, institerat, ut a diversis locorum Ordinariis super eius sanctitate et miraculis processus fierent. Qui cum diligenter munus suum explevissent, ac procedentibus temporibus omnia acta ad hanc Sanctam Sedem transmissa fuissent: recol. mem. Paulus Papa V, etiam praedecessor Noster, tunc suus, instante pro Servi DEI canonizatione etiam clarae mem. Philippo III, Hispaniarum Rege Catholico, deputavit bonae mem. Horatium Lancellottum tunc Rotae Auditorem, eoque ad cardinalatus honorem sublimato, dilectum filium Magistrum Ioannem Baptistam Coccinum eiusdem Rotae Decanum, et pariter bonae mem. Franciscum Sacratum, tunc Archiepiscopum Damascenum et Auditoris Rotae locum tenentem, ac deinde S. R. E. Cardinalem: qui et antiquos processus examinarent, et novos auctoritate apostolica faciendos, quatenus ipsis videretur, decernerent, atque omnia eidem Paulo praedecessori una cum eorum sententia referrent. Qui litteras remissoriales ad diversos Praelatos in Hispaniarum, Lusitaniae ac Indiarum regnis constitutos decreverant, atque ipsi interim in Curia novos testes examinarant. Cumque praedicti Iudices partibus suis perfuncti essent, eisdem Auditoribus processus a se confectos transmiserant. Qui, omnibus

URBANI VIII

6 Aug. 1623

summa cum maturitate per plurimum temporis spatium, ut negotii gravitas postulabat, consideratis ac perpensis, eidem Paulo praedecessori retulerant, iuxta canonicarum sanctionum decreta abunde constare de vitae sanctimonia ac eximiis virtutibus Servi Dei Francisci, deque miraculis, quae tam eo vivente, quam post felicem eius obitum, eius meritis et intercessionibus Deus omnipotens operari dignatus erat; dignumque videri, si eidem placeret, ut in SS. Confessorum catalogo adscriberetur. Cumque interim praedictus Paulus praedecessor humanitatis debitum persolvisset; et praedictus Gregorius praedecessor ad sacri apostolatus apicem divina providentia assumptus fuisset; ac pro parte charissimi in Christo filii Nostri, tunc sui, Philippi III, Hispaniarum Regis Catholici, instanter requisitus esset ut negotium huiusmodi promovere ac ad ulteriora procedere dignaretur, accederentque aliorum Principum et Praelatorum, et totius Indiae Cleri, idem suppliciter exposcentium preces, praedictus Gregorius praedecessor, ut in re tam gravi ea qua decebat maturitate progrederetur, praedictorum Auditorum relationem ad S. R. E. Cardinales sacris ritibus praefectos, ut rursus totum negotium quam diligentissime discuterent, remisit.

§ 6. Relationibus auditis, omnes censuerunt esse canonizandum.

Quod cum illi accurate perfecissent, ac pro Servi Dei canonizatione omnes unanimiter censuissent: bonae mem. Franciscus Maria Episcopus Portuen. S. R. E. Cardinalis de Monte nuncupatus, totius processus summam, et suam collegarumque sententiam, coram dicto Gregorio praedecessore, et venerabilibus fratribus Nostris, tunc suis, S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, in consistorio suo secreto exposuit. Quibus auditis, reliqui Cardinales ad ulteriora fore procedendum communi suffragio pronuntiarunt. Igitur cum in publico consistorio quondam Iulius Zambeccarius, tunc aulae consistorialis Advocatus, plurima de huius Servi Dei vita et virtutibus enarrasset, atque eiusdem Hispaniarum Regis Catholici preces pro eadem canonizatione exposuisset; utque ad eam procedere dignaretur, humiliter supplicasset: dictus Gregorius praedecessor, praedicti Regis pietatem et religionis zelum plurimum in Domino commendans, super re tanta eosdem S. R. E. Cardinales atque Episcopos in Romana Curia praesentes consulendos esse respondit. Atque interim Cardinales et Episcopos praedictos intimo cordis sui affectu vehementer in Domino hortatus est, ut in omni humilitate et lacrymis, in ieiuniis et eleemosynis exposcerent ab eo, qui est via et veritas, ut dirigere dignaretur gressus suos in semitis suis, ut ingrederetur in veritate sua, ut quod beneplacitum esset in conspectu eius, intelligere et perficere eo auxiliante valeret. Sequenti itaque semipublico consistorio, ad quod non Cardinales modo, sed etiam Patriarchas, Archiepiscopos, atque Episcopos in Curia praesentes convocari mandavit; praesentibusque etiam Sedis Apostolicae Notariis, nec non sacri palatii apostolici causarum Auditoribus: cum plurima de egregia viri Dei Francisci Xaverii vita ac miraculis enarrasset; quanta insignis hic Dei Servus pro Nomine Domini nostri Iesu Christi pertulisset, quantoque cum proventu, Domino incrementum dante, per incognitas nationes verbum eius disseminasset, exposuisset; commemoratis etiam instan-

tiis, quae coram dicto Gregorio praedecessore tum a Rege Catholico, tum ab aliis etiam reipublicae christianae Regibus et Principibus fiebant; cum singulorum sententias requisisset: omnes uno ore benedicentes DEUM, qui honorificantes se glorificat, Servum eius Franciscum Xaverium canonizandum esse, atque inter SS. Confessores adscribendum censuerunt. Quorum omnium audito consensu, exsultavit in DEO salutari nostro, gratias agens ei qui est gloria virtutis nostrae, in cuius beneplacito contra omnes adversarias potestates exaltatur cornu nostrum, qui Ecclesiam suam in diebus istis hoc lumine illustrare ac novo patrocinio munire dignatus esset. Canonizationis itaque publicavit diem infra scriptum; eosdemque fratres et filios Nostros paterna charitate monuit, ut bonis operibus inhaerentes, precarentur DEUM misericordiarum, ut super eos sereno vultu respicere, et eorum actiones ad voluntatem eius perficiendam dirigere dignaretur.

§ 7. Demum Gregorius XV SS. calalogo adiunxit die 12 Martii.

Demum, peractis omnibus quae ex sacris constitutionibus ac Romanae Ecclesiae consuetudine peragenda erant, quarto idus Martii, Pontificatus sui anno secundo, in sacrosancta Principis Apostolorum basilica, cum eisdem Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, Romanae Curiae Praelatis, Officialibus et Familiaribus suis, Clero saeculari et Regulari, maximaque populi frequentia convenit. Ubi repetitis pro canonizationis decreto, nomine eiusdem charissimi in Christo filii Nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, a dilecto filio Nostro, tunc suo, Ludovico tituli S. MARIAE Transpontinae Cardinale Ludovisio nuncupato, eius secundum carnem nepote, per Iulium Zambeccarium Advocatum praedictum petitionibus, decantatis sacris precibus ac litaniis, et Spiritus Sancti gratia humiliter implorata, ad honorem Sanctissimae et Individuae Trinitatis, ac fidei catholicae exaltationem, auctoritate omnipotentis DEI Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum, ac sua, de eorumdem S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Romana Curia praesentium consilio ac unanimi consensu, gloriosae mem. Franciscum Xaverium, de cuius vitae sanctitate, fidei sinceritate, ac miraculorum magnitudine ac frequentia plene constabat, Sanctum esse definivit, et in SS. Confessorum catalogo adscribendum esse decrevit, et adscripsit; illumque ab universis Christi fidelibus, tamquam vere Sanctum honorari ac venerari mandavit.

§ 8. In eius honorem ecclesias et altaria aedificari et consecrari, et die 2 Decembris officium recitari posse statuit.

Ac ut ab universali Ecclesia in eius honorem ecclesiae et altaria, in quibus sacrificia DEO offerantur, aedificari et consecrari; et singulis annis die secundo Decembris, qua ad coelestem gloriam vocatus est, eius officium, ut de S. Confessore, ad praescriptum Romani breviarii, celebrari posset, statuit.

§ 9. In die festo eiusdem indulgentiam concessit.

Eademque auctoritate omnibus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui singulis annis eodem festo die ad sepulcrum, in quo corpus eius requiescit, visitandum accederent, unum annum et unam quadragenam; iis vero qui in eiusdem festi octava, quadraginta dies de iniunctis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavit.

§ 10. Postremo missam cum S. Francisci

Postremo gratiis DEO cum exsultatione actis, quod Sanctum suum in conspectu omnium gentium honorifi-

URBANI VIII

6 Aug. 1623

commemoratione cecinit, et indulgentiam populo fuit elargitus.

casset, ac tam insigni splendore Ecclesiam suam decorasset, cantata in S. Francisci honorem solemni Sanctorum Confessorum oratione, ad altare Principis Apostolorum Missam celebravit cum eiusdem S. Confessoris commemoratione, omnibusque Christi fidelibus praesentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam elargitus est.

§ 11. Ne autem de dicta canonizatione possit haesitari, quod non fuerint desuper expeditae litterae apostolicae, supplet cum his litteris, et effectum sortiri debere decernit, ac si editae essent die canonizationis.

Ne autem de definitione, decreto, adscriptione, mandato, statuto, relaxatione aliisque praemissis, pro eo quod super illis ipsius Gregorii praedecessoris litterae, eius superveniente obitu, confectae non fuerunt, valeat quomodolibet haesitari: volumus, et apostolica auctoritate decernimus, quod definitio, decretum, adscriptio, statutum, relaxatio, impartitio, aliaque praemissa a dicta die, quarto idus Martii, suum debitum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Gregorii praedecessoris litterae sub datum eiusdem diei confectae fuissent, prout superius enarratur, quodque praesentes litterae ab probandum plene definitionem, decretum, adscriptionem, aggregationem, statutum, relaxationem et alia praemissa ubique sufficiant; nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

§ 12. Transsumptis fidem mandat.

Caeterum, quia difficile foret praesentes Nostras litteras ad singula loca ubi opus esset, deferri, volumus ut earum exemplis etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

§ 13. Sanctionem poenalem addit.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrorum decreti et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Pontificis anno primo, die 6 Augusti.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIII, octavo idus Augusti, Pontificatus Nostri anno primo.

Papae subscriptio.

✠ EGO URBANUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Cardinalium subscriptiones.

✠ Ego Dominicus tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Ginnasius.

✠ Ego M. tit. SS. Quirici et Iulittae Presb. Card. Lantes.

✠ Ego P. tit. SS. Nerei et Achillei Presb. Card. Crescentius.

✠ Ego A. tit. S. Petri in vinculis Presb. Card. Capponius.

✠ Ego G. tit. S. Crucis in Ierusalem Presb. Card. Borgia.

✠ Ego Tib. tit. S. Priscae Presb. Card. Mutus.

✠ Ego Rob. tit. S. Alexii Presb. Card. Ubaldinus.

✠ Ego Iulius tit. S. Sabinae Presb. Card. Sabellus.

✠ Ego Guido tit. S. Mariae de Populo, Presb. Card. Bentivolus.

✠ Ego Iulius tit. S. Mariae super Minervam Presb. Card. Roma.

✠ Ego F. Desiderius tit. S. Clementis Presb. Card. de Cremona.

✠ Ego Cosmus tit. S. Pancratii S. R. E: Card. de Torres.

✠ C. S. Nicolai in Carcere Diacon. Card. Pius.

✠ Ego Hippolytus S. Mariae Novae Diac. Card. Aldobrandinus S. R. E. Camerarius.

✠ Ego A. S. R. E. Diac. Card. de la Cueva.

URBANI VIII

PROHIBETUR RELIGIOSIS SOCIETATIS IESU

UTI FACULTATIBUS LITTERARUM CRUCIATAE, ET VIRTUTE ILLARUM CLAUSULARUM ELIGERE ALIUM CONFESSARIUM AC ASSIGNATUM A SUIS SUPERIORIBUS.

URBANUS PAPA VIII
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

URBANI VIII

ROMANUS PONTIFEX ad ea sollicitudinis suae partes intendere debet, per quae Religiosorum status in pace et quiete tutius conservetur.

Indicat concessiones alias factas a Gregorio XIII, Clemente VIII et Gregorio XV.

Sane cum ratio doceat et experientia compertum sit, Religionibus valde perniciosum exsistere, ut eorum Religiosis licitum sit Confessarium sibi eligere; et licet fel. rec. Gregorius XIII, ac Clemens VIII et Gregorius XV, Romani Pontifices praedecessores Nostri, per suas in forma brevis litteras expresse prohibuerint, ne Religiosi Societatis IESU facultatibus Cruciatae sanctae uti, absque Superiorum suorum licentia, valerent: nihilominus,

Assignat causas huius novae constitutionis.

quia nonnulli existimant ex clausulis litterarum dictae Cruciatae cuicumque ipsius Societatis privilegio derogari, et propterea ipsis Religiosis huiusmodi facultatibus uti licitum esse, ita ut speciali ad hoc Nostro et Apostolicae Sedis opportuno remedio necesse sit; Nos, pro Nostri pastoralis muneris debito, ea quae ipsius Societatis quieto et pacifico statui, ac debitae Superioribus obedientiae conservandae opportuna esse cognoscimus, salubriter providere volentes; motu proprio, et ex certa scientia meraque

Ex certa scientia et motu proprio etc. declarat non licere Religiosis Societatis IESU uti quoad electionem Confessarii facultatibus

deliberatione Nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, nulli Religiosorum eiusdem Societatis licere facultatibus Cruciatae huiusmodi, in quacumque mundi parte publicatae vel publicandae, quoad eligendum Confessarium et obtinendam absolutionem a casibus reservatis uti, nec eis, quoad hanc eligendi Confessarium et obtinendam absolutionem praedictam, facultatem Cruciatae huiusmodi suffragari, minusque praesentes litteras sub quibuscumque eiusdem Cruciatae concessionibus, extensionibus, prorogationibus et confirmationibus factis et pro tempore quomodolibet faciendis, comprehendi; sicque per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

31 Mar. 1629

Cruciatae, publicatae et publicandae.

Aliter iudicandi facultatem tollit.

Non obstantibus praemissis, ac quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis quoque ac consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Tollit obstacula.

URBANI VIII

Fides transsumptorum.

Volumus autem, ut praesentium transsumptis etiam impressis, manu Secretarii Societatis vel Notarii publici subscriptis, et sigillo eiusdem Societatis vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. 31 Mar. 1629

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die ultimo Martii MDCXXIX, Pontificatus Nostri anno sexto.

URBANI VIII

AMPLIATIO CONSTITUTIONIS PAULI V

RESERVANTIS DUO VOTA SIMPLICIA PROFESSORUM SUMMO PONTIFICI.

URBANUS PAPA VIII
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

URBANI VIII

Vota, quae Deo fiunt, omnino reddi debent, et praesertim, si in manibus Superiorum emittantur per Religiosos, qui tanto plus caeteris tenentur opere, quanto plus promiserunt professione. Unde Romanus Pontifex inter maximas apostolicae servitutis curas in eam peculiari studio iugiter incumbit, ut Religiosi ipsi reddant Domino vota sua in sanctitate et iustitia coram ipso.

Insertio constitutionis Pauli v.

Quapropter a fel. rec. Paulo v, praedecessore Nostro, circa vota Clericorum et Presbyterorum Societatis Iesu emanarunt litterae tenoris sequentis: Ex incumbenti Nobis, etc.

Vid. pag. 138

Explicat causam novae suae constitutionis.

Et licet praeinsertae litterae hactenus inviolabiliter observatae fuerint, nihilominus, quia (sicut dilectus filius Mutius Vitelleschus eiusdem Societatis Praepositus Generalis Nobis nuper exponi fecit) a nonnullis dubitatur, Praepositum Generalem dictae Societatis pro tempore exsistentem, vel quemlibet eius Superiorem, etiam Legatum Sedis Apostolicae, etiam de latere seu Nuntium facultates praedicti Legati habentem, vel quemcumque alium Superiorem potuisse et posse, saltem in foro conscientiae, cum praedictis Clericis et Presbyteris Societatis praedictae super praeinsertis votis, et praecipue super dicto voto non procurandi nec acceptandi extra ipsam Societatem praelaturam vel dignitatem, dispensare, seu praedicta vota relaxare et commutare: 25 Ian. 1632

Admonet Religiosos Societatis de illorum statu, ac emissione votorum.

Nos, volentes quaecumque dubia de medio tollere, ac attendentes servitio Dei et praedictae Societatis quieti valde expedire, ne ipsius Societatis Religiosi, qui praedicta vota emiserunt, immemores eorum professionis, qua contemptis honoribus, abiectis divitiis spretisque deliciis, arbitrium proprium alterius dictioni subiugarunt, retro aspiciant ad aratrum manum mittentes, ut solium praelaturae seu dignitatis extra eorum Religionem conscendere moliantur;

Confirmat Paulinam constitutionem, et ex certa scientia innovat.

supplicationibus eiusdem Mutii Praepositi Nobis humiliter porrectis inclinati, praeinsertas litteras Pauli, praedecessoris

Nostri, tenore praesentium confirmamus et approbamus, et quatenus foret opus etiam ex Nostra certa scientia innovamus.

Nemo qui habet generalem facultatem dispensandi, commutandi, relaxandi vota, potest suam facultatem exercere super dictis votis, sed dicta omnia sunt reservata Summo Pontifici.

Praeterea super votis praedictis, et praecipue super illo de non procuranda nec acceptanda extra Societatem praedictam dignitate vel praelatura, neminem etiam de latere Legatum, Nuntium et quemcumque alium etiam speciali nota dignum, potuisse vel posse, etiam vigore quarumcumque facultatum generalium super votis dispensandi, commutandi et relaxandi a Nobis et Romanis Pontificibus, etiam ad supplicationem seu contemplationem Imperatoris, Regum aliorumque sublimium Principum, etiam motu proprio, certaque scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, ac alias quomodolibet, etiam vigore cuiuslibet Iubilaei, vel Cruciatae, seu missionum, et alias quovis modo et quacumque causa, quantumlibet pia, favorabili, publica et privilegiata concessarum et concedendarum, potuisse nec posse, tam in foro conscientiae quam in foro exteriori, vel alias quomodolibet cum praedictis Clericis et Presbyteris Societatis praedictae super praedictis votis, et praesertim super praefato voto de praelatura et dignitate ecclesiastica extra ipsam Societatem non acceptanda nec assequenda, dispensare, nec praedicta vota commutare vel relaxare; sed huiusmodi dispensationem et commutationem vel relaxationem, dumtaxat Nobis et Romanis Pontificibus pro tempore exsistentibus reservatam fuisse et esse declaramus.

In voto de non acceptando dignitates extra Societatem comprehenduntur dignitates et officia saecularia, quae iuris dictionem habent.

Insuper, cum a sacris canonibus prohibitum sit omnibus personis ecclesiasticis, et praesertim Regularibus, ne officia saecularia acceptent et exerceant, negotiisque saecularibus se immisceant: tenore praesentium, nedum praelationes seu dignitates ecclesiasticas extra ipsam Societatem exsistentes, sed multo magis saeculares quascumque, ac quaecumque officia, quorum Officiales iuris dictionem ecclesiasticam vel laicalem, de iure, usu vel consuetudine habent, seu quomodolibet extra ipsam Societatem exercent, sub praedicto voto et prohibitione huiusmodi comprehensa fuisse et esse ac comprehendi debere, similiter declaramus et decernimus;

Clausulas praeservativas apponit.

praesentes quoque litteras de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in ius vel controversiam vocari, seu ad viam et terminos iuris reduci, aut adversus eas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari aut concedi, sive etiam motu proprio seu alias concesso quempiam uti, seu se iuvare in iudicio et extra illud nullatenus posse, sed illas semper et perpetuo validas, firmas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac in dicta Societate ab omnibus et singulis ad quos spectat et pro tempore spectabit inviolabiliter servari;

Aliter iudicandi facultatem tollit.

sicque per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et Nuntios quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate auctoritateque, interpretari, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

URBANI VIII

Contraria tollit.

25 Ian. 1632

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus foret, etiam regula Nostra de non tollendo iure quaesito, nec non omnibus illis quae in eisdem praeinsertis litteris concessa sunt non obstare. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesimo quinto Ianuarii MDCXXXII, Pontificatus Nostri anno nono.

URBANI VIII

MAGISTRI NOVITIORUM SOCIETATIS IESU

NON COMPREHENDUNTUR IN DECRETO PROHIBENTE SUPERIORIBUS NE SUBDITORUM CONFESSIONES AUDIANT.

URBANUS PAPA VIII
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

URBANI VIII

31 Aug. 1635

Decretum Clementis VIII pro Magistris Novitiorum et Superioribus Regularium in ordine ad confessiones Novitiorum audiendas.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Mutius Vitelleschus, Societatis Iesu Praepositus Generalis, quod alias, postquam fel. rec. Clemens Papa VIII, praedecessor Noster, nonnulla decreta generalia super Regularibus eorumque Novitiis fecisset seu fieri iussisset, quae deinde per Congregationem venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Concilii Tridentini interpretum aucta, et iussu nostro typis mandata fuerunt, quibus inter alia cavetur, ut praedictorum Novitiorum Magister plenam et absolutam potestatem habeat circa Novitiorum institutionem ac Novitiatus regimen, ita ut in illis nemini, Visitatoribus ac Superioribus maioribus vel etiam localibus exceptis, quovis colore se ingerere liceat, nec non ipsi soli Novitiorum Magistro eorumdem Novitiorum confessiones audiendi cura committatur, ea tamen conditione, ut si ita expedire iudicaverit, liceat Superiori, etiam locali, vel per se ipsum vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno ipsorum Novitiorum confessiones audire: Presbyteri Societatis praefatae, qui ex eorum Instituto tunc non habebant, prout de praesenti non habent, in eorum aliquibus Novitiatibus alium Superiorem localem, nisi eumdem Magistrum Novitiorum, ad eumdem Clementem praedecessorem Nostrum recursum habuerunt, et vivae vocis oraculo obtinuerunt eidem Societati concedi, ut in prohibitione, ut asseruerunt, facta Superioribus Regula-

Eximuntur Magistri Novitiorum Societatis ab eodem decreto, vivae vocis oraculo.

URBANI VIII

31 Aug. 1635

rium, ne audirent subditorum confessiones, non intelligantur in eorum Societate Superiores, qui sunt Magistri Novitiorum, prout in decretis impressis ac vivae vocis oraculo dicitur contineri.

Quoniam vero postmodum vivae vocis oracula, tam per piae mem. Gregorium Papam xv, etiam praedecessorem Nostrum, quam per Nos revocata fuerunt: ideo dictus Mutius Praepositus Generalis Nobis supplicari fecit, quatenus gubernio et regimini Novitiatuum ipsius Societatis consulere, ut infra, de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur observantiam hactenus, post praedicta Regularium decreta, in Novitiatibus in quibus Superior est etiam Magister Novitiorum eiusdem Societatis, ut asserunt, secutam attendentes, ipsumque Mutium praepositum Generalem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, apostolica auctoritate, tenore praesentium, quod de caetero perpetuis futuris temporibus in Novitiatibus eiusdem Societatis ipsi Magistro soli Novitiorum confessiones audiendi cura committatur; teneantur tamen Superiores maiores et quilibet eorum, semel in anno, etiam si Novitii non instent, alium seu alios deputare Confessarios pro eisdem Novitiis, ut eorum confessiones cum effectu semel in anno audiat seu audiant, et nihilominus liceat eisdem Superioribus maioribus et cuilibet eorum, si ita expedire iudicaverit, super quo cuiuslibet ipsorum conscientiam oneramus, vel per se ipsum vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno eorumdem Novitiorum confessiones audire, statuimus, concedimus et indulgemus; sicque et non aliter per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici Auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Confirmatio eiusdem exemptionis per breve, cum aliqua limitatione.

Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non dictae Societatis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis dictae Societati illiusque Superioribus et personis, in genere vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum, tenore praesentium pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die ultimo Augusti MDCXXXV, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

M. A. Maraldus.

URBANI VIII

NON TENEMUR NOSTRIS DEPUTARE CONFESSARIOS

NISI IUXTA MOREM SOCIETATIS, NON OBSTANTE DECRETO CLEMENTIS VIII.

URBANUS PAPA VIII
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

URBANI VIII

In his auctoritatis Nostrae partes libenter interponimus, per quae Religiosorum statui ac disciplinae regularis observationi opportune consuli cognoscimus.

Supplicationibus itaque dilecti filii Mutii Vitelleschi, Praepositi Generalis Societatis Iesu, Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, quod de caetero omnes et singuli Presbyteri, Clerici, Coadiutores et Novitii dictae Societatis, iuxta institutiones disciplinasque regulares eiusdem Societatis, confessario pro tempore deputato, et non aliis, peccata sua sacramentaliter confiteri debeant; ita tamen, ut quinque aut sex vicibus in quolibet anno, omnibus supra dictis in qualibet Domo Professa, Collegio et Novitiatu exsistentibus, offeratur Confessarius extraordinarius, cui omnes supra dicti in singulis dictis quinque aut sex vicibus indistincte et cum effectu confiteri teneantur, apostolica auctoritate, tenore praesentium perpetuo statuimus et ordinamus. 23 Aug. 1641

Non obstantibus quibusvis decretis et constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die vigesimo tertio Augusti MDCXLI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

M. A. Maraldus.

URBANI VIII

VOTUM NON AMBIENDI OBLIGAT DIMISSOS

ET TRANSLATOS AD ALIAS RELIGIONES,

ET SOLUS PONTIFEX POTEST PRAECIPERE UT DIGNITATES ACCEPTENTUR.

URBANUS PAPA VIII
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

URBANI VIII

Honorum dignitatumque vana ambitio adeo quorumdam Regularium mentes interdum excaecat, ut ab eo quod abnegantes semetipsos sponte voverunt, postmodum inanis gloriae cupiditate ducti, resilire conentur, cum tamen dicat Propheta: Vovete et reddite vota vestra Deo. 26 Feb. 1643

Quamvis igitur, ut accepimus, tam

URBANI VIII

26 Feb. 1643

Fratres discalceati S. Augustini et B. Mariae de Monte Carmelo etiam discalceati Ordinum, quam Clerici Regulares ministrantes infirmis, respective nuncupati, et nonnulli aliorum Ordinum seu Congregationum Regulares, etiam Societatis Iesu, et alii Regulares, etiam individuam expressionem requirentes, aut in ipsa Professione una cum tribus essentialibus votis, paupertatis scilicet, castitatis et obedientiae, aut ante vel post Professionem praedictam, sive solemne sive ut dicunt simplex votum in manibus tamen Superioris Regularis emittant de non procurando nec acceptando aliquam dignitatem seu praelationem vel praelaturam extra Religionem, nisi coacti vel adstricti fuerint praecepto eius qui sibi iure praecipere potest; et aliqui addant etiam illa verba, videlicet: " Sub poena peccati, „ iuxta formam suarum constitutionum a Sede Apostolica confirmatarum: nihilominus aliqui ex ipsis Regularibus, etiam translati ad Ordines Regularium etiam Mendicantium qui praedictum aut simile votum non emittunt, retro adspicientes, emissique a se voti huiusmodi immemores, praelationes seu praelaturas vel dignitates ambiunt, immo etiam episcopatus maiorumque dignitatum solium conscendere moliuntur, praetendentes quod suis Superioribus Regularibus praesertimque Generalibus liceat eis praecipere, ut dignitatem, praelationem seu praelaturam vel episcopatum maioremve dignitatem extra Religionem acceptent, aut ipsum votum relaxare et cum ipsis desuper dispensare, licet per praecepta et dispensationes huiusmodi ipsi ab obedientia praecipienti seu dispensanti debita eximantur, ac etiam si vota praedicta, tamquam emissa in manibus Superioris Regularis, dicantur solemnia vel saltem efficaciam voti solemnis habeant, Regulariumque Ordinum et Congregationum ac Societatis huiusmodi Constitutiones sint confirmatae auctoritate apostolica, et cum decreto irritante, a quo propterea manus quorumcumque inferiorum ligatae exsistunt.

Quapropter Nos ambitum hunc retundere, et praetensionem huiusmodi excludere, ac etiam omnem dubitationem super praemissorum interpretatione a nonnullis excitatam, apostolicae declarationis auctoritate penitus tollere volentes, motu proprio certaque scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac perpetua Nostra constitutione declaramus, super praedicto voto, etiam per translatos ad Ordinem seu Congregationem Regularem capacem, ante translationem emisso, de non procuranda nec acceptanda extra quemlibet ex ipsis Ordinibus seu Congregationibus Regularibus aut Societate praedicta respective aliqua dignitate seu praelatione vel praelatura, sive aliquo episcopatu aut maiori dignitate, neminem Superiorem Regularem, etiam Generalem aut Capitulum seu Congregationem generalem, nec etiam Nuntium apostolicum, aut praedictorum Ordinum seu Congregationum Protectorem, etiam S. R. E. Cardinalem, nec etiam Legatum Sedis Apostolicae etiam de latere, nec quemlibet alium, etiam speciali et individua mentione dignum, sed tantummodo Nos et Romanum Pontificem pro tempore exsistentem posse dispensare, taleque votum relaxare, aut adversus illud aliquam licentiam vel indultum concedere, aut aliquod praeceptum procurandi seu acceptandi

URBANI VIII

26 Feb. 1643

vel aliud simile ipsis Regularibus voventibus facere, cuius vigore praedicti Religiosi illas et illos procurare vel acceptare possint aut teneantur, ac alias quomodolibet voventes praedictos a praedicto voto liberare. Prout pariter declaramus, quascumque facultates generales dispensandi super quibuscumque votis, seu illa relaxandi aut commutandi, vel adversus illa praecipiendi, aut alias quomodolibet voventes habilitandi, etiam in foro conscientiae dumtaxat, sive per dictas constitutiones a Sede Apostolica confirmatas, sive per litteras etiam in forma brevis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum, aut Nostras vel successorum Nostrorum, etiam motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, etiam ad supplicationem seu contemplationem quorumcumque etiam Imperatoris, Regum et Principum, seu Rerumpublicarum, ac praedictorum Ordinum, Congregationum et Societatis, aut vigore cuiuscumque Iubilaei etiam universalis, vel Cruciatae sanctae aut sanctae Inquisitionis, seu Missionum, et alias quovis modo et ex quacumque causa, quantumlibet pia, favorabili, publica et privilegiata concessas et emanatas, concedendasque et emanandas, nuncque ac pro tempore competentes, ad praemissa omnia et singula nullatenus se extendere intelligantur; sed esse Nobis et Romanis Pontificibus successoribus Nostris dumtaxat reservata, prout tenore praesentium decernimus et reservamus.

Decernentes quoque easdem praesentes litteras, etiam ex eo quod praedicti Regulares et alii quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, illis non consenserint, nec ad id vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas illae emanarunt, sufficienter aut etiam nullatenus adductae seu probatae fuerint, de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae aut alio quopiam defectu, vel ex quacumque alia causa, occasione, praetextu, colore et capite notari, impugnari, rescindi, in ius vel controversiam revocari numquam posse; sed easdem praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere et inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, nunc et pro tempore exsistentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritumque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis etiam conciliaribus, ac, quatenus foret opus, Nostra et Cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, nec non quorumvis Ordinum et Congregationum Regularium dictaeque Societatis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus et Societati,

URBANI VIII

26 Feb. 1643

illorumque Superioribus, Fratribus, Clericis et personis, ac generaliter quibusvis aliis, etiam individuam mentionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et pluries innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis, habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut praesentium transsumptis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae alicuius in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesimo sexto Februarii MDCXLIII, Pontificatus Nostri vigesimo.

M. A. Maraldus.

INNOCENTII X

CONSTITUTIO DE CELEBRANDA SINGULIS NOVENNIIS

CONGREGATIONE GENERALI, ELIGENDIS IN EA NOVIS ASSISTENTIBUS, ET DE TRIENNALI SUPERIORUM SOCIETATIS REGIMINE.

INNOCENTIUS PAPA X
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

INNOCENTII X

1 Ian. 1646

PROSPERO FELICIQUE statui Societatis IESU, quae viris pietate et doctrina insignibus referta uberes in vinea Domini fructus iugiter producit, pro pastorali Nostra sollicitudine consulere volentes; audita desuper dilectorum filiorum Presbyterorum Regularium eiusdem Societatis, ad praesens in Urbe generaliter pro facienda novi Praepositi Generalis electione congregatorum, sententia; motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine: ut in posterum perpetuis futuris temporibus Congregatio generalis in praedicta Societate singulo quoque novennio, computando semper a celebratione ultimae Congregationis generalis, haberi et celebrari omnino debeat, ita quod illius celebratio nullo modo, nec ex quavis causa, sive per Praepositum Generalem pro tempore exsistentem,

Congregatio novennalis.

INNOCENTII X

1 Ian. 1646

sive per quamcumque Congregationem particularem vel generalem impediri vel ultra novennium huiusmodi differri seu prorogari possit; praeterea ut, quotiescumque habebitur et celebrabitur Congregatio generalis huiusmodi, toties novi Assistentes, ab illis plane diversi qui praecedente novennio Assistentium huiusmodi muneribus functi fuerint, eligi seu assumi et deputari; ac demum, ut omnes et singuli eiusdem Societatis Provinciales, Visitatores, Praepositi, Rectores, Superiores locales et alii Officiales iuris dictionem seu superioritatem habentes, quomodolibet nuncupati, exceptis Magistris Novitiorum, in eorum respective muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus et officiis praedictis, quomodocumque nuncupatis, per triennium dumtaxat durare debeant, eaque, elapso triennio huiusmodi, eo ipso vacent et vacare censeantur; ipsique ad alia quaevis eiusdem Societatis munera, superioritates, ministeria, administrationes et officia praedicta, quomodolibet nuncupata, etiam Vice Provincialis, seu Vice Praepositi, vel Vice Rectoris, nullatenus eligi seu assumi vel deputari valeant, nisi per annum cum dimidio saltem, a fine dicti triennii computando, a praedictis muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus et officiis praedictis cessaverint, tenore praesentium statuimus, mandamus, praecipimus et ordinamus.

Electio novorum Assistentium.

Triennium Superiorum Societatis,

exceptis Magistris Novitiorum,

Cessare debent ab officiis per sesquiannum.

Decernentes praemissa omnia et singula in perpetuum inviolabiliter, sub excommunicationis latae sententiae, ac suspensionis a divinis, privationis vocis activae et passivae, ac privationis officiorum quorumlibet, inhabilitatisque ad illa et alia quaevis in posterum obtinenda, poenis, ipso facto, absque alia declaratione, tam per mandantes, procurantes, eligentes et deputantes, quam recipientes et exsequentes irremissibiliter incurrendis, observari debere, neque adversus illa seu illorum aliquod praesentemque Nostram constitutionem per Praepositum Generalem pro tempore exsistentem, aut quamcumque Congregationem etiam generalem, vel quemlibet alium Superiorem et Officialem dictae Societatis, aut Nostros et pro tempore exsistentis Romani Pontificis Sedisque Apostolicae Nuntios, vel S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et quosvis alios quacumque potestate fungentes, umquam dispensari, disponi vel derogari posse; et quamcumque dispensationem, dispositionem et derogationem adversus eadem praemissa seu eorum aliquod praesentemque constitutionem, per praedictos seu ipsorum aliquem, pro tempore quomodolibet factam sive concessam, nullam prorsus, ac nulliter et subreptitie obreptitieque extortam fore et esse, ac censeri et haberi, neminique ullatenus suffragari debere; praesentesque litteras de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae seu quocumque alio quantumvis substantiali et expressam mentionem requirente defectu, ac ex quocumque titulo, praetextu, causa, occasione et capite, etiam in corpore iuris clauso, notari, impugnari, redargui, rescindi, ad viam et terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, vel quodvis aliud iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, vel etiam motu simili concesso quempiam in iudicio vel extra illud uti minime posse, sed easdem praesentes

Observanda omnia et singula, sub gravibus censuris, utrimque eo ipso incurrendis.

A nemine adversus haec dispensari posse.

Quamcumque factam dispensationem nullam esse.

Praesentes de subreptionis vitio notari non posse.

INNOCENTII X

1 Ian. 1646

semper et perpetuo validas, firmas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici Auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et quosvis alios quacumque potestate fungentes, nunc et pro tempore exsistentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Sic iudicari debere.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus quibusvis apostolicis, et praesertim fel. rec. Gregorii XIV una, quae incipit ECCLESIAE CATHOLICAE, sub datum vigesimo octavo Iunii, et alia, quae incipit EXPONI NOBIS, sub datum trigesimo Augusti MDXCI, Pontificatus sui anno primo; ac piae mem. Pauli V, Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum, quae incipit QUANTUM RELIGIO SOCIETATIS IESU, de anno MDCVI, Pontificatus sui anno secundo; aliisque in favorem dictae Societatis, vel circa illam seu eius regimen, ac etiam in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et quatenus opus sit Nostra et Cancellariae apostolicae regula de non tollendo iure quaesito, nec non praedictae Societatis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Societati illiusque Superioribus et personis ac locis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenore et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso ac forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptis habeatur fides.

Volumus autem ut praesentium transsumptis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die primo Ianuarii MDCXLVI, Pontificatus Nostri anno secundo.

M. A. Maraldus.

ALEXANDRI VII

INDULGENTIA PLENARIA NOSTRIS ET ALIIS

OBEUNTIBUS APUD NOS EXERCITIA SPIRITUALIA CONCEDITUR.

ALEXANDER PAPA VII
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

ALEXANDRI VII

CUM, SICUT NOBIS nuper exponi fecit dilectus filius Goswinus Nickel, Praepositus Societatis IESU, personae eiusdem Societatis quotannis, et plerumque plurimae aliae, sive ecclesiasticae et aliorum Ordinum et Congregationum Regularium, sive laicae, Exercitiis Spiritualibus, a Sancto Ignatio dictae Societatis fundatore institutis, in Domibus eiusdem Societatis per octiduum vacare consueverint: Nos, qui probe scimus, quantopere conducant Exercitia huiusmodi dirigendis in viam Domini et confirmandis in illa Christi fidelium mentibus, devotionem eorum, qui operi adeo pio et salutari vacaverint, coelestium Ecclesiae thesaurorum elargitione magis incitare volentes; de omnipotentis DEI misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christi fidelibus, tam praedictae Societatis aut cuiuscumque alterius Ordinis et Congregationis Regularibus, quam aliis quibuslibet ecclesiasticis et laicis, qui in Domibus memoratae Societatis Exercitia praedicta, iuxta laudabilem eiusdem Societatis consuetudinem, per octidui spatium quandocumque peregerint, et interea temporis vere poenitentes et confessi Sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. 12 Oct. 1657

Praesentibus in perpetuum valituris.

Volumus autem quod si pro impetratione, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum percipiatur, eaedem praesentes nullae sint eo ipso; quodque earumdem praesentium transsumptis etiam impressis, manu Notarii publici vel Secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae vel Praepositi Generalis Societatis praedictae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die duodecimo Octobris MDCLVII, Pontificatus Nostri anno tertio.

G. Gualterius.

ALEXANDRI VII

FACULTAS CONGREGATIONI GENERALI SOCIETATIS IESU

ELIGENDI VICARIUM GENERALEM

CUM IURE SUCCESSIONIS ET UNIVERSALI AC LIBERO EXERCITIO POTESTATIS.

ALEXANDER PAPA VII
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

ALEXANDRI VII

Cum, sicut accepimus, dilectus filius Goswinus Nickel, Praepositus Generalis Societatis Iesu, sentiens se ob senii gravitatem et corporis impedimenta non posse amplius tot ac tantis officii sui laboribus parem esse, et eo animi vigore quo oporteret Societatis gubernationem administrare, Congregationi generali eiusdem Societatis proposuerit, ut Vicarium sibi adiungeret Societati aptum et convenientem, cum iure futurae successionis; ipsa vero Congregatio, etsi unice optaret eidem Goswino Praeposito Generali, bene de universa Societate merito, integritatem virium et plenum regimen ac diuturnum; tamen, cum tam provectae aetatis infirmitas superari non possit, grato animo propositionem factam acceptaverit; et re per biduum Domino diligenter commendata ac discussa, tandem secretis iisque concordibus suffragiis decreverit eligendum esse Vicarium perpetuum cum iure successionis et cum universali ac libero exercitio potestatis; idque ut necessitati rursum, ac forte brevi, convocandae tot expensis ac periculis Congregationis generalis, quantum humana consilia ferunt, occurratur: hinc est, quod Nos, pro commissa Nobis divinitus pastorali sollicitudine, Societatis praedictae, quae, copiosa virorum pietate doctrinaque insignium sobole instructa et ornata, uberes in Ecclesia Dei fructus ad animarum salutem ubique terrarum, divina gratia largiente, in dies profert, utilitati, quantum Nobis ex alto conceditur, providere, ac memoratorum Goswini Praepositi Generalis et Congregationis generalis votis paterna benignitate annuere cupientes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae exsistunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes; motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostolicae potestatis plenitudine, eidem Congregationi generali Vicarium perpetuum cum futura ad eius favorem in officio Praepositi Generalis dictae Societatis, quandocumque illud per obitum, cessionem, renuntiationem vel dimissionem memorati Goswini Praepositi Generalis, seu alias quomodolibet ex illius persona vacare contigerit, successione, ac cum universali et libero exercitio po-

Commendatio Societatis.

1 Ian. 1661

Facultas eligendi Vicarium cum iure successionis.

ALEXANDRI VII

1 Iun. 1661

testatis, servatis alias servandis, eligendi plenam et amplam facultatem tenore praesentium tribuimus et impertimur.

Decernentes easdem praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae vel interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno et substantiali specialemque mentionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut etiam impetrato, vel etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullatenus posse; sed ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque et non aliter in praemissis, per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae apostolicae regula de non tollendo iure quaesito, aliisque apostolicis ac in Conciliis etiam universalibus editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dictae Societatis et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel alia quavis firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Societati eiusque Praeposito Generali et aliis Superioribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu pari, ac etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet etiam iteratis vicibus in contrarium praemissorum concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die primo Iunii MDCLXI, Pontificatus Nostri anno septimo.

S. Ugolinus.

ALEXANDRI VII

CONFIRMATIO DECRETORUM CONGREGATIONIS GENERALIS XI

CIRCA OFFICIUM VICARII GENERALIS.

ALEXANDER PAPA VII
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

ALEXANDRI VII

Alias nos dilectis filiis, Congregationi generali Societatis Iesu, Vicarium perpetuum cum futura ad eius favorem in officio Praepositi Geralis dictae Societatis, quandocumque illud per obitum, cessionem, renuntiationem vel dimissionem dilecti filii Goswini Nickel Praepositi Generalis eiusdem Societatis, seu alias quomodolibet ex illius persona vacare contigerit, successione, ac cum universali et libero exercitio potestatis, servatis alias servandis, eligendi plenam et amplam facultatem tribuimus et impertiti sumus, et alias prout in Nostris in simili forma brevis, de prima Iunii proxime praeteriti desuper expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso habere volumus, uberius continetur.

Cum autem, sicut pro parte dictae Congregationis generalis Nobis nuper expositum fuit, eadem Congregatio, praefatarum Nostrarum litterarum vigore, in Vicarium Generalem perpetuum dictae Societatis elegerit dilectum etiam filium Ioannem Paulum Olivam, Presbyterum Regularem ipsius Societatis, cum iure succedendi; in eumque contulerit exercitium universale ac liberum potestatis non revocandum neque impediendum, idque (prout ipsamet Congregatio declaravit se intellexisse) non cumulative sed privative, etiam quoad memoratum Praepositum Generalem, ita ut, si secus aliquid fiat, illicite et invalide fiat; cumque, iniecta nihilominus hac de re dubitatione, rursum eadem Congregatio, quod iam fecerat, confirmaverit et, si opus esset, de novo factum voluerit, totumque exercitium iuris dictionis, quod supra dictum est, esse penes solum Vicarium, ne Societas a duobus capitibus gubernetur; Praeposito vero Generali praefato reliquerit septemdecim eiusdem facultates, quae gubernationem non respiciunt neque impediunt (quae omnia idem Praepositus Generalis, qui iam se totum Congregationis iudicio et dispositioni permiserat, videns expedire Societati, declaraverit se omni meliori modo rata habere ea omnia, quae Congregatio generalis circa gubernationem Vicarii decreverat); ac praeterea eadem Congregatio statuerit, ut in casu aegritudinis Vicarius sibi subroget alium, qui Societatem gubernet interim dum ipse convalescat; quod si contingat Vicarium Generalem praemori Praeposito Generali, voluerit eadem Congregatio ius nominandi Vicarium esse penes Praepositum Generalem, si ad id aptus inveniatur; qui Vicarius statim nominatus convocet Congrega-

30 Aug. 1661

Totum exercitium iuris dictionis penes solum Vicarium.

ALEXANDRI VII

30 Aug. 1661

Vid. decr. 34 Congr. XI.

tionem generalem, habeatque interea exercitium potestatis independens ac liberum, perinde atque haberet mortuo Praeposito Generali: Nobis propterea eiusdem Congregationis generalis nomine humiliter supplicatum fuit, ut praemissa omnia rite et concordibus animis ab ipsa Congregatione constituta, ne in posterum ulla ex parte infirmari aut in dubium verti a quoquam possint, apostolicae confirmationis Nostrae robore communire de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, specialem dictae Congregationi generali gratiam facere volentes, illiusque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae exsistunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula supra expressa, a memoratis Congregatione generali et Praeposito Generali respective, sicut praemittitur, acta, gesta, declarata, confirmata, ratificata, statuta et ordinata, auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus.

Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et Apostolicae Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque auctoritate et potestate fungentes et functuros, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus omnibus et singulis, quae in praefatis litteris voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. MARIAM maiorem, sub annulo Piscatoris, die trigesimo Augusti MDCLXI, Pontificatus Nostri anno septimo.

S. Ugolinus.

ALEXANDRI VII

FACULTAS RELINQUENDI ET ALIENANDI COLLEGIA

CUM CONCESSU CONGREGATIONIS GENERALIS, DECLARATUR ET CONFIRMATUR.

ALEXANDER PAPA VII
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

ALEXANDRI VII

7 Aug. 1662

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Paulus Oliva, Vicarius Generalis Societatis Iesu, quod, vigore Constitutionum dictae Societatis auctoritate apostolica confirmatarum, eidem Societati competit facultas relinquendi et alienandi Collegia et Domos ipsius Societatis; quam facultatem Congregatio generalis dictae Societatis novissime habita ipsi Ioanni Paulo Vicario Generali concessit; quodque Praepositi Generales qui pro tempore fuerunt dictae Societatis, iis casibus quibus sperabatur suspensionem sufficere posse, Collegia suspendere soliti fuerunt, donec reditus illorum ita aucti essent, ut tuendis seu manu tenendis ipsis Collegiis sufficerent.

Motiva.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Ioannes Paulus Vicarius Generalis, ut penuriae in qua Collegium Tropiense eiusdem Societatis reperiebatur consuleret, idem Collegium suspenderit, quousque, exsoluto aere alieno quo obstringitur, ad statum primaevae fundationis reductum fuerit; venerabilis vero frater Episcopus Tropien. suspensionem huiusmodi per sequestra bonorum dicti Collegii impedire praetenderit: Nobis propterea dictus Ioannes Paulus Vicarius Generalis humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, ipsum Ioannem Paulum Vicarium Generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem facultatis relinquendi et alienandi Collegia et Domos dictae Societatis memorato Ioanni Paulo Vicario Generali ab ultima Congregatione generali praedicta factam, ut praefertur, auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Praeterea praedictum Collegium Tropiense, iuxta illius suspensionem ab eodem Ioanne Paulo Vicario Generali, sicut praemittitur, factam, suspensum remanere debere; ipsi vero Ioanni Pau-

Confirmatur facultas alienandi Collegia.

ALEXANDRI VII

7 Aug. 1662

lo Vicario Generali in futurum alia quoque Collegia dictae Societatis in quacumque mundi parte exsistentia, quando ac iis modo et forma quibus ei necesse fore videbitur, suspendere licere, auctoritate et tenore praedictis declaramus.

Decretum irritans.

Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dicto Ioanni Paulo Vicario Generali plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et spectabit quovis modo in futurum, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici Auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dictae Societatis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die septimo Augusti MDCLXII, Pontificatus Nostri anno octavo.

ALEXANDRI VII

SUPER REGIMINE ET TRIENNIO SUPERIORUM SOCIETATIS IESU.

ALEXANDER PAPA VII
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

ALEXANDRI VII

1 Ian. 1663

Debitum pastoralis officii, quo Ecclesiae Catholicae regimini divina dispositione praesidemus, exigit ut paternam dilectorum filiorum Presbyterorum et Clericorum Regularium

Commendatio Societatis.

Societatis Iesu, quae ab ipsis fundationis suae primordiis in re christianae religionis iuvanda, promovendaque infidelium et haereticorum conversione, et horum pertinacia retundenda, ac iuventute litteris et probis moribus informanda, Christique fidelibus in viam mandatorum Dei dirigendis, adiuvante Domino, sedulo semper et fructuose laboravit ac etiam nunc strenue laborat, curam peculiari studio gerentes, illa, quae prospero felicique ipsius Societatis regimini et progressui impedimentum adferre noscuntur, e medio tollamus et abrogemus, sicut magistra rerum experientia suadet, et Nos, matura consultatione adhibita, ad omnipotentis Dei gloriam salubriter expedire arbitramur.

Dudum siquidem, postquam a Con-

ALEXANDRI VII

1 Ian. 1668

Congregatio v generalis decrevit nullum praefigendum tempus, quo Superiores locales officio defungantur.

Hic decr. 68.

Idem probat Paulus v,

gregatione v generali dictae Societatis petitum fuerat, ut ipsius Congregationis auctoritate statueretur, ne Superiorum localium eiusdem Societatis officia ultra triennium continuarentur, dicta vero Congregatio decreverat nullum tempus esse praefigendum, sed servandum esse decretum LXXXVII Congregationis II generalis ipsius Societatis: fel. rec. Paulus Papa v, praedecessor Noster, certo sciens totum sanctae huius et numquam satis laudatae Religionis stabilimentum in viridi Instituti ipsius et decretorum super hoc in generalibus Congregationibus eiusdem Societatis editorum observantia consistere; illamque ab impugnationibus, molestiis et calumniis vindicare, et in sui Instituti integritate, puritate, quiete et pace conservare cupiens; per suas sub plumbo, anno Incarnationis Dominicae MDCVI, pridie nonas Septembris, super Instituti dictae Societatis confirmatione emanatas litteras, supra dicta et alia quaecumque decreta, statuta et ordinationes, quae Institutum et Societatem huiusmodi illiusque gubernandi rationem quomodolibet concernunt, in generalibus Congregationibus edita, confirmavit; ac Praepositum Generalem, caeterosque Superiores Societatis praefatae tunc et pro tempore exsistentes, paterne hortatus est et monuit, ut observationi dictorum decretorum serio invigilarent, ac eos, qui, novitati studentes, aliquid contra liberam, et sine ulla triennii aut certi temporis praefixione, Superiorum localium gubernationem per se vel alios quoscumque, quavis auctoritate et dignitate fulgentes, quomodolibet machinari ausi fuissent, tamquam perturbatores sui Ordinis et rerum novarum molitores, praeter poenas in supra dictis decretis contentas, ipsius Praepositi pro tempore exsistentis arbitrio coercerent, corrigerent et punirent, et alias prout in eisdem Pauli praedecessoris litteris uberius continetur.

et contrarium molientes ut perturbatores puniri vult.

Innocent. x vetat continuari Superiores ultra triennium.

Postmodum vero rec. mem. Innocentius Papa x, etiam praedecessor Noster, per suas in forma brevis litteras die prima Ianuarii MDCXLVI expeditas, inter alia statuit, mandavit, praecepit et ordinavit, ut omnes et singuli dictae Societatis Provinciales, Visitatores, Praepositi, Rectores, Superiores locales et alii Officiales iuris dictionem seu superioritatem habentes, quomodolibet nuncupati, exceptis Magistris Novitiorum, in eorum respective muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus et officiis praedictis, quomodocumque nuncupatis, per triennium dumtaxat durare deberent; eaque, elapso triennio huiusmodi, eo ipso vacarent et vacare censerentur, ipsique ad alia quaevis eiusdem Societatis munera, superioritates, ministeria, administrationes et officia praedicta, quomodolibet nuncupata, etiam Vice Provincialis, seu Vice Praepositi, vel Vice Rectoris, nullatenus eligi seu assumi vel deputari valerent, nisi per annum cum dimidio saltem, a fine dicti triennii computandum, a praedictis muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus et officiis cessassent; decernens praemissa omnia et singula in perpetuum inviolabiliter, sub excommunicationis latae sententiae ac suspensionis a divinis, privationis vocis activae et passivae ac officiorum quorumlibet, inhabilitatisque ad illa et quaevis alia in posterum obtinenda, poenis, ipso facto, absque alia declaratione, tam per man-

Excipit Magistros Novitiorum.

Superiores officio defuncti per annum cum dimidio quiescant.

ALEXANDRI VII

1 Ian. 1663

dantes, procurantes, eligentes et deputantes, quam recipientes et exsequentes, irremissibiliter incurrendis, observari debere, neque adversus illa, seu illorum aliquod, ipsiusque Innocentii praedecessoris constitutionem huiusmodi, per Praepositum Generalem pro tempore exsistentem, aut quamcumque Congregationem etiam generalem, vel quemlibet alium Superiorem et Officialem dictae Societatis, aut eiusdem Innocentii et pro tempore exsistentis Romani Pontificis Sedisque Apostolicae Nuntios, vel S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et quosvis alios quacumque potestate fungentes, umquam dispensari, disponi vel derogari posse; et quamcumque dispensationem, dispositionem et derogationem adversus praemissa, seu eorum aliquod, eamdemque Innocentii praedecessoris constitutionem, per praefatos seu ipsorum aliquem pro tempore quomodolibet factam sive concessam, nullam prorsus ac nulliter et subreptitie obreptitieque extortam fore et esse ac censeri et haberi, neminique ullatenus suffragari debere, et alias cum diversis ordinationibus, decretis, clausulis et derogationibus in eisdem Innocentii praedecessoris litteris plenius contentis et expressis.

Incommoda ex praefixo Superioribus triennio, et cessatione per annum cum medio.

Verum subinde, pro parte dilecti filii Goswini Nickel Praepositi Generalis dictae Societatis, Nobis exposito, quod vacatio munerum, superioritatum, ministeriorum et officiorum praedictorum post lapsum triennii, nec non eorum, qui illis functi fuissent, ab illis per annum cum dimidio cessatio, sicut praemittitur, praescripta, maxima bono Societatis praedictae regimini adferrent incommoda, et tunc, quia ob calamitates et contagii suspiciones quibus nonnullae provinciae laborabant commercium reperiebatur interdictum, difficilior redderetur vacationis et cessationis huiusmodi observatio: Nos, supplicationibus eiusdem Goswini Praepositi Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, supra expressum Innocentii praedecessoris statutum, mandatum, praeceptum et ordinationem huiusmodi ad sesquiannum tunc proximum suspendimus, et successive dictum sesquiannum ad alium sesquiannum, ac iterum ad triennium respective extendimus et prorogavimus. Praeterea, cum dictus Goswinus Praepositus Generalis Nobis iterum exponi fecisset, quod Provinciae Indiae Societatis praedictae litterarum Nostrarum in forma brevis super suspensione huiusmodi primo loco ad sesquiannum, ut praefertur, facta emanatarum beneficio maxime indigebant, illoque frui vix poterant, quia priusquam de eisdem litteris nuntius ad illas partes perferretur, aut iam elapsus, aut prope finem futurus erat dictus sesquiannus: Nos, ipsius Goswini Praepositi Generalis precibus benigne annuentes, similem suspensionem statuti, mandati, praecepti et ordinationis memorati Innocentii praedecessoris, quantum quidem ad Provincias, Domos, Collegia et loca quaecumque dictae Societatis in Indiis tam orientalibus quam occidentalibus et alibi extra Europam dumtaxat consistentes et consistentia attinebat, ad septem annos a die decimo quarto Novembris MDCLVI computandos fecimus. Ac demum, cum nomine dilectorum filiorum Congregationis generalis, quae fuit undecima eiusdem Societatis, Nobis expositum fuisset, quod ex iam dictis suspensionibus maximum toti

Innocentii x decretum suspensum ad sesquiannum,

ad triennium,

ad septennium pro Indiis et aliis extra Europam locis.

ALEXANDRI VII

1 Ian. 1663

Societati beneficium atque emolumentum provenerat; quia vero praefixum in litteris Nostris desuper emanatis tempus tunc incipiebat fluere versus finem, eadem Congregatio communibus votis, ac nemine penitus discrepante, denuo opportune in praemissis a Nobis provideri plurimum desiderabat: Nos, humilibus ipsius Congregationis generalis precibus inclinati, praedictum Innocentii praedecessoris statutum, mandatum, praeceptum et ordinationem, ut munera, superioritates, administrationes, ministeria et officia huiusmodi elapso triennio vacent, et illis functi, nisi postquam ab eis per sesquiannum cessaverint, ad alia quaevis munera, superioritates, ministeria, administrationes et officia nullatenus eligi seu assumi vel deputari valeant, quantum quidem ad Provincias, Domos, Collegia et loca in Europa ad aliud quadriennium; quantum vero ad Provincias, Domos, Collegia et loca quaecumque eiusdem Societatis in Indiis, tam orientalibus quam occidentalibus, et alibi extra Europam consistentes et consistentia spectat, respective ad alios octo annos denuo suspendimus, et alias prout in quinis Nostris in simili forma brevis litteris, primis quidem die vigesimo quarto Iulii MDCLVI, et aliis die decimo quarto Novembris eiusdem anni, et die septimo Iulii MDCLII, et die vigesimo octavo Augusti MDCLVIII, et novissimis die septimo Decembris MDCLXI desuper expeditis plenius continetur.

Iterum ad quadriennium in Europa,

Et octennium extra Europam.

Cum autem, sicut accepimus, S. Ignatius dictae Societatis fundator in Constitutionibus ipsius Societatis statuerit, ut penes Praepositum Generalem esset tam electio omnium Rectorum quam amotio ab eo munere, nullo praefixo temporis spatio, sed solum prout ei convenientius in Domino videretur; et licet idem S. Pater alibi in eisdem Constitutionibus dixisse reperiatur Provinciales ad triennium ut plurimum constituendos esse, statim tamen subiunxerit etiam id temporis spatium contrahi et prorogari posse, quando ad maiorem DEI et Domini nostri gloriam id fore iudicaretur; at vero pro Rectoribus vel Superioribus localibus, neque triennium ut plurimum praescribendum censuerit, sed totam durationem regiminis illorum pendere voluerit ab arbitrio Praepositi Generalis, prout ad maiorem DEI gloriam expedire duceret; de cessatione autem Superiorum ad sesquiannum vel aliud tempus nullibi meminerit, nec aliquid super ea re statuendum censuerit, sed Praepositi Generalis iudicio, sicut alia multa, id in genere reliquerit, et ipsemet, quamdiu vixit, in praxi absque tali cessatione Societatem gubernaverit; haecque gubernandi ratio a piae mem. Paulo III, Iulio III, et Gregorio XIII, ac Gregorio XIV, Romanis Pontificibus praedecessoribus pariter Nostris, (qui Gregorius XIV per suas sub plumbo anno Incarnationis Dominicae MDXCI quarto kal. Iulii expeditas litteras, quarum initium est ECCLESIAE CATHOLICAE, expresse statuit, ut electio Superiorum quorumcumque esset tota penes Praepositum Generalem, iuxta Constitutiones, cum potestate illorum facultatem revocandi, restringendi vel augendi, et denique eosdem ab officio removendi, prout in Domino iudicaret expedire) approbata et confirmata, et post obitum memorati S. Ignatii in eadem Societate cum ingenti illius bono servata fuerit. Et (licet anno MDXCIV si-

Mens P. S. Ignatii de tempore, quo Superiores defungi officio deberent.

Durationem regiminis vult pendere ab arbitrio Generalis.

Idem statuit Gregorius XIV.

ALEXANDRI VII

1 Ian. 1663

milis rec. Clemens Papa VIII, etiam praedecessor Noster, vivae vocis oraculo per bo. mem. Franciscum, dum vixit, S. R. E. Cardinalem Toletum nuncupatum Congregationi V generali memoratae Societatis significato mandaverit, ut tam Provinciales quam Rectores dictae Societatis non durarent ultra triennium) nihilominus tamen ipse Clemens praedecessor, motus precibus eiusdem Societatis, mitigaverit variis modis illud suum mandatum, quod postea praefatus Paulus V praedecessor per suas litteras supra dictas (decretum Congregationis V generalis supra expressum specifice confirmans, et praefixionem termini in gubernatione Superiorum localium graviter improbans, ac machinatores contra id decretum, tamquam perturbatores Societatis, gravissimis poenis plecti iubens) omnino abrogavit. Cumque dicta Societas subsequenti tempore, usque ad editam praefatam Innocentii praedecessoris constitutionem, praefatum gubernandi modum magno cum fructu ipsiusque Societatis tranquillitate servaverit; edita vero eadem constitutione, plurimis gravissimisque affecta fuerit incommodis, multoque plura et graviora pericula et inconvenientia subitura exstiterit, nisi Nos per suspensiones praefatas illis occurrissemus; et ex his Nostris suspensionibus seu dispensationibus per septem fere annos magnae et multiplices utilitates dictae Societati obvenerint, nec quidpiam alicuius momenti in contrarium Nobis exhibitum fuerit, ut proinde e re eiusdem Societatis maximopere futurum videatur, si eiusdem Innocentii praedecessoris ordinatio supra dicta penitus abrogetur: hinc est quod Nos, dictae Societatis felici directioni, religiosisque progressibus et incrementis, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere cupientes; nec non praefatarum Nostrarum, ac Gregorii XIV, Pauli V, et Innocentii X, aliarumve quarumlibet eorumdem et aliorum praedecessorum Nostrorum praefatorum litterarum Societatem praefatam concernentium, ac ipsius Societatis Constitutionum et decretorum generalium illius Congregationum tenores et datas, aliaque etiam speciali et individua mentione digna, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, eorumdemque Pauli III, Iulii III, Gregorii XIII, Gregorii XIV et Pauli V praedecessorum, qui omnes dictas Constitutiones S. Ignatii et rationem gubernandi in eis expressam laudarunt, approbarunt et confirmarunt, vestigiis inhaerentes: motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, et apostolicae potestatis plenitudine, memorati Innocentii praedecessoris statutum, mandatum, praeceptum et ordinationem, ut omnes et singuli eiusdem Societatis Provinciales, Visitatores, Praepositi, Rectores, Superiores locales et alii Officiales iuris dictionem seu superioritatem habentes, quomodolibet nuncupati, (exceptis Magistris Novitiorum) in eorum respective muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus et officiis praedictis, quomodocumque nuncupatis, per triennium dumtaxat durare debeant, eaque, elapso triennio huiusmodi, eo ipso vacent et vacare censeantur, ipsique ad alia quaevis eiusdem Societatis munera, superioritates, ministeria, administrationes et officia praefata, quomodolibet nuncupata, etiam Vice Provincialis, seu Vice Praepositi vel Vice

Vid. Congr. V decr. 64 n. 1.

Abrogatur penitus constitutio Innocentii X.

ALEXANDRI VII

1 Ian. 1663

Rectoris, nullatenus eligi seu assumi vel deputari valeant, nisi per annum cum dimidio saltem, a fine dicti triennii computandum, a praedictis muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus et officiis cessaverint, pluries a Nobis suspensa, ut praefertur, et, quatenus illa concernunt, praedictas eiusdem Innocentii praedecessoris litteras (firma tamen et illaesa, ac in suo robore in reliquis omnibus et singulis remanente earumdem Innocentii praedecessoris litterarum dispositione), tenore praesentium perpetuo revocamus, abrogamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus.

Decernentes easdem praesentes litteras, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, ad illa vocati, citati et auditi non fuerint, nec illis consenserint, aut ex alia quacumque causa, occasione, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae aut interesse habentium consensus aliove quolibet etiam substantiali et individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, redargui, rescindi, infringi, retractari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; sed ipsas praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Sic iudicari debere.

Non obstantibus dicti Innocentii praedecessoris litteris, nec non omnibus et singulis illis, quae memorati Gregorius XIV ac Paulus V et Innocentius praedecessores voluerunt in suis et Nos voluimus in Nostris respective litteris praefatis non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Non obstantibus, etc.

Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici vel Secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo Praepositi vel Vicarii Generalis eiusdem Societatis aut alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die primo Ianuarii MDCLXIII, Pontificatus Nostri anno octavo.

S. Ugolinus.

CLEMENTIS IX

CONCEDITUR OFFICIUM ET MISSA

CONCEPTIONIS B. MARIAE VIRGINIS IMMACULATAE CUM OCTAVA PATRIBUS SOCIETATIS IESU.

CLEMENS PAPA IX
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

CLEMENTIS IX

Augustissimae atque gloriosissimae Virginis Dei Genitricis Mariae, cuius virtutem et pulchritudinem sol et luna mirantur, natura obstupescit, infernus contremiscit, cultum et venerationem in terris quanto possumus studio promovere satagentes, pia fidelium, eorum praesertim qui, Altissimi obsequiis sub suavi Religionis iugo mancipati, aliis ad opera pietatis exemplo praelucent et salubri directione viam monstrant, vota in id ipsum tendentia libenter exaudimus, ac favoribus et gratiis prosequimur opportunis.

Supplicationibus itaque dilecti filii Ioannis Pauli Olivae, Praepositi Generalis Societatis Iesu, tam suo quam totius Societatis praedictae nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati; ut in eadem Societate ab omnibus illius Presbyteris et Clericis Regularibus, qui horas canonicas recitare tenentur, officium et Missa Conceptionis eiusdem B. Mariae Virginis Immaculatae cum octava in posterum de praecepto recitetur, cum lectionibus in octavario romano a Congregatione venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum approbato contentis, et a die octava ad decimam quintam Decembris rite dispositis, auctoritate apostolica, tenore praesentium mandamus et decernimus, idemque officium ad usum dictae Societatis seorsim ab octavario romano imprimi posse concedimus. 17 Sept. 1667

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici vel Secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo memorati Praepositi Generalis aut alterius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die decimo septimo Septembris MDCLXVII, Pontificatus Nostri anno primo.

CLEMENTIS IX

SUSPENSIO BREVIS INNOCENTII X

DE GENERALI CONGREGATIONE QUOVIS NOVENNIO CELEBRANDA.

CLEMENS PAPA IX
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

CLEMENTIS IX

Religiosorum virorum Ordines, quos tamquam fertilia agri dominici cultorum plantaria sapiens Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum pietas instituit, in visceribus paternae gerentes charitatis, Societatem Iesu, viris pietate, religione, sacrarum eisque ancillantium bonarum litterarum scientia, ac propriae alienaeque salutis studio eximie praeditis fulgentem, singularibusque in hanc Sanctam Sedem meritis conspicuam, peculiari apostolicae dilectionis affectu prosequimur; et propterea felici illius regimini religiosaeque tranquillitati libenter consulimus, sicut, omnibus debite consideratis, pietati atque prudentiae censemus esse consentaneum.

Tenor brevis Innoc. x.

Alias siquidem (postquam fel. rec. Innocentius Papa x, praedecessor Noster, per quasdam suas in simili forma brevis die prima Ianuarii MDCXLVI expeditas litteras, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, statuerat, mandaverat, praeceperat et ordinaverat, ut perpetuis futuris temporibus Congregatio generalis in praedicta Societate Iesu singulo quoque novennio, computando semper a celebratione ultimae Congregationis generalis, haberi et celebrari omnino deberet, ita ut illius celebratio nullo modo nec ex quavis causa, sive per Praepositum Generalem pro tempore exsistentem, sive per quamcumque Congregationem particularem vel generalem, impediri vel ultra novennium huiusmodi differri seu prorogari posset; utque, quotiescumque haberetur et celebraretur Congregatio generalis huiusmodi, toties novi Assistentes, ab illis plane diversi qui praecedente novennio Assistentium muneribus functi fuissent, eligi seu assumi et deputari; ac demum, ut omnes et singuli eiusdem Societatis Provinciales, Visitatores, Praepositi, Rectores, Superiores locales et alii Officiales iuris dictionem seu superioritatem habentes, quomodolibet nuncupati, (exceptis Magistris Novitiorum) in eorum respective muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus et officiis, quomodocumque nuncupatis, per triennium dumtaxat durare deberent, eaque, elapso triennio huiusmodi, eo ipso vacarent et vacare censerentur, ipsique ad alia quaevis eiusdem Societatis munera, superioritates, ministeria, administrationes et officia praedicta, quomodolibet nuncupata, etiam Vice Provincialis seu Vice Praepositi vel Vice Rectoris, nullatenus eligi seu assumi vel deputari valerent, nisi per annum cum dimidio saltem, a fine dicti triennii computandum, a praedictis muneribus, superioritatibus

20 Sept. 1668

Alexander VII abrogat statutum circa triennalem tantum durationem munerum.

ministeriis, administrationibus et officiis cessavissent) rec. mem. Alexander Papa VII, pariter praedecessor Noster, certis ex causis tunc expressis adductus, statutum et ordinationem dicti Innocentii praedecessoris circa triennalem tantum durationem munerum, superioritatum, ministeriorum, administrationum et officiorum praedictorum, nec non sesquianni ab illis vacationem huiusmodi (firma tamen et illaesa ac in suo robore in reliquis omnibus remanente earumdem Innocentii praedecessoris litterarum dispositione) perpetuo revocavit et abrogavit, et alias prout in ipsius Alexandri praedecessoris litteris desuper in simili forma brevis die prima Ianuari MDCLXIII emanatis, quarum tenorem praesentibus itidem pro expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Supplicatio.

Cum autem, sicut dilectus filius Ioannes Paulus Oliva, Praepositus Generalis dictae Societatis, Nobis nuper exponi fecit, postrema Congregatio generalis eiusdem Societatis anno MDCLXI celebrata, inter alia unanimi plane consensu decreverit, infimis precibus ab hac Sancta Sede petendam fore abrogationem praedictarum Innocentii praedecessoris litterarum, non solum in ea parte in qua memoratus Alexander praedecessor, huiusmodi decreti conscius, illam subinde, ut praemittitur, concessit; sed etiam in reliqua celebrationem Congregationis generalis quolibet novennio novorumque Assistentium a praecedentibus diversorum electionem seu deputationem concernente: quippe quae et Constitutionibus Societatis praedictae a S. Ignatio illius fundatore editis, quas quinque Romani Pontifices praedecesores Nostri approbarunt, conformis non sit; et adversetur sensui sex Congregationum generalium ipsius Societatis, quae contrarium magno consensu expedire Societati iudicarunt; accedit quod abunde iam est prospectum in Societate cuicumque necessitati ob quam Congregatio generalis cogi debeat, ideoque novennalis illa plane inutilis futura sit, cum singulis trienniis celebrari soleat et debeat Congregatio Procuratorum electorum ex omnibus Provinciis cum facultate convocandi Congregationem generalem si sit opus; tum etiam deterrent ingentes sumptus quos necesse est fieri in convocanda quolibet novennio, et quidem sine necessitate, Congregatione illa generali; deterrent quoque frequentia vitae pericula quibus exponuntur primarii Religiosi omnium Provinciarum eiusdem Societatis, iique plerumque senes, quorum aliqui paucis abhinc annis sublati naufragio, alii exstincti febribus in itinere, alii in captivitatem ab hostibus abducti fuere; quibus incommodis adiungitur relaxatio disciplinae religiosae in Provinciis, dum inde absunt Provinciales et alii praecipui Religiosi, qui praesentes conservando illius vigori invigilarent: Nobis propterea memoratus Ioannes Paulus Praepositus Generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Ad eam examinandam Congregatio Cardinalium deputatur.

Nos igitur, ipsius Ioannis Pauli Praepositi Generalis desiderio, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes; eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum

CLEMENTIS IX

20 Sept. 1668

praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes; ac prospero felicique statui atque incremento Societatis praedictae, de catholica religione multis nominibus optime meritae, animum Nostrum pastorali providentia intendentes; ad supra scriptas preces eiusdem Ioannis Pauli Praepositi Generalis examinandas, specialem Congregationem nonnullorum ex venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus prudentia et zelo praestantium deputavimus. Cuius Congregationis audita sententia, et Nobiscum reputantes valde ad rem facere, ut per secreta suffragia constet quid circa petitam abrogationem sentiat in Domino Societas universa, quae per graviores Religiosos eius Instituto optime imbutos, rerumque illius usu atque experientia praeditos, in Congregatione generali coadunatos repraesentatur: ideo auctoritate apostolica, tenore praesentium iubemus atque decernimus, ut in Congregatione generali praedictae Societatis, quae prima ex praescripto illius Constitutionum celebrabitur, praevia inter praedictos Religiosos matura rei discussione et consultatione, per secreta postmodum suffragia disquiratur: An bono dictae Societatis expediat ut terminus novennalis ad celebrandas Congregationes generales in allegatis Innocentii praedecessoris litteris statutus abrogetur; quae quidem disquisitio, si dicta Congregatio generalis pro electione Praepositi Generalis celebranda sit, ante illius electionem fiat. Postquam autem huiusmodi disquisitio peracta fuerit, illico ad Nos vel ad Romanum Pontificem pro tempore exsistentem distincte referatur, quo numero suffragiorum ipsa

Vid. Congr. XII decr. 2.

Congregatio generalis dicti novennalis termini vel abrogationem vel observantiam expetiverit, ut quid circa illum deinde observari debeat Sedis Apostolicae iudicio statuatur. Propterea exsecutionem dictarum Innocentii praedecessoris litterarum in ea parte, cui per supra dictas Alexandri praedecessoris litteras derogatum non fuit, auctoritate et tenore praedictis interim suspendimus, illamque, usque ad Congregationem generalem ex praescripto Constitutionum Societatis praedictae iuxta praedicta primo celebrandam, effectu carere volumus atque decernimus.

Suspensio de qua in rubr.

Decernentes pariter easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici Auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans, et clausula sublata.

Non obstantibus praedicti Innocentii praedecessoris litteris, nec non omnibus et singulis illis quae memoratus Alexander praedecessor in suis litteris supra dictis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Remotio contrariorum.

Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transsumptis seu

CLEMENTIS IX

20 Sept. 1668

exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici vel Secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo Praepositi Generalis eiusdem Societatis seu alterius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, ad S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die vigesimo Septembris MDCLXVIII, Pontificatus Nostri anno secundo.

I. G. Slusius.

CLEMENTIS X

OFFICIUM S. FRANCISCI XAVERII

ELEVATUM AD RITUM DUPLICEM PRO TOTA ECCLESIA, EIQUE CONFIRMATUS TITULUS APOSTOLI NOVARUM GENTIUM SEU INDIARUM.

14 Iun. 1670

CLEMENS PAPA X
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

CLEMENTIS X

In eminenti Principis Apostolorum Sede, meritis licet imparibus, divina disponente clementia constituti, muneris Nostri esse arbitramur, ut Sanctorum in coelis regnantium, illorum praecipue, quibus annuntiantibus evangelicae praedicationis sonus usque ad extremos orbis terrarum fines penetravit, cultum et venerationem in terris, quantum Nobis ex alto conceditur, augere satagamus.

Itaque, pro peculiari Nostra erga S. Franciscum Xaverium Societatis Iesu, qui, apostolicis charismatibus affluenter decoratus, novarum gentium Apostolus unanimi totius christiani orbis consensu meruit appellari, devotione, eius venerationem condignis honorum incrementis ampliare cupientes, auctoritate apostolica tenore praesentium iubemus, ut eius officium de mandato fel. rec. Alexandri Papae VII, praedecessoris Nostri, in kalendario romano sub ritu semiduplici appositum, in posterum sub ritu duplici de praecepto in eodem apponatur, ab omnibus qui ad horas canonicas tenentur, tum saecularibus tum Regularibus utriusque sexus, ubique de praecepto recitandum.

Contrariis derogat.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptis habeatur fides.

Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici vel Secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo Praepositi Generalis eiusdem Societatis vel alterius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die decimo quarto Iunii MDCLXX, Pontificatus Nostri anno primo.

CLEMENTIS X

DE FUNERIBUS IN NOSTRIS ECCLESIIS,

ET QUOD PAROCHI EXIGERE NON POSSUNT MAIOREM ELEEMOSYNAM.

CLEMENS PAPA X
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

CLEMENTIS X

Ius Regularium circa funeralia in variis controversiis stabilitum.

NUPER, PRO PARTE dilecti filii Alphonsi de Alarcos, Presbyteri Regularis Procuratoris generalis Provinciarum Hispaniarum et Indiarum Societatis IESU, Congregationi venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae, exposito, quod eadem Congregatio die septimo Decembris MDCXL, ad instantiam Commissarii Curiae Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, declaraverat Parochos et Presbyteros terrae de Leverano ac alios dioecesis Brundusinae non posse accipere maiorem eleemosynam pro defunctis qui sepelirentur in ecclesiis dictorum Fratrum, quam accipiebant ab iis qui sepeliebantur in ecclesiis dictorum Parochorum et Presbyterorum saecularium; et deinde trigesimo primo Augusti MDCLVII, ad instantiam Fratrum Provinciae Dalmatinae eiusdem Ordinis, declaraverat functiones funerales super cadaveribus defunctorum quae sepelirentur in ecclesiis Regularium, postquam ipsa cadavera ad ecclesias ipsorum Regularium pervenissent, ad eosdem Regulares, non autem ad Parochos pertinere; similiterque declaraverat die decimo sexto Decembris MDCLXI super controversiis quae inter Parochos civitatis Placentinae et monachos monasterii S. Xisti Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti occasione funerum erant exortae; prout etiam die decimo septimo Novembris MDCLXXI, ad instantiam Procuratoris generalis dicti Ordinis Fratrum Minorum, declaraverat Parochis, qui associabant cadavera defunctorum qui in ecclesiis Regularium sepeliebantur, non licere ea occasione ingredi ecclesias Regularium, sed ad ianuas ipsarum ecclesiarum dimittere debere cadavera huiusmodi, et solum posse bene dicere ac dare ultimum vale; officiaque et alia munia, quae in similibus fieri solebant, debere fieri a Regularibus, non autem a Parochis; et in eadem expositione subiuncto, quod, licet praefatae dispositiones seu declarationes essent adeo iustae, et militarent eaedem rationes illas observandi circa cadavera quae sepeliebantur in ecclesiis Domorum et Collegiorum dictae Societatis IESU, nihilominus assidue exoriebantur gravissimae discordiae et scandala, ex eo quod Parochi illis stare nollent, in gravissimum praefatae Societatis et Christi fidelium qui post obitum sua cadavera in ipsius Societatis ecclesiis sepeliri volebant detrimentum; ideoque supplicato ut Congregatio praefata declararet supra dicta decreta seu declarationes circa cadavera quae in ecclesiis Domorum et Collegiorum prae-

8 Aug. 1672

CLEMENTIS X

8 Aug. 1672

etiam Societati Iesu competit, iuxta decretum S. Congregationis,

fatae Societatis Iesu sepelirentur, perinde observari debere, ac si ad instantiam ipsius Societatis emanassent: emanavit ab eadem Cardinalium Congregatione decretum tenoris qui sequitur, videlicet: — " Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, oratoris precibus benigne indulgens, censuit dandas esse petitas declarationes saepe alias editas, easque etiam in praenarratis ecclesiis Societatis esse observandas, videlicet: Parochis in associatione sive occasione associationis cadaverum non licere ingredi ecclesias Regularium, sed teneri dimittere eadem cadavera ad ianuam ecclesiarum, ibique solum posse bene dicere et dare ultimum vale; officia vero et alia munia, quae in huiusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis Regularibus peragi debere, non autem a Parochis. - Episcopos seu Ordinarios locorum permittere non debere ut Parochi aliique de clero saeculari maiorem eleemosynam sibi attribui faciant ab haeredibus defunctorum qui in ecclesiis Regularium sepulturam sibi elegerint, quam percipere possent si in parochiali seu alia ipsius cleri saecularis ecclesia sepeliri voluissent. - Functiones funeralium super cadavera defunctorum quae in ecclesiis Regularium contingit sepeliri, postquam ad easdem ecclesias pervenerint, ad ipsos Regulares, non ad Parochos pertinere. Contrariis quibuscumque circa supra scripta omnia minime obstantibus. Romae, sexto Maii MDCLXXII, F. M. Card. Brancatius. - C. de V. Archiep. Athenar. " —

Cum autem, sicut praefatus Alphonsus Nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi pro firmiori illius subsistentia apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desideret: Nos, specialem ipsi Alphonso gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes; supplicationibus eius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salva tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis Cardinalium.

a S. Pontifice confirmatum.

Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici Auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu Secretarii dictae Societatis vel alicuius Notarii pu-

CLEMENTIS X

8 Aug. 1672

blici subscriptis, et sigillo Praepositi Generalis eiusdem Societatis vel alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur tam in iudicio quam extra illud, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. MARIAM maiorem, sub annulo Piscatoris, die tertio Augusti MDCLXXII, Pontificatus Nostri anno tertio. — I. G. Slusius.

CLEMENTIS X

CONSTITUTIO NE PROFESSI TRANSLATI AD ALIAM RELIGIONEM TRANSIRE INDE VALEANT AD LAXIOREM, SINE LICENTIA SEDIS APOSTOLICAE.

CLEMENS PAPA X
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

CLEMENTIS X

16 Sept. 1675

Licet Praeposito, quibus iudicaverit, a Societate ad quemvis alium Ordinem transeundi licentiam concedere.

CUM DUDUM, postquam fel. rec. Paulus Papa III, praedecessor Noster, Societati IESU inter alia concesserat, ut Clericorum Regularium eiusdem Societatis nemo, sive Professus sive Scholaris sive Coadiutor, ex dicta Societate egrediens, ad alium quam Carthusiensium Ordinem, nisi de expressa Romani Pontificis vel Praepositi Generalis dictae Societatis licentia se conferret; itemque rec. mem. Pius Papa IV, etiam praedecessor Noster, voluerat, ut ne quis praedictorum ab eadem Societate, praetextu cuiusvis indulti, vel quaesito colore melioris vitae vel strictioris observantiae, etiam ad Mendicantium vel Cisterciensium seu S. Benedicti, aut aliorum monachorum Ordinem (Carthusiensi excepto) transire possit, dubitari contigisset an Praepositus pro tempore exsistens valeret etiam Professos, ex causis id exigentibus, ab ipsa Societate emittere, aut eis sic emissis liberum esset, de eius licentia, se ad quemvis alium Mendicantium vel non Mendicantium Ordinem transferre: piae mem. Gregorius Papa XIII, pariter praedecessor Noster, re perpensa atque diligenter examinata, Societatis ipsius puritati atque incremento, emissorumque pro tempore saluti consulere volens, statuit ut deinceps in perpetuum liceret dicto Praeposito, quos iudicavisset, ab ipsa Societate emittere, eosque de ipsius Praepositi licentia, non tantum ad Carthusiensium, sed ad quemvis alium Mendicantium vel non Mendicantium paris, laxioris aut arctioris observantiae Ordinem per ipsum Praepositum illis praescribendum, de consensu tamen Superiorum loci illius quo destinantur, demigrare, in eisque Professionem per loci illius monachos aliosque Regulares eiusdem emitti solitam emittere, habitumque suscipere et consueta uti eorum disciplina, et alias prout in eiusdem Gregorii Praedecessoris litteris desuper in simili forma brevis die vigesimo secundo Septembris MDLXXXII expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene ac sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

CLEMENTIS X

16 Sept. 1675

Cum autem, sicut accepimus, non raro contigerit ut Professi nonnulli praedictae Societatis, laxioris vitae cupiditate ducti, cum nequirent impetrare a Praeposito Generali ipsius Societatis licentiam transeundi ad Ordinem laxioris observantiae, prout desiderabant, impetrarint saltem facultatem ingrediendi alium Ordinem in quo vigebat regularis observantia, atque, emissa in eo post modicum tempus per dispensationem professione, inde facilius postea obtinuerint licentiam migrandi ad alium Ordinem laxiorem, in quo exigua valde forma esset religiosae disciplinae, non sine scandalo multorum, qui relaxationis eiuscemodi amorem in viris Deo per vota solemnia consecratis merito exhorrescunt: hinc est quod Nos, eiusmodi scandalis ansam in futurum praecidere, ac Societatis praedictae honori, indeque emissorum saluti, quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum serie perpetuo statuimus et ordinamus, ut de caetero in eadem Societate Professi quos Praepositus Generalis dictae Societatis ab ipsa Societate emittendos iudicaverit, quique de eiusdem Praepositi Generalis licentia ad alium quemvis Ordinem eis ab ipso Praeposito Generali praescriptum translati fuerint, inde post emissam ibidem professionem regularem exire, aut denuo ad quemcumque alium Ordinem (Carthusiensi excepto) transire nequeant, nisi de speciali Nostra seu Romani Pontificis pro tempore exsistentis licentia, in qua exprimatur eos alias in dicta Societate Professos, indeque de Praepositi Generalis licentia ad praescriptum ab eo Ordinem, ex quo de novo ad alium transire desiderent, translatos fuisse, ac etiam specifica praesentium litterarum fiat mentio. Alioquin novi transitus huiusmodi, ac professiones, et alia quaecumque inde quovis modo secutura, nulla prorsus atque invalida et irrita, nulliusque roboris et momenti exsistant; et sic transeuntes pro apostatis habeantur, omnibusque censuris et poenis contra apostatas statutis et promulgatis subiaceant, nec ab illis absolutionis beneficium ab alio quam a Nobis seu Romano Pontifice pro tempore exsistente, nisi in mortis articulo constituti, reportare valeant.

Sic a Societate emissis non licet rursus ad alium Ordinem transire, sine speciali Sedis Apostolicae licentia, in qua tum Professionis in Societate, tum harum litterarum expressa facienda est mentio.

Secus invalida est eorum Professio, et poenis apostatarum subiacent.

Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces exsistere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quomodocumque spectabit, inviolabiliter observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et Apostolicae Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Sic indicari debere.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Societatis et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudi-

Non obstantibus, etc.

CLEMENTIS X

16 Sept. 1675

nibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transsumptis habeatur fides.

Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici sive Secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo Praepositi Generalis eiusdem Societatis vel alterius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio quam extra illud, ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. MARIAM maiorem, sub annulo Piscatoris, die decimo sexto Septembris MDCLXXV, Pontificatus Nostri anno sexto.

I. G. Slusius.

INNOCENTII XI

TRANSLATIO FESTI S. FRANCISCI BORGIAE CUM INDULGENTIA

AD DIEM X OCTOBRIS.

INNOCENTIUS PAPA XI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

INNOCENTII XI

28 Aug. 1683

DUDUM FEL. REC. Clemens Papa X, praedecessor Noster, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis Domorum vel Collegiorum quorumcumque Societatis IESU eatenus erectis et in posterum quandocumque erigendis, et ubicumque locorum exsistentibus, die tertio Octobris festo S. Francisci Borgiae, dum vixit Praepositi Generalis dictae Societatis, a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi singulis annis devote visitassent, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad DEUM preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessit, et alias prout in ipsius Clementis praedecessoris litteris desuper in simili forma brevis die tertio Iulii MDCLXXI expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, uberius continetur.

Cum autem, sicut dilectus filius Procurator generalis Societatis praedictae Nobis nuper exponi fecit, Congregatio venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum, per suum decretum die vigesimo quarto Iulii proxime praeteriti emanatum et subinde a Nobis confirmatum, rationabilibus ex causis festum praedictum ad diem

INNOCENTII XI

decimum Octobris transtulerit; et propterea idem Procurator Generalis indulgentiam quoque praedictam a Nobis pariter transferri plurimum desideret: Nos, piis ipsius Procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuentes, supplicationibus eius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, plenariam indulgentiam pro visitantibus ecclesias praedictas die tertio Octobris a memorato Clemente praedecessore concessam, ut praefertur, ad diem decimum eiusdem mensis Octobris, servata tamen in reliquis praefatarum Clementis praedecessoris litterarum forma et dispositione, auctoritate apostolica tenore praesentium in perpetuum transferimus.

28 Aug. 1683

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici vel Secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo Praepositi Generalis eiusdem Societatis vel alterius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. MARIAM maiorem, sub annulo Piscatoris, die vigesimo octavo Augusti MDCLXXXIII, Pontificatus Nostri anno septimo.

I. G. Slusius.

CLEMENTIS XI

CONFIRMATIO BULLAE CLEMENTIS X

CIRCA FUNERA IN NOSTRIS ECCLESIIS.

CLEMENS PAPA XI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

CLEMENTIS XI

Referuntur varia decreta Congregationis, quibus interdicitur Parochis et clero saeculari ingredi ecclesias quorumdam Regularium in associatione cadaverum, super ea functiones peragere, et pro iis maiorem eleemosynam accipere.

8 Iun. 1716

NUPER PRO PARTE dilecti filii Bernardini Solorzani, Procuratoris generalis Provinciae S. Ioannis Baptistae Ordinis Praedicatorum regni Peruani in Indiis occidentalibus, Congregationi venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae exposito, quod alias praedicta Congregatio die septimo Decembris MDCXL, instante tunc exsistente Commissario Curiae Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, declaraverat Parochos et Presbyteros terrae de Lauretano, ac alios dioecesis Brundusin. accipere non posse maiorem eleemosynam pro defunctis qui in ecclesiis dictorum Fratrum sepeliebantur, quam accipiebant pro iis qui in ecclesiis dictorum Parochorum et Presbyterorum saecularium; — similiter die trigesimo primo Augusti anni MDCLVIII, instantibus Fratribus Provinciae Dalmatiae eiusdem Ordinis, decreverat functiones generales super cadaveribus defunctorum quae itidem sepeliebantur in ecclesiis Regularium, postquam ipsa cadavera

CLEMENTIS XI

8 Iun. 1716

ad ecclesias ipsorum Regularium pervenissent, ad eosdem Regulares, non autem ad Parochos pertinere; — eodemque modo die decimo sexto Decembris MDCLXI pariter declaraverat, super controversiis quae inter Parochos civitatis Placentinae et monachos monasterii S. Sixti Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti occasione funerum exortae fuerant, prout statuerat et decreverat die decimo septimo Decembris MDCLXXI ad instantiam tunc exsistentis Procuratoris generalis eorumdem Fratrum S. Francisci, Parochis qui associabant cadavera defunctorum quae in ecclesiis Regularium pariter sepeliebantur non licere ea occasione ingredi ecclesias Regularium, sed a ianuis ipsarum ecclesiarum dimittere debere cadavera huiusmodi, et solum posse bene dicere et dare ultimum vale, officia vero et alia munia quae in similibus fieri solebant, a Regularibus non autem a Parochis fieri debere; — his vero non obstantibus, cum Parochi in partibus Hispaniarum et Indiarum aliter in ecclesiis Presbyterorum seu Clericorum Regularium Societatis Iesu in grave eorum praeiudicium praetenderent, tunc pariter exsistens Procurator generalis earumdem Hispaniarum et Indiarum eiusdem Societatis memoratae Congregationi tunc exsistentium eiusdem S. R. E. Cardinalium die sexto Maii MDCLXXII supplicaverat, ut, ad removenda omnia et quaecumque scandala, benigne declararet supra dicta omnia decreta et declarationes ad unguem in ecclesiis suarum Domorum et Collegiorum servanda fore, ac si ad ipsius Societatis instantiam emanassent; dicta vero Congregatio Cardinalium indulserat, decernendo dandas esse praedictas declarationes alias editas, easque in dictis ecclesiis Societatis omnino servandas esse, eiusque decretum postmodum per fel. rec. Clementem Papam X praedecessorem Nostrum per quasdam suas in simili forma brevis expeditas litteras confirmatum, ac pro earumdem litterarum ac pro decreti huiusmodi exsecutione monitorium a tunc etiam exsistente causarum Curiae camerae apostolicae generali Auditore expeditum fuerat. Et in eadem expositione subiuncto, quod dilecti filii Parochi eiusdem regni Peruani in praedictis Indiis praetensiones dictis decretis et resolutionibus contrarias et oppositas habebant in ecclesiis Domorum et Conventuum dictae Provinciae S. Ioannis Baptistae, et signanter oppidi de Potosi et civitatis de Cuquisache respective nuncupatorum, nempe exigendi maiorem eleemosynam pro defunctis qui in ecclesiis Parochorum et Presbyterorum saecularium ibidem sepeliebantur, ac rursus peragendi super ipsos functiones generales super defunctorum cadaveribus quae in eorumdem Fratrum ecclesiis tumulabantur, postquam ipsa cadavera ad eorum ecclesias pervenerant, et tandem ingrediendi suas ecclesias occasione dictorum funerum et aliorum similium; ideoque, ad removenda scandala assiduasque discordias quae in dies oriebantur, pro parte eiusdem Bernardini Procuratoris generalis eidem Congregationi Cardinalium supplicato, ut super praemissis in omnibus et singulis ecclesiis supra dictae suae Provinciae, eodem modo quo ad favorem eorumdem Presbyterorum seu Clericorum Societatis praedictae in partibus Hispaniarum et Indiarum provisum fuerat, ut praefertur, pro-

Praedicta decreta extensa fuere ad ecclesias Societatis Iesu in Hispaniis et Indiis, nec non a Clemente X confirmata.

Causae decreti Congregationis pro Provincia S. Ioannis Baptistae.

CLEMENTIS XI

8 Iun. 1716

videret, decretaque ad eorum et aliorum favorem edita ad dictas ecclesias memoratae Provinciae S. Ioannis Baptistae, et signanter oppidi de Potosi et civitatis de Cuquisache Provinciae et Ordinis huiusmodi, in posterum eadem forma exacte, ac si ad eorumdem Fratrum Praedicatorum Provinciae, oppidi ac civitatis praedictorum favorem emanassent, extendi ac observari ac exsecutioni demandari praeciperet; emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet: — " Sacra Congregatio Eminentissimorum et Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis narratis, ac referente Eminentissimo S. Priscae, censuit ac decrevit danda esse decreta alias edita, et signanter illud emanatum sub die sexto Maii MDCLXXII ad instantiam D. Alphonsi de Alarcos, Procuratoris generalis Hispaniarum et Indiarum Societatis IESU, videlicet: Sacra etc. Oratoris precibus benigne indulgens, censuit dandas esse petitas declarationes saepe alias editas, easque etiam in praenarratis ecclesiis Societatis esse observandas, nimirum Parochis in associatione sive occasione associationis cadaverum non licere ingredi ecclesias Regularium, sed teneri dimittere eadem cadavera ad ianuam ecclesiarum, ibique solum posse bene dicere et dare ultimum vale, officia vero et alia munia quae in huiusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis Regularibus peragi debere, non autem a Parochis; Episcopos seu Ordinarios locorum permittere non debere, ut Parochi aliique de clero saeculari maiorem eleemosynam sibi attribui faciant ab haeredibus defunctorum qui in ecclesiis Regularium sepulturam sibi elegerint, quam percipere possent, si in parochiali seu alia ipsius cleri saecularis ecclesia sepeliri voluissent; functiones funeralium super cadavera defunctorum quae in ecclesiis Regularium contingit sepeliri, postquam ad easdem ecclesias pervenerint, ad ipsos Regulares, non ad Parochos pertinere. Contrariis quibuscumque circa supra scripta omnia minime obstantibus. Romae, vigesimo quarto Aprilis MDCCXVI. F. Cardinalis de Abdua Archiepiscopus Damascenus, Secretarius. " —

Decretum praedictum anni 1716, quo extenduntur relata decreta etiam ad Provinciam S. Ioannis Baptistae.

Preces Procuratoris generalis.

Cum autem, sicut dictus Bernardinus Procurator generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desideret: Nos, ipsius Bernardini Procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati decreti.

Clausulae.

Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et effica-

CLEMENTIS XI

8 Iun. 1716

ces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici Auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die tertio Iunii MDCCXVI, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

CLEMENTIS XI

CONFIRMATUR CONSTITUTIO GREGORII XIII,

QUA RELIGIOSI SOCIETATIS IESU ETIAM EXTRA EUROPAM, SINE LICENTIA PRAEPOSITI GENERALIS, NON POSSUNT AD CARTHUSIAM TRANSIRE.

1 Dec. 1719

CLEMENS PAPA XI
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

CLEMENTIS XI

Sacri apostolatus ministerio per abundantiam divinae gratiae, licet nullis Nobis suffragantibus meritis, praesidentes, ex iniuncti Nobis muneris debito religiosorum Ordinum quorumcumque in Ecclesia Dei militantium prosperum statum felicemque directionem summis desideramus affectibus, eisque propterea, quae praesertim a Romanis Pontificibus, praedecessoribus Nostris, provide sancita et ordinata comperimus, ut firma et illibata persistant exactiusque observentur, apostolicae Nostrae confirmationis robur libenter adiicimus, eiusdemque muneris partes propensis studiis impertimur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Exponi siquidem Nobis fecit dilectus filius Michael Angelus Tamburinus, Praepositus Generalis Societatis Iesu, quod alias fel. rec. Gregorius Papa XIII, praedecessor Noster, ut tam in Indiis orientalibus et occidentalibus quam omnibus et singulis aliis regionibus extra Europam, nemo ex Clericis Regularibus eiusdem Societatis, sive Professus sive Scholaris sive Coadiutor, post emissa in dicta Societate vota etiam simplicia, sub excommunicationis aliisque censuris et poenis, ad quempiam alium Ordinem, nisi de expressa Romani Pontificis vel Praepositi Generalis praedictae Societatis licentia, etiam perfectioris et melioris vitae praetextu seu contemplatione, transire auderet seu praesumeret, decrevit et ordinavit per suas litteras sub plumbo anno Incarnationis Dominicae MCLXXIX nono kal. Novembris expeditas, tenoris sequentis, videlicet:

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Constitutio Summi Pont. Gregorii XIII.

Decet Romanum Pontificem, aequi bonique supremum assertorem, aber-

rantibus tramites occludere, districteque consilia praevaricantia reprimere, ne obcaecatae mentis apparens virtus in damnationis periculum sectantes trahat, aliisque perditionis viam sternat.

A Paulo III prohibitum fuit universis Patribus Societatis IESU ingredi alium Ordinem (Carthusiensium excepto) sine facultate S. Sedis vel Praepositi Generalis, sub certis poenis et censuris in contravenientes tantum.

Dudum siquidem fel. rec. Paulus Papa III, praedecessor Noster, inter alia Societati IESU, illiusque Praeposito et personis pro tempore exsistentibus, per eum concessa privilegia, per quasdam suas litteras, sub datum videlicet quinto decimo kal. Novembris, Pontificatus sui anno etiam quinto decimo, voluit et inhibuit, ne quis in dicta Societate, post emissa ab eo secundum illius Constitutiones vota, sive Professus sive Scholaris aut Coadiutor Societatis huiusmodi esset, ad quemvis alium Ordinem, etiam per Sedem Apostolicam approbatum (Carthusiensium dumtaxat excepto), nisi de expressa eiusdem Sedis vel pro tempore exsistentis ipsius Societatis Praepositi Generalis licentia transire, nec in illo recipi aut retineri posset; ac ipsius Societatis Generalis et alii inferiores Praepositi, per se vel alios, ab ipsa Societate subterfugientes et egressos, ac quoscumque dictae Societatis apostatas, reliquosque insolentes, qui id mereri viderentur, in quocumque habitu repertos excommunicare, capere, incarcerare et alias suae disciplinae submittere, et ad id, si opus foret, auxilium brachii saecularis invocare libere et licite valerent. Et deinde piae mem. Pio Papa IV, etiam praedecessori Nostro, pro parte clar. mem. Sebastiani, Portugalliae et Algarbiorum Regis illustris, et tunc exsistentis Praepositi et personarum Societatis huiusmodi exposito, quod nonnullae eiusdem Societatis personae, animi levitate, ut credebatur, ductae, ac quietem labori, cui pro excolenda et propaganda christiana republica continuo erant expositae, ac privatum commodum tam publicae quam Societatis huiusmodi utilitati indiscrete praeferentes, fucatisque coloribus asserentes se id facere ob frugem melioris vitae aut strictioris observantiae, seu non obtenta Superiorum licentia ad alios Ordines transire posse iactabant, et forsan tunc quidam de facto transierant, alii vero ambitiosa cupiditate moti, postquam se DEO dediderant, saeculi libertatem quaerentes, ad illud reverti et in eo palam degere non dubitaverant nec dubitabant, in animarum suarum detrimentum ac Societatis praedictae non modicum praeiudicium; quodque, nisi opportuno aliquo remedio consuleretur, verendum erat ne Societas ipsa, quae in erudiendis suis impensa et labore viris, qui christianae reipublicae prodessent et catholicam fidem in remotissimis partibus propagarent, sedulo intendebat, taliter delusa careret litteratis, qui operam in vinea Domini iuxta ipsius Societatis instituta praestare solitam valerent adimplere: idem Pius praedecessor sub datum videlicet sexto kal. Decembris Pontificatus sui anno sexto, quod nullus in dicta Societate admissus, post emissa, ut praefertur, vota, sive Professus sive Scholaris sive Coadiutor, cuiuscumque status, gradus et conditionis ille foret, a dicta Societate exire aut recedere, etiam praetextu cuiusvis indulti a Sede Apostolica, seu illius maiore Poenitentiario, aut aliquo Nuntio vel Legato etiam de latere impetrati et impetrandi, quod etiam ex tunc idem Pius praedecessor subreptitium declaravit, absque expressa Superioris sui licentia, etiam quaesito

A Pio IV et V idem vetitum fuit quoad Ordinem Carthusianorum quoque, post elapsum certum tempus ab emissa Professione, et nisi adsit expressus consensus Generalis, sub poenis et censuris tam in aliter facientes quam eorum receptores et fautores.

CLEMENTIS XI

1 Dec. 1719

colore ob frugem melioris vitae aut strictioris observantiae, ad quemvis alium, etiam Minorum vel aliorum Fratrum Mendicantium aut Cisterciensium vel S. Benedicti aut aliorum monachorum Ordinem transire, vel etiam per Superiores Ordinum huiusmodi suorumque monasteriorum (praefato Carthusiensium Ordine dumtaxat excepto) recipi seu retineri posset aut praesumeret, sub poena excommunicationis, tam per recipientes quam receptos ac recedentes praefatos ipso facto incurrenda, a qua, praeter quam in mortis articulo, ab alio quam a Romano Pontifice vel Superiore Societatis huiusmodi absolvi non posset, et secus facta non tenerent, nulliusque essent momenti; et insuper, ut, qui ab ipsa Societate ad Carthusiensem infra tres menses, ad alium vero Ordinem de licentia praedicta infra tempus eis a dicto Superiore praefigendum accedere, illosque actualiter ingredi, et si in illis permanere nollent aut non possent, absque ulla mora ad dictam Societatem regredi tenerentur, sub poena excommunicationis praefata, quam tam ipsi admissi quam illos recipientes vel eis auxilium, consilium vel favorem praestantes etiam incurrerent; et nihilominus, si quis ex Religiosis ipsius Societatis animo indurato aliquid in contrarium attentare praesumeret, vel a dicta Societate post in ea emissa vota, ut praefertur, absque Superioris licentia exiret, et in saeculo vel alio etiam regulari loco degeret, liceret dicto Generali aliisque dictae Societatis Superioribus eosdem transgressores et exeuntes, tamquam apostatas, etiam per auxilii brachii saecularis invocationem, summarie et sine figura iudicii ad dictam Societatem revocare, capere et incarcerare ac debitae poenitentiae subiicere, apostolica auctoritate perpetuo statuit, ordinavit et mandavit, prout in praedictis ac rec. mem. Pii Papae V, similiter praedecessoris Nostri, super statuto, ordinatione et mandato huiusmodi, cum dictus Pius IV, praedecessor, antequam eius litterae desuper conficerentur, sicut Domino placuit, rebus fuisset humanis exemptus, confectis litteris plenius continetur.

Versutiis et dolis praedictae constitutiones subinde delusae et interpretatae.

Et licet nullus praemissis contra venire debuerit, nihilominus, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Everardi Mercuriani, Praepositi Generalis eiusdem Societatis, petitio continebat, non defuerunt qui versutiis quibusdam litteras praefatas temere interpretantes, et periculose de dictae Sedis potestate disputantes eamque coarctantes, sub praetextu videlicet quod via perfectionis, instinctu Spiritus Sancti suggesta, praecludi minime possit, quodque litterae huiusmodi solum intelligantur quando transfugae Societatis praedictae in saeculo vagarentur, non autem quando ad alia loca regularia, praecipue Mendicantium, se reducerent, habitumque per ipsos Mendicantes gestari solitum susciperent, seu Professionem per eos emitti solitam emitterent, aut emittere intenderent Regulares, ac idcirco se excommunicationis latae sententiae in praedictis litteris irrogatae vinculo nequaquam innodari nec affici praetendant, in animarum suarum damnabile periculum, dictaeque Societatis iacturam et gravamen, ac plurimorum scandalum. Postmodum vero, cum ad brachium saeculare recurritur, Principes ac Magistratus temporales, nec non Iudices et exsecutores

CLEMENTIS XI

1 Dec. 1710

aut iustitiae ministri, seu etiam vigore privilegiorum ipsius Societatis assumpti Conservatores, contra recipientes et retinentes huiusmodi, seu dantes consilium, auxilium vel favorem, sub praetextu quod ipsi sic excommunicati in easdem censuras incidisse prius declarandi veniant, procedere recusant, sicque apostatandi aperitur et fovetur occasio.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, aequum videri non debeat, ut qui ad fidei catholicae defensionem et inter gentiles propagationem cum divina gratia procurandam vocati, et in ea diu educati et versati sunt, ii levi aliqua illusione, aut etiam gravi quacumque tentatione, vel laboris perferendi taedio, aut etiam honorum et dignitatum desiderio et ambitione, ab opere iuxta suam vocationem incoepto desistant, aut ex acie pedem referant, maxime vero in regionibus illis, in quibus messis quidem copia magna, operariorum vero inopia maxima exsistit, ubi etiam has omnes spiritus erratici esse illusiones experimentum docuit (nam eorum, qui ex illis partibus, praetextu ingressus in Carthusiensium Ordinem se subtraxerunt, nullus hactenus est illum ingressus, sed quidam, sano consilio et resipiscentia magno Dei beneficio adiuti, ad Societatem regressi sunt, alii vero in saeculo, non sine animarum suarum periculo et multorum scandalo, remanserunt); quin immo, simulato in Carthusiensium Ordinem, cuius nulla domus in Indiis tam orientalibus quam occidentalibus reperitur, ingrediendi animo, divagari aut ad alium, contra praemissa, Religiosum Ordinem se traducere non verentur: quare pro parte dicti Everardi Nobis fuit humiliter supplicatum, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui piis ac iustis supplicantium votis libenter annuimus, praemissis obviare volentes, ipsumque Everardum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, nec non singularum litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, ipsasque litteras harum serie confirmantes et ampliantes; huiusmodi supplicationibus inclinati: ut in posterum tam in orientalibus et occidentalibus Indiis quam omnibus et singulis aliis regionibus extra Europam, nullus ex admissis in ipsa Societate, sive Professus sive Scholaris sive Coadiutor, se ab eadem Societate, quavis etiam perfectioris et melioris vitae praesumptione ac strictioris Ordinis praetextu seu contemplatione, aut alia etiam iusta et probabili vel legitima causa, post emissa in dicta Societate vota etiam simplicia, elapso ab eorum ingressu in Societate biennio emitti solita, absque Nostra aut Sedis praefatae, seu dicti Everardi vel pro tempore exsistentis eiusdem Societatis Praepositi Generalis, sive ab eo deputandi vel deputandorum speciali et in scriptis obtenta licentia, sub apostasiae et infamiae perpetuae nota, nec non excommunicationis latae sententiae et aliis contra apostatas quomodolibet inflictis, seu etiam aliis ab ipsis Praeposito Generali seu deputandis infligendis poenis (a quibus,

A Gregorio XIII confirmantur recensitae constitutiones et id ipsum denuo prohibetur Patribus Societatis extra Europam exsistentibus, sub novis poenis ac tanto malo opportuna remedia decernuntur.

CLEMENTIS XI — 1 Dec. 1719

excluso mortis articulo, si in illo eos decedere contingat, tantum, non nisi per pro tempore exsistentes Romanum Pontificem aut dictae Societatis Praepositum Generalem seu ab eo deputandos huiusmodi absolvi possint, et aliter facta absolutio non teneat), subtrahere aut exire, nec se ad quempiam alium, etiam Carthusiensium, Ordinem huiusmodi, praemissarum litterarum aut cuiusvis contra illarum dispositionem obtenti et a dicto Praeposito Generali non approbati indulti vigore, transferre audeat seu praesumat; sed qui ad alios Ordines, praeter quam Carthusiensium, in quacumque orbis parte ab ipsa Societate hactenus se transtulerunt, ad illam, si et postquam moniti fuerint, statim sub iisdem poenis, nulla excusatione etiam infirmitatis vel mora, aut forensi contentione seu appellatione interiectis, se reducere et Superiorum correctioni subdere teneantur; quodque Professio per eos alibi quam in dicta Societate emissa nullius sit momenti nec vinculi; et interim dicti effugientes aut egressi nullis prorsus Ecclesiasticorum aut saecularium, sive Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum vel Episcoporum, aut Imperatorum, Regum, Ducum, Principum vel Magnatum quorumcumque servitiis vel assistentiis se subiicere et applicare, aut mancipari procurare; nec beneficia ecclesiastica quaecumque vel qualiacumque sint, etiam simplicia, aut pensiones, seu quorumcumque fructuum vel iurium reservationes, nec officia etiam saecularia et quorumvis Ordinum regularia recipere et retinere; neque scholas tenere, aut pueros instituendos accipere, nec etiam confessiones audire, Sacramenta ministrare, aut praedicare, sive etiam perfunctorie, nullatenus, nusquam ac nuspiam debeant aut possint, sub iisdem poenis, apostolica auctoritate, tenore praesentium decernimus et declaramus. Nec non eisdem, tam ecclesiasticis quam saecularibus personis, aliisque quavis dignitate, gradu et honore praefulgentibus, sub ingressus ecclesiae; ac quibusvis Ordinum eorumdem, etiam Carthusiensium, protectoribus, Capitibus, Generalibus, aliisque Superioribus et particularibus, ne quempiam ex dicta Societate in partibus extra Europam consistentibus ad eorum Ordines seu conventus vel domos quaslibet transeuntem, absque specialibus Praepositi Generalis seu deputandorum huiusmodi testimonialibus litteris, nullo iure, nullo sanctioris vitae penso aut conscientia nullaque necessitatatis causa recipere vel retinere, etiam virtute cuiuscumque gratiae super hoc eis specialiter a Sede praefata, sub quibusvis clausulis et decretis ac derogatoriarum derogatoriis, nisi praesentium litterarum expressa fiat mentio, concessae, attentent, sub similis excommunicationis per eos, ac tam ipsis quam dictis effugientibus auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte dantes, ipso facto et absque alia illarum declaratione, promulgatione aut denuntiatione facienda, incurrendis poenis, inhibemus: mandantes sub eisdem poenis, ut hactenus, praeterquam tamen in dicto Carthusiensium Ordine, receptos, etiam si habitum per recipientes gestari solitum susceperint, et Professionem per ipsosmet emitti consuetam emiserint, eidem Praeposito Generali vel deputandis huiusmodi id requirentibus et petentibus, statim et absque aliquo Iudicis ministerio, vel licentia Capitum

Ordinum eorumque Superiorum exspectata, et quod excommunicatio et poenae huiusmodi contra ipsos recipientes vel retinentes aut egressos, ac dantes consilium, auxilium vel favorem inflictae veniant declarandae, aut quolibet alio excogitabili praetextu cessante, tradere et consignare; ac in eventum in quem sic egressos ad alios conventus vel domos transportare fecerint aut permiserint, suis expensis et periculis eos recipere et restituere, damnaque ipsi Societati occasione huiusmodi illata resarcire debeant et teneantur.

Et insuper pro tempore exsistentibus Praeposito Generali ac aliis Superioribus dictae Societatis seu etiam eorum Conservatoribus, ut ad omne calumniae genus obstruendum, et pro temporum, causarum et occasionum necessitate in eisdem partibus extra Europam occurrente, quarumcumque censurarum et poenarum declarationes pro conservatione et causa privilegiorum et iurium, rerum ac personarum ipsius Societatis tantum facere, et contra tales effugientes quibusvis iuris et facti remediis et viis, etiam per se vel manu saecularium obtenta appellationis alicuius, quae ex nunc prout ex tunc et e contra irrita sit et censeatur, admissione, procedere seu procedi mandare libere et licite valeant, eisdem auctoritate et tenore concedimus. Decernentes singulas litteras praefatas alias in suo robore pristino remanere, ac praesentes nullo umquam tempore de obreptionis vel subreptionis vitio, aut intentionis Nostrae defectu notari vel impugnari, suspendi, revocari, annullari, invalidari, aut ad viam iuris reduci, vel contra illas attentari posse vel debere, sed illas perpetuo validas, efficaces et illibatas exsistere; et quoties aliquid contra eas extorqueri et obtineri contigerit, toties easdem in pristinum statum restitutas, confirmatas et innovatas, ac de novo etiam, sub data per dictae Societatis Superiores vel personas eligenda, concessas fore et esse, ac in suo pleno et integro robore, absque eo quod desuper impetranda sit a Sede praedicta illarum ulterior confirmatio, restitutio, revalidatio vel nova concessio, permanere; sicque in omnibus et singulis praemissis per quoscumque Iudices ordinarios vel delegatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis ac apostolicis, nec non in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, quibusvis Ordinibus eorumque Superioribus, conventibus, domibus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio, et ex certa scientia, et de apostolicae potestatis plenitudine, nec non consistorialiter et alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si de illis ac totis eorum tenoribus specialis, specifica, individua et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso ac forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes,

CLEMENTIS XI

1 Dec. 1719

illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; nec non omnibus illis quae ipsi praedecessores in dictis suis litteris voluerunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Volumus autem quod praesentium transsumptis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae seu etiam Generalis Praepositi ipsius Societatis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, confirmationis, ampliationis, decretorum, declarationis, inhibitionis, concessionis, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDLXXIX, nono kal. Novembris, Pontificatus Nostri anno octavo.

In Indiis novo ausu relatae Constitutiones falsis interpretationibus corrumpuntur.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praemissis nequaquam obstantibus, aliquis ex dicta Societate nuper in eisdem Indiis praeinsertarum litterarum observantiam, nec non censuras et poenas in eis contentas eludere ac contemnere praesumpserit, ab ipsis cum insubsistentibus praetextibus falsisque interpretationibus appellando, asserens quod litteris praeinsertis per non usum derogatum fuerit, nulliusque valoris et efficaciae exsistant, quippe quae nec in iure communi, nec in Bullario, minusque in praedictae Societatis Instituto inserta reperiantur; et, in casum quo validae essent, ius commune in capit. Licet de Regularibus, ubi ad alium Ordinem zelo strictioris observantiae transeundi facultas tribuitur, praevalere deberet; quodque, cum ille quatuor votorum Professus non sit, in dictis censuris minime comprehendatur; nec non ulterius eiusmodi praeinsertae litterae alteri privilegio, admittendi Religiosos etiam Professos aliorum Ordinum, diverso Ordini concesso derogare nequeant; ac tandem per eas legitimae appellationes et in casu denegatae iustitiae non prohibeantur, sed manifesto frivolae dumtaxat admitti nequaquam possint; ideoque dictus Michael Angelus Praepositus Generalis (considerans simile exemplum maximum eidem Societati praeiudicium in iisdem Indiis afferre posse, in eventum in quem alii dictis praetextibus et subterfugiis uti vellent ad hoc ut a regulari obedientia et a censuris praedictis sese eximant) praeinsertas Gregorii praedecessoris litteras, pro firmiori illarum subsistentia ac inviolabili observantia, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Preces Praepositi Generalis.

Nos igitur, similes praetextus, effugia falsasque interpretationes, quae

CLEMENTIS XI

1 Dec. 1719

ad eludendam earumdem litterarum observantiam obtenderentur, de medio submovere, ipsumque Michaelem Angelum Praepositum Generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, qui supra narrata mature perpenderunt, consilio, praeinsertas Gregorii praedecessoris litteras cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabiliter robur adiicimus; salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Confirmatio praeinsertae constitutionis Gregorii XIII.

Clausulae.

Decernentes easdem praesentes ac praeinsertas litteras firmas, validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici Auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus omnibus et singulis illis quae in litteris praeinsertis concessa sunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici sive Secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo Praepositi Generalis eiusdem Societatis vel alterius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio quam extra illud, ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. MARIAM maiorem, sub annulo Piscatoris, die primo Decembris MDCCXIX, Pontificatus Nostri anno vigesimo.

BENEDICTI XIII

BULLA CANONIZATIONIS B. FRANCISCI BORGIAE.

4 Iun. 1724

BENEDICTUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

BENEDICTI XIII

RATIONI CONGRUIT et convenit aequitati, ut, quae olim Romanus Pontifex in plenario conventu ven. fratrum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum, unanimi eorum consilio communicato, sanxit et definivit, licet postea ob eiusdem Pontificis obitum litterae apostolicae de his conscriptae non fuerint, suum tandem consequantur effectum.

§. 1. Romana Ecclesia, cui, nullis exigentibus meritis Nostris, ineffabile Dei consilium praeesse Nos voluit, ex veteri disciplina et ex constitutionibus apostolicis in Sanctorum canonem eos solemni ritu referre consuevit, qui suarum virtutum exemplo Christi fideles ad viam salutis per maiorum vestigia alacrius incurrendam accenderent.

B. Francisci encomia.

Quumque multi peculiari aliquo vitae genere, ut plurimum, excelluerint, unus Franciscus Borgia saeculo decimo sexto repertus est, quem in variis multisque ordinibus constituti, ut certum salutis ducem, sequi possent: optimates enim et viri principes, quique rem publicam gerunt, in eo habent quae sibi in omni vitae suae cursu imitanda proponant; magna quoque habent, qui, Regum gratia florentes, in summarum dignitatum fastigio positi sunt; coniugio sociati, aeque ac eodem soluti, adolescentes pariter iuvenesque, viri item Deo dicati, coetibus quoque religiosis praepositi. Hi ad unum omnes in Francisco tenent, quae ubertim et tuto moribus et actibus suis exprimere possint. Etenim ille, Deo volente, singulas has personas mira vitae sanctimonia, comitibus miraculis, repraesentavit; unde factum ut, viri Dei virtutum et signorum constanti fama quotidie aucta, fel. rec. Romani Pontifices, antecessores Nostri, Paulus v atque Urbanus viii, de illo SS. Confessorum canoni adnumerando consilium inierint, permoti etiam Catholicorum Regum Hispaniae ferventibus votis huic Sanctae Sedi Apostolicae expositis; quod tandem piae mem. decessor Noster Clemens Papa x, ad canonicos ritus veteri traditione et pontificia auctoritate receptos, tota Ecclesia plaudente, complevit.

§. 2. Eius vita et mores, inprimisque ortus anno 1510.

Inter praecipuos Hispaniarum dynastas Gandiae Duces, quae est gens Borgia, numerantur. Eam multiplices dignitates claram et percelebrem reddiderunt; clarior tamen evasit, ex quo magnus Dei Servus Franciscus, parentibus Ioanne Gandiensium Duce iii et Ioanna ex Alphonso Ferdinandi Regis Catholici filio progenita, in lucem prodiit anno Christi Domini MDX quinto kal. Novembris, quem diem BB. Apostoli Simon et Iudas martyrio nobilitarunt. Francisci locus natalis fuit Gandia, Borgiae domus avitum

oppidum, ad oram Balearici maris in Conseranis populis Hispaniae Tarraconensis, in dioecesi et regno, quae a Valentia principe civitate appellantur. Pia mater, quod, praesenti ope seraphici Confessoris B. Francisci, vitae discrimen in filio pariendo evasisset, Franciscum in baptismate dici voluit, quod nomen tunc primum in domo Borgia, fausto omine futurae eius sanctitatis, auditum est. Patris soror et mater, quae erat Ferdinandi Regis Catholici consobrina, inter clarissimas virgines eximia pietatis laude conspicuae, animo adolescentis christianae perfectionis igniculos iniecerunt; qui puerilibus annis domi traductis, et cum iisdem Dei sponsis ex praedonum manibus ereptus, apud avunculum Archiepiscopum Caesaraugustanum Alphonsum Aragonium, et Catharinam Ioannae Reginae filiam, postea Ioanni III Lusitaniae Regi nuptam, liberaliter educatur; inde in aulam Caroli V Augusti profectus, salutis animae suae memor, se undequaque immaculatum servavit, matronas officii causa nonnisi aspero cilicio praecinctus adire solitus. Caroli coniuge Isabella Augusta adnitente, Eleonorae a Castro lectissimae virgini Lusitanae, de sanctioris vitae instituto nihil umquam remittens, matrimonio sociatur. Pulchra et copiosa prole donatus, ab ea, quam inierat, pietatis regula animum domi forisve numquam avertit, coelestibus meditandis diu noctuque occupatus, sacraque synaxi, quolibet octiduo, non sine lacrymis muniri solitus. Sublatae Isabellae Augustae Granatam funeris deducendi Francisco onus imponitur; cuius cadaveris, ut publica fide recognosceretur, nudata facies deformitate sua tantum ei terrorem incussit, ut, divina luce illustratus, de terrenis rebus, si coniugi superesset, omnino deserendis apud se constituerit, postmodum dicere solitus mortem Augustae sibi vitam attulisse. Cataloniae cum imperio praefectus, eam cogitationem ardentius fovit, ibique populorum felicitati ita studuit, ut Patris patriae elogio, tamquam rei publicae bono natus, honestari meruerit; magnam auri vim in pauperes erogavit, piam sacrarum virginum et virorum familias eleemosynis auxit; sed eos in primis, qui ex summa fortuna ad extremam inopiam devenissent, clam aluit. Consilium pridem animo insitum saepe recogitans, atque uni Deo meditando inhaerens, diluculo quinis horis de genu quotidie orare, frequenti divinae mensae accubitu recreari, ieiuniis et poenitentiis vacare consuevit.

A propinquis pie ac religiose educatur.

In aula Caroli V se immaculatum servavit, et uxore ducta aeque pietatem coluit.

Isabellae Augustae defunctae deformitate territus mundum deserere statuit.

Cataloniae praefectus, benignitate in omnes, charitate in pauperes, singulari in Deum pietate claruit.

Tunc ei B. Ignatium Regularium Presbyterorum Societatis Iesu, cui postea nomen dedit, parentem et conditorem prima occasio de tantis rebus scripto consulendi coelitus data est. Patre optimo atque ipsa coniuge piarum omnium exercitationum socia orbatus, et domum redux, suorum Gandiensium solatio et securitati prospexit; Nosocomia instauravit, Coenobia construxit, Gymnasia pro Mauris christiane educandis erexit, sacras aedes vasis aureis argenteisque pro dignitate locupletavit; deque veteri vitae proposito perficiendo secum animo statuens, salubria in hoc sibi consilia divinitus dari per bonorum hominum preces flagitavit. Deus tandem Servi sui votis arrisit, inque Societatem Iesu se rapi sensit. Quod enim recens orta Religio, et ab origine ardentior, vulgo etiam adhuc ignota esset, nullusque in ea ambitiosis hominibus

Patre et uxore orbatus plurima charitatis et pietatis testimonia dedit.

Divinitus in societatem Iesu se rapi sensit, et Cardinalatum respuit.

dignitatum locus pateret, Francisco summos honores fugienti aptissima visa est. Orationi intentus, haec animo agitans, septem totos dies tiaram capiti suo imminentem aspexit, veritusque ne Ecclesiae dignitatem portenderet, Deum enixe obtestari non destitit, ne honores, quos fugeret, alibi offenderet. Post defunctos duos fratres suos S. R. E. Cardinales, cum eamdem sacram dignitatem per antecessores Nostros Romanos Pontifices ultro oblatam abs se repulisset, tiara illa Praepositi munus in sacra sua familia indicatum postea cognovit.

Vota religiosa nuncupat, et disciplinis ediscendis operam dat.

Adhuc Gandiae Dux per fel. rec. Paulum Papam III, decessorem Nostrum, B. Ignatio deprecante, permissus est ut, paucis consciis, Religiosa vota nuncuparet. Quadriennium rebus suis componendis a Pontifice praefinitum, disciplinis gravioribus sacro homine dignis singulari modestia publice perdiscendis impendit; quo elapso, et per fel. rec. Iulium Papam III anno iubilaei christianis indicto, Franciscus limina Apostolorum frequentaturus, utque Ignatii invitantis alloquiis frueretur, et Caroli V beneficam erga se voluntatem declinaret, suis vale dicens, Romam eo animo cogitavit, ut natale solum deinceps numquam repeteret, qui ad aliam patriam, coelestem nimirum, summa contentione properaret; idque sancte servavit, etiam sedente antecessore Nostro Pio Papa V, in legatione Cardinalis Alexandrini ad Catholicum Hispaniarum Regem Philippum II illuc digressus. In sacro itinere ad Urbem, quod assiduae preces divinique sermones minuebant, iuxta ac Romae positus, ignorari quam honorifice excipi maluisset; ingentem in eo pietatem submissumque spiritum, qui B. Ignatii complexui amplissima et magna quaeque postponeret, Urbs tota suspexit. Menses quatuor lustrandis basilicis Deo sacris, omnique pietatis genere cum Ignatio Romae transegerat, cum de se Cardinalium senatui adscribendo apud Iulium agi subodoratus, eodem Ignatio auctore, Pontificis oculis propere se subducens, in Hispaniam reversus est; ubi, Caroli V propositum eius laudantis auctoritate, rebus et titulis suis Gandiensibus universis Carolo filio transcriptis, se penitus abdicavit, Regularem Societatis Iesu clericum induens, et Davidicum illud laetus ingeminans: "Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis."

Romam, suis vale dicto, proficiscitur, ut S. Ignatii alloquiis fruatur.

Pontificis beneficam in se voluntatem declinavit.

Presbyteratu initiatus, primum Deo Sacrificium Loyolae in Cantabria, Ignatii patriae et pietati hoc tribuens, privatim obtulit, mappis Ludovicae sororis acu pictis in ara usus. Quia vero Iulius Pontifex hoc speciatim indulserat, ut, cum primum publice sacris operaretur, quotquot, peccatorum confessione rite expiati, ex ejus manu Corpus Domini sumpsissent, plenariam veniam perciperent, Vergarae oppido id factum, quo tot homines rei fama ducti advenerunt, ut sacra aede licet magna nequaquam eos capiente, in ara sub dio excitata celebrare debuerit, tot ad sacram mensam accedentibus, ut meridiana hora longe transierit. Postea concionem habuit, et, Clero ac populo suppliciter procedente, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum gestavit. Ad socios inde reversus, maiori sane sanctitati excolendae operam dedit, precandi studio horas octo quotidie largitus, vilissima quaeque munia ultro subire non dedignatus, stipem vicatim et ostiatim, nudo capite et pedibus palam mendicans, et pauperibus ac nosocomiis dis-

A Pontifice plenaria indulgentia conceditur iis, qui ab eo Presbyteratu initiato corpus Domini susciperent.

Quum Societati nomen dedisset pietati et christianae humilitati operam praecipuam dedit.

BENEDICTI XIII

4 Iun. 1724

tribuens, humi quoque vel in tabulis cubans. Fama tantae pietatis aulas regias pervagante, quamplurimi illum adire deque salutis negotio consulere visi sunt; complures pariter, summates praesertim, Francisci exemplum secuti, religiosis familiis se devoverunt.

Iterum ac tertio oblatam a Pontifice et Carolo v cardinalatus dignitatem repulit.

Sed Iulius Pontifex et Carolus v, tantam virtutem in Cantabris delitescere indignum rati, consilium de illo inter S. R. E. Cardinales cooptando certatim, incassum tamen, quod postea saepe numero quoque factum, inierunt. Ignatius, qui Sociis aditum ad honores legibus latis obstruxerat, Iulii pedibus advolutus, ne invito atque inscio honorem deferat, neve oblatum capere cogat, nascenti Sodalitati hoc saltem benignus tribuat, libello supplice et lacrymis coram exorat, et permagna Francisci laetitia impetrat, qui et grati animi testes litteras ad Pontificem dedit. Non tamen illum Ignatius latere permisit; viri enim singulari prudentia in lucrandis Deo animabus et sanctitate perspecta, sacras conciones habiturum varias civitates et regiones adire, et multarum provinciarum, quas, licet incommoda valetudine usus, pedes obivit, cum amplissima facultate Commissarii Generalis officio fungi mandavit; quae omnia magno rei christianae bono peracta sunt. Postquam vero Carolum v morbo languentem misericordiae Dei commemoratione erexisset, et defunctum funebri sermone laudasset, suae voluntatis, quam ratam haberi vellet, exsequendae supremis tabulis per eum nominatus, a rec. me. antecessore Nostro Pio Papa iv Romam advocatur, ubi, Societatis Praeposito Generali Iacobo Laynio ad Tridentinum Concilium ire iusso, Vicarii Generalis munus Francisco imponitur. Mox, Iacobo ad Urbem reverso, Assistens pro Hispania et Lusitania eligitur; postea, Laynio e vivis sublato, iterum Vicarius Generalis et demum totius Ordinis Praepositus, magna suffragiorum consensione, invitus renuntiatur; quo in munere Societatem septennio sanctissime rexit, inque obsequiis Apostolicae Sedis vitae cursum, quod maxime optaverat, consummavit. Pius enim Papa v, Cardinalem Alexandrinum in Hispaniam, Lusitaniam et Galliam pro re christiana tuenda ad sacrum foedus in Turcas percutiendum mittens, consiliorum ei comitem et participem Franciscum adiungi voluit; et Pontifici iubenti vir pius, quamvis laboribus, asperrimis poenitentiis et morbis prope confectus, alacriter paruit. Romam redux, oculis et manibus in coelum sublatis, laetus exclamavit: " Nunc dimittis servum tuum, Domine. „ Mox biduum a reditu longa aegrotatione multisque incommodis fractus, quae tamen illum impedire non potuerunt, quin Romam ad supremum et iam imminentem mortalis vitae suae terminum festinaret, susceptis praesenti animo et summa religione Ecclesiae Sacramentis, ac pontificia Gregorii xiii fel. mem., antecessoris Nostri, benedictione munitus, plenus virtutum et meritorum, inter sodalium amplexus, piissimam animam coelo reddidit anno Christi Domini mdlxxii, kal. Octobribus. Dei Servus a beatis et spectatissimis viris Ignatio Loyola, Pio Papa v, Carolo Borromeo, Francisco Salesio, sacra Virgine Theresia a Iesu aliisque quamplurimi factus, magnam ubique virtutis et sanctitatis famam reliquit.

Varias provincias pro lucrandis Deo animabus lustravit.

Quibusdam in Societate perfunctus muneribus tandem Praepositus Generalis renuntiatur.

Consiliorum comes et particeps Cardinali Alexandrino Legato apostolico adiunctus est a Pio v.

Romam reversus, diem suum obiit 1572.

§. 8. Miracula etiam multa subsecuta sunt, quae, precibus accedentibus Phi-

lippi III, Hispaniarum Regis Catholici, et magnorum Praesulum atque academiarum Hispaniae, Paulum Papam V permoverunt, ut, ob tantum DEI famulum in Sanctorum canonem referendum, summarum eius virtutum et eorumdem miraculorum examen rite institui posse concederet. Quo absoluto, Urbanus VIII eum Beatorum ordini adscribendum sancivit, largitus quoque ut de illo Missam et officium omnes Societatis IESU Religiosi ubique recitare possent, ac mox ut in eorum ecclesiis idem omnibus Presbyteris agere liceret. Interim, sub aliis inclytae mem. antecessoribus Nostris Innocentio X, Alexandro VII et Clemente IX, signa post Francisci beatificationem patrata in examen ex constitutionibus apostolicis adducta et undequaque probata sunt. Decretum tamen de illo in Sanctorum tabulas referendo, quod Clemens IX, morte praereptus, vulgare non potuerat, eius successor Clemens X rite vulgavit, exorantibus illustris mem. Leopoldo, electo Romanorum Imperatore, cum coniuge Augusta, Carolo II, Hispaniarum Rege Catholico, aliisque viris Principibus ecclesiasticis et saecularibus. Quare idem Clemens X, gestis omnibus B. Francisci de veteri more Apostolicae Sedis in tribus consistoriis coram se rite discussis et comprobatis, eum statuta die in Sanctorum fastos referendum pronuntiavit.

Ab Urbano VIII Beatorum ordini adscriptus fuit.

A Clemente X, exorantibus Leopoldo Imperatore et Carolo II Rege Catholico, in Sanctorum fastos relatus est una cum quatuor aliis Beatis.

Itaque, Dominica secunda post Christi Domini Resurrectionem, pridie idus Aprilis, Pontificatus sui anno primo, cum in sacrosantam basilicam B. Petri Principis Apostolorum solemni ritu caeremoniam peracturus processisset, semel, iterum et tertium iteratis ad DEUM precibus, in plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum, pro Francisco Borgia SS. Confessorum canoni adscribendo unanimi omnium acclamatione et suffragio, post sacros hymnos precesque ad DEUM pie fusas, et Paracliti Spiritus gratiam enixe invocatam,ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, exaltationem fidei catholicae, christianaeque religionis amplificationem, auctoritate omnipotentis DEI Patris, Filii, et Spiritus Sancti, et BB. Apostolorum Petri et Pauli, B. Franciscum Borgiam, Societatis IESU Presbyterum Hispanum, de cuius sanctitate, fidei sinceritate, omniumque virtutum magnitudine ac miraculorum excellentia cumulate constiterat, una cum BB. Confessoribus non Pontificibus Philippo Benitio, Caietano Thienaeo, Ludovico Beltrando, et Virgine non Martyre Rosa a S. MARIA, S. Confessorem esse decrevit, SS. Confessorum non Pontificum canoni adscripsit, atque in posterum ab universis Christi fidelibus tamquam vere Sanctum colendum, invocandum honorandumque statuit et definivit; ad eius honorem sacras aedes atque altaria, ubi incruentum Sacrificium DEO offeratur, construi et dicari, quotannis quinto nonas Octobres illius memoriam ut S. Confessoris non Pontificis pie coli, atque officio et Missa ritu S. R. E. honorari pronuntiavit. Ad haec, eadem sua apostolica auctoritate universis et singulis Christi fidelibus, qui dicta die eiusdem S. Confessoris sepulcrum et corpusculum devote visitassent, annos septem et totidem quadragenas, infra vero octavam quadraginta dies de iniunctis seu debitis poenitentiis misericorditer relaxavit. His peractis, DEUM Patrem aeternum, Regemque gloriae Christum

Et ab eodem concessae indulgentiae in eius die festo.

BENEDICTI XIII

4 Iun. 1724

Dominum, Patris sempiternum Filium, Sanctumque Paraclitum Spiritum, unum DEUM atque unum Dominum, hymnis et laudibus veneratus, peculiari oratione in honorem B. Francisci Borgiae ad DEUM cantata, Missam in ara maxima super Confessionem B. Petri cum eiusdem Francisci commemoratione celebravit, omnibus Christi fidelibus tantae caeremoniae praesentibus peccatorum indulgentiam largitus.

§. 4. Causae huius constitutionis.

Ne vero de huiusmodi Clementis Papae x decreto apostolico, definitione, sanctione, relatione, concessione caeterisque praemissis, propterea quod ab eodem Clemente et ab eius successoribus Innocentio XI, Alexandro VIII, Innocentio XII, Clemente XI, et Innocentio XIII, piae mem. Romanis Pontificibus decessoribus Nostris, litterae decretales de more conscriptae et promulgatae non fuerint, deinceps umquam possit quomodolibet haesitari:

Promulgatio recensitae canonizationis B. Francisci.

Nos, qui meritis licet imparibus disponente Domino in Cathedra B. Petri iisdem successimus, volumus et apostolica auctoritate statuimus, ut decretum, sanctio, relatio, adscriptio, concessio, caeteraque hactenus memorata a iam dicta die pridie idus Aprilis anni MDCLXXI suum undequaque et plenarium consequantur effectum, ac si super illis ab eodem Clemente Papa x litterae decretales revera eadem die conscriptae et de more promulgatae fuissent, ut superius enarratur.

§. 5. Clausulae.

Volumus autem ut praesentes litterae ad probandum decretum, definitionem, sanctionem, adscriptionem, relationem, statutum, concessionem caeteraque praemissa ubique omnino sufficiant, neque alterius cuiuscumque probationis adminiculum ad id amplius requiratur.

§. 6.

Praeterea, quia difficile foret has Nostras ad singula loca, ubi opus esset, adferri, volumus ut earumdem exempla etiam typis impressa, manu publici Notarii subscripta, sigilloque alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munita, eamdem ubique fidem obtineant, quam hae Nostrae obtinerent, sicubi eas exhibere vel ostendi contingeret.

§. 7.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relaxationis, statuti, concessionis infringere aut ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis DEI ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, an. Incarnationis Dominicae MDCCXXIV pridie nonas Iunias, Pontificatus Nostri anno primo.

✠ EGO BENEDICTUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

✠ Ego Franciscus Episcopus Praenestinus Card. Barberinus.

✠ Ego Laurentius Episcopus Tuscul. Card. Corsinus.

✠ Ego Ioseph tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Sacripantes.

✠ Ego Philippus Antonius tit. S. Caeciliae Presb. Card. Gualterius.

✠ Ego Ludovicus tit. S. Silvestri in Capite Presb. Cardinalis Picus de Mirandula.

✠ Ego Antonius Felix tit. S. Balbinae Presb. Card. Zondadarius.

✠ Ego Petrus Marcellinus tit. S. MARIAE Transtiberim Presb. Card. Corradinus.

✠ Ego Melchior tit. S. MARIAE Angelorum Presb. Card. de Polignac.

✠ Ego Bernardinus tit. S. Petri

BENEDICTI XIII in Monte Aureo Presb. Card. Scottus. 4 Iun. 1724

✠ Ego Nicolaus tit. SS. Nerei et Achillei Presb. Card. Spinula.

✠ Ego Georgius tit. S. Agnetis Presb. Card. Spinula.

✠ Ego Ludovicus tit. S. Priscae Presb. Card. Belluga et Moncada.

✠ Ego Iosephus tit. S. Susannae Presb. Card. Pereyra de la Cerda.

✠ Ego Ioannes Baptista tit. S. Stephani in Monte Coelio Presb. Card. Salernus.

✠ Ego Alvarus tit. S. Bartholomaei in Insula Presb. Card. Cienfuegos.

✠ Ego Ioannes Baptista tit. S. Matthaei in Merulana Presb. Card. de Alteriis.

✠ Ego Vincentius tit. S. Onuphrii Presb. Card. Petra.

✠ Ego Vincentius tit. S. Calixti Presbyter Card. Marefoschi.

✠ Ego Nicolaus tit. S. MARIAE in Dominica Presb. Card. Coscia.

✠ Ego Benedictus S. MARIAE in Via Lata Diaconus Card. Pamphilius.

✠ Ego Ioseph Renatus S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Imperialis.

✠ Ego Laurentius S. Agathae ad Montes Diaconus Card. de Alteriis.

✠ Ego Carolus S. Angeli in foro Piscium Diaconus Card. Columna.

✠ Ego Curtius S. Eustachii Diaconus Card. Origus.

✠ Ego Fabius SS. Viti et Modesti Diaconus Card. Oliverius.

✠ Ego Carolus S. MARIAE in Aquiro Diaconus Card. de Marinis.

✠ Ego Julius S. Adriani Diaconus Card. Alberonus.

✠ Ego Alexander S. MARIAE in Cosmedin Diaconus Card. Albanus.

✠ Ego Nicolaus tit. S. MARIAE de Rotunda Diaconus Card. Iudice.

P. Card. Prodatarius.

F. Card. Oliverius.

Visa de Curia.

I. Archiep. Ancyranus.

L. MARTINETTUS.

BENEDICTI XIII

REGULARES PROMOTI AD DIGNITATES ECCLESIASTICAS

NEQUEUNT SECUM ADSPORTARE ULLA BONA EXTRA COENOBIA ET DOMOS.

BENEDICTUS PAPA XIII, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

BENEDICTI XIII POSTULAT HUMILITATI Nostrae divina dispensatione commissum sacrosancti apostolatus officium, ut quaecumque respiciunt bonum, tranquillitatem et commodum Ordinum Regularium, unde plurimum omni tempore, non modo splendoris ac ornamenti, 4 Mart. 1725 verum etiam utilitatis atque praesidii Catholicae Ecclesiae accessisse, ac in dies magis accedere satis omnibus notum est; et quorum in coetu, nempe in Ordine Fratrum Praedicatorum, Nos ipsos olim fuisse pluriumque annorum spatio versatos esse in Domino gloriamur, propensis studiis paterna-

BENEDICTI XIII

4 Mart. 1725

que charitate et sollicitudine promovere non omittamus; ac ea praesertim, quae, ad tollendos abusus, arcendam proprietatis labem, et inviolatum custodiendum in eisdem Ordinibus paupertatis votum, a Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris provido iustoque consilio sancita fuisse noscuntur, ut serventur exactius apostolicae confirmationis Nostrae munimine roboremus, et alias desuper concessae Nobis coelitus auctoritatis partes interponamus, prout rerum ac temporum conditio exigit, et Nos, omnibus maturae considerationis trutina perpensis, ad maiorem omnipotentis Dei gloriam, prosperum praedictorum Ordinum Regularium statum, ac animarum pretiosissimo Christi sanguine redemptarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Dudum siquidem fel. rec. Alexander Papa IV, praedecessor Noster, cum expositum illi fuisset aliquando contingere, ut Fratres Ordinis Minorum conventualium S. Francisci ad episcopalem et alias superiores seu inferiores dignitates promoti, secum adsportare propriisque usibus applicare praesumerent libros et alia quae tempore suae promotionis haberent, tametsi non ad eos, quibus nihil proprium habere licet, sed ad Ordinem pertinerent; ad eiusdem abusum submovendum, et consulendum praefati Ordinis indemnitati, quasdam suas desuper promulgavit litteras apostolicas tenoris sequentis, videlicet:

ALEXANDER EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, GENERALI ET PROVINCIALIBUS MINORIS ORDINIS FRATRUM MINORUM.

§. 1. Refertur quaedam constitutio Alexandri IV, qua idem iniungitur singillatim Minoribus conventualibus.

Ex parte vestra Nobis fuit intimatum, quod, cum contingat interdum ad episcopalem et alias superiores seu inferiores dignitates aliquos de Fratribus vestri Ordinis promoveri, ipsi libros et alia quae tempore suae promotionis habent, licet non ad eos, cum proprium eis habere non liceat, sed ad Ordinem pertineant memoratum, propriis usibus applicare praesumunt, in suarum perniciem animarum: quare suppliciter postulastis a Nobis, ut providere super hoc salubriter curaremus. Nos igitur, eorumdem Fratrum saluti, et indemnitati vestri Ordinis paterna volentes sollicitudine providere, ut libros et alia quae ipsos promotionis suae tempore habuisse seu habere constiterit, tibi, fili Generalis Minister, vel tuis provincialibus Ministris, submota qualibet dilatione, resignent, ipsis Fratribus iam promotis, in virtute obedientiae, illis autem quos promoveri contigerit, ne resignare differant, auctoritate praesentium duximus iniungendum, nisi forsan vos ipsorum usum eis ad tempus concesseritis de gratia speciali.

Datum Laterani, anno Incarnationis Dominicae MCCLV, nonis Decembris, pontificatus Nostri anno primo.

Alia constitutio Clementis IV ad eumdem abusum ex Ordine Praedicatorum submovendum.

Deinde, cum memoratus abusus in Ordinem quoque Fratrum Praedicatorum irrepsisset, rec. mem. Clemens Papa IV, praedecessor itidem Noster, pro suo pastorali zelo eum exstirpandum curavit per suas consimiles litteras apostolicas, quarum tenor hic subiicitur.

CLEMENS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, DILECTIS FILIIS MAGISTRO ET UNIVERSIS PRIORIBUS ET FRATRIBUS ORDINIS PRAEDICATORUM SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Providentia laudabilis et salubris in cunctis vestris haberi debet ope-

ribus, ut exinde claritatem nominis in conspectu DEI et hominum habeatis. Cum itaque, sicut asseritis, contingat interdum, quod illi ex vobis, qui de Ordine vestro ad archiepiscopatus et episcopatus et alias praelaturas ecclesiasticas assumuntur, non considerantes quod ex professione in ipso emissa Ordine nihil habent proprium quod sibi specialiter valeant retinere, libros et alia quae apud eos huiusmodi tempore promotionis habent, usibus propriis applicare secumque portare praesumant, in propriae salutis dispendium, et dicti Ordinis non modicum detrimentum: Nos, praesumptioni huiusmodi volentes saluhriter refragari, universis Fratribus dicti Ordinis ad huiusmodi archiepiscopatus, episcopatus et praelaturas de caetero assumendis, auctoritate praesentium districtius inhibemus, ne consecrationis munus quoquo modo recipiant, antequam libros et bona contingentia Ordinem memoratum, quae apud eos tempore suae promotionis habere contigerit, Prioribus et conventibus, de quibus assumpti fuerunt, cum integritate resignent, nisi forsan iidem Priores, de consensu ipsorum conventuum, usum illorum ad certum tempus eis duxerint concedendum; alioquin eo ipso ab exsecutione pontificalis ministerii noverint se suspensos. Inter huiusmodi autem libros non intelligimus comprehendi quaternulos et alias chartulas vel membranas in quibus dicti Fratres sibi certa notabilia cum aliquibus privatis sermonibus collegerunt. Nulli ergo etc.

Datum Viterbii, anno Incarnationis Dominicae MCCLXVIII, quinto idus Iunii, Pontificatus Nostri anno quarto.

Confirmatio relatarum constitutionum.

Quamvis autem praeinsertarum apostolicarum litterarum tenorem a memoratis Regularibus pro quibus emanarunt religiose hactenus observatum fuisse et adhuc observari minime vereamur; nihilominus, nonnullis iustis et gravibus adducti rationibus, ad obstruendum fraudibus, quae forsan in posterum committi possent, quemcumque aditum, easdem Alexandri et Clementis praedecessorum litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, confirmandas et innovandas esse duximus; prout motu proprio, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura constitutione illas et in eis contenta quaecumque (iis tantum exceptis, quae eidem Nostrae constitutioni adversantur, ut infra) amplissime confirmamus, approbamus ac innovamus; et, quatenus opus sit, adversus quemcumque non usum seu contrarium usum, qui quoquo modo praetendi posset, restituimus, pristinum in statum reponimus, ac plenarie integramus.

Extensio earumdem ad omnes alios Regularium Ordines.

Praeterea, etsi satis constet saluberrimam praedictam litterarum dispositionem non ad eos dumtaxat de quibus loquitur, sed ad universos etiam alios Regulares Ordines pertinere, cum ratio voti solemnis paupertatis, cui illa unice innititur, vigeat, locumque habeat generatim absque ulla prorsus differentia in omnibus Ordinibus, quorum professores eodem paupertatis voto aequaliter obstringuntur; adeoque, sicut iidem professores indiscriminatim nihil proprium possident nec possidere possunt, et, quidquid acquirunt, monasterio et Ordini acquirunt, ita sane absque ullo discrimine, quando ad praelaturas ecclesiasticas assumuntur, bona quae ante earum

assecutionem habebant, secum asportare propriosque in usus convertere nequaquam possunt, sed monasterio et Ordini, cui acquisita sunt, ex integro relinquere ac resignare tenentur: nihilominus, ad quamcumque ambiguitatem submovendam ac penitus e medio tollendam, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, memoratas Alexandri et Clementis praedecessorum litteras tenore praesentium expresse extendimus ac ampliamus ad omnes etiam et singulos alios Catholicae Ecclesiae Ordines, Congregationes ac Instituta regularia, monastica et alia, quocumque nomine et titulo nuncupata, nullo prorsus excepto; a quibus et ab eorum professoribus deinceps illas in omnibus et singulis, quae praesenti constitutioni non adversantur, exactissime observari volumus, praecipimus et mandamus, perinde ac si ipsaemet litterae a praefatis praedecessoribus Nostris pro singulis aliis Ordinibus, Congregationibus ac Institutis praedictis eorumque professoribus quibuscumque editae et promulgatae fuissent, et non alias, nec alio modo.

Idem denuo omnibus inhibetur ab hoc Pontifice.

Cupientes insuper ut omnis ansa et occasio quibuscumque alienis, extraneis, aut subdolis praedictarum litterarum interpretationibus praecidatur, Ordinumque Regularium quorumcumque praefatorum indemnitati plenius etiam atque uberius consultum sit: motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, omnibus et singulis Regularibus personis cuiuscumque Ordinis, Congregationis ac Instituti, ut praefertur, quae a Nobis et a Romano Pontifice pro tempore exsistente ad patriarchatus, archiepiscopatus, episcopatus vel quascumque alias praelaturas et dignitates ecclesiasticas in posterum assumentur, tenore praesentium strictissime interdicimus ac inhibemus, ne secum asportare propriisque usibus applicare audeant libros, pecunias, credita, deposita et bona mobilia seu immobilia cuiuscumque generis et speciei, quae eos tempore suae promotionis penes se vel alios habere contigerit, exceptis dumtaxat scriptis, propriis indumentis et breviario; sed ea omnia, statim ac suae promotioni consenserint et antequam consecrationis munus suscipiant, Superiori locali et Capitulo coenobii, conventus aut domus ubi degunt integra et intacta absque ulla prorsus diminutione, cum eorum notula seu inventario bona fide confecto, resignare teneantur, ut illi postmodum coenobio, conventui vel domui applicari possint ac debeant, cui iuxta constitutiones et consuetudines cuiusque Ordinis, Congregationis ac Instituti applicanda esse constiterit. Quod si secus fecerint, et huic nostrae ordinationi non obtemperare praesumpserint, contra facientes, ultra poenam suspensionis ab exercitio pontificalis ministerii in praefatis Clementis IV litteris constitutam, suspensionis insuper a divinis poenam ipso facto incurrant, cuius relaxationem Nobis tantum et Romano Pontifici pro tempore exsistenti (sublata caeteris omnibus, etiam Poenitentiariae apostolicae officio et maiori Poenitentiario eam etiam ad tempus relaxandi facultate) specialiter et expresse reservamus, ac reservatam esse volumus et mandamus.

Adimitur Superioribus Ordinum facultas concedendi promotis eisdem ad tempus

Postremo, cum aequum et salutare, immo etiam necessarium arbitremur, ut occurratur ac opportunum adhibeatur remedium praeiudiciis et detrimentis quae hactenus illata fu-

BENEDICTI XIII

4 Mart. 1725

usum librorum aliorumque.

isse novimus, ac etiam de caetero inferri posse animadvertimus Ordinibus Regularibus, coenobiis, conventibus ac domibus praedictis, ex facultate quae ab Alexandro praedecessore Ministro Generali et Provincialibus Ordinis Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci, et a Clemente, itidem praedecessore, Ministro Generali ac Prioribus Ordinum Fratrum Praedicatorum, ut praefertur, tributa fuit, concedendi promotis ad episcopalem et alias ecclesiasticas dignitates usum ad tempus librorum aliorumque bonorum quae tempore suae promotionis habebant: motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, tenore praesentium, nedum praefatis sed etiam omnibus et singulis aliis Superioribus quorumcumque aliorum Ordinum, Congregationum, ac Institutorum Regularium praedictorum, ad quae praeinsertas Alexandri et Clementis praedecessorum litteras ut supra extendimus et ampliamus, etiam si Abbates, Magistri, Ministri et Praepositi Provinciales aut Generales fuerint, vel quacumque alia denominatione ac titulo Ordinibus, Congregationibus et Institutis ante dictis praefuerint, nec non eorumdem coenobiorum, conventuum domorumque Superioribus localibus et Capitulis quibuscumque, praedictam facultatem concedendi ad tempus usum librorum aliorumque mobilium praefatorum prorsus adimimus, auferimus et abrogamus, ac pro adempta, sublata et prorsus abrogata ab omnibus in posterum haberi volumus, statuimus et declaramus; ita ut perpetuis futuris temporibus eiusmodi facultate uti amplius non possint nec debeant, perinde ac si ipsis a praefatis praedecessoribus Nostris numquam tributa et concessa fuisset, et non alias, aliter nec alio modo; sub poena, si secus fecerint, suspensionis a divinis eo ipso incurrenda, cuius relaxationem Nobis et Romano Pontifici pro tempore exsistenti privative quoad omnes alios reservamus et reservatam esse statuimus, praecipimus ac mandamus.

Clausulae.

Decernentes praesentes litteras semper validas, firmas et efficaces exsistere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter et inconcusse observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et Apostolicae Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quavis praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate ac auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatoriae peculiares.

Non obstantibus praeinsertis Alexandri IV et Clementis itidem IV praedecessorum litteris, et de iure quaesito non tollendo, ac certis Nostris et Cancellariae apostolicae regulis aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quorumvis Ordinum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica aut quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis

BENEDICTI XIII

4 Mart. 1725

eisdem Ordinibus illorumque Superioribus et professoribus quibuscumque, sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, et aliis efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, etiam irritantibus, etiam motu simili et consistorialiter ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas et occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis ac servatis respective habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Aliae clausulae.

Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas seu earum exempla ad valvas ecclesiae Lateranensis, et basilicae Principis Apostolorum, nec non Cancellariae apostolicae, Curiaeque generalis in monte Citorio, ac in acie campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari; sicque publicatas et affixas, omnes et singulos quos illae concernunt perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio quam extra illud, ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrae confirmationis, approbationis, innovationis, reintegrationis, decreti, declarationis, statutorum, voluntatum, mandatorum, constitutionis, assignationis, praecepti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCCXXIV, quarto nonas Martii, Pontificatus Nostri anno primo.

Anno vulgari 1725.

P. M. Card. Prodatar.

BENEDICTI XIII

B. ALOISIUS GONZAGA DATUR PRINCIPALIS PATRONUS

SCHOLIS ET UNIVERSITATIBUS SOCIETATIS IESU

CUM FACULTATE PRO SCHOLARIBUS RECITANDI OFFICIUM ET MISSAM IN EIUS FESTO.

BENEDICTUS PAPA XIII
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

21 Iun. 1725

BENEDICTI XIII

Exordium a debito promovendi cultum Sanctorum.

Apostolicae servitutis officium, quod inscrutabilis divinae sapientiae atque bonitatis altitudo humilitati atque infirmitati Nostrae credere dignata est, ad spiritualem fidelium aedificationem salubriter exsequi, adspirante superni favoris auxilio, iugiter satagentes, BB. Christi Servorum, qui, despectis saeculi vanitatibus iugum Domini in sancta humilitate assumpserunt, et, virtutum omnium corona redimiti, decurso feliciter mortalis vitae stadio, immarcessibilem gloriae coronam in coelis accipere meruerunt, cultum et venerationem in terris libenter promovemus, sicut Dei honori et laudi, populorumque pietati convenire conspicimus.

Causae praesentis Constitutionis.

Gloriosa itaque B. Aloisii Gonzaga, Societatis Iesu, virginitate in primis ac vitae innocentia et principatus contemptu clarissimi, merita devota consideratione ingentique animi Nostri gaudio recolentes, ac iuvenes qui dilectorum filiorum Clericorum Regularium ipsius Societatis Iesu scholas frequentant, quique, sicut accepimus, eumdem B. Aloisium uti peculiarem patronum, iam a saeculo et ultra, sua sponte privataque auctoritate colere coeperunt, ad eius vestigia et virtutum, quibus mirifice enituit, exempla sectanda, et opem, crebris illius intercessione ab omnipotenti Deo patratis miraculis testatam, in eorum necessitatibus et animarum periculis ferventius exposcendam excitare cupientes; omnibus et singulis Universitatibus, Gymnasiis vel Collegiis generalium vel publicorum studiorum tam erectis quam erigendis, quae a Clericis Regularibus praedictae Societatis Iesu de praesenti reguntur aut in posterum regentur, ubicumque terrarum exsistentibus, ac scholaribus ibidem litterarum studiis operam nunc et pro tempore navantibus, ut de caetero perpetuis futuris temporibus memoratum B. Aloisium tamquam suorum liberalium studiorum, atque innocentiae et castitatis in lubrica praesertim iuvenili aetate diligentius custodiendae specialem patronum sibi deligere, habere, colere et venerari, illiusque festum quotannis die vigesimo primo mensis Iunii celebrare; nec non iis ex praedictis scholaribus qui ad horas canonicas tenentur, eadem die in honorem dicti B. Aloisii officium recitare de communi Confessoris non Pontificis sub ritu duplici minore; et si qui pariter ex illis in sacro Presbyteratus ordine constituti fuerint, Missam etiam sub eodem

Concessio praedicta cum quibusdam aliis indultis.

BENEDICTI XIII

21 Iun. 1725

ritu de communi itidem Confessoris non Pontificis, in Universitatum tamen, Gymnasiorum seu Collegiorum eiusmodi ecclesiis dumtaxat, die praedicta celebrare iuxta rubricas breviarii ac missalis romani libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Clausulae.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Mandatur fidem adhibendam transsumptis.

Volumus autem ut praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Superioris seu Secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae vel Praepositi aut Vicarii Generalis eiusdem Societatis pro tempore exsistentis munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesimo primo Iunii MDCCXXV, Pontificatus Nostri anno secundo.

BENEDICTI XIII

BULLA CANONIZATIONIS B. ALOISII GONZAGAE.

31 Dec. 1726

BENEDICTUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

BENEDICTI XIII

§ 1. Dei Servorum sanctitas a Summo Pontifice toti Ecclesiae manifestatur.

Christianae virtutes et summa vitae innocentia strenuos Dei milites, post triumphum de hoc mundo, per quam dignos efficiunt, qui inter coelestis Hierusalem emeritos cives connumerentur. Atque hinc Nobis, universalis Ecclesiae regimini praepositis, maxime convenit apostolica voce eorumdem sanctitatem manifestare, ut omnes, tanto patrocinio in coelis muniti optimisque piae illorum conversationis exemplis instructi, per viam salutis incedere valeant, unde et ipsi tandem, huius vitae cursu feliciter consummato, eorum consortio adiungi mereantur quorum se regulis conformare studuerunt.

Itaque Nos, hac die in honorem antecessoris Nostri Silvestri Confessoris atque Pontificis Deo sacra cum ingenti exsultatione et celebritate in basilicam Principis Apostolorum convenientes, angelicum iuvenem, inque Regulari militia probatissimum clericum, Aloisium Gonzagam Sanctorum canoni adscripsimus, ut Christi fideles in eius meritis solemni praeconio ad Dei gloriam recolendis propitium in coelo deprecatorem obtineant.

§. 2. Beati Aloysii Gonzagae ortus et pia educatio, utraque admiranda.

Castellione, Galliae cisalpinae ad fines Mantuani ducatus, nobili oppido, quod discriminis causa Stiverorum appellatur, marchionatus olim dein principatus titulo insigni, ex primaria Gonzaga familia, septimo idus Martias anno Christi Domini MDLXVIII natus est Aloisius, antea baptizatus quam totus in lucem editus. Ab ipsis infantiae et eo magis pueritiae primordiis, magna in illo et multa futurae sanctitatis argumenta

apparuerunt, quae B. Carolus Borromaeus S. R. E. Cardinalis et Archiepiscopus Mediolanen. coram miratus, illum adhuc duodennem in rebus divinis adeo instructum reperit, ut dignum putaverit quem Sanctissimo Eucharistiae Sacramento suis manibus ipse primus reficeret. Tum vero in patriis aedibus et Florentiae, ubi Aloisius novennis Deiparae virginitatem suam vovit, quam semper una cum innocentia baptismali illibatam servavit, tum maxime in aula regia Hispaniarum, quo tredecennis cum parentibus in comitatu Mariae Augustae petierat, coelestes eius animi dotes patuerunt. Ibi enim rara eius pietas in dies prodiens omnium oculos et admirationem in se convertit, nullis mundi illecebris innocentissimum puerum alio trahentibus; cuius etiam sanctus pudor is fuit, ut matronas, consanguineas quoque ac matrem ipsam adspicere et seorsum alloqui refugeret. Quin ut Dei famulatum tutius amplecteretur, vix annum decimum quintum egressus, in Societatem Iesu migrare constituit; quam cogitationem nullae Regum et Principum blanditiae, nullae a parentibus toto triennali spatio adhibitae machinae ex eius animo evellere potuerunt.

§. 3. Societati Iesu nomen daturus magna animi fortitudine suis valedicit, et Romam petit, ubi christianis virtutibus omnium oculos in se convertit.

Quare, mirantibus et lugentibus consanguineis, Romam iturus, siccis oculis avito se principatu abdicavit, inque alma aede Lauretana votum, quo eum pia mater incolumem paritura Deo se obstrinxerat, incredibili religione persolvit. Romae vero in primariis septem ecclesiis Deum propitium sibi precatus, mox in Domum probandis spiritibus Societati Iesu nomen daturis destinatam, maximo gaudio convolavit; ubi eximiis eius virtutibus patefactis, votisque postea regularibus de more ab eo nuncupatis, in clericum adscitus primisque ordinibus initiatus est. Quanta verecundia se spectandum, quantaque humilitate, paupertatis studio, suique contemptu viliora officia ultro subire gestiens, se toti Urbi admirandum ostenderit, oculati et probatissimi testes litterarum monumentis consignaverunt. Sed eius charitas praecipuo sermone celebranda est, quippe quae maxima fuit, et praesertim enituit dum, ex annonae inopia saevo in Urbe contagio ingruente, quod multa millia hominum sustulit, ipse, quamvis corpusculi macerationibus paene confectus pedibus vix consisteret, a maioribus impetravit ut in publicis valetudinariis lethaliter aegrotantes inviseret, stipem vicatim per Urbem esurientibus erogaret, inque communi vastitate languidos ipsos, in hospitales domos suis humeris latos, exueret, sordibus mundaret, ac cibo etiam verbi Dei pasceret. Quae omnia tanto studio peregit, ut et ipse pestilenti halitu afflatus, aliquamdiu novo hoc experimento probandus contabesceret.

§. 4. Pie obit et pro sancto agnoscitur.

Tandem suae migrationis tempus appropinquare animadvertens, Ecclesiae Sacramentis ad magnum iter munitus, dulcissimoque Iesu Nomine, quod semper in corde atque ore habuerat, repetito, nocte quam praedixerat, ante diem undecimum kal. Iulias anni MDXCI, plurimis admirandae et consummatae virtutis speciminibus editis, placidissima in pace quievit, anno aetatis suae vigesimo tertio, Religionis sexto, clericatus quarto. Ad eius exuvias venerandas tanta populi Romani turba confluxit, ut aedis portas claudi oportuerit, ne sacrum pignus devotionis causa in frusta discerperetur. Et quamvis loculum

sepulcralem ei servando adsignatum nullus foris titulus distingueret, fidelium tamen pietas, accensis facibus votivisque tabellis ac donariis subinde allatis, eum probe distinxit. Aloisii sanctitatem diserto etiam praeconio vulgavit in mentis excessu Dei ancilla, postmodum SS. Virginibus adnumerata, Maria Magdalena de Pazzis.

§. 5. Synodus Mantuana et christiani Principes pro Aloysio sanctis Confessoribus adscribendo Apostolicam Sedem exorant.

Quin crebra et maxima signa per Servi sui intercessionem a DEO patrata eiusdem sanctitatis famam per universam Italiam eo usque vulgarunt, ut synodus Mantuana rec. mem. antecessori Nostro, Paulo Papae v, enixas preces obtulerit pro Aloisio in Beatorum numerum referendo; eodemque relato, cum multi christiani Principes a Sede Apostolica flagitarent ut inter Sanctos quoque numeraretur, res tanta venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus examinandis praepositorum iudicio perpendenda commissa est. Hi vero B. Aloisii virtutes et miracula, de quibus plene constabat, ad sacros Ecclesiae canones et disciplinam suffragiis suis omnimo comprobaverunt, ita ut Dei Servum inter Sanctos referri, deque eo tamquam de B. Confessore officium recitari posse iudicarent. Tres deinde antiquiores sacri palatii apostolici causarum Iudices hac de re suam relationem quinquennali discussione compositam ediderunt, in qua, praevio examine et approbatione virtutum ac miraculorum, causam in eo statu esse dixerunt, ut tuto, et quandocumque id luberet, B. DEI Servus inter SS. Confessores referri posset. Postmodum Cardinales simul iterum congregati, inhaerendo his quae antea censuerant, et praesertim relationi eorumdem trium sacri palatii Iudicum; pridem a se acta et iudicata uno ore et nemine discrepante confirmaverunt. Quare Paulus Papa v, his auditis, auctoritate apostolica, non solum Romae, sed in quibuscumque locis Italicis, Mantuani Ducis, et Principum ex Gonzaga gente imperio subiectis, inque ecclesiis Societatis IESU Sacrosanctum Missae Sacrificium atque horas canonicas in B. Aloisii honorem celebrari et recitari posse decrevit: quod indultum, apostolicis litteris traditum, per alios postea Romanos Pontifices antecessores Nostros ad universam Societatem IESU et complura alia loca, de eorumdem venerabilium fratrum consilio suffragioque, extensum est.

Eius virtutes et miracula comprobantur.

De eo horae canonicae et Missae celebrari statuuntur.

Hinc Aloisii ubique celeberrimi virtutes et signa omnibus ferme christianis Principibus apud Apostolicam Sedem aeque laudantibus, proque eius inter SS. Domini Confessores adscriptione, sub proximis antecessoribus Nostris piae mem. Romanis Pontificibus Clemente XI et Innocentio XIII, ac etiam Nobis ipsis dum in minoribus essemus, enixe deprecantibus, tandem, singulis quae ad novissima antecessorum Nostrorum decreta impleri debebant, accurate et sedulo impletis, inque conventu venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium una congregatorum, repetita omnium eorum quae acta iam fuerant absoluta notione plenaque ex omni parte et iuridica expositione, tum quoad virtutes tum quoad miracula olim plene discussa atque approbata; Nos eumdem Aloisium, cuius nomen inclytae mem. antecessor Clemens Papa X in tabulis martyrologii romani describendum curaverat, SS. Confessorum fastis adnumerare decrevimus. Itaque in tribus Consistoriis et plenario conventu eorumdem vene-

§. 6. Benedictus XIII B. Aloysium, a Clemente X in martyrologium relatum romanum Sanctorum Confessorum canoni adnumerat.

rabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum Nobiscum Romae praesentium, universis ad eum pertinentibus pro more discussis, unanimi Patrum sententia per Apostolicae Sedis Notarios coram Nobis excepta, Regumque ac Principum christianorum et Societatis Iesu pro B. Aloisio, quem scholis eiusdem Societatis patronum apostolicis litteris Nostris pridem adsignavimus, in SS. Confessorum canonem referendo multis precibus eidem sanctae Apostolicae Sedi Nobisque porrectis; post tantae rei perficiendae solemnem diem indictam, perque orationes, ieiunia et eleemosynas omnipotentis Dei opem ferventissime imploratam, demum omnibus, quae ad antecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum constitutiones et S. R. E. disciplinam agenda erant, summa religione peractis, hac ipsa die in honorem antecessoris Nostri Silvestri Confessoris atque Pontificis Deo sacra, cum iam dictis venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis ac utriusque Cleri et populi frequentia in sacrosanctam basilicam Principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus; ubi semel, iterum et tertio pro Dei Servo Aloisio Gonzaga, clerico Societatis Iesu, SS. Confessorum canoni adscribendo iteratis precibus per dilectum filium Nostrum Alvarum S. R. E. tituli S. Bartholomaei in Insula Presbyterum Cardinalem, Cienfuegos nuncupatum, post cantatas sacras orationes et Spiritus Sancti gratiam humillime invocatam, ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem et christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei Patris, Filii, et Spiritus Sancti, et BB. Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, de eorumdem venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum Nobiscum in plenario conventu basilicae Vaticanae praesentium consilio et unanimi consensu, B. Aloisium Gonzagam, clericum Societatis Iesu, de cuius sanctitate, fidei sinceritate et caeterarum virtutum ac miraculorum excellentia plene constabat et constat, una cum Beato adolescente Stanislao Kostka, eiusdem Societatis Iesu Novitio, SS. Confessorum non Pontificum canoni adscribendum decrevimus et definivimus, prout praesentium tenore decernimus, definimus et adscribimus; eumdemque per omnes Christi fideles tamquam vere Sanctum honorari mandavimus et mandamus; statuentes ut in Ecclesia universali in eius honorem aedes sacrae et altaria, in quibus incruentum Sacrificium Deo offeratur, construi, et quotannis undecimo kal. Iulias, quo die migravit ad Dominum, solemnia eius natalitia ut S. Confessoris non Pontificis celebrari possint.

§. 7. Pontifex sacras eius exuvias visitantibus peculiares indulgentias concedit.

Insuper eadem auctoritate omnibus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui eodem solemni die natalitio in memoriam B. Aloisii Gonzagae quotannis ad sacras eius exuvias, quae in aede ad honorem B. Ignatii Confessoris Deo sacra adservantur, venerandas accesserint, annum et quadragenam; iis vero qui in octava eiusdem festi, quadraginta dies de iniunctis seu quomodolibet eis debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus et relaxamus.

§. 8. Sacrosanctum Missae

Postremo, gratiis Deo actis quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque

BENEDICTI XIII

sacrificium in eius honorem celebrat.

luminari illustrare voluisset, cantata in honorem SS. Aloisii Gonzagae et Stanislai Kostkae solemni oratione, in ara maxima supra Confessionem Principis Apostolorum sacrosanctum Missae Sacrificium celebravimus cum eiusdem et alterius Confessoris commemoratione, omnibusque Christi fidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

§. 9. Deus glorificandus in sanctitate B. Aloisii.

Decet igitur ut pro tam peculiari magnoque beneficio coelitus nobis concesso omnes benedicamus et glorificemus in trinis Personis unum Deum, bonorum omnium auctorem, cui est honor et gloria in saecula; assiduis precibus ab eo flagitantes ut, per intercessionem electi sui Aloisii Gonzagae a peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiae suae, immittatque timorem sui super gentes quae non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant quia non est alius Deus nisi Deus noster.

§. 10. Hae litterae apostolicae ubique fidem obtineant.

Caeterum, quia difficile foret praesentes Nostras litteras ad singula loca, ad quae opus esset, adferri, volumus ut earum exemplis etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

§. 11. Nemo eas infringere audeat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCCXXVI pridie kal. Ianuarias, Pontificatus nostri anno tertio. 31 Dec. 1726

✠ EGO BENEDICTUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

✠ Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Card. Barberinus.

✠ Ego Petrus Episcopus Sabinensis Card. Ottobonus S. R. E. Vice Cancellarius.

✠ Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Card. Corsinus.

✠ Ego Ioseph Renatus tit. S. Georgii in Velabro Presb. Card. Imperialis.

✠ Ego Philippus Antonius tit. S. Praxedis Presb. Card. Gualterius.

✠ Ego Annibal tit. S. Clementis Presb. Card. S. Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.

✠ Ego Ludovicus tit. S. Silvestri in Capite Presb. Card. Picus de Mirandula.

✠ Ego Ioannes Antonius tit. S. Petri ad Vincula Presb. Card. de Via.

✠ Ego Antonius Felix tit. S. Balbinae Presb. Card. Zondadarius.

✠ Ego Petrus tit. S. Mariae Transtiberim Presb. Card. Corradinus.

✠ Ego Curtius tit. S. Eustachii Presb. Card. Origus.

✠ Ego Melchior tit. S. Mariae Angelorum Presb. Card. de Polignac.

✠ Ego Nicolaus tit. SS. Nerei et Achillei Presb. Card. Spinula.

✠ Ego Georgius tit. S. Agnetis Presb. Card. Spinula, S. Agnetis nuncupatus.

✠ Ego Cornelius tit. S. Hieronymi Illyricorum Presb. Card. Bentivolus de Aragonia.

✠ Ego Ludovicus tit. S. Priscae Presb. Card. Belluga et Moncada.

BENEDICTI XIII

31 Dec. 1726

✠ Ego Ioseph tit. S. Susannae Presb. Card. Pereyra de la Cerda.

✠ Ego Alvarus tit. S. Bartholomaei in Insula Presb. Card. Cienfuegos.

✠ Ego Bernardus Maria tit. S. Bernardi ad Thermas Presb. Card. de Comitibus, maior Poenitentiarius.

✠ Ego Ioannes Baptista tit. S. Matthaei in Merulana Presb. Card. de Alteriis.

✠ Ego Vincentius tit. S. Onuphrii Presb. Card. Petra.

✠ Ego Prosper tit. S. Calixti Presb. Card. Marefuscus.

✠ Ego Nicolaus tit. S. Mariae in Dominica Presb. Card. Coscia.

✠ Ego Nicolaus Maria tit. SS. Ioannis et Pauli Presb. Card. Lercarius.

✠ Ego frater Laurentius tit. S. Laurentii in Pane et Perna Presb. Card. Cozza.

✠ Ego Benedictus S. Mariae in Via Lata Diaconus Card. Pamphilius.

✠ Ego Laurentius S. Agathae ad Montes Diaconus Card. de Alteriis.

✠ Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Card. Columna.

✠ Ego Iulius tit. S. Adriani Diaconus Card. Alberonus.

✠ Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin Diaconus Card. Albanus, Card. Alexandrinus nuncupatus.

✠ Ego Alexander S. Mariae de Scala Diaconus Card. Falconerius.

✠ Ego Nicolaus tit. S. Mariae ad Martyres Diaconus Card. Iudice.

P. Card. Prodatarius.

Pro Domino Card. Oliverio C. Archiep. Emissenus.

Visa de Curia. I. Archiep. Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

BENEDICTI XIII

BULLA CANONIZATIONIS B. STANISLAI KOSTKAE.

BENEDICTUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

BENEDICTI XIII

31 Dec. 1726

§. 1. Dei cultus in Sanctis eius amplificatus.

Dum Christi voce compertum est a nemine lucernam accendi et poni eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt; Nos, Dei cultus in Sanctis eius amplificandi summe solliciti, hinc monemur pium et iustum esse, ut quos Deus stola gloriae indutos ob merita sanctitatis coronat in coelis, eosdem Nos quoque publicae venerationis praeconio in terris laudantes, ipsum Deum in iis glorificemus, cuius magnitudinem in gestis Sanctorum coruscare certissimum est.

Hos inter fulsit beatae memoriae adolescens Stanislaus Kostka, christianis virtutibus magnisque miraculis clarus; quae, ad S. R. E. canonicas regulas maturo consilio comprobata, Nos induxerunt, ut hac die, in honorem antecessoris Nostri Silvestri Confessoris atque Pontificis Deo sacra, eum SS. Confessorum fastis adscriberemus.

§. 2. B. Stanislai ortus,

Stanislaus in avito oppido Masoviae, ducatus regni Polonici, medio

BENEDICTI XIII

31 Dec. 1726

institutio atque virtutum praestantia.

saeculo Christi Domini decimo sexto ex senatoria familia natus, Viennam Augustam in Seminario Societatis Iesu liberalibus disciplinis imbuendus profectus est. Prae multis virtutibus quibus excelluit, illibatum morum candorem tam sancte servavit, ut si quem minus honeste loquentem audiret, veluti exanimis statim concideret. Ob rerum et temporum vices soluto Seminario Viennensi, Stanislaus post annum inde egressus, in tenera aetate magnae virtutis christiano more exercendae occasionem offendit. Hospes enim, in cuius aedes cum fratre migrare coactus est, lutherana haeresi infectus, nimiusque fratris rigor innocentissimi adolescentis animum non modica perturbatione impleverunt. Sed invicta Stanislai virtus numquam succubuit, unam dumtaxat aerumnarum omnium durissimam ratus, quod, in domo a recta fide aliena graviter decumbens, Sanctissimo Eucharistiae Sacramento refici non posset. Divino tamen prodigio per coelestes iuvenes, praesente B. Barbara Virgine et Martyre cuius patrocinio in re tanta se commendaverat, pane angelico recreari meruit; unde animae et corporis viribus mirifice confirmatus, de quibuscumque vexationibus strenue triumphavit; quem alias rerum coelestium assidua contemplatio, summe innocens corpus in servitutem redactum, incredibilis mansuetudo, inque fratris asperitate triennali spatio toleranda christianum animi robur, supra aetatem plane admirandum reddiderunt. Mox, Deiparae Virginis monitu, quae Divinum infantulum ei amplectendum porrexit, iam dictae Societati Iesu, ingenti plausu tunc recens natae, nomen dare constituit; utque citius voti compos fieret, sub habitu peregrini, licet ab omni re tam longo itineri necessaria imparatus, Romam properare contendit, a fratre, citatis equis eum quaeritante, divinae gratiae praesidio nequaquam agnitus, et rursus a choro Angelorum coelesti pabulo in via recreatus.

§. 3. Societatis Iesu tirocinium Dei amore inflammatus init, et pie obit.

Aliquamdiu in famulatu Seminarii Dilingensis in dioecesi Augustana, tamquam religiosae vocationis experimento, commoratus, Romam tandem per viarum ambages et vitae discrimina ingressus, inque Tirocinium Societatis Iesu a B. Confessore Francisco Borgia, tunc Praeposito Generali, admissus est; ubi, nullis suorum minis perterritus, in omnium christianarum virtutum agone se veteranum Dei militem spectandum exhibuit, a perspicuae pietatis viris, interque hos a B. Confessore et Pontifice Francisco Salesio, singulari praeconio cumulatus. Deiparam Virginem ut dulcem patronam suam maximo semper cultu observavit, tantoque divini amoris aestu ardere visus est, ut brumali tempore pectus linteis frigida aqua conspersis madefaceret. Morbo demum levi correptus, vehementique Dei amore inflammatus, in eius sinum translatus est anno reparatae salutis MDLXVIII, die festo, ut praedixerat, Deiparae Virginis in coelum Assumptae, decimo octavo kal. Septembres, anno aetatis decimo octavo, regularis Tirocinii mense decimo.

§. 4. Stanislai miraculis clari exuviae incorruptae, et pro eo Sanctorum canoni adscribendo christianorum Principum supplicationes.

Mirae innocentiae adolescentis exuviae biennio ab eius depositione incorruptae suavique odore perfusae repertae sunt. Postmodum triumphalem in coelesti Hierusalem Servi sui gloriam, quem piae mem. antecessor Noster Paulus Papa V Beatorum numero adscripserat, Deus miraculo comprobavit, dum, Sigismundo Rege Poloniae

in Turcas, christianorum cervicibus imminentes, bella Domini praeliante, sublimis in aere visus est Stanislaus in splendido curru cum Deipara Virgine et filio Iesu; unde Polonorum animi in dubia certaminis alea viribus aucti, immanissimos hostes fuderunt; quo tempore beati adolescentis caput a fel. mem. decessore Nostro Gregorio Papa xv in Poloniam missum, adventu suo victores populos novo gaudio cumulavit. His atque aliis, omnium Christi fidelium veneratione dignissimis, per Stanislai preces apud Deum editis signis, sanctitatis eius fama ubique diffusa, apud Apostolicam Sedem exorantibus Poloniae Regibus Sigismundo, Vladislao et Ioanne Casimiro, de eo Sanctorum canoni adscribendo actum est, praecipue sub Romanis Pontificibus antecessoribus Nostris Paulo v, Innocentio x et Clemente x, quorum postremus sacrum officium a Societate Iesu, itemque a Clero saeculari totius Poloniae magnique ducatus Lithuaniae certa die de eo recitari auctoritate apostolica indulsit; quod, propria subinde oratione addita, confirmavit alius venerandae mem. antecessor Innocentius Papa xi.

§. 5. Polonis et Lithuanis patronus datur, deque eo in SS. Confessorum canonem referendo decretum vulgatur.

Denique, Stanislai virtutibus per Clementem x, qui eum Polonis et Lithuanis primarium apud Deum patronum adsignavit, undequaque approbatis, piae quoque rec. Clemens xi eiusdem miracula, coram se per venerabiles fratres S. R. E. Cardinales in examen adducta, pontificia auctoritate approbavit, decreto edito de B. Dei Servo in SS. Confessorum canonem referendo. Clemente vero, prius quam solemni ritu rem tantam absolveret, viam universae carnis ingresso, Nos, qui meritis licet imparibus eidem in Cathedra B. Petri successimus, in tribus Consistoriis et plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum Nobiscum Romae praesentium, gestis B. Stanislai rite perpensis, unanimi omnium sententia per Sedis Apostolicae Notarios coram Nobis excepta, Regumque ac Principum christianorum et Societatis Iesu pro illo in SS. Confessorum canonem referendo precibus Apostolicae Sedi et Nobis enixe porrectis, rei perficiendae solemnem de more diem indiximus.

§. 6. B. Stanislaus solemni ritu inter Sanctos connumeratur.

Mox per orationes, ieiunia et eleemosynas omnipotentis Dei ope ferventissime implorata, ac universis, quae ex S. R. E. disciplina receptisque constitutionibus agenda erant, omni religione peractis, hac ipsa die in honorem antecessoris Nostri Silvestri Confessoris atque Pontificis Deo sacra, una cum iam dictis venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis ac utriusque Cleri et populi frequentia in sacrosanctam basilicam Principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus; ubi semel, iterum et tertio pro Dei Servo Stanislao SS. Confessorum canoni annumerando, per dilectum filium Nostrum Alvarum S. R. E. tituli S. Bartholomaei in Insula Presbyterum Cardinalem, Cienfuegos nuncupatum, precibus repetitis, post decantatas sacras orationes et Spiritus Sancti gratiam humillime invocatam, ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem et christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii, et Spiritus Sancti, et BB. Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, de eorumdem venerabilium

fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum Nobiscum in plenario conventu basilicae Vaticanae praesentium consilio et unanimi consensu, B. Stanislaum Kostkam Polonum, Societatis Iesu Novitium, de cuius sanctitate, fidei et caeterarum virtutum magnitudine, ac miraculorum excellentia plene constabat et constat, una cum B. Aloisio Gonzaga, eiusdem Societatis Iesu clerico, SS. Confessorum non Pontificum canoni adscribendum decrevimus et definivimus, prout praesentium tenore adscribimus, decernimus et definimus; eumdemque per omnes Christi fideles tamquam vere Sanctum honorari mandavimus et mandamus; statuentes ut in Ecclesia universali in eius honorem aedes sacrae et altaria, in quibus incruentum Sacrificium Deo offeratur, aedificari, et quotannis idibus Novembribus eius solemnia ut S. Confessoris non Pontificis celebrari possint.

§. 7. Pontifex sacras eius exuvias visitantibus peculiares indulgentias concedit.

Insuper eadem auctoritate omnibus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui eodem solemni die in honorem B. Stanislai quotannis ad sacras eius exuvias, quae in aede ad honorem B. Andreae Apostoli Deo sacra in Quirinali asservantur, venerandas accesserint, annum et quadragenam; iis vero qui in octava eiusdem diei festi, quadraginta dies de iniunctis seu quomodolibet eis debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus et relaxamus.

§. 8. Sacrosanctum Missae Sacrificium in eius honorem celebrat.

Postremo, gratiis Deo actis quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare voluisset, cantata in honorem SS. Stanislai Kostkae et Aloisii Gonzagae solemni oratione, in ara maxima supra confessionem Principis Apostolorum Sacrosanctum Missae Sacrificium celebravimus cum eiusdem et alterius Confessoris commemoratione, omnibusque Christi fidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

§. 9. Deus glorificandus in sanctitate B. Stanislai.

Decet igitur ut pro tam peculiari magnoque beneficio coelitus Nobis concesso omnes benedicamus et glorificemus in trinis Personis unum Deum, bonorum omnium auctorem, cui est honor et gloria in saecula; assiduis precibus ab eo flagitantes ut, per intercessionem electi sui Stanislai Kostkae a peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiae suae, immittatque timorem sui super gentes quae non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant quia non est alius Deus nisi Deus noster.

§. 10. Hae litterae apostolicae ubique fidem obtineant.

Caeterum, quia difficile foret praesentes Nostras litteras ad singula loca, ad quae opus esset, adferri, volumus ut earum exemplis etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Nemo eas infringere audeat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCCXXVI, pridie kal. Ianuarias, Pontificatus Nostri anno tertio.

BENEDICTI XIII

✠ EGO BENEDICTUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

✠ Ego Franciscus Episc. Ostiensis Card. Barberinus.

✠ Ego Petrus Episcopus Sabinensis Card. Ottobonus S. R. E. Vice Cancellarius.

✠ Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Card. Corsinus.

✠ Ego Ioseph Renatus tit. S. Georgii in Velabro Presb. Card. Imperialis.

✠ Ego Philippus Antonius tit. S. Praxedis Presb. Card. Gualterius.

✠ Ego Annibal. tit. S. Clementis Presb. Card. S. Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.

✠ Ego Ludovicus tit. S. Silvestri in Capite Presb. Card. Picus de Mirandula.

✠ Ego Ioannes Antonius tit. S. Petri ad Vincula Presb. Card. de Via.

✠ Ego Antonius Felix tit. S. Balbinae Presb. Card. Zondadarius.

✠ Ego Petrus Marcellinus tit. S. MARIAE in Transtiberim Presb. Card. Corradinus.

✠ Ego Curtius tit. S. Eustachii Presb. Card. Origus.

✠ Ego Melchior tit. S. MARIAE Angelorum Presb. Card. de Polignac.

✠ Ego Nicolaus tit. SS. Nerei et Achillei Presb. Card. Spinula.

✠ Ego Georgius tit. S. Agnetis Presb. Card. Spinula, Cardinalis S. Agnetis nuncupatus.

✠ Ego Cornelius tit. S. Hieronymi Illyricorum Presb. Card. Bentivolus de Aragonia.

✠ Ego Ludovicus tit. S. Priscae Presb. Card. Belluga et Moncada.

✠ Ego Iosephus tit. S. Susannae Presb. Card. Pereyra de la Cerda.

✠ Ego Alvarus tit. S. Bartholomaei in Insula Presb. Card. Cienfuegos. 31 Dec. 1726

✠ Ego Bernardus Maria tit. S. Bernardi ad Thermas Presb. Card. de Comitibus maior Poenitentiarius.

✠ Ego Ioannes Baptista tit. S. Matthaei in Merulana Presb. Card. de Alteriis.

✠ Ego Vincentius tit. S. Onuphrii Presb. Card. Petra.

✠ Ego Prosper tit. S. Calixti Presb. Card. Marefuscus.

✠ Ego Nicolaus tit. S. MARIAE in Dominica Presb. Card. Coscia.

✠ Ego Nicolaus Maria tit. SS. Ioannis et Pauli Presb. Card. Lercari.

✠ Ego Frater Laurentius tit. S. Laurentii in Pane et Perna Presb. Card. Cozza.

✠ Ego Benedictus S. MARIAE in Via Lata Diaconus Card. Pamphilius.

✠ Ego Laurentius S. Agathae ad Montes Diaconus Card. de Alteriis.

✠ Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Card. Columna.

✠ Ego Iulius S. Adriani Diaconus Card. Alberonus.

✠ Ego Alexander S. MARIAE in Cosmedin Diaconus Card. Albanus, Card. Alexander nuncupatus.

✠ Ego Alexander S. MARIAE de Scala Diaconus Card. Falconerius.

✠ Ego Nicolaus S. MARIAE ad Martyres Diaconus Card. Iudice.

P. Card. Prodatarius.

Pro Domino Oliverio C. Archiep. Emissenus.

Visa de Curia. I. Archiep. Ancyranus.

L. MARTINETTUS.

Registrata in Secretaria Brevium.

BENEDICTI XIII

DE NON DANDIS ALIMENTIS NEC CONGRUA AUT PATRIMONIO

DIMISSIS A SOCIETATE ANTE PROFESSIONEM.

BENEDICTUS PAPA XIII
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

BENEDICTI XIII

Iniuncti nobis divinitus pastoralis officii ratio postulat, ut in his apostolicae Nostrae sollicitudinis partes libenter interponamus, per quae religiosorum virorum in vinea Domini excolenda strenue laborantium, propriaeque et alienae animarum saluti iugiter incumbentium, quieti atque tranquillitati opportune consulitur.

Cum itaque, sicut accepimus, Societatem Iesu multoties antehac molestari ac in iudicium trahi contigerit ab eis, qui, post exactum probationis biennium ac vota simplicia in eadem Societate emissa, ante tamen solemnem professionem, per illius Praepositum Generalem iustis ac rationabilibus de causis, iuxta facultates sibi a Romanis Pontificibus, praedecessoribus Nostris, attributas, ex ipsa Societate dimittebantur; alimenta scilicet seu congruam sustentationem sibi a dicta Societate deberi et consequi praetendentes, propterea quod dum in illa degebant ad sacros ordines, absque beneficio ecclesiastico et patrimonio, sed religiosae paupertatis titulo, promoti fuissent; licet autem satis perspectum exploratumque sit aequi bonique rationi nusquam consentaneum esse, quod Societas praefata, quae in illis amandandis iure suo utitur, alimenta seu sustentationem huiusmodi suppeditandi oneri obnoxia remaneat, minusque quod ipsi ex sua culpa, quae dimissioni causam praebet, utilitatem et commodum reportent, atque ita pluries a Congregatione pro tempore exsistentium S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, re accurate discussa, decretum ac resolutum fuerit; nihilominus facile evenire possit similes quaestiones in posterum quoque, non sine praedictae Societatis perturbatione ac dispendio, moveri seu instaurari, nisi eis aditus praecludatur: hinc est quod Nos, eamdem Societatem Iesu, quam ob singularia sua in hanc Sanctam Sedem merita peculiari apostolicae dilectionis prosequimur affectu, a quacumque lite et molestia, quae exinde deinceps oriri possent, eximere, ac omnem desuper controversiae occasionem submovere cupientes, ipsamque Societatem specialis favore gratiae prosequi volentes, motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura constitutione statuimus ac declaramus memoratam Societatem Iesu non teneri nec obligatam esse ad ullam subministrationem, sive con-

12 Iun. 1728

 gruae sustentationis, sive alimentorum, sive alio quocumque titulo et causa illis faciendam, qui post biennium probationis et emissionis votorum simplicium extra dictam Societatem a suis Superioribus eiiciuntur, tametsi, dum in ea permanebant, ad sacros etiam Presbyteratus ordines, sine beneficio ecclesiastico ac patrimonio, et ad titulum religiosae paupertatis promoti fuerint; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici Auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et Apostolicae Sedis Nuntios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non, quatenus opus sit, praedictae Societatis, illiusque Collegiorum et Domorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici vel Secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo Praepositi Generalis eiusdem Societatis seu alterius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die duodecimo Iunii MDCCXXVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

F. Card. Oliverius.

BENEDICTI XIII

ERIGITUR PRIMARIA CONGREGATIO BONAE MORTIS

CUM INDULGENTIIS.

BENEDICTUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

BENEDICTI XIII

Causa inductiva indulgentiarum infra scriptarum.

REDEMPTORIS NOSTRI IESU Christi pro salute humani generis in ara Crucis immolati vices, licet immeriti, gerentes in terris, dum attendimus ad uberes fructus quos ubique terrarum in militanti Ecclesia venerabilis Societas IESU verbo, doctrina et exemplis in dies copiosius affert, ac illam peculiarem curam prospicimus, qua Christi fideles, pretioso tanti holocausti sanguine redemptos, ex huiusmodi memoria ad pia et salutaria opera ferventer excitat: apostolici muneris Nostri esse reputamus spiritualium largitionum abundantiam desuper effundere, ut ipsorum fidelium sanctis huiusmodi operibus vacantium religio et devotio continuum suscipiat incrementum, eisque votiva salus proveniat animarum.

Primordia Congregationis Bonae Mortis.

Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Michaelis Angeli Tamburini, moderni Praepositi Generalis Societatis IESU, petitio continebat, quod a septuaginta annis et ultra in ecclesia Domus Professae eiusdem Societatis IESU de Urbe, feria sexta, alias non impedita, cuiuslibet hebdomadae, dum inibi vespere Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae venerationi exponitur, duo ex Presbyteris Regularibus dictae Societatis, ad infra scripta specialiter deputati, piae fidelium contemplationi acerbissima mortis Domini nostri IESU Christi in cruce pendentis, eiusque Genitricis B. MARIAE Virginis ad crucem adstantis dolorum et lacrymarum monumenta variis colloquiis precumque recitationibus devote respective repraesentant, ac verbum DEI, salubres ad bene moriendum meditationes excitando, in virtute etiam respective edocent; unde nonnulli Christi fideles, piorum et salutarium operum huiusmodi instituto moti, se invicem in dicta ecclesia congregare coeperant, et circa praemissa vacantes ab inde citra Christi fidelium Congregatio sub titulo et denominatione Domini nostri IESU Christi in cruce moribundi, ac Beatissimae Virginis MARIAE eius Genitricis dolorosae *della Buona Morte* nuncupari coepit, et nuncupatur ad praesens; eidemque Congregationi quaedam propterea indulgentia, etiam per modum suffragii applicanda, cum nonnullis relaxationibus a fel. rec. Alexandro Papa VII, praedecessore Nostro, sub certis modo et forma tunc expressis, successive concessa fuit, prout in litteris apostolicis eiusdem Alexandri praedecessoris in forma brevis sub annulo Piscatoris desuper, sub datum Romae, apud S. MARIAM maiorem, die vigesimo primo mensis Augusti anni Domini MDCLV,

28 Sept. 1729

Pontificatus praefati Alexandri praedecessoris anno primo expeditis, plenius continetur.

Institutum Bonae Mortis in ecclesiis Societatis ubique terrarum exercetur.

Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, in diversis mundi partibus et praesertim insignibus Europae civitatibus, dictae Societatis Domus Professae, Collegia et Residentiae respective fundata exsistant, et in eorum respective ecclesiis, ut plurimum diebus Dominicis similiter non impeditis, dum in eis Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae venerationi exponitur, uno ex Presbyteris Regularibus dictae Societatis praemissa, ut praefertur, repraesentante ac edocente, institutum huiusmodi ad Dei gloriam ac publicam salutem et spiritualem consolationem, cum multiplici fructu exinde proveniente, iugiter exerceatur; ac operae pretium sit ut, in primo dicta ecclesia eorumdem fidelium primaria Congregatio sub titulo ac denominatione praefatis, ad laudabile eorum in piis operibus et officiis huiusmodi studium Nostris beneficiis et indulgentiarum praemiis conservandum et augendum, stabiliatur et instituatur: quare pro parte dicti Michaelis Angeli Nobis fuit humiliter supplicatum quatenus ei in praemissis annuere de benignitate apostolica dignaremur.

Primariae Congregationis praedictae institutio.

Nos igitur, salutiferum opus huiusmodi plurimum in Domino commendantes, ac praemissis, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere, ipsumque Michaelem Angelum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, nec non Alexandri praedecessoris litterarum praefatarum tenores praesentibus pro expressis habentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, in primo dicta ecclesia unam utriusque sexus Christi fidelium primariam Congregationem, sub invocatione Domini nostri Iesu Christi in cruce moribundi, ac Beatissimae Virginis Mariae eius Genitricis dolorosae, vulgo *della Buona Morte* nuncupatam, quae per praefatum Michaelem Angelum et pro tempore exsistentem Praepositum Generalem dictae Societatis, seu, illo defuncto, donec alius ad officium Praepositi Generalis huiusmodi canonice assumatur, per Vicarium etiam Generalem eiusdem Societatis dirigi debeat, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo, sine tamen ipsius Societatis praeiudicio, erigimus et instituimus.

Concessio indulgentiae plenariae pro sodalibus in ingressu,

Ut autem primaria Congregatio huiusmodi, pro gratiarum et munerum coelestium largitione, devotionis ac pietatis iugiter proficiat incrementis, de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui deinceps in sodales eiusdem primariae Congregationis recipientur, die prima illorum receptionis huiusmodi, si Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in primo dicta ecclesia, aut ubicumque potuerint, eo die sumpserint; ac ipsis et pro tempore exsistentibus dictae primariae Congregationis sodalibus ubilibet degentibus, similiter vere poenitentibus et concessis ac sacra communione, si id com-

in mortis articulo,

BENEDICTI XIII

28 Sept. 1729

mode fieri poterit, refectis, vel saltem contritis, in eorum mortis articulo pium Nomen IESU corde, si ore nequiverint, devote invocantibus, aut aliquod poenitentiae signum facientibus; insuper eisdem sodalibus qui, etiam vere poenitentes et confessi, semel quolibet mense in una ex sextis feriis hebdomadae, seu in una ex diebus Dominicis cuiuslibet mensis per eos ad sui libitum respective eligenda, prout expositio Sanctissimi Sacramenti vespere in qualibet ex dictis sextis feriis seu diebus Dominicis fiet; nec non in Nativitatis, Resurrectionis et Ascensionis Domini nostri IESU Christi, ac Epiphaniae et Pentecostes, Sanctissimae Trinitatis, ac Corporis Christi, nec non in Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Conceptionis et Nativitatis B. MARIAE Virginis, ac Nativitatis S. Ioannis Baptistae et singulorum SS. Apostolorum, videlicet Petri, Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi, Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis, Iudae et Mathiae, nec non S. Iosephi et Commemorationis omnium Sanctorum festis diebus, praefatum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in primo dicta ecclesia sumpserint, ac inibi pias ad DEUM preces, prout unicuique suggeret devotio, pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, haereticorum et infidelium conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, ac Nostra et pro tempore exsistentis Romani Pontificis prosperitate devote effuderint, quo die singulorum festorum dierum huiusmodi id pro tempore fecerint, plenariam omnium peccatorum suorum veniam et remissionem apostolica auctoritate misericorditer in Domino earumdem tenore praesentium etiam perpetuo concedimus et elargimur.

et in una ex sextis feriis hebdomadae, seu una ex diebus Dominicis cuiuslibet mensis,

nec non festis Domini. B. MARIAE V. Apostolorum, S. Iosephi et aliorum.

Indulgentia 7 annorum pariter conceditur iis qui expositioni Venerabilis interfuerint, aut disciplinam fecerint qualibet feria sexta, seu die Dominica.

Iis vero, qui expositioni Sanctissimi Sacramenti vespere, in qualibet ex dictis sextis feriis seu in qualibet ex dictis diebus Dominicis, ut praefertur, faciendae devote interfuerint, et ut praefertur oraverint, aut corpus suum flagellaverint, seu ut vulgo dicitur disciplinam fecerint, septem annos et totidem quadragenas; illis autem, qui, de eorumdem sodalium numero exsistentium, vel aliorum Christi fidelium defunctorum corpora ad sepulturam ecclesiasticam associaverint, aut infirmi vel impediti, audito signo campanae genuflexi, si per infirmitatem licebit, Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam pro salute animae defuncti vel corporis infirmi recitaverint, quique congregationibus tam publicis quam privatis ac divinibus officiis spiritualibusque colloquiis, exhortationibus et aliis piis officiis, etiam in sodalis seu aliorum Christi fidelium defunctorum suffragium per praefatam primariam Congregationem ordinandis, et ab ipso Michaele Angelo seu pro tempore exsistente Praeposito seu Vicario Generali approbandis, ac diebus feriatis Missae sacrificio interfuerint, aut vespertino tempore antequam cubent conscientiam suam diligenter examinaverint, seu pauperes infirmos tam sodales quam alios in hospitalibus vel privatis domibus, nec non carceratos visitaverint, quoties horum quodvis fecerint, unum annum de eis iniunctis vel alias quomodolibet debitis poenitentiis, apostolica auctoritate et tenore similibus, etiam misericorditer in Domino relaxamus.

Indulgentia alia unius anni, toties quoties corpora defunctorum associaverint, aut alia pia opera exercuerint.

Insuper, ne praefati sodales, si aliquando eos ab ipsa Urbe abesse vel

Sodales ubique locorum possunt conse-

BENEDICTI XIII

28 Sept. 1729

qui praefatas indulgentias.

alibi commemorari contingat, huiusmodi indulgentiarum et aliarum gratiarum spiritualium effectu et fructu frustrati remaneant, eisdem sodalibus extra Urbem ubivis locorum pro tempore commorantibus, ut in locis, ubi eos pro tempore residere seu morari contigerit, opera praedicta quae ipsi sodales in Urbe praesentes pro singularum indulgentiarum remissionum et relaxationum huiusmodi consecutione observare debent, apud ecclesias eorumdem locorum, aut alibi, prout poterunt, observando et exsequendo, omnes easdem indulgentias, remissiones et relaxationes habeant, et illae eis pariter suffragentur.

Indulgentiae stationum Urbis visitantibus ecclesiam Societatis ubi adsit, vel aliam quamcumque.

Nec non tam in Urbe praesentes, quam alibi ubivis locorum commorantes sodales primariae Congregationis huiusmodi, qui singulis quadragesimalibus et aliis anni temporibus, ac diebus stationum ecclesiarum dictae Urbis et extra illius muros quae a Christi fidelibus pro consequendis indulgentiis et remissionibus visitari solent, dictae Societatis, si ibi fuerit, alioquin aliam ecclesiam seu cappellam, in locis ubi eos pro tempore residere seu morari contigerit, ut praefertur, devote visitaverint, et ibi septies Orationem Dominicam et septies Salutationem Angelicam recitaverint; tot et easdem indulgentias consequantur, quas consequerentur, si iisdem temporibus et diebus singulas ecclesias dictae Urbis et extra illius muros huiusmodi pro iisdem stationibus et indulgentiis consequendis deputatas personaliter visitarent, ac omnia et singula, quae pro huiusmodi gratiarum consecutione quomodolibet requiruntur, plene adimplerent.

Facultas pro Praeposito

Praeterea eidem Michaeli Angelo ac pro tempore exsistenti dictae Societatis Praeposito seu Vicario Generali, ut in quibusvis aliis dictae Societatis Domorum Professarum, Collegiorum et Residentiarum extra Urbem praedictam per universum orbem nunc et pro tempore exsistentibus ecclesiis, pro eorumdem piorum operum incremento, quascumque alias aliorum utriusque sexus Christi fidelium Congregationes sub titulo et denominatione praefatis, quae ab ipsa primaria Congregatione tamquam membra a capite dependeant, auctoritate Nostra, sine tamen Societatis aut Domorum Professarum, Collegiorum et Residentiarum ecclesiarum huiusmodi praeiudicio, erigere et instituere, illasque eidem primariae Congregationi aggregare, ac eis sic erectis, institutis et aggregatis earumque sodalibus praedictas ac omnes et quascumque alias indulgentias, peccatorum remissiones, relaxationes, gratias et facultates, tam spirituales quam temporales, a Nobis dictaque Sede primariae Congregationi huiusmodi de caetero concedendas, ita ut sodales aliarum Congregationum huiusmodi, observantes et exsequentes ea quae ipsius primariae Congregationis sodales pro indulgentiis et remissionibus et relaxationibus huiusmodi consequendis observare et exsequi debent, easdem indulgentias, peccatorum remissiones et relaxationes pariter consequantur (facultate aggregandi et gratias huiusmodi aliis concedendi dumtaxat excepta), communicare;

seu Vicario Generali alias Congregationes aggregandi,

Congregationes visitandi,

Nec non tam primariam quam omnes et singulas ei aggregandas Congregationes huiusmodi, per se vel alium seu alios eiusdem Societatis Presbyteros Regulares idoneos ad id ab eo deputandos visitare;

et statuta condendi.

Et pro earum felici statu, regimi-

ne et directione quaecumque statuta, constitutiones et decreta, licita tamen et honesta sacrisque canonibus ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis et Concilii Tridentini decretis non contraria, nec non ab ipso Michaele Angelo et pro tempore exsistente dictae Societatis Praeposito seu Vicario Generali, si per alium vel alios deputandos huiusmodi fiant, examinanda et approbanda edere, ac postquam edita fuerint, quoties pro eorum et temporum qualitate aut alias expediens ei videbitur, immutare, corrigere, moderari et reformare, aut alia ex integro condere libere et licite valeat; eisdem auctoritate apostolica et tenore similiter perpetuo concedimus et indulgemus.

Praesentes litteras non comprehendi sub quibusvis etiam Cruciatae sanctae concessionum revocationibus.

Decernentes statuta, constitutiones et decreta huiusmodi, postquam edita, immutata, correcta, moderata, reformata et condita fuerint, ab omnibus sodalibus praedictis inviolabiliter observari debere; ac praesentes litteras sub quibuscumque similium vel dissimilium indulgentiarum et aliarum gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus, etiam in favorem basilicae Principis Apostolorum de Urbe, seu Cruciatae sanctae, aut alias per Nos et alios Romanos Pontifices successores Nostros aut dictam Sedem, etiam motu proprio et consistorialiter, et ex certa scientia et de apostolicae potestatis plenitudine, seu ad quorumvis etiam Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum et aliorum Principum instantiam pro tempore quomodolibet factis, minime comprehendi, sed semper ab illis excipi; et quoties illae emanabunt toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas ac de novo concessas esse et censeri; nec non omnibus, quos illae concernunt, suffragari debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogatur.

Non obstantibus praemissis, ac Nostris et Cancellariae apostolicae regulis de indulgentiis etiam ad instar non concedendis, et clausulis in illis ponendis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda, seu quaelibet alia exquisita et insolita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus etiam pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat latissime et plenissime ac specialiter et expresse harum serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Praedictae indulgentiae per modum suffragii applicari possunt.

Volumus autem quod praefati sodales dictae primariae Congregationis omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones et relaxationes huiusmodi ab ipsis ut praefertur consequendas, etiam per modum suffragii pro animabus Christi fidelium defunctorum[1], quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, applicare possint.

Transsumptis adhibeatur fides.

Praeterea etiam volumus quod earumdem praesentium transsumptis etiam impressis, Procuratoris genera-

BENEDICTI XIII lis ipsius Societatis vel Notarii publici manu subscriptis, et personae alicuius in dignitate ecclesiastica constitutae vel pro tempore exsistentis Praepositi aut Vicarii Generalis eiusdem Societatis sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, erectionis, institutionis, concessionis, elargitionis, relaxationis, indulti, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contra ire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. 28 Sept. 1729

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCCXXIX, nono kal. Octobris, Pontificatus Nostri anno sexto.

M. Ferravilla.

O. Barloccius.

CLEMENTIS XII

CONCESSIO INDULGENTIAE PLENARIAE PRO SOCIETATE

IN DIE FESTO S. IOANNIS NEPOMUCENI.

CLEMENS PAPA XII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

CLEMENTIS XII Commissae nobis a Domino nostro Iesu Christo dispensationis ratio exigit ut coelestium munerum thesauros, ad augendam in terris Sanctorum in coelis regnantium venerationem, fovendamque et incitandam erga illos fidelium devotionem, fideli providentia, quantum Nobis ex alto conceditur, ac pia religiosorum virorum propriae alienaeque saluti laudabiliter incumbentium vota postulant, erogare studeamus.

Cum itaque, sicut dilectus filius Franciscus Retz, Praepositus Generalis Societatis Iesu, Nobis nuper exponi fecit, pro peculiari sua erga S. Ioannem Nepomucenum Martyrem devotione, ut officium eiusdem Sancti Ioannis ab omnibus dictae Societatis Presbyteris et Clericis, qui ad horas canonicas tenentur, recitari possit, a Nobis indulgeri obtinuerit: Nos, piis eiusdem Francisci Praepositi Generalis supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis, favorabiliter annuere, et praedictorum Presbyterorum et Clericorum pietatem spiritualium gratiarum donis fovere atque incitare cupientes, omnibus et singulis Presbyteris, Clericis et Laicis Societatis huiusmodi ubique exsistentibus, vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui quamlibet dictae Societatis ecclesiam die festo memorati S. Ioannis Nepomuceni Martyris, a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione 22 Aug. 1731

CLEMENTIS XII

22 Aug. 1731

pias ad DEUM preces effuderint, ac praeterea eiusdem Sancti protectionem patrociniumque Ordini suo imploraverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transsumptis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici vel Secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae vel Praepositi Generalis Societatis praedictae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. MARIAM maiorem, sub annulo Piscatoris, die vigesimo secundo Augusti MDCCXXXI, Pontificatus Nostri anno secundo.

F. Card. Oliverius.

CLEMENTIS XII

CONTRA FERENTES CENSURAS THEOLOGICAS

IN CATHOLICORUM SENTENTIAS CIRCA EXPLICATIONEM GRATIAE EFFICACIS.

CLEMENS PAPA XII

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

CLEMENTIS XII

2 Oct. 1733

APOSTOLICAE PROVIDENTIAE officio a praedecessoribus Nostris fel. rec. Clemente XI et Benedicto XIII sapienter impenso ad dissipandas novatorum calumnias et artes, per quas, inducta proscriptis erroribus catholicorum dogmatum larva, et sanctorum Doctorum illustria nomina obtendentes, simplicium animos a debita constitutioni, quae incipit UNIGENITUS, obedientia deterrere moliebantur, Nos paterna quoque sollicitudine inhaerentes: magnopere dolemus tenebras a dissensionis filiis offusas nondum ex quorumdam mentibus satis esse discussas; sed plerosque etiam nunc intolerabili pertinacia contendere, censuris laudatae constitutionis doctrinam SS. Augustini et Thomae de divinae gratiae efficacia esse perstrictam.

Ut igitur nullas charitatis partes ad revocandos errantes Nobis reliquas faciamus, universis et singulis Christi fidelibus quacumque dignitate etiam episcopali et maiori fulgentibus, in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus, et sub canonicis poenis mandamus, ne disputantes aut docentes, sive in scholis, sive in concionibus, sive scriptis editis, sive aliter, propositiones defendant aut enuntient, quae ante dictas novatorum calumnias firmare ac promovere possint. Mentem tamen eorumdem praedecessorum Nostrorum compertam habentes, nolumus aut per Nostras aut per ipsorum laudes thomisticae scholae delatas, quas iterato Nostro iudicio comprobamus et confirmamus, quidquam esse detractum caeteris catholicis scholis diversa ab eadem in explicanda divinae gratiae efficacia sentientibus, quarum etiam erga

Per laudes doctrinae S. Thomae datas caeterae non reprobantur sententiae.

CLEMENTIS XII

2 Oct. 1733

hanc Sanctam Sedem praeclara sunt merita, quominus sententias ea de re tueri pergant, quas hactenus palam et libere ubique, etiam in huius almae Urbis luce, docuerunt et propugnarunt.

Prohibitio de qua supra.

Quamobrem fel. rec. Pauli v et aliorum praedecessorum Nostrorum ad restinguendum dissensionum fomitem vestigia prosequentes, et saluberrima mandata renovantes, auctoritate quoque Nostra omnibus et singulis superius expressis interdicimus et prohibemus sub iisdem poenis, ne vel scribendo, vel docendo, vel disputando, vel alia qualibet occasione notam aut censuram ullam theologicam iisdem scholis diversa sentientibus inurere, aut earum sententias conviciis et contumeliis incessere audeant, donec de iisdem controversiis haec Sancta Sedes aliquid definiendum ac pronuntiandum censuerit; pacem siquidem, quam cum veritate diligendam Dominus praecepit, inter Catholicae Ecclesiae filios fovere et communire debemus, et curamus ut, coniunctis diversarum licet scholarum studiis, firmius sit adversus erroris insidias praesidium.

Propterea locorum Ordinariis, Inquisitoribus, caeterisque Iudicibus ecclesiasticis iniungimus, ut altercationes et contentiones, quae, disputationis aestu animos abripiente, in christiani populi scandala erumpere possent, per canonica remedia compescant, iisdem facultatem ad id necessariam et opportunam impertientes.

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die secundo Octobris MDCCXXXIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

C. Archiepiscopus Emissenus.

CLEMENTIS XII

BULLA CANONIZATIONIS B. IOANNIS FRANCISCI REGIS.

CLEMENS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

CLEMENTIS XII

16 Iun. 1737

Sublimem montem Christianae sanctitatis et perfectionis quinam ascendunt.

Ad sublimem sanctitatis montem, in quo Christus Dominus sedens discipulos suos, seorsim a iudaicis turbis evocatos, christianae sapientiae praecepta edocuit, ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis, spe firmi, fide robusti, charitate ardentes gratia et virtute divina ascenderunt. Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et lavantes stolas suas, et dealbantes eas in sanguine Agni, intra densissimam nubem et imperscrutabilis divinitatis caliginem ingressi sunt, ubi divinus Moyses Deum Patrem alloquitur, et ad eius dexteram sedens, et compatiens infirmitatibus nostris, interpellat pro nobis. Huc autem accedere non audeat carnalis iudaeus, sed intra terminos et septa legalium praeceptorum se contineat, et longe ab ima montis parte fumum, caliginem et ignem, fulgura et tonitrua, sonitum et clango-

Ad eum nullus coinquinatus accedit.

rem tubarum, gloriam Domini, hoc est magnalia gratiae suae et prodigia sanctitatis, admiratione simul et terrore perculsus, prospiciat. Procul hinc omnis impurus et profanus, omnis fera bestia et animal immundum, ne loci sanctitatem sanguine foedet vel impuritate contaminet. Foris canes et venefici et impudici et homicidae et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium. Accedant autem qui, vitalibus aquis in sacro fonte renati vel purgati Sacramento Poenitentiae, amicti sunt stolis candidis; accedant, sed solutis antea calceamentis ex corio mortuorum animalium, nempe mortuis relictis operibus, quia terra sancta est. Arcta est via, arduus atque angustus est limes, et nemo tutus per eum ingreditur et ad culmen securus pertingit, nisi vestigiis insistat Christi Domini clamantis et dicentis: " Si quis vult venire post me, tollat crucem suam quotidie. „ Ambulandum est igitur vestigiis paribus, et aemula ingressione nitendum; quia non est maior domino suo servus, nec liberatore liberatus, et qui cupimus esse christiani, debemus quod Christus dixit et fecit imitari, ut respondeat ad finem nominis sectatio veritatis.

Arcta ad illum via est.

Ioannes Franciscus Regis hanc viam fortiter ingressus, ad illius montis fastigium evasit.

Aspera et laboriosa hac via incessit fortis Dei miles Ioannes Franciscus Regis, qui, accinctus robore et in spiritu ambulans, calcatis desideriis carnis et passionibus huius temporis fortiter toleratis, per tribulationes ac contumelias, per labores et angustias, in orationibus, in ieiuniis, in vigiliis ad montis evasit fastigium, aspiciens in auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta.

§. 1. Dignus proinde cui Sanctorum honores decernantur,

Nos autem, quibus superna dignatione commissum est fidelem Dei plebem in viam salutis dirigere, B. Dei Servum, qui ad locum latitudinis per labores et angustias transivit, qui ad coelestem patriam per huius mortalis vitae tribulationes et aerumnas pervenit, in Sanctorum numerum solemniter, veteri ex more et instituto Romanae Ecclesiae, hodierna die adscripsimus, ut eius propositis virtutibus, et apud Deum suffragantibus precibus, per merita unius divini Mediatoris Iesu Christi nostra adiuvetur infirmitas, excitetur spes, roboretur fides, accendatur charitas. Itaque B. Dei Servi, qui in coelis iam a Deo coronatus est, triumphum in terris spirituali laetitia exsultantes in Domino celebremus; sed ita celebremus, ut eius labores, fidem, charitatem, sancteque res gestas intueamur. Celebremus ergo triumphum, laudemus victoriam, ut illius amemus virtutes, ut laboriosam vitam sanctamque conversationem, quam breviter populis, pro Nostro pastoralis sollicitudinis officio, annuntiamus, sedulo imitemur, et illius exemplo dirigatur via nostra in conspectu Domini. Angusta est, spinosa est, dura est; sed talibus, tamque multis transeuntibus, lenis facta est. Transiit prior ipse Dominus, transierunt Apostoli intrepidi, postea Martyres, pueri, mulieres, puellae; transiit novissime B. Ioannes Franciscus; eius ergo non timeamus laboriosam vitam sequi, si eius praemium cupimus, si locum, si patriam desideramus.

et cuius triumphum fideles celebrent, et insignes virtutes imitentur.

§. 2. Ortus eius, pueritia, adolescentia sancte traducta.

Ioannes Franciscus Regis, pueritia inter suos mira innocentia exacta, positaque opera ediscendis primis linguae latinae rudimentis, in oppidulo Galliae Narbonensis, cui nomen Fons

Coopertus, ubi pridie kal. Februarii anno MDXCVII natus est, Biterras mittitur, ut in Gymnasio Societatis IESU studiorum cursum absolveret. Enituit statim inter aequales eximia adolescentis virtus; nam otium et improborum consuetudinem veluti pestem declinans, non vetitis modo voluptatibus, sed etiam iuvenilibus ludis abstinuit, et quod a litterarum studio supererat temporis, fundendis ad DEUM precibus, piis legendis libris, serendis de DEO divinisque rebus sermonibus, visitandis templis Sanctorumque memoriis impendebat.

§. 3. Sub B. Virginis tutela baptismalem innocentiam et virginitatem illibatam custodit.

Ut vero nec illecebris caperetur saeculi, nec diaboli superaretur insidiis, nec demum pravis commoveretur exemplis, sed partam baptismo gratiam et illibatum virginitatis florem servaret, Virginem MARIAM Matrem Domini pio semper coluit affectu, ut hinc sumeret exempla vivendi, ubi tamquam in speculo species castitatis et forma probitatis refulget. Nam potenti Matris DEI apud aeternum Filium Redemptorem nostrum patrocinio confisus, minime dubitabat a DEO impetraturum, ut currenti sibi per arduas virtutum semitas id, in quo humana conditio ab infirmis viribus suis destituta languescit, superna DEI gratia sufficeret, et quod non posset infirmitate humana, assequeretur virtute divina.

§. 4. Devotio erga Angelum custodem, cuius ope a vitae discrimine liberatur.

Angelum quoque sui custodem religioso cultu prosecutus est, ad beati spiritus clientelam eo fidentius confugiens, quod certo sibi persuaserat, se a DEI offensa et aeterno animae interitu illius coelesti opera et internis monitis, divina annuente misericordia et Christi adiuvante gratia, liberatum iri, quia casu quodam, qui ei adhuc puero contigit, plane compertum habebat sancti Angeli tutelaris praesidio se ab instanti mortis periculo ereptum fuisse.

§. 5. Zelo erga sodales proludit adolescens apostolicis missionibus.

At enim probo adolescenti non satis visum est DEUM colere, Deiparam aliosque Sanctos pie venerari, et, florentis aetatis et mundi calcatis blanditiis, toto animo sectari virtutem, nisi etiam plures ex sodalibus suis raperet ad DEUM, quem ex toto corde et tota mente sua amabat. Itaque alios a iuvenili licentia vel noxia levitate abduxit, alios ad virtutem impensius sequendam invitavit, ex omnibus sex electis, quibuscum, praescripta sibi vivendi forma, ab ea, quae a Clericis in Seminariis servari solet, non dissimili, sanctum sodalitium pietatis inivit. Talibus praeclarae virtutis initiis prolusit ad apostolicum sacrarum missionum opus, iam tum in omnibus iuvenilibus actibus praediscens DEUM solum quaerere, et saluti animarum procurandae intentam mentem et devotum DEO pectus habere.

§. 6. Societatem IESU ingreditur atque omni virtute refulget.

Decimum et nonum aetatis suae annum agens Societatem IESU ingressus est, ubi, numquam interrupto cursu, per altas christianae perfectionis semitas ad DEUM contendens, humilitate, odio sui, contemptu mundi, paupertatis amore, orationis assiduitate, divinaeque gloriae studio, caeterisque christianae religionis virtutibus, iis ipsis, a quibus in pietatis decurrendo stadio institui quaerebat, admirationi atque exemplo fuit.

§. 7. In scholarum ministerio discipulos ad sanctitatem incendit.

Postea autem, demandato sibi humanas litteras edocendi munere, teneros adolescentium animos non tam litterarum scientia quam pietate in DEUM imbuendos curabat. Itaque saepe de diligendo DEO, de obeundis christianae vitae officiis, fugiendoque

peccato, et privatim et publice cum discipulis sermonem habebat: quaeque in scholis ex ethnicorum libris explicari solent, quaeque ab adolescentibus scribi tractarique, exercitii causa, consueverunt, huc referebat omnia, ut eorum animos, non modo eruditione excultos, sed etiam probos sanctosque efformaret. Quod tam diligenti cura et tam uberi fructu per septennium explevit, ut eius discipuli a caeteris gravitate morum vitaeque innocentia discernerentur.

§. 8. Sacerdotio initiatus, iuvandis mortalibus se totum tradit.

Ad Sacerdotii sublime fastigium, prae animi modestia reluctans atque invitus, Superiorum iussu ascendit. Sacerdos autem factus, cogitans quo modo Deo placeret, cum plane intelligeret nullum certiorem gradum ad Dei amorem esse, quam hominis erga hominem charitatem; totum se sublevandae egentium inopiae et procurandae animarum saluti devovit.

§. 9. Praecipue vero pauperum curam gerit.

Nemo hominum erat quem ampla eius non complecteretur charitas; potissimam tamen pauperum curam gerebat, sequens Christi Domini exemplum, qui, ut humanam superbiam retunderet, cum ad sanandum reguli filium, illius domum rogatus ire noluisset, ad centurionis servum, non invitatus, ire paratus fuit. Ita eius Servus, spiritu Dei plenus qui super humiles requiescit et humilibus dat gratiam, vili atque humili plebi se praebebat, et pauperibus magisque indigentibus ferebat auxilium, spectabatque in hominibus imaginem qua ad Dei similitudinem facti sunt, et pretium magnum quo redempti sunt, non autem honores et divitias et pompas et vanitatem saeculi.

§. 10. Admirabilis erga calamitosos quoslibet amor, praesertim erga desertos ab omnibus et graveolentes aegros.

Intimis igitur animi sensibus et totis charitatis visceribus, cum pauperum angustias cerneret, commovebatur; nullum genus erat calamitatis quod non sublevaret; nullus aeger cui non succurreret; nullus miser cui opem non ferret; alios verbis consolabatur, aliis opere subveniebat. His natum, atque inserviendis addictum se putabat; his diurnam nocturnamque operam in ergastulis, in nosocomiis, in eorum casis praestabat; duos praesertim aegrotos, seu potius hominum cadavera, quae foeditate morbi et male olenti odore omnes a se averterant, ipse adivit, solatus est et omni officiorum genere fovit; miracula ipsa et prodigia fere non in aliorum quam in pauperum gratiam atque in miserorum auxilium patrare videbatur.

§. 11. Baiuli instar onera ad egenos publice portat.

Despectis insolentis vulgi ludibriis et puerorum exsibilationibus, visus est per mediam urbem et confertas populo vias ire, onustus stramentorum fascibus, quos emendicando paraverat, ut aegrotantibus egenis lectum sterneret.

§. 12. Mirae ad eos sublevandos industriae.

Cessante commercio, cum languescerent artes, et artificibus nihil valeret industria ut se suamque familiam alerent, eorum opificia ad divites mercatores ferebat, eosque exorabat ut aequo pretio emerent. Puellis, quarum res domi angusta erat, ne egestate opprimerentur aut corrumperentur otio, ipsa opera feminei artificii facienda quaerebat, ut laboribus suis viverent, nec aliis oneri, nec sibi detrimento atque exitio essent.

§. 13. Captivis, viduis, pupillis succurrit, vere miserorum omnium pater.

Ostiatim stipem emendicabat, ut deinde collectam ad alendos pauperes et sustentandos carcere inclusos distribueret. Pupillorum et viduarum causas apud Iudices strenue tuebatur, ne divitum potentia oppressi, vel improborum fraude circumventi, da-

CLEMENTIS XII **16 Iun. 1737**

mnum atque iniuriam acciperent; itaque miserorum perfugium, pupillorum tutor, viduarum defensor, esurientium cibus, calamitosorum spes, aegrorum solatium, communis omnium parens erat, atque ab omnibus vulgo appellabatur.

§. 14. Peste infectis ministrat.

Montem Falconensem oppidum, vicinaque loca, quo ad hibernas missiones, ineunte anno MDCXL, advenerat, atrox pestilentia invaserat; omnium qui erant contagioso morbo correpti curam alacris suscepit, contemnens praesentis mortis periculum, cui vivere Christus erat, mori autem lucrum.

§. 15. Saeviente fame, pauperum greges, frumento etiam ter per miraculum multiplicato, alit.

Anicii, gravi saeviente fame, ingentes pauperum greges pauper ipse, sola Dei providentia confisus, alendos suscepit, et subsidiis undique industriosa charitate et pia sollicitudine corrogatis, ter etiam multiplicato per miraculum frumento, sustentavit. Siquidem renovavit benignissimus Deus per manus Servi sui prodigia Eliae in multiplicatione frumenti, quod in alimoniam pauperum, in summa illa caritate annonae, feminae custodiendum tradiderat. Nam Servo Dei iubenti ut pauperibus distribueret, respondit illa arcam iam frequentibus largitionibus exhaustam fuisse; iussa autem inspicere, imperioque parens, frumento exundantem invenit; nec id semel, sed iterum ac tertio contigit.

§. 16. In his misericordiae officiis eo potissimum spectabat, ut animabus consuleret.

Sed quoniam perfecta dilectio, quae ab amore Dei proficiscitur, agit quidem quantum potest, atque etiam supra id quod potest, ut proximus salvus corpore salvusque animo sit, sed curam corporis ad sanitatem animi refert; ideo B. Dei Servus curabat ut per temporalia subsidia homines ad Deum traheret, et per corporalem alimoniam coelesti evangelicae doctrinae cibo reficeret.

Quare Anicii ter quaque hebdomada omnes in ecclesia convocatos erudiebat, saepe numero eorum audiendis confessionibus noctes prorsus traduxit insomnes; tanto enim animi studio et charitatis ardore eorum invigilabat saluti, ut nullos labores, nulla vitae incommoda sentiret.

§. 17. Ardens divini honoris et salutis animarum studium.

Numerosa semper pauperum turba, ubicumque degeret, stipatus erat; moleste atque inurbane in eum irruentes, suavi excipiebat benignitate et admirabili ferebat patientia. Aliorum sublevans corporis angustias, aliorum sanans animae infirmitates, nullum a se, si minus temporali succurrere posset, spirituali auxilio destitutum praeteribat: sui enim oblitus id unum prae oculis habebat, ut omnes Christo lucrifaceret. Haec erat omnium votorum et cogitationum suarum summa, regnum Christi amplificare, Dei gloriam et hominum salutem promovere; ideo quandoque dicebat, se nequaquam recusaturum coeli deliciis serius frui, si ea dilatione sibi concederetur ut plures ad Dei agnitionem amoremque perduceret.

Coelestem gloriam sibi differri non renuit, ut plures Christo lucrifaciat.

§. 18. Nullus ab eius zelo vacuus locus.

Quare id unum diu noctuque propositum habebat, id vigili cura, insomni studio ardentique charitate curabat in urbe, in agris, in templis, in foro, in custodiis publicis, in nosocomiis, in privatorum aedibus, in eo demum, quod poenitentibus mulierculis exstruxerat, coenobio, ut bonos inflammaret ad virtutem, scelestos et improbos revocaret a vitiis, curaret languidos, foveret tepidos, sanaret infirmos, sanos validosque ad currendum in via Domini impelleret.

Coenobium pro mulierculis poenitentibus exstruit.

§. 19. Fortitudo in adversis.

Vitiis bellum indixerat, et quietem, famam vitamque ipsam parvi pendens, neque laboribus, neque an-

gustiis, neque minis, neque metu, neque ulla periculorum denuntiatione retardabatur, quominus in discrimine aeternae salutis versantibus accurreret, flagitiosos homines a peccatis revocaret, perditae famae profligataeque pudicitiae mulieres e turpitudinum coeno educeret, orbas parentibus puellas, quarum pudicitia periclitabatur, in tuto collocaret; saepe a flagitiosis hominibus multis obrutus iniuriis, atque etiam verberibus graviter caesus, dum a luporum rapacium manibus innoxias vel infirmas animas abstrahere conatur; saepe ab improbis nebulonibus deceptus, et contumeliis atque opprobriis vexatus, dum quasi ad moribundi confessionem audiendam per iocum ac ludibrium evocatur; numquam tamen fieri potuit ut nocturnam morientibus operam, etiam cum suo gravi damno et detrimento coniunctam, praestare omitteret, aut ut in procuranda animarum salute remissius ageret, aut ut egentibus atque aegrotis opem per se ipsum, si necessitas urgeret, cunctantius afferret. Quippe bene redemptam existimabat quolibet suo famae vel capitis periculo quamcumque opem atque auxilium, quod hominibus, vel inopia vel infirmitate afflictis, vel de animae salute periclitantibus, ferre posset.

Ludibria, contumelias, verbera, plagas et omnis persecutionis genus invicto animo superat divini honoris causa.

§. 20. Calicem Christi, aemulus Apostolorum et Martyrum, bibit in tantis aerumnis.

Biberat enim calicem divini amoris, de quo ait Propheta: " Calix tuus inebrians, quam praeclarus est, „ et inebriatus fuerat ab ubertate domus eius. Hoc enim calice inebriati, ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati; hoc inebriati Martyres, laeti euntes ad tormenta, ad leones, ad gladios, ad flammas, ad necem, non agnoscebant uxores flentes, non filios, non parentes, non amicos; hoc inebriatus B. Dei Servus Ioannes Franciscus, non labores, non angustias, non dolores, non contumelias, non infamiam, non mortem ipsam videbat; sed omnia terrena bona fluxa et caduca parvi faciens, nihil erat tam arduum, tam difficile, tam laboriosum, tam cum vitae et mundani honoris discrimine coniunctum, quod non ultro laetus et alacris pro Dei gloria et animarum salute aggrederetur; in omnibus exhibens se ipsum sicut Dei ministrum in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate. Mirum dictu est, quot procellis iactatus, quot probris exceptus et maledictis laceratus, quot iniuriis et contumeliis appetitus, quam saepe conspersus luto, in coeno conculcatus, verberibus contusus, plagis pene ad mortem usque vulneratus fuit. Mansit invictum ad mundi procellas evangelicum sacerdotalis pectoris robur, et domum, quae aedificata fuerat supra firmam petram, nec furentes improborum turbines, nec violenti tribulationum fluctus prostravere; mens in pietate solida, in fide firma, Deo devota, non victa est tentationibus aut periculis, sed probata.

§. 21. Maxillam unam percutienti, alteram praebet; strictis gladiis nudum pectus offert.

Maiori enim semper animo et erectiori mente, primis superatis aut laboribus aut periculis, ad nova imperterritus pro Dei gloria veniebat. Itaque, edoctus magisterio dominico, saepe unam percutientibus maxillam, alteram laetus exhibuit; minantibus stricto gladio necem, vel caput obtulit, vel pectus aperuit, sciens animam, qua diligebat Deum, mori non posse, nisi ab ipsa Dei dilectione, ob quam mors intentabatur, cessaret; si quis illius vicem doleret, corripiebat,

Admiranda charitas erga inimicos.

admonens eum ignorare quantum in tolerandis pro Christo opprobriis voluptatis inesset. Sed, qui propriis non movebatur malis, aliena sorte moerebat, miserans adversariorum caecitatem, furorem excusans, calamitatem deplorans, et fervidis ad DEUM precibus pro eorum salute deprecabatur; atque ita, quemadmodum servi DEI solent, se de suis inimicis ulciscebatur, ut cuiusque animum, quo magis sibi experiretur infensum, eum maioribus demulceret officiis charitatis.

§. 22. Ardentissimus amor DEI. Deum videns offensum, defectus etiam animi patitur.

Etenim una erat eius animi sollicitudo, una cura, una cogitatio, ne DEUS peccatis hominum offenderetur; ideo, cum id vel audiret vel videret, maxime si prohibendi facultas nulla superesset, intimo doloris sensu urebatur, ut ex oculis lacrymae, e pectore suspiria prorumperent, et interdum prae doloris magnitudine pene animo deficeret, ut recte cum Sancto Davide exclamare posset: " Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. "

§. 23. Nihil cogitat, nihil loquitur, nihil quaerit, nisi DEUM.

Plena enim et integra charitate in DEUM flagrabat, DEUM menti praesentem ubique habebat, que massidue in corde gestabat, neque ab eius suavissimo complexu ulla re avellebatur; nullus illi erat sermo, nisi de DEO divinisque rebus; DEUM in prosperis laudabat, ad DEUM confugiebat in adversis, eum consulebat in dubiis, in eo omnes delicias et voluptates, omnem consolationem et gaudium, quod non datur impiis, collocatum habebat.

Orandi studium, Eucharistiae cultus.

Magnam noctis partem orans transigebat, quando poterat in ecclesia coram Sacrosancta Eucharistia; immaculatam hostiam quotidie DEO immortali offerebat, ea coelestis suavitatis dulcedine, eo fervore charitatis, ut pene a sensibus alienatus videretur.

§. 24. Corporis austeritates asperrimae, praeter labores assiduos.

Rebellantis carnis motus salutari poenitentiae disciplina obterendi sunt, et terreni corporis infesta labes spirituali vigore calcanda est. Ut igitur caro, quae concupiscit adversus spiritum, omni terrenae infirmitatis pondere deposito, ad DEUM anhelantem spiritum sequeretur, Servus DEI, caeteris omnibus suavis et mitis, uni sibi asper sancteque inimicus, corpus domabat asperrimo cilicio, cruentis flagellationibus, brevi somno eoque super nuda tabula aut humi capto, aquae potu, vilique et modico cibo, quo mortem arceret potius quam famem pelleret, se, ut DEO viveret, sustentabat;

Nihil umquam alienum a perfectione in eo notatum.

itaque omnes animi motus adeo compositos atque in sua potestate habebat, ut nullus umquam in eo observatus fuerit, qui ad exactam christianae perfectionis regulam non conveniret. Numquam de se suisque rebus in gloriam DEI et proximorum salutem gestis verba faciebat; gratulantibus autem de tot pertinacibus haereticis conversis ad fidem, et innumeris peccatoribus ad poenitentiam traductis, modeste respondebat; " Non ego, sed DEUS. "

§. 25. Profunda humilitas.

Honore ab aliis affectus et laudibus ornatus, vehementer dolebat et graviter tristabatur laudem sibi tribui, quae DEO soli deberetur; palam dictitans, si probe notus esset ac pro merito tractaretur, se praetereuntium pedibus, ut vilissimum omnium mortalium, proculcatum iri. Nam ex veracissima divinae magnitudinis et humanae parvitatis agnitione, et abiectissimae filiorum Adam conditionis intuitu, in se ipso, quod suum erat contemnens, et omne datum optimum et omne donum perfectum desursum esse cognoscens, persuasum habebat nullam esse infamiam aut iniuriam

CLEMENTIS XII

16 Iun. 1737

quam non promeruisset; ideo, si quispiam eum, ut saepe contigit, alapis aut verberibus pessime acciperet: " Gratiam habeo, inquiebat; pro certo habe, me pluribus dignum esse. „

§. 26. Mansuetudo, benevolentia, modestia plane angelica.

Mansuetus, mitis et beneficus erga omnes, angelicam quamdam modestiam in verbis, incessu, vultu totiusque corporis habitu prae se ferebat, ut spectantium animis reverentiam, et venerationem sui, et amorem virtutis iniiceret.

§. 27. Incensa pro Deo patiendi desideria.

Divinus enim amor, intus latens in pectore, transiverat in decus corporis, et internam sanctitatem externa prodebant signa virtutum. Profecto amorem erga Deum et animatam charitate fidem sanguine suo testatam facere, et vitam ipsam pro Deo profundere ardentissime cupiebat; ut ei non defuisse credendum sit coronam martyrii, cui animus patiendi non defuit. Nam praeter certa famae et capitis pericula, quae pro Dei amore libenter atque ultro subivit, non semel dicere auditus est: " Quid mihi optatius, quam pro Christo mori? „ Et ad Canadensem missionem, ut mortem pro Christi nomine oppeteret, proficisci voluit, sed altissimo divinae Providentiae consilio ei concessum non est, ut suae gentis utilitati serviret.

Canadensem missionem instanter petit ex cupiditate martyrii, cuius ei corona non defuisse credenda est.

§. 28. Missiones in Gallia maxime arduas decennio obit.

Quippe ultimos decem vitae annos in sacris peragendis missionibus impendit, quorum sex primos, partim in inferiori Occitania, partim in Vivariensi Valentinaque dioecesi, novissimos autem quatuor in restituenda stabiliendaque apud Velaunos, Vivariensibus finitimos, pietate collocavit. Anicii autem, quod provinciae caput est, aestivum tempus traducebat; hieme vero agebat in circum positis urbi locis, cum, frigore et nivibus ab agrorum cultura coloni impediti, in suis tuguriis et mapalibus otiantur.

§. 29. Ratio vitae plane apostolica in iis obeundis.

Modus autem ac ratio vitae, quam sibi ab initio constitutam ad finem usque in missionibus constanter servavit, huiusmodi erat. Horas non nisi binas, vel ad summum ternas somno concedens, reliquam noctis partem meditando, precando concionesque parando impendebat. Ubi ad destinatum locum pervenerat, imbre licet madidus aut nive perfusus, itineris lassitudine et labore confectus, divini auxilii exposcendi causa, recta se ad ecclesiam conferebat; quam si clausam reperisset, prae foribus in genua provolutus, vel humi prostratus, Deum tanta spiritus contentione orabat, ut nec vi frigoris, nec ubertim quandoque cadentibus nivibus, a piis cum Deo colloquiis avocaretur. Postridie summo mane ecclesiam ingressus, obvia familiarique oratione aliquod doctrinae christianae caput explicabat; operam deinde dabat peccata confitentibus; mox dicebat ad populum, apostolico zelo et animi contentione vitia exagitans, impellensque ad virtutem: quo peracto, sedebat rursus in sacro poenitentiae tribunali, quoad, oblato divinae hostiae Sacrificio, matutinum tempus clauderet. Pomeridianum transmittebat erudiendis pueris, visitandis aegris, pauperibus sublevandis, sedandis litibus, et dissidentibus in mutuam gratiam reducendis. Sub vesperam iterum concionabatur, confitentes subinde audiebat ad multam noctem, adeo ut saepe adhuc ieiunum a sacro tribunali Parochi vel populi ipsi veluti per vim avellerent.

§. 30. Sermo eius et praedicatio in ostensione spiritus et virtutis.

Sermo et praedicatio eius non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. Nam simplex quidem, incom-

pta et popularis oratio; sed verbis inerat quaedam occulta vis, et coelestis gratiae virtus, quae audientium corda penetrabat, et eorum mentes atque animos, sive ad fugiendum vitium, sive ad amplectendam virtutem facile impellebat. Accedebat actio ipsa vehemens et zelo Dei incensa, voxque mire ad movendum efficax, ardoris nempe et suavitatis plena, et, quod longe maius est, constans atque firma apud omnes opinio verae, non adumbratae virtutis, cui respondebant habitus oris ad modestiam et humilitatem compositus, sancta sine fuco simplicitas, poenitentiam prae se ferens et paupertatem, omnia demum coelestem quamdam spirantia sanctitatem, quae aspectu ipso commovebant animos et ad Dei amorem rapiebant.

§. 31. Incredibilis ad eum audiendum omnis generis hominum concursus.

Hinc incredibilis fiebat ad eum auscultandum, sive ex aequo sive e superiore loco de rebus divinis dissereret, hominum concursus cuiusvis generis, cuiusvis conditionis, cuiusvis aetatis; ipsique adeo haeretici, virtutis admiratione capti, catholicorum ardorem quodam modo aemulari et vincere certabant.

§. 32. Innumeros peccatores et pertinaces haereticos convertit.

Difficile est hominum inire numerum, quos, vel ab omni genere flagitiorum ad bonam frugem reduxit et in ea confirmavit, vel ab haeresi ad Ecclesiae Catholicae sinum revocavit; et quod mirabilius est, plures catholicos adversus ipsum pessime animatos, et hostili odio incensos, pluresque calvinianos in suis erroribus pertinaces, et quorum conversionem frustra alii catholici dogmatis doctores aggressi fuerant, paucis ipse verbis, sceleribus erroribusque ereptos, christianae virtuti catholicaeque veritati restituit.

Mores ubique correcti.

Itaque ubicumque evangelici seminis serendi causa per aliquod tempus degerat, conspiciebantur compressa odia, exstincta dissidia, expulsa impietas, debellata impudicitia, haeresis multorum animis evulsa, perditissimis etiam mulieribus inspiratus amor castitatis, restitutus Sacramentorum usus, pueri et maioris aetatis homines in christiana doctrina rite instituti, mores omnium immutati et ad christianae pietatis regulas conformati: tales erant eius laborum et apostolici zeli fructus, talia eius sanctitatis et evangelicae praedicationis illustria monumenta.

§. 33. Rusticos per montes, per sylvas, per avia latibula perquirit studiosissimus animarum venator.

Sacro autem verbi ministerio primum per aliquot dies diligentem navabat operam in oppido vel pago, qui totius regionis tractus, hominum frequentia et loci quadam dignitate, princeps quodammodo erat; deinde curas et labores suos ad loca vicina conferebat. Nullus erat locus tam incultus, tam agrestis, quo sua eum charitas non propelleret: per vias situ aspectuque horridas, per aperta vitae pericula, rusticos in sylvis et montibus, in suis mapalibus seu potius latibulis sparsim degentes, studiosissimus animarum venator, pedes semper, et ieiunus ut plurimum vel modico cibo refectus, investigabat, quos erudiret, quos solaretur, quos omni ope sublevaret; exemplo evangelici pastoris, qui, relictis nonaginta novem, vadit ad ovem quae perierat, donec inveniat eàm, et si invenerit, eam suis humeris imponit gaudens, et ad ovile reducit.

§. 34. Asperitates et pericula difficillimorum itinerum.

Quaerens igitur deperditas oves, ibat anxius et sollicitus, actus impetu divini amoris indefesso cursu per ardua et immania quaeque tendentis; iter faciebat per invia plerumque nemora, per abrupta montium asperrimorum iuga, per duratam frigore

glaciem, per congestas vel solutas stagnantesque exundantibus aquis nives, per densissimos imbres, procellososque hiberno coelo ventos, per angustos tramites praecipitiis vallatos, per quos manibus pedibusque reptare nonnumquam cogebatur: nihil est enim tam durum atque ferreum, quod non amòris igne vincatur.

§. 35. Maximi propterea labores.

Nullis igitur deterritus incommodis, nullis retardatus periculis, saepe per ignotos calles recta deerravit via, saepe in desertis mapalibus imbri et frigori apertis pernoctavit, saepe cum rerum omnium inopia conflictatus est.

Fracto etiam ex lapsu per glacies crure, ire pedes pergit, nec missionis labores intermittit. Nullo quaesito humano remedio, crus divinitus sanatur.

Arduum aliquando montem superare aggressus, errante per glaciem et nivem vestigio, ita corruit, ut crus frangeret; baculo tamen innixus et a socio sustentatus, seu potius divino fretus auxilio, continuavit iter, et cum ad locum, quo tendebat, pervenisset, humanis deficientibus remediis, crus divinitus sanatum est, et obducto callo mirabiliter coaluit. Viribus interdum adeo fractus erat, ut pedibus consistere non posset: non semel contigit ut, e suggestu descendens, animo linqueretur; sed nullo frangebatur labore, nullo commovebatur periculo, omni spe ac fiducia in Deo reposita, quaecumque temporum, locorum negotiorumque facies esset, eumdem oris habitum quietum et serenum prae se ferebat, et tranquillissima animi Deo inhaerentis dulcedine fruebatur. Placebat sibi in infirmitatibus suis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo; cum enim infirmabatur, tunc potens erat, coelestibus affluens deliciis, quibus servos suos benignissimus Deus consolari solet.

Nullo umquam quantumvis gravi periculo commovetur.

Coelestibus deliciis affluit.

§. 36. Postrema missio

Lalovesci; suam antea mortem praedicit.

Itaque post evangelicae doctrinae semen in multis locis disseminatum, missionem Lalovesci, ignobili Viennen. dioecesis pago, in horridis Helviorum montibus posito, ultimis Adventus Dominici diebus habendam indicit, quam sibi fore postremam, Deo docente, praedixit. Intolerabilis tunc, adulta iam hyeme, erat vis frigoris, et inexplicabilis viarum difficultas inter inaccessos montes, nivibus ac glacie coopertos vallibusque difficillimis interiectos, superanda occurrebat; nihilominus, Dei Nomine invocato, in viam se dedit.

§. 37. Ex itineris incommodis, dolore lateris et acuta febri corripitur.

Ad caeteros durissimos illius itineris casus accessit, quod recta deerrantem via, cum nox supervenisset, et nemo eum hospitio acciperet, in derelicto tugurio, ventis ac nivibus pervio, intempestam et perfrigidam noctem ducere necesse fuit. Et quoniam sudore madidus ob laborem itineris constiterat, concrevit aspero frigore constrictus sanguis, et lateris dolore gravissimo simulque acuta febri correptus est. Sed super omnem doloris acerbitatem, super omnem laboris magnitudinem et poenarum angustias, ferventis amoris vi in Deum raptus, trahensque secum terrenum corporis pondus, liber et admirandus supervolitavit animus pennis pulcherrimis et integerrimis, quibus ad Dei amplexum amor castus innititur.

§. 38. Missionem nihilominus aggreditur, et de more continuat.

Pervenit Lalovescum, ubi Deum solum quaerens, ad coelestia sola aspirans, nullo cuiquam verbo de infirmitate corporis facto, concionem habuit ad frequentem populum e vicinis montibus collectum, in qua labentis corporis imbellicitatem amantis animi fervor et apostolicus sacerdotalis pectoris vigor sustinuit. Inde, nullo sumpto ad respirandum spatio, poenitentes, confessionibus tota die auditis, Deo reconciliavit. Postridie erat Nata-

CLEMENTIS XII

16 Iun. 1737

Perstat in arduo evangelizandi pauperibus labore, nequidquam reluctante gravi morbo.

lis Dominici dies: licet deterius semper se haberet, ter ad populum verba fecit, et reliquum temporis in sacro tribunali sedit. Idem fecit insequenti die, donec exhaustis prorsus viribus et animo deficiente, humanae conditioni cedere coactus, concidit. Vix post quartam horae partem spiritu recepto, confessiones audire perrexit, ad focum assidens in domo Parochi, quo fuerat a rusticis deportatus; sed cum iterum animo linqui coepisset, in lecto repositus est, ubi totius ante actae vitae sacram exomologesim, quam paucos dies ante peregerat, iterum fecit. Postea, ingravescente morbo, ut summam Christi nascentis humilitatem paupertatemque, quam totius vitae tempore impense dilexerat, in ultimo vitae actu exactius ac diligentius imitando exprimeret, in stabulum deferri precatus est; sed ne citius deficeret, iussus lecto se continere, ibi Sacrosanctae Eucharistiae viatico et Extremae Unctionis Sacramento munitus, dextera Crucifixi imaginem tenens, et ad coeleste regnum et immortalis gloriae coronam a Christo Domino et Virgine MARIA invitatus, qui se videndos ei praebuerunt, anima Divino Salvatori commendata, inter pauperum et rusticorum turbas, quibus iuvandis et erudiendis omnem vitam suam ac labores impenderat, hilari ac sereno vultu spiritum DEO reddidit circa mediam noctem ultimae diei exeuntis anni MDCXL.

Exhaustis denique viribus, decumbere cogitur; ad stabulum deferri postulat.

Sacramentis omnibus rite munitur. IESUS et MARIA videndos ei se praebent et ad gloriam coelestem invitant. Inter dilectos sibi pauperes ac rusticos dulcissime moritur.

§. 39. Densa statim agmina montanorum cum Parochis duobus et viginti undique occurrunt.

Ut vero DEI Servus ex hac mortali vita decessit, una omnium vox fuit, sanctum obiisse; et quamvis rigidissimum anni tempus vias faceret impeditissimas, tamen ad hanc vocem, quasi in vicinis locis omnibus ac montibus exaudita fuisset, duo supra viginti Parochi, et tam densa convenere montanorum agmina, ut, propter infinitam populi multitudinem concurrentem ad videndum et osculandum defuncti corpus, differri in alium diem funus oportuerit.

§. 40. Ob eius sepulcrum Lalovescus, ignobilis antea vicus, miraculorum frequentia nobilitatur.

Postmodum, percrebrescente sanctitatis eius ac miraculorum fama, Lalovescus, exiguus antea vicus paucis tum constans casis et tuguriis, coepit incolis frequentari, et quotannis redundare ingentibus advenarum catervis, eo per asperrimos montes confluentium ad beatos apostolici viri cineres venerandos, et opem eius in variis morborum et calamitatum generibus implorandam.

§. 41. Acta canonizationis. Processus Ordinarii Anicii.

Itaque a bonae mem. Armando de Bethune, Anicien. Episcopo, auctoritate ordinaria anno MDCLXXVI confectus est processus super vita et miraculis Servi DEI.

§. 42. Romae signata commissio causae.

Processus apostolicus de non cultu.

Duobus supra viginti postea annis elapsis, die vigesima quinta Ianuarii signata est commissio introductionis causae. Datis subinde litteris remissorialibus ad conficiendum novum processum auctoritate apostolica super non cultu, eoque ad Urbem transmisso, eiusque validitate recognita, die trigesima prima Iulii anno MDCC approbata fuit sententia lata ab Archiepiscopo Viennen. super cultu non exhibito iuxta decreta fel. rec. Urbani Papae VIII, praedecessoris Nostri.

§. 43. Processus apostolici de virtutibus et miraculis.

Impetratis subinde litteris tam remissorialibus quam compulsorialibus, eidem Archiepiscopo Viennen. et Episcopis Anicien. et Valentinen. directis, quorum in dioecesibus diu versatus est DEI famulus, ut de virtutibus illius ac miraculis nova haberent testium examina, et novos auctoritate apostolica processus conficerent; quibus itidem Romam missis diligenterque expensis, post diu-

Clemens Papa XI decernit

CLEMENTIS XII 16 Iun. 1737

constare de virtutibus heroicis.

turnum et accuratum examen habitum in pluribus Congregationibus venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum, tam super validitate processuum quam super virtutibus Servi Dei; demum piae mem. Clemens Papa xi, praedecessor Noster, die vigesimo septimo Martii anno MDCCXII, auditis antea in generali sacrorum rituum Congregatione S. R. E. Cardinalium sententiis, declaravit Ioannem Franciscum de Regis tres virtutes theologales, quatuor vero cardinales in gradu heroico exercuisse.

§. 44. Testantur amplissime multitudinem miraculorum, episcopi Viennen., Anicien. et Valentinien.

Placuit deinde aggredi examen miraculorum, de quibus idem Archiepiscopus Viennen., biennio ante datis, rogatu totius dioecesanae synodi, ad ipsum Summum Pontificem Clementem xi praedecessorem Nostrum litteris, testatus fuerat: idemque fecerant, missis ad eumdem praedecessorem Nostrum litteris, Episcopus Anicien. et Episcopus Valentinen. Iudices in causa delegati.

§. 45. Item Episcopi Galliarum plus quam viginti aliique gravissimi viri.

Quorum Antistitum gravissima testimonia confirmaverant viginti duo partim Archiepiscopi, partim Episcopi Occitaniae, quadraginta urbium legati, et universi optimates, quorum nomine ad eumdem Summum Pontificem praedecessorem Nostrum Archiepiscopus Narbonen. in generalibus provinciae comitiis scripsit.

§. 46. Clementis eiusdem xi decretum de miraculis.

Sed quoniam tot miracula non poterant propter multitudinem singula seorsim expendi, et multorum, variis de causis ut accidere solet, legitimae necessariaeque probationes vel deperierant vel haberi non poterant, nonnullis ex omnibus selectis, et in pluribus Congregationibus S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum per triennium discussis, duo, anno MDCCXV, idem praedecessor Noster Clemens xi decreto suo approbavit: miraculum scilicet repentinae liberationis Ioannae Mariae Peret monialis a diuturna inferiorum artuum ad motum impotentia, et hydrope tympanite; et miraculum instantaneae sanationis Ioannis Gasparis Montereymar Aniciensis ab enormi hernia. Et demum anno insequenti, die octava Maii, idem praelaudatus Pontifex, praedecessor Noster, Servum Dei Ioannem Franciscum in BB. Confessorum numerum solemni ritu adscripsit.

Beatificatio sub eodem Clemente xi.

§. 47. Nova post beatificationem miracula.

Ab illo tempore non destitit Deus pluribus miraculis sanctitatem Servi sui magis magisque testari, ut in eius gloriam erga eius fidelem Servum cultus et veneratio augeretur; etenim vere pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius, quando nec terra carnis, vita deserente, contemnitur, et, invisibili anima de domo visibili discedente, habitaculum servi cura Domini custoditur, et in gloriam Domini a conservis fidelibus honoratur.

§. 48. Novi de illis apostolici processus.

Itaque, novis apostolica auctoritate processibus in Gallia conscriptis de miraculis quae per intercessionem B. Ioannis Francisci post eiusdem beatificationem omnipotens Deus operatus est, septem examini sacrorum rituum Congregationis coram Nobis habitae propositis, duo, decimo nono die mensis Martii currentis anni, approbavimus, videlicet: primum instantaneae liberationis Mariannae Forget ab ingenita in infernis artibus ad motum impotentia, Tolosae in ecclesia Societatis Iesu, dum beatificationis solemnia peragerentur; secundum instantaneae sanationis Sororis Mariae Theresiae de Montplaisant, monialis professae in Monasterio Visitationis civitatis S. Amoris dioece-

Clementis Papae xii de novis miraculis decretum.

CLEMENTIS XII

16 Iun. 1737

sis Lugdunen. ab ingenti duritie seu tumore in ventre, acuta febri aliisque exitialibus symptomatibus morti iam proximae, nullo remanente morborum vestigio ac viribus in continenti receptis.

§. 49. Decretum eiusdem Clementis XII de canonizatione.

Denique, die quinto Aprilis, venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in generali sacrorum rituum Congregatione unanimi sententia suffragium ferentibus ad solemnem B. Ioannis Francisci canonizationem tuto deveniri posse, implorato prius a Patre luminum praesidio, solemniter decrevimus.

§. 50. Consistorium secretum Cardinalium coram eodem Summo Pontifice de more habitum.

Quod autem faciendum supererat, ut de praemissis omnibus ad universum S. R. E. Cardinalium collegium relatio fieret, in consistorio secreto diligenter peractum est a dilecto filio Nostro Antonio Felice tituli S. Praxedis Presbytero Cardinali Zondadario nuncupato, qui, suo et aliorum Cardinalium sacrorum rituum Congregationis nomine, B. Ioannis Francisci Regis fidei integritatem caeterasque egregias virtutes et miracula accommoda oratione exposuit, asserens omnia ex sacrorum canonum praescripto optime comprobata fuisse; proinde se collegasque suos censere ad ulteriora, si ita Nobis videretur, progredi licere, et B. Dei Servum in SS. numerum referri posse; quod caeteri omnes qui tunc aderant Cardinales, gravibus sententiis dictis, unanimes comprobarunt.

§. 51. Consistorium publicum.

Convocato deinde publico Consistorio, in quo dilectus filius Ioannes Ascevolinus, aulae Nostrae consistorialis Advocatus, pro eiusdem Servi Dei canonizatione eloquenter peroravit, ac nomine charissimi in Christo filii Nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi, et charissimae in Christo filiae Nostrae Mariae eorumdem Francorum Reginae Christianissimae eius coniugis, et quamplurium venerabilium fratrum Archiepiscoporum et Episcoporum regni Galliarum, ac potissimum provinciae Occitaniae, nec non dilectorum filiorum Magistratuum, Procerum et populorum eiusdem provinciae, ac totius insuper Ordinis Clericorum Regularium Societatis Iesu, ut ad eam deveniremus, humiliter supplicavit. Nos, rei gravitatem ac magnitudinem prae oculis habentes, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos ibidem praesentes omni animi contentione hortati sumus, ut orationibus, ieiuniis instantes essent, quo benignissimus Deus lucem suae claritatis super mentem Nostram effundere, et in voluntate sua dirigere dignaretur.

§. 52. Item semipublicum.

Deinde in semi publico Consistorio vocatis non solum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis praedictis, sed etiam Nostris et Sedis Apostolicae Notariis, Protonotariis nuncupatis ex numero participantium, ac palatii Nostri apostolici causarum Auditoribus de more praesentibus, quae opportuna et necessaria videbantur de eximia B. Ioannis Francisci sanctitate commemorata sunt; cumque omnes ad eius canonizationem deveniendum concordibus suffragiis censuissent: Nos, unanimi eorum consensu audito, aperuimus os Nostrum in benedictionibus, ac Dei nutum et voluntatem secuti, iustum et debitum esse censentes, ut, quos Deus honorat in coelis, Nos venerationis officio laudemus et glorificemus in terris, celebrandae canonizationis diem indiximus, cunctos adhortati ut, in orationibus, ieiuniis et eleemosynis perseverantes, Spiritus Sancti gratiam No-

CLEMENTIS XII

16 Iun. 1737

strae humilitati in tam alto negotio impetrare studerent.

§. 53. Canonizatio demum solemni ritu celebrata die festo Sanctissimae Trinitatis ab eodem Clemente XII.

Demum, peractis omnibus quae ex SS. Patrum auctoritate, canonicis sanctionibus, S. R. E. antiqua consuetudine ac novorum decretorum praescripto agenda et observanda erant, hodie, hoc est die festo Sanctissimae Trinitatis, in sacrosancta Lateranensi basilica, in quam solemni ritu cum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis supra dictis, nec non dilectis filiis Romanae Curiae Praelatis, Officialibus et Familiaribus Nostris, Clero saeculari et Regulari, ac maxima populi frequentia mane convenimus, post repetitas a dilecto filio Nostro Nereo S. R. E. Diacono Cardinali Corsino nuncupato, Nostro secundum carnem ex fratre germano nepote, per dilectum filium Thomam Antamorum, consistorialis Nostrae aulae Advocatum, praedictas instantias, quae dudum Sedi Apostolicae pro huiusmodi canonizatione porrectae fuerant, Nobisque a praefato Ordine Clericorum Regularium Societatis Iesu suppliciter porrigebantur, post sacros hymnos, litanias aliasque preces decantatas, ac Spiritus Sancti gratiam humiliter imploratam, ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae ac christianae religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, BB. Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita, et divina ope saepius implorata, ac de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistentium consilio et consensu, B. Ioannem Franciscum de Regis Confessorem, Sanctum esse decrevimus et definivimus, ac Sanctorum catalogo adscripsimus, prout tenore praesentium similiter decernimus, definimus et adscribimus; statuentes ab Ecclesia universali illius memoriam quolibet anno die vigesima quarta mensis Maii inter SS. Confessores non Pontifices pia devotione recoli debere, parique auctoritate omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui singulis annis dicta die vigesima quarta Maii ad sepulcrum, in quo eius corpus requiescit, visitandum accesserint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis, aut alias quomodolibet debitis, poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus et relaxamus in forma Ecclesiae consueta.

§. 54 Gratiarum actio.

His peractis, Deum Patrem aeternum, Regemque gloriae Christum Dominum, Patris sempiterni Filium, et Sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum unumque Dominum laudibus et confessionibus venerati, sacroque hymno Te Deum solemniter decantato, omnibusque Christi fidelibus tunc praesentibus plenaria omnium peccatorum suorum indulgentia et remissione concessa, propter corporales Nostras infirmitates affectamque valetudinem, senilemque aetatem, ab eadem Lateranensi ecclesia recessimus, remanentibus in ea venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, Archiepiscopis et Episcopis et universo Clero et populo, quibus praesentibus a venerabili fratre Nostro Thoma S. R. E. Cardinali Episcopo Praenestino, Ruffo nuncupato, tamquam Cardinali in ordine antiquiori, in ara maxima praefatae basilicae, ex indulto et de licentia Nostra solemniter Missa cum Sancti eiusdem Confessoris commemoratione celebrata est.

§. 55 Item gratias agit

Convenit autem ut Deum coeli benedicamus, et coram omnibus vi-

CLEMENTIS XII

Summus Pontifex.

16 Iun. 1737

ventibus confiteamur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam, agnoscamusque, non sine magna Dei providentia factum esse, ut hisce afflictis Romanae Ecclesiae temporibus, quibus maxime multiplici Sanctorum suffragio indigemus, novus hic suffragator et patronus fideli populo tribueretur.

§. 56 Preces per intercessionem huius Sancti.

Quam ob rem eumdem Patrem misericordiarum, qui humiles exaltat, humiliter deprecemur, ut per intercessionem S. Ioannis Francisci Ecclesiae suae pacem et tranquillitatem, Regibus et Principibus concordiam et unionem, schismaticis et haereticis agnitionem veritatis et salutis, miseris infidelibus catholicae fidei lumen largiatur.

§. 57 Transsumptis habeatur fides.

Caeterum, quia difficile foret praesentes Nostras litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus ut earum exemplis etiam impressis, manu tamen publici Notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

§. 58 Sanctio poenalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Ioannem in Laterano, anno Incarnationis Dominicae MDCCXXXVII, sexto decimo kal. Iulii, Pontificatus Nostri anno septimo.

✠ EGO CLEMENS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

✠ Ego Franciscus Episcopus Ostiensis. Card. Barberinus.

✠ Ego Petrus Episcopus Portuensis Card. Ottobonus.

✠ Ego Episcopus Sabinensis Card. S. Clementis S. R. E. Camerarius.

✠ Ego Ludovicus Episcopus Alnen. Card. Picus.

✠ Ego Petrus Episcopus Tusculanus Card. Corradinus.

✠ Ego Georgius tit S. Mariae in Transtiberim Card. Spinula.

✠ Ego Ludovicus tit. S. Priscae Card. Belluga.

✠ Ego Alvarus tit. S. Bartholomaei in Insula Card. Cienfuegos.

✠ Ego I. B. tit. S. Matthaei in Merulana Card. de Alteriis.

✠ Ego Vincentius tit. S. Petri ad Vincula Presb. Card. Petra, maior Poenitentiarius.

✠ Ego Nicolaus Maria tit. SS. Ioannis et Pauli Presb. Card. Lercari.

✠ Ego Franciscus Antonius tit. S. Sixti Presb. Card. Finus.

✠ Ego Fr. Vincentius Ludovicus tit. S. Pancratii Presb. Card. Gotti, Praedicatorum.

✠ Ego D. Leander tit. S. Callisti Presb. Card. de Porzia.

✠ Ego P. Aloysius Carafa Card. tit. S. Laurentii in Pane et Perna.

✠ Ego Franciscus Burghesius Presb. Card. tit. S. Sylvestri in Capite.

✠ Ego Vincentius tit. S. Petri in Monte aureo Presb. Card. Bichius.

✠ Ego Ioseph tit. S. Thomae in Parione Presb. Card. Firrao.

✠ Ego Antonius. tit. S. Stephani in Monte Coelio Presb. Card. Gentili.

✠ Ego Fr. Io. Ant. Card. Guadagni tit. SS. Sylvestri et Martini ad Montes.

✠ Ego T. Card. de Acquaviva tit. S. Caeciliae.

CLEMENTIS XII

✠ Ego Dominicus SS. Quirici et Iulittae Presb. Card. Riviera.

✠ Ego Marcellus tit. S. MARIAE in Ara Coeli Presb. Card. Passari.

✠ Ego Fr. P. M. tit. S. Ioannis ante Portam Latinam Presb. Card. Pieri.

✠ Ego L. S. MARIAE in Via Lata Prior Diaconorum Card. de Alteriis.

✠ Ego Carolus tit. S. Agathae in Suburra Diaconus Card. Columna.

✠ Ego Fabius SS. Viti et Modesti Diaconus Card. Oliverius.

✠ Ego Alexander tit. S. MARIAE in Cosmedin Diac. Card. Albanus.

✠ Ego Nicolaus tit. S. MARIAE ad Martyres Diaconus Card. Iudice. 16 Iun. 1737

✠ Ego Nerius tit. S. Eustachii Diaconus Card. Corsinus.

✠ Ego B. tit. SS. Cosmae et Damiani Diaconus Card. Ruspulus.

A Card. Prodatarius.

Pro Domino Card. Oliverio, Caietanus Amatus.

Visa de Curia.

N. ANTONELLUS.

I. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

DECRETUM

TRANSLATIONIS FESTI S. IOANNIS FRANCISCI REGIS

AD DIEM XVI IUNII.

BENEDICTO XIV PONT. MAX.

Cum festum S. Ioannis Francisci de Regis Societatis IESU, iam in eius Beatificatione assignatum pro die 24 Maii, aliquoties, ob occurrentiam octavarum Paschae, Pentecostes et Sanctissimi Corporis Christi, eadem die minime celebrari valeat; propterea Pater Procurator Generalis eiusdem Societatis pro illius translatione in perpetuum cum officio et Missa atque octava ad diem 16 Iunii Sanctissimo Domino Nostro Benedicto XIV demisse supplicavit; et Sanctitas Sua Oratoris instantiae iuxta petita benigne annuit. Die 13 Ianuarii 1742. 13 Ian. 1742

Fr. I. A. Card. Guadagni Pro Praef.

T. Patriarca Hierosol. Secret.

BENEDICTI XIV

INDULGENTIA PLENARIA

DIE FESTO S. IOANNIS FRANCISCI REGIS CONCESSA

TRANSFERTUR IN DIEM XVI IUNII.

BENEDICTUS PAPA XIV
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

BENEDICTI XIV

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus Procurator generalis Clericorum Regularium Societatis Iesu, quod, inter alias indulgentias et peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes Christi fidelibus ecclesias eiusdem Societatis Iesu visitantibus a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris concessas, fel. rec. Clemens Papa xii, praedecessor Noster, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis Clericorum Regularium Societatis Iesu, tam eatenus erectis quam in posterum quandocumque erigendis et ubicumque exsistentibus, die festo S. Ioannis Francisci de Regis, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi, singulis annis devote visitassent, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino perpetuo concessit, prout in litteris apostolicis desuper in simili forma brevis die decimo nono Aprilis mccxxxviii, Pontificatus sui anno octavo, expeditis, uberius continetur. 20 Feb. 1742

Quum autem, sicut eadem expositio subiungebat, idem exponens indulgentiam die festo S. Ioannis Francisci de Regis omnibus Christi fidelibus visitantibus aliquam ex ecclesiis dictae Societatis Iesu, ut praefertur, a praedicto Clemente praedecessore concessam, ad diem decimam sextam mensis Iunii per Nos, ut infra, transferri summopere desideret: Nos supplicationibus eius exponentis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, supra dictam indulgentiam die festo S. Ioannis Francisci de Regis, ut praemittitur, concessam, ad diem decimam sextam mensis Iunii, ita ut iidem Christi fideles, praemissa in aliqua ex ecclesiis supra dictae Societatis Iesu die decima sexta mensis Iunii adimplentes, eamdem prorsus indulgentiam consequantur, quam consequerentur, si eadem praemissa die festo S. Ioannis Francisci de Regis adimplerent, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo transferimus.

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem quod praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo per-

BENEDICTI XIV

sonae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. MARIAM maiorem, sub annulo Piscatoris, die vigesimo Februarii MDCCXLII, Pontificatus Nostri anno secundo.

20 Feb. 1742

D. Card. Passioneus.

BENEDICTI XIV

ABROGATIO CONSTITUTIONIS INNOCENTII X

DE CONGREGATIONE NOVENNALI.

17 Dec. 1745

BENEDICTUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

BENEDICTI XIV

Exordium a laude S. Ignatii, fundatoris.

DEVOTAM maiori DEI gloriae promovendae adiuvandaeque proximorum saluti Societatem, a S. Ignatio Confessore sub Salvatoris nostri IESU Nomine auspicioque constitutam, sicuti Ecclesiae DEI utilissimam operam assidue navare, ita ex praescripto sapientissimarum legum et Constitutionum ab eodem B. Institutore ipsi traditarum, a duobus et ultra saeculis feliciter rectissimeque gubernari compertum habemus. Quapropter libenti animo adducimur, ut et universae huiusmodi Societatis commodis atque utilitatibus amplificandis, et praedictarum legum et Constitutionum observantiae asserendae, sive in pristinum vigorem revocandae, apostolicae auctoritatis Nostrae providentia consulamus.

Innocentius x per breve decrevit Congregationem generalem in Societate IESU singulis novenniis celebrari,

Dudum siquidem fel. rec. praedecessor Noster Innocentius Papa x per quasdam suas in forma brevis litteras datas apud S. Petrum die primo Ianuarii anno Domini MDCXLVI, Pontificatus sui secundo, quarum initium est PROSPERO FELICIQUE STATUI, decrevit ac perpetuo mandavit, Congregationem generalem in praedicta Societate IESU singulo quoque novennio, computando semper a celebratione ultimae Congregationis generalis, haberi et celebrari omnino debere; ita quod illius celebratio nullo modo nec ex quavis causa, sive per Praepositum Generalem pro tempore exsistentem, sive per quamcumque Congregationem particularem vel generalem impediri, vel ultra novennium huiusmodi differri seu prorogari posset; praeterea, ut quotiescumque haberetur et celebraretur Congregatio generalis huiusmodi, toties novi Assistentes, ab illis plane diversi qui praecedente novennio Assistentium huiusmodi muneribus functi fuissent, eligi seu assumi et deputari deberent; a demum, ut omnes et singuli eiusdem Societatis Provinciales, Visitatores, Praepositi, Rectores, Superiores locales, et alii Officiales iuris dictionem seu superioritatem habentes, quomodolibet nuncupati, exceptis Magistris Novitiorum, in eorum respective muneribus, ministeriis, administrationibus et officiis praedictis, quomodocumque nuncupatis, per triennium

et quod in ea novi Assistentes deputarentur,

quodque caetera officia per triennium tantum durarent; nec quis post dimissum officium ad aliud ante annum cum dimidio assumi pos-

dumtaxat durare deberent; eaque, elapso triennio huiusmodi, eo ipso vacarent et vacare censerentur; ipsique ad alia quaevis eiusdem Societatis munera, superioritates, ministeria, administrationes et officia praedicta, quomodolibet nuncupata, etiam Vice Provincialis, seu Vice Praepositi, vel Vice Rectoris, nullatenus eligi seu assumi vel deputari valerent, nisi per annum cum dimidio saltem, a fine dicti triennii computando, a praedictis muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus et officiis cessassent; quemadmodum in praecitatis Innocentii praedecessoris litteris latius disponitur et continetur.

Congregatio generalis Societatis anno 1661 recurrit ad Alexandrum VII, pro praemissorum abrogatione.

Cum autem nova haec methodus, tam in generali totius Societatis gubernio quam in peculiarium munerum et officiorum administratione, vigore huiusmodi litterarum inducta, neque Constitutionibus ipsius Societatis a S. Ignatio Fundatore praedicto conditis, et a Romanis Pontificibus Paulo III, Iulio III, Gregorio XIII, Gregorio XIV et Paulo V, praedecessoribus pariter Nostris, approbatis et confirmatis consona dignosceretur, neque vero in praxi utiliter observari posse iudicaretur: ex decreto Congregationis generalis eiusdem Societatis, quae anno Domini MDCLXI habita fuit, delata res est ad piae mem., praedecessorem pariter Nostrum, Alexandrum Papam VII, eique humiliter supplicatum fuit pro relatae Innocentianae Constitutionis abrogatione.

Alexander VII breve Innocentii, quoad triennalem officiorum durationem, nec non cessationem ab officiis exacto triennio, tantum, revocat.

Cumque idem Alexander, pro eo quod attinet ad triennalem Superiorum localium et Provincialium durationem, praescriptamque, post exacta respective triennia, ab officiis huiusmodi cessationem, non modo contrarium praedictarum legum et Constitutionum tenorem optime perspectum haberet, sed etiam, experientia edoctus complurium et gravium incommodorum quae ex praefati Innocentiani brevis observantia eidem Societati iam obvenerant, ab aliquibus retro annis eiusdem brevis exsecutionem suspendisset; et quidem per huiusmodi suspensiones pluribus gravibusque periculis et inconvenientibus occursum esse, magnasque et multiplices dictae Societati utilitates obvenisse dignosceret: haud aegre adductus fuit, ut huiusmodi Innocentii praedecessoris statutum et ordinationem de triennali Superiorum et officialium praedictorum duratione, et de cessatione unius anni cum dimidio a quocumque huiusmodi superioritatum et officiorum exercitio, postquam aliquod ex ipsis per triennium quis obtinuisset, ipsasque relatas eiusdem Innocentii litteras, quatenus illa concernebant (firma tamen et illaesa in reliquis omnibus earumdem dispositione), auctoritate apostolica revocaret, abrogaret et annullaret, quemadmodum distincte et expresse et cum opportunis clausulis ac solemnitatibus praestitit per suas in simili forma litteras, quarum initium est DEBITUM PASTORALIS OFFICII, datas apud S. MARIAM maiorem die primo Ianuarii anno Domini MDCLXIII, Pontificatus sui anno octavo.

Subinde Clementi IX supplicavit Praepositus Generalis pro revocatione brevis quoad celebrationem Congregationis generalis, et deputationem novorum Assistentium.

Quod autem pertinet ad aliud caput earumdem Innocentii litterarum, celebrationem nimirum Congregationis generalis quolibet novennio, et in ea novorum Assistentium a praecedentibus diversorum electionem seu deputationem concernens; quum tunc exsistens praedictae Societatis Praepositus Generalis Ioannes Paulus Oliva, ex decreto eiusdem Congregationis generalis anno MDCLXI, ut praefer-

tur, celebratae, paucis post annis rec. mem. praedecessori quoque Nostro Clementi Papae IX plura exposuisset, ex quibus huiusmodi Congregationis generalis quolibet novennio celebrationem, et supra dictis Constitutionibus a S. Ignatio editis atque a Sede Apostolica pluries confirmatis minime conformem, et ad ipsius Societatis regimen nullatenus necessariam, et pluribus ex causis universae Societati incommodam vel potius damnosam exsistere comprobaret; ideoque pro huius etiam capitis abrogatione eidem Clementi praedecessori humiliter supplicasset: ipse tunc quidem ad huiusmodi Praepositi Generalis preces examinandas specialem Congregationem nonnullorum ex tunc exsistentibus fratribus suis S. R. E. Cardinalibus deputavit; mox vero, de eiusdem Cardinalium Congregationis sententia, et per apostolicas litteras sub annulo Piscatoris apud S. Mariam maiorem die vigesimo Septembris anni Domini MDCLXVIII, Pontificatus sui secundi datas, iussit atque decrevit, ut, ad certius dignoscendum quid circa petitam abrogationem universa Societas sentiret, in prima tunc proxima generali Congregatione, quae non vigore praefati brevis, sed ex praescripto Constitutionum ipsius Societatis celebranda foret, praevia inter Religiosos ipsam Congregationem constituentes matura rei discussione et consultatione, per secreta postmodum suffragia disquireretur, an bono dictae Societatis expediens esset, ut terminus novennalis ad celebrandas Congregationes generales in allegatis Innocentii praedecessoris litteris statutus abrogaretur; utque huiusmodi disquisitione peracta, ad ipsum Clementem, vel pro tempore exsistentem Romanum Pontificem distincte referretur, quo numero suffragiorum ipsa Congregatio generalis dicti novennalis termini vel abrogationem vel observantiam expetisset, ut, quid circa illum deinde observandum esset, Apostolicae Sedis iudicio statueretur. Proindeque exsecutionem dictarum Innocentii praedecessoris litterarum in hac etiam parte interim suspendit, et usque ad praefatam Congregationem generalem ex praescripto Constitutionum Societatis, ut praefertur, tunc primo celebrandam, effectu carere voluit et mandavit, ut in memoratis ipsius Clementis litteris latius et uberius continetur.

et voto Congregationis particularis S. R. E. Card. idem Clemens iussit rem ad futuram Congregationem generalem pro resolutione deferri,

suspensa interim in hac parte brevis Innocentii exsecutione.

In quarum exsecutionem, quum in proxime sequenti Congregatione generali eiusdem Societatis, quae anno Domini MDCLXXXII pro novi Praepositi Generalis electione coacta fuit, ante ipsius Praepositi Generalis electionem huiusmodi disquisitio peracta fuisset; capto per congregatos ad consultandum hac super re nonnullorum dierum spatio, factaque singulis potestate quaecumque sibi placerent, tam voce quam scripto, interim deducendi; implorato quoque, ut par erat, Divini Luminis adiutorio; itum deinde fuit in secreta suffragia. Quibus lectis et numeratis, compertum fuit, ex octoginta quinque suffragiis duo et octoginta pro petenda Congregationis novennalis abrogatione stetisse, triaque dumtaxat in alteram partem abiisse; quemadmodum ex actis ipsius Congregationis generalis a dilecto filio Francisco Retz, hodierno saepe dictae Societatis Praeposito Generali, Nobis exhibitis, aperte cognovimus.

Congregatio generalis Societatis anno 1682 resolvit petendam esse Congregationis novennalis abrogationem.

Porro huiusmodi Congregationis generalis resolutio, iuxta praefati Clementis praedecessoris praescriptum,

Resolutio Congregationis generalis relata fuit

BENEDICTI XIV

17 Dec. 1746

Innocentio XI, qui se propensum huic resolutioni ostendit: sed apostolicae litterae non emanarunt.

quarto post die, ut accepimus, a Vicario Generali ipsius Societatis ad venerabilis mem. Innocentium Papam XI, praedecessorem pariter Nostrum, in Petri Cathedra tunc sedentem delata fuit, eidemque oblato supplici libello, totius Societatis nomine humiliter supplicatum fuit pro saepe dictae Congregationis novennalis abrogatione. Ad quam concedendam, licet idem Innocentius, ut in actis praefatae Congregationis relatum accepimus, suam voluntatem tunc valde propensam declarasset, nihilominus apostolicae litterae desuper confectae numquam fuerunt.

Anno 1696 Congregatio generalis rursus decrevit petendam esse Congregationis novennalis abrogationem. Idem alia Congregatio anno 1730.

Quare, quum iterum anno MDCXCVI alia Congregatio generalis ex universa praefata Societate coacta eamdem instantiam pro huiusmodi Congregationis novennalis abrogatione apud hanc Sanctam Sedem instaurandam et promovendam, et quidem unanimi consensu, cunctisque propemodum suffragiis secreto collectis, decrevisset; cumque item in postrema Congregatione generali anno MDCCXXX habita, postulantibus nonnullis ut deinceps, adveniente termino novennii ab Innocentio X pro celebratione Congregationis generalis statuti, dispensatio ab huiusmodi Congregationis convocatione non peteretur, ipsa Congregatio, re diligentissime examinata, postulatum illud omnino reiiciendum esse decreverit; quin etiam, quum aliquis decreto super hac re condito intercessisset, proindeque de huiusmodi intercessionis vigore per suffragia inquiri opus fuerit, nemine penitus dissentiente, sancitum fuerit non esse deferendum intercessioni, sed standum decreto, et abrogationem Congregationis generalis singulis quibusque novenniis ab Innocentio praedecessore praedicto statutae, cum primum opportuna tulisset occasio, ab Apostolica Sede postulandam: nunc tandem, ut tot Congregationum generalium decretis morem gereret praefatus Franciscus Praepositus Generalis, adeoque universae Societatis votis satis faceret, quae per graviores Religiosos, eius Instituto optime imbutos, rerumque illius usu et experientia praeditos, iteratis vicibus manifestata fuerunt; iustamque de Nobis deque Nostra erga se suamque Societatem, multis nominibus de catholica religione optime meritam, paterna prorsus voluntate ac benevolentia opinionem fovens; exhibitis Nobis praemissorum omnium authenticis documentis, totius Societatis nomine, demissis precibus apud Nos institit, ut, abrogato demum praefato Innocentii praedecessoris statuto, celebrationem Congregationis generalis ad normam Constitutionum a S. Ignatio Fundatore praedicto editarum et a Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris approbatarum reducere, et alias in praemissis providere de benignitate apostolica dignaremur.

Modernus Praepositus Generalis supplicat Pontifici pro praedicta abrogatione.

Incidit dispositiva.

Nos igitur, ipsius Francisci Praepositi Generalis desiderio favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes; sed et praeterea perpendentes, quod S. Ignatius, dictae sanctae Societatis Fundator, in Constitutionibus ipsius Societatis, quum declarasset minime expediens sibi

Pontifex expendit S. Ignatii Constitutiones et Societatis Institutum;

videri, ut huiusmodi generales totius Societatis Congregationes certis temporibus aut crebro fierent, quoniam Praepositus Generalis, adiutus communicatione quam cum universa Societate habet, et eorum opera qui cum ipso degunt, hoc laboris et distractionis universae Societati, quantum fieri posset, adempturus esset, statuit expresse, quod Praepositus Generalis non deberet frequenter Societatem congregare, nisi urgente rerum agendarum necessitate; sed in Congregationibus generalibus ad electionem Praepositi pro tempore convocandis, post huiusmodi electionem expletam, de rebus aliis gravioribus, si quae fuerint, quae a Generali et iis qui cum ipso agunt decidi nequeant, commode tractari posse: quodque insuper, ad memoratam communicationem inter Praepositum Generalem universamque Societatem apte stabiliendam, idem S. Pater, secundum datam sibi sapientiam, constituit, ut, praeter assiduum litterarum commercium, ex singulis Provinciis unus saltem, a Professis et Rectoribus earumdem Provinciarum electus, tertio quoque anno, ex Indiis autem quarto, ad ipsum Praepositum Generalem multis de rebus certiorem faciendum convenire deberet; aliasque rationes praescripsit, quibus multa, sine Congregatione totius Societatis, opportune constitui et expediri valerent: cumque per ea quae in II Congregatione generali eiusdem Societatis anno Domini MDLXV, praesidente in ea S. Francisco Borgia tum Praeposito Generali in ipsa Congregatione electo, decreta fuerunt, praecipuum munus huiusmodi Procuratorum a singulis Provinciis deputatorum, qui tertio quoque anno apud Praepositum Generalem, ut praefertur, congregari iubentur, sit et esse debeat, ut, considerato rerum ipsius Societatis statu, simul cum Assistentibus et ipso Generali, qui duo suffragia habet, per secreta suffragia decernant, an cogi debeat Congregatio generalis, necne; ideoque iudicantes praefixionem illam novennalis termini ad celebrandas Congregationes generales minime necessariam esse, vel si ita ipsius Societatis res ferent, facile posse, de eiusdem Societatis consensu, per Provinciarum Procuratores singulis trienniis convenientes rite repraesentato, et vigore illius Constitutionum, generalem ipsam Congregationem convocari;

item incommoda ex frequenti Congregationum generalium convocatione obvenientia,

Iusta praeterea lance aestimantes ea quae iam pridem, de Congregationis generalis sententia, praefato praedecessori Nostro Clementi Papae IX exposita fuerunt, nimirum de ingentibus sumptibus quos fieri necesse sit in convocanda quolibet novennio, et quidem sine necessitate, huiusmodi Congregatione generali, deque frequentibus vitae periculis, quibus exponuntur primarii Religiosi omnium Provinciarum eiusdem Societatis, iique plerumque senes, quorum aliqui sublati naufragio, alii exstincti febribus in itinere, alii in captivitatem ab hostibus abducti esse memorantur; quibus incommodis adiungitur relaxatio disciplinae Religiosae in Provinciis, dum inde absunt Provinciales, vel alii praecipui Religiosi, qui praesentes conservando illius vigori invigilarent:

ac dispensationes necessario saepe concessas, et concedendas.

His igitur aliisque de causis ob quas etiam non semel praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus opportunum vel potius necessarium visum est relatae Innocentianae con-

stitutionis observantiam et executionem ad tempus suspendere, et ab ea dispensare, vel praefixum in ea novennalem terminum prorogare; quum praesertim id etiam praecavendum censeamus, ne quando, adveniente forsan praefiniti novennii aut concessae prorogationis termino, dum Apostolica Sedes per obitum Romani Pontificis vacaverit, huiusmodi Congregationis generalis convocatio (nulla licet urgente necessitate, vel etiam aliqua ex praemissis, aliave qualibet etiam graviore causa contrarium suadente) nullo modo valeat declinari: quumque de universae Societatis hac de re unamini sententia, ab eodem Clemente praedecessore expetita, satis ex praemissis constitisse et constare videatur; nec quidpiam alicuius momenti in contrarium Nobis exhibitum fuerit: ipsius Clementis, atque etiam praefati Alexandri aliorumque praedecessorum vestigiis inhaerentes, motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, memorati Innocentii praedecessoris statutum, mandatum, praeceptum et ordinationem, ut Congregatio generalis in praedicta Societate singulo quoque novennio, computando semper a celebratione ultimae Congregationis generalis, haberi debeat et celebrari, et ut, quotiescumque habebitur et celebrabitur Congregatio generalis huiusmodi, toties novi Assistentes, ab illis diversi qui praecedente novennio Assistentium huiusmodi muneribus functi fuerint, eligi seu assumi et deputari debeant, easdemque Innocentii praedecessoris litteras, quatenus illa concernunt, tenore praesentium perpetuo revocamus, abrogamus, irritamus et annullamus; atque etiam earumdem

Motu proprio Innocentii breve, quoad coactionem Congregationis generalis singulis novenniis, revocat et annullat;

litterarum abrogationem in ea parte quae ad triennale munerum et officiorum exercitium et consequentem a muneribus et officiis huiusmodi cessationem pertinebat, a praefato Alexandro praedecessore, ut supra diximus, factam atque sancitam, earumdem praesentium serie, quatenus opus sit, confirmantes et innovantes, ipsas Innocentii praefati litteras in omnibus et per omnia cassamus et abolemus, ac veluti numquam emanassent, quibuscumque viribus et quolibet effectu penitus et omnino vacuamus; et Congregationum generalium in praedicta Societate convocationes atque celebrationes ad normam praedictarum Constitutionum a S. Ignatio conditarum reducimus; quas quidem Constitutiones praefati aliique praedecessores Nostri Romani Pontifices laudarunt, approbarunt et confirmarunt, Nosque etiam plurimum in Domino commendantes perpetuis futuris temporibus observari volumus atque praecipimus: salvis nihilominus et firmis remanentibus aliis quibusdam decretis, quae deinceps ab universa Societate in Congregationibus generalibus adunata, quoad electionem et missionem Procuratorum, praesertim ex Provinciis Indiarum aliisque transmarinis et extra Europam constitutis, et quoad universam Congregationum provincialium rationem, pro rerum atque locorum opportunitate ac necessitate, statuta fuerunt, aut in posterum rite statuentur.

quo vero ad praefinitionem termini triennalis officiorum, abrogationem iam factam confirmat,

ac reducit Congregationum generalium celebrationes ad normam Constitutionum S. Fundatoris.

Clausulae.

Decernentes easdem praesentes litteras, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, ad illa vocati, citati et auditi non fuerint, nec illis consenserint, aut ex alia quacumque causa, occasione,

praetextu et capite etiam in corpore iuris clauso, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam substantiali et individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, redargui, rescindi, infringi, retractari aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari; aut impetrato, vel etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse; sed ipsas praesentes litteras semper et perpetuo firmas et validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, plenissime suffragari; sicque in praemissis censeri, atque ita et non aliter per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

Non obstantibus superius relatis Innocentii praedecessoris praedicti litteris, nec non omnibus et singulis illis, quae memoratus Alexander itidem praedecessor Noster praefatus in suis litteris praedictis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides praestanda transsumptis.

Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici vel Secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo Praepositi vel Vicarii Generalis eiusdem Societatis, aut alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, revocationis, abrogationis, irritationis, annullationis, cassationis, abolitionis, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCCXLVI sexto decimo kal. Ianuarii, Pontificatus Nostri anno septimo.

D. Card. Passioneus.

I. Datarius.

Io. Florius Substitutus.

Visa de Curia.

I. C. Boschi.

I. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

BENEDICTI XIV

DE LIBERO INGRESSU IN RELIGIONEM

PRO CLERICIS BENEFICIATIS

QUORUM BENEFICIA NON VACANT PER VOTA SIMPLICIA.

DILECTO FILIO NOSTRO ANGELO MARIAE TIT. S. PRAXEDIS S. R. E. PRESB. CARD., QUIRINO NUNCUPATO, EIUSDEM S. R. E. BIBLIOTHECARIO,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

BENEDICTI XIV

Archidiaconus Brixiensis, inconsulto Cardinale Quirino Episcopo, ingressus est Societatem Iesu.

Ex quo dilectus filius Leander Chizzola Archidiaconus ecclesiae tuae cathedralis Brixiensis, ex improviso isthinc digressus, Bononiam se contulit, ibique habitum suscepit Clerici Regularis Societatis Iesu, statim a Te, dilecte fili Noster, datae fuerunt ad Nos litterae, quibus querebaris eum tanti momenti consilium, Te inconsulto, cepisse, Teque penitus inscio ad exitum deduxisse, non sine magno detrimento pauperum istius civitatis atque dioecesis quibus largiter subvenire, multorumque piorum operum quibus se iugiter exercere consueverat, suorum quoque nepotum in minori aetate constitutorum, quorum curae atque educationi praeesse debebat, ac sine spe quidquam utiliter peragendi in ipsa Societate Iesu, cui iam prope septuagenarius nomen dederat. Haec eadem, quum ipse proximo autumno in Urbem advenisses, Nobis coram inculcare non omisisti; deque iisdem nuper, in epistola Nobis directa ac typis vulgata, iterum expostulasti; petens praeterea, Nosque excitans, ut, auctoritatis Nostrae ope certaque lege proposita, huiusmodi licentiam reprimamus, qua saeculares Clerici atque Presbyteri ad regularium claustra, quum libet, se conferentes, a Regularibus Superioribus illico recipiuntur; quod sane non aliter fieri debere autumas, quam communicatis consiliis cum Episcopis ipsorum Clericorum seu Presbyterorum Ordinariis; si quidem ipsi Episcopi numquam Regularibus viris ordines conferunt, sine Praelatorum Regularium consensu in eorum litteris dimissorialibus declarato.

De hoc queritur dictus Cardinalis, et exquirit a Pontifice, ut illum cogat ad recedendum, et legem constituat, ne saeculares Clerici libere ad claustra transire valeant.

14 Ian. 1747

Pontifex dividit postulatum in duas partes.

Duae sunt res in hoc universo negotio expendendae: peculiare scilicet factum Leandri Archidiaconi, et generale Constitutum quod a Nobis fieri et publicari velles.

Respondet primae circa particulare factum dicti Archidiaconi.

Ad primum quod attinet, aptiorem querelis Tuis responsionem comparare non possumus, quam si eadem ipsa Tibi rescribamus, quae olim S. Gregorius Magnus praedecessor Noster Desiderio Episcopo Viennensi in Gallia, in simili prorsus casu, rescripsit. Quum enim Pancratius quidam, ecclesiae Viennensis Diaconus, monasticam vitam amplexus esset, et in eodem Diaconi gradu in monasterio degeret; Episcopus autem, Pancratium

diligens magnique faciens, ipsum e monasterio abducere et ad ecclesiae servitia retrahere vellet: S. Gregorius, ecuius opem Pancratius imploraverat, scripsit ad Desiderium, ut ipsum potius hortaretur, ne a monasterio discederet, neve se iterum saeculi procellis committeret. Habes Gregorii epistolam tom. II ipsius operum anno MDCCV a monachis Sancti Mauri accurate editorum, (*epist.* 35, *lib.* 12, *indict.* V) ubi ita scribit: " Hortamur igitur, ut tam promptae devotioni eius, quam in sancto studet habere proposito, minime Vestra sit impedimento Fraternitas: magis autem, quibus valetis adhortationibus, pastorali admonitione succendite, ut fervor huius desiderii in eo non tepescat; ut qui a turbulento curarum saecularium tumultu se segregans, quietis desiderio, portum monasterii appetiit, rursum in ecclesiasticarum curarum non debeat perturbationibus implicari, sed in DEI laudibus permittatur secure ab his omnibus, ut postulat, remanere. „

Quod quidem Gregorius rescribere non dubitavit, quamvis Pancratius in Clericatus officio ecclesiae Viennensi, ut ipse ait, mancipatus exsisteret, ipsius nempe servitiis re ipsa addictus; quamvis etiam eo tempore huiusmodi disciplina vigeret, de qua late Thomassinus agit, (*de Beneficiis part.* II, *lib.* 1, *cap.* 3 et 4,) ut Clericus Episcopo ordinanti per omnia subesset, eiusque ecclesiae ministerio, cui in ordinatione adscriptus fuisset, perpetuo iure devinctus haberetur; quamvis denique idem S. Gregorius optime nosset nemini licere ab huiusmodi ministerio ecclesiae, cui semel addictus fuisset, discedere, sine permissu Episcopi, a quo quis ordinatus, eiusque ecclesiae servitiis in ordinatione fuerat adscriptus. Unde in alia epistola, (quae est 17, *lib.* 5, *indict.* XIII) quum ageret de electione Ioannis Archidiaconi Catanensis ad episcopalem cathedram Syracusanam, inter alia requirebat, ut Leonis Episcopi Catanensis consensus accederet: " Quod si factum fuerit, etiam frater et coepiscopus Noster Leo ei cessionem facere debebit, ut liber ad ordinandum possit inveniri; „ ad quae verba editores ita observant in notis: " Tam erant Clerici suae ecclesiae addicti, ut ne eos quidem in Episcopos alterius ecclesiae fas esset eligere, nisi missione obtenta, sive ut vocant, cessione. „

Non itaque dubitamus, quin Tu cum Archidiacono tuo eadem plane ratione agendum tibi esse ducas, qua Episcopum Viennensem cum Diacono suo Pancratio agere, S. Gregorius optavit; tum quia animi tui perspecta magnitudo hoc Nobis suadet, tum quia in ea epistola, quam publici iuris fecisti, postquam praedicti Archidiaconi in saecularis Presbyteri statu eximiam operam disertissime, ut soles omnia, demonstrasti, circa finem deinde addis: " Te habere causas, cur ultro sinas eumdem in castris, ad quae discessit, militare. „

Unum tamen, quod Tibi praesenti antea diximus, nunc etiam scripto iterandum censemus: non scilicet debitae erga Te observantiae defectui tribuendum esse, quod praedictus Archidiaconus tuus, ante discessum, opportunam abs Te veniam minime requisierit; sed potius metui reverentiali, quem vocant, ac desiderio propositi sui re ipsa exsequendi, iustoque timori, ne forte ab eius implemento revocaretur. Qua ratione bon. mem. Ardicinus Cardinalis de Porta in qua-

dam epistola ad praedecessorem Nostrum Innocentium Papam VIII conscripta, suum factum excusat, quod scilicet ad eremiticam vitam inter Camaldulenses profitendam conferre se volens, Cardinalatus habitum exutus, clanculo ex Urbe se subduxerit. Quum enim, Pontificis venia opportune obtenta, minime necessarium sibi putaret assensum Collegii S. R. E. Cardinalium; consilium vero suum, ne interverti posset, necessario occultandum esse cognovisset; delato deinde ad ipsum murmure eorum qui ipsius factum reprehendebant, ita scripsit ad Pontificem in praecitata epistola: " Quod autem, dimisso Cardinalatus habitu, dissimulata veste me itineri commiserim, non opinor propterea me notam ullam apud graves et prudentes viros contrahere potuisse. Nam cum vellem, quod hactenus feceram, secretissimum esse, idque fratri mihi fidissimo occultassem, existimavi satius etiam in dissimulato habitu inter ignotos, quam cum vero habitu incedere, et propterea a poena et a culpa et ab omni alia nota me immunem esse existimo. " Haec epistola refertur in eius vita edita ab Attichy, in libro cui titulus: *Flores historiae Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium.* Atque haec de prima quaestionis parte.

Respondet secundae circa legem generalem constituendam.

Quod vero ad alteram attinet, ad generalem scilicet legem, quam pro similibus casibus a Nobis constitui postulas; hoc Tibi respondere posse arbitramur, satis huic rei in ecclesiasticis canonibus provisum esse. In Concilio Tolet. IV, anno DCXXXIII, sub S. Isidoro celebrato, canone 50, ita legitur, " Clerici, qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur. " Textus habetur in Collectione Conciliorum Hispaniae Cardinalis de Aguirre (*tom.* II, *pag.* 487) et refertur etiam in Decreto Gratiani can. *Clerici* 19, quaest. 1. Quin immo in eadem causa 19, quaest. 2, can. *Alienum,* postquam regula posita est, quod Clericus absque permissu Episcopi ab ecclesia sua discedere, et alterius servitio se adiungere nequit, huiusmodi exceptio subnectitur: " Sed subaudiendum est: nisi ad propositum melioris vitae transire voluerit; tunc enim liberum est illi, etiam Episcopo contradicente, monasterium ingredi. " Concordat canon sequenti loco relatus, qui incipit *Duae sunt,* in quo distinctio fit inter legem publicam et privatam; et posito quod publica quidem lex vetat Clericum ab una ad aliam ecclesiam transire sine assensu proprii Episcopi, privata vero lex, quae instinctu Sancti Spiritus in corde scribitur et dignior est lege publica, nequaquam id prohibet: ex huiusmodi principio arguitur, licere Clerico beneficiato, etiam contradicente Episcopo, beneficium relinquere et in monasterium sese recipere: " Si quis horum in ecclesia sua sub Episcopo populum retinet et saeculariter vivit, si, afflatus Spiritu Sancto, in aliquo monasterio vel regulari canonica salvare se voluerit, quia lege privata ducitur, nulla ratio exigit ut lege publica obstringatur; dignior est enim lex privata quam publica, etc. Quisquis igitur hoc spiritu ducitur, etiam Episcopo suo contradicente, eat liber nostra auctoritate. "

De iure licet Clericis transire ad claustra, etiam absque licentia Episcopi.

Sententia D. Thomae concordat etiam in terminis fortioribus.

S. Thomas 2. 2. quaest. 189, art. 7. quaestionem proponit: utrum Presbyteri Curati possint licite Religionem

ingredi? eamque affirmative resolvit, ea ratione ductus, quod nulla lege obligantur toto vitae tempore curam animarum sustinere. Articulum vero ita concludit, facta de Archidiaconis expressa mentione: " Unde manifestum est, quod Archidiaconis et Presbyteris Curatis licet ad Religionem transire; „ et paulo infra: " Dicendum, quod Presbyteri Curati et Archidiaconi obligaverunt se ad curam agendam subditorum, quam diu retinent archidiaconatum vel parochiam; non autem obligaverunt se ad hoc, quod perpetuo archidiaconatum vel parochiam retineant: „ Haec S. Thomae sententia confirmatur a S. Antonino in sua Summa, (*part.* 3, *tit.* 16, *cap.* 2, § 2, in editione Veronensi *pag.* 881) ubi praeterea addit, Episcopi dissensum minime obstare: " Archidiaconis, Presbyteris, Curatis licet ad Religionem transire, etiam Episcopo contradicente. „ Quae verba similiter leguntur apud Sylvium 2. 2. *quaest.* 189, *art.* 7 (in postrema eius editione Antuerpiae facta, *tom.* III, *pag.* 945).

et S. Antonini.

Extensio sententiae ad Ordines vitae activae.

Et quoniam alicui in mentem venire poterat, huiusmodi libertatem transeundi ad claustra, quae saecularibus Presbyteris a canonibus conceditur, locum habere dumtaxat pro claustris monachorum, de quibus ipsi canones expresse loquuntur: idem Sylvius, loco citato, affirmat eam facultatem aeque competere, sive de Instituto agatur contemplativae vitae unice dedito, sive de eo in quo vitae activae opera exerceantur. " Possunt Religionem etiam illam ingredi, quae in vita mere contemplativa, aut potissimum in corporalibus vitae activae officiis sit occupata; quoniam plus excedit status Religionis cuiuscumque statum seu potius officium Archidiaconi vel Plebani, quam status altissimae Religionis statum cuiuscumque infimae; propter solemnia nimirum vota castitatis, paupertatis, et obedientiae, quae in unaquaque Religione emittuntur. „

De limitatione sententiae,

At incidunt saepe tempora, quibus opportunum non est Clericum saecularem suum locum deserere et in Religiosis claustris se abdere: qua de re, nisi consultatio intercedat inter Episcopum et Superiorem Regularem, impossibile erit quid expediat agnoscere. Durum autem omnino est virum ecclesiasticum, qui in suscipiendo Presbyterii ordine, conceptis verbis, Episcopo suo reverentiam et obedientiam spopondit, quoties ipsi libuerit, Episcopo inconsulto atque inscio, ad Regularia claustra discedere, ac Regularis Instituti servitio perpetuo se mancipare. Super quibus omnibus inter se iunctis, certam aliquam regulam tradi, et generalem legem a Nobis promulgari opus esse contendis.

Enumerantur casus, qui obstare videntur.

Equidem fatemur, non omni tempore omnibus opportunum esse Regularem vitam amplecti. Meminimus epistolae S. Augustini ad Bonifacium comitem (quae in editione Monachorum S. Mauri impressa est *n.* 220, *tom.* II, *pag.* 212, et cuius etiam pars refertur in can. *Novimus* 17, *quaest.* 2), ubi nimirum sanctus Doctor testatur, se, una cum Alypio, ipsum Bonifacium a monasticae vitae proposito dissuasisse, ob praeclaram, quam, in saeculo manens, Ecclesiae et rei publicae navabat operam, dum Africam a barbarorum incursionibus tuebatur: " Ut autem non faceres, quid te revocavit, nisi quia considerasti, ostendentibus nobis, quantum prodesset Christi ecclesiis quod agebas, si ea

BENEDICTI XIV **14 Ian. 1747**

sola intentione ageres, ut defensae ab infestationibus barbarorum quietam et tranquillam vitam agerent? „ Vidimus etiam apud S. Thomam 2. 2. *quaest.* 101, *art.* 4, *et quaest.* 189, *art.* 6, quaestionem hanc solidis rationibus examinari: utrum posset filius Religionem ingredi, et parentes in saeculo relinquere, si, ab ipso deserti, inopia sint laboraturi? Ulterius inquirunt moralistae: an idem dicendum sit de avo, et an id, quod de ascendentibus statuitur, locum habeat etiam quoad filios, fratres et nepotes; et quatenus illius ope, qui Religionem vult ingredi, praedicti omnes indigere debeant?

De reverentia quoque et obedientia, quam non modo Sacerdos, sed quilibet etiam Clericus proprio Episcopo praestare debet, iustam profecto opinionem fovemus. De huiusmodi obedientia agitur in cap. *Cum Clerici, de verb. signific.*, ubi Innocentius Papa III, exponens formam iuramenti, quod a Clericis ecclesiae Placentinae praestabatur, in haec verba conceptum: " Ego talis ab hac hora in antea fidelis ero et obediens Placentinae ecclesiae et domino meo Episcopo Placentino; „ docet, per ecclesiae Placentinae vocabulum intelligi Capitulum ecclesiae cathedralis; eum vero, qui praestat huiusmodi iuramentum, Episcopo tamquam Capiti principaliter obligari. Neque porro Nos pro nuda inanique formula habendam esse putamus solemnem illam obedientiae et reverentiae sponsionem, quam Presbyter facit in manibus Episcopi ordinantis, iuxta vetustissimum Ecclesiae morem ante mille annos indubitanter servatum; ut ex antiquis ritualibus colligitur, quae expendit Catalanus (*ad Pontificale Romanum, tom.* 1, *pag.* 149, *in notis ad* §. 29). Quin immo libenter agnoscimus, Presbyterum, huiusmodi promissionis vigore, ea lege inter alias adstrictum teneri, ut a servitio ecclesiae, cui in ordinatione addictus fuerit, discedere nequeat sine licentia Episcopi, id quod optimis rationibus demonstrat Hallier (*de Sacerd. elect. et ordin. part.* 1, *sect.* 6, §. 12 *editionis Romanae*), ubi docte graviterque refellit auctorem cuiusdam libelli gallico sermone editi, qui huiusmodi reverentiam et obedientiam Episcopo in ordinatione promissam, angustis nimium limitibus coercere tentaverat.

Pontifex tamen statuit novam legem non esse necessariam,

Verumtamen, his omnibus non obstantibus, iterum dicimus, novam generalem legem hac de re minime necessariam Nobis videri; vel quia in ecclesiasticis sanctionibus, quodcumque necessarium est, satis constitutum habemus, vel quia, si quid adhuc ordinandum superest, id pro generalis constitutionis subiecto haberi non potest. Tria siquidem sunt, quae in huiusmodi casibus considerari possunt: primum videlicet, an Presbyter, ab ecclesiae servitio ad Regularia claustra transiturus, permissionem ab Episcopo petere debeat; secundum, quid ipsi faciendum sit, si Episcopus dissentiat; tertium, quid statuendum sit de parochia, seu canonicatu, aut archidiaconatu, quem Presbyter obtinebat. Verum haec omnia iam sacri canones considerarunt, atque opportunas pro singulis capitibus regulas praescripserunt.

et distinguit tres casus in hac re aeque in Iure consideratos.

Quod enim pertinet ad Episcopi permissum, nemo dubitat, quin Presbyter, ecclesiae regimen aut ministerium dimissurus, ante omnia debeat Episcopo consilium suum eiusque capiendi rationes, quantum earum natura

fert, aperire. In quo non tam officio et honestati, quam naturalis legis praecepto satisfaciet. Quum enim Presbyteri, in animarum cura aliisque gravibus muneribus ad pastorale regimen spectantibus, Episcopi ministri sint: ita cum eo se gerere debent, ut is animarum quas ipsi regebant, et negotiorum quae administrabant, necessitatibus opportune consulere valeat. De quo recte loquitur Passerinus, licet Ordinis Regularis scriptor (*De statibus hominis tom.* III, *quaest.* 189, *art.* 7, *num.* 8). " Minister, qui habet custodiam rerum et bonorum domini sui, quae absente custode perire possunt, non ex pura decentia, sed ex debito officii sui, tenetur bona sibi commissa domino reddere, et illum monere, ut de alio custode provideat; et, si hoc non faciat, puniri potest. Cum ergo Parochus sit Episcopi minister in cura animarum, si deserat animas sibi commissas, inconsulto Episcopo, non minus peccat, quam si minister pastoris, ovium domino ac pastore non admonito, gregem errantem sine custode dimitteret; „ cum his quae sequuntur.

Haec autem permissio, vel ab Episcopo conceditur, vel negatur. Si concedatur, iam controversiae locus non erit. Sin vero denegetur, huiusmodi dissensus, ex auctoritatibus superius citatis, Presbyterum non adstringet quo minus Religionem ingredi valeat. Neque id mirum videri debet; si enim Presbyter Episcopo reverentiam et obedientiam in sua ordinatione promisit, multo solemnius Regulares promiserunt proprio Superiori in Religiosa votorum professione. Et tamen quoties Regularis in Ordine laxiori professus ad strictiorem transire cupit, tenetur quidem a Superiore laxioris licentiam petere; verumtamen, ea sibi denegata, nihilominus ad strictiorem libere transire potest, ut expresse statuitur in cap. *Licet, de Regularibus,* ubi sic legitur: " Talis ergo, postquam a Praelato suo transeundi licentiam postulaverit, ex lege privata, quae publicae legi praeiudicat, absolutus, libere potest sanctioris vitae propositum adimplere, non obstante proterva indiscreti contra dictione Praelati; quia privilegium meretur amittere, qui concessa abutitur potestate „.

De vacatione Beneficiorum per Professionis emissionem, et quid agendum de ipsis tempore Tirocinii.

Denique de beneficiorum vacatione in iure statutum habemus, eam non induci per solum ingressum in Religionem, sed per professionem Regularem dumtaxat; quemadmodum videre est in cap. *Beneficium de Regular. in* 6. Et quidem pro eo tempore quod inter ingressum in Ordinem Regularem et Professionem solemnem intercedit, debet Episcopus, quoad beneficia curata, id ipsum agere quod alias praestare consuevit, quum Parochus aliquo impedimento detinetur ne animarum curam exercere valeat; quoad beneficia vero choralia, relictis Tironi Religioso, qui choro interesse nequit, ipsius beneficii fructibus, de distributionibus ita statuet, ut iura praescribunt, iuxta opinionem in praxi receptam, de qua ait Suarez (*de Religione, tom.* III, *lib.* 5, *cap.* 16, *num.* 12). Quin immo, si quis forte Religionem ingressurus beneficium suum dimitteret, (quo casu potest Episcopus per Constitutionem LVIII S. Pii V huiusmodi renuntiationem admittere) vel etiam si tempore Novitiatus huiusmodi dimissionem expleret, servatis omnibus quae ex praescripto Sacri Tridentini Concilii (*cap.* 16, *sess.* 25, *de Regularibus)* tam in bonorum temporalium quam in beneficiorum ecclesiasticorum renuntiatio-

nibus servari debent, nihilominus omnia in suspenso remanere deberent; neque posset Episcopus ad beneficii sic dimissi collationem devenire, nisi post factam a dimittente solemnem professionem; uti late ostendit doctus et in hoc toto rerum genere expertissimus scriptor bon. mem. Ioannes Baptista Riganti, in suo commentario ad regulas Cancellariae *(tom.* III, *regul.* 46, *a num.* II *ad finem).* Qua in re olim dubitatum est: an vota simplicia, quae a Clericis Regularibus Societatis IESU post biennium probationis emittuntur, huiusmodi beneficiorum vacationem inducerent; sed negativa sententia communiter recepta fuit, ut observat laudatus Riganti (*loco cit. num.* 30 *et seq.*) et monet Pitonius (*discept.* 126, *num.* 11 *et seq*); quamvis in Congregatione quinta generali ipsius Societatis, decreto 19 *, statutum fuerit, ut, qui Societati nomen dederit, expleto biennio, antequam vota simplicia emittat, ecclesiastica beneficia dimittere debeat, quo casu huiusmodi beneficia, si minus propter professionem, at propter renuntiationem, vacare intelliguntur; ut notant Sanchez ad praecepta decalogi (*lib.* VII, *cap.* 4, *n.* 7). Pellizzarius (in *Manuali tom.* I. *tract.* 3, cap. 4. *n.* 52) cum aliis, quos citant praefati Riganti (*loco cit. n.* 32.) et Pitonius (*n.* 12).

* Et Canone 5.

Proceditur ad questionem: an ferri debeat constitutio super consultatione inter Episcopum et Superiorem Regularem de idoneitate illius qui Religionem ingredi vult.

At enim, dices, praemissa omnia recte procedere; verum per ea non tolli propositam difficultatem, de peculiaribus circumstantiis aliquando occurrentibus, ob quas permitti nequit Presbytero saeculari ad Regularem vitam transire; et quidem necessarium esse earum cognitionem et examen institui; quod obtineri nequit nisi, lata constitutione, praescribatur aliqua consultationis species inter Episcopum et Superiorem Regularem, ut unicuique sua ratio constet, ipseque Superior Regularis ab Episcopo edoceri valeat de idoneitate illius, qui Religioni nomen suum offert; ne forte eidem inutilis inveniatur, qualem profecto, ob ingravescentem illius aetatem, repertum iri suspicaris Archidiaconum Chizzola, qui inter Clericos Societatis IESU, Te inconsulto, admissus fuit.

Examinatur quaestio.

Porro nec interdicta fuit umquam huiusmodi consultatio inter Episcopum et Superiorem Regularem, neque Nos eam vetare intendimus; quin potius illius utilitatem atque opportunitatem agnoscimus. Ut autem specialis legis mandato tamquam necessaria praecipiatur, in eo non modica est difficultas. Neque enim in iure cautum reperitur, ut duorum Ordinum, laxioris atque strictioris, Superiores inter se convenire debeant, quoties aliquis, in illo professus, ad hunc transire velit; sed solum, ubi inter praefatos Superiores oriatur controversia, an huiusmodi transitus ex laudabili causa vel potius ex animi levitate et inconstantia suscipiatur, ecclesiasticae leges Superioris maioris iudicium requiri voluerunt. Si vero probabiliter dubitetur, utrum quis velit ad Ordinem arctiorem aut laxiorem, ex charitate an ex temeritate, transire, Superioris est iudicium requirendum. Ita legitur in citat. cap. *Licet, de Regularibus.* Quod si, huiusmodi controversia pendente, Religiosus in altero illo Ordine recipiatur, atque etiam in eo professionem emittat, tunc ex ipsius controversiae exitu decernendum erit, an ipse ad priorem reverti, an vero in posteriori remanere debeat; ut recte monet Abbas Panormitanus in citat. cap. *Licet, n.* 15

BENEDICTI XIV

14 Ian. 1747

de Regularibus. Hodierna vero praxis est, per quam omnes huius generis controversiae et morarum prolixitates devitantur, ut Religiosis viris qui a laxiori ad strictiorem Ordinem transire cupiunt, postquam voluntatis suae causas coram competentibus Apostolicae Sedis tribunalibus exposuerint atque probaverint, haud aegre a Romano Pontifice indulgeantur opportunae facultates, in quibus derogatio super consensu Superioris Ordinis laxioris includitur.

Quod vero ius, certis in casibus certisque de causis, competit Superiori Ordinis laxioris, ut suum subditum Regularem ad strictiorem Ordinem digressum, etiam post solemnem professionem in eo emissam, repetere et revocare valeat; idem similiter, certis in casibus iustisque exigentibus causis, Episcopo competit, ut suum Clericum saecularem Ordini Regulari adscriptum repetere possit. Hoc tradit clarissimus canonum doctor Innocentius IV, ad saepe citatum cap. *Licet, de Regularibus*, cuius haec sunt verba, (*ibid. n.* 3): " Clericus potest transire ad Religionem, non petita licentia, etiam si contradicatur; crederemus tamen, quod posset eum repetere, si ex transitu suo prima ecclesia gravem sustineret iacturam ". Concordat Abbas *in idem cap.* 14, ubi sic ait: "Ulterius quaeritur: quid in saeculari Clerico? Numquid potest intrare in Religionem, non petita licentia ab Episcopo? Innocentius tenet, quod sic; sed, si ecclesia graviter laederetur, esset revocandus." Satis itaque provisum est etiam Episcopo, qui factum Clerici sui ad Regularia claustra, se invito, digressi impugnare velit. Unde nec ulla nova constitutione opus est, ut episcopalia iura hac in parte asserantur; neque porro, ut peculiares indicentur casus, quibus huiusmodi iuris exercitio locus esse possit; quum satis sit regulam generalem tradidisse, quam Iudex sequatur, quamque ad peculiares causas, pro sua prudentia iustoque arbitrio, valeat applicare.

Resolvitur opus non esse nova constitutione,

Huius tamen iuris, quo Episcopus Clericum saecularem sibi subiectum, qui Regulari Instituto sine ipsius assensu nomen dedit, repetere, et ad ecclesiae servitium revocare potest, huius, inquam, iuris persequutio in casibus particularibus non admodum facilis esse videtur. Ponamus enim Episcopo rem esse cum Clerico beneficiato, cum Canonico, cum Archidiacono; vel (quoniam de simplici Beneficiato aut Canonico minus fortasse laborabit), de Archidiacono videamus. Huius dignitatis sive officii, veteribus quidem temporibus gravissimi, nunc munus omne eo redactum est, ut Episcopo ordinationes generales celebranti, quum ipsi commodum fuerit, assistat, promovendos ad ipsam ordinationem evocaturus. Si vero agatur de Parochis aliisve animarum curam gerentibus, nemo quidem negabit ipsorum munus magni in ecclesia momenti esse; sed quum simul negari nequeat " praelationis munus seu statum (ut inquit Suarez, *de Religione tom.* III, *lib.* 1, *cap.* 21, ubi de animarum cura loquitur) minus securum esse, Religionis vero esse statum maioris securitatis in ordine ad spiritualem salutem " unusquisque Parochus Religiosae vitae cupidus hac una exceptione in iudicio se tuebitur adversus Episcopum, qui ipsum ad animarum curam revocare contendat. Sanctus Gregorius Magnus, quum olim scriberet adversus legem ab Imperatore Mauritio editam, qua

et difficile esse ut Episcopus Clericum ad saecularem statum revocare possit.

interdictum erat militibus monasticam vitam amplecti, hanc inter alias rationem afferebat: " Multi sunt, qui possunt Religiosam vitam etiam cum saeculari habitu ducere, et plerique sunt, qui, nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt; „ ut videre est in ipsius epistola (65, *lib.* 3, *indict.* vi, *tom.* 2 *praefatae editionis Parisiensis*). Nunc ergo quilibet Beneficiatus, Canonicus, Archidiaconus, Parochus, qui officium aut ministerium suum cum Religiosa vita commutaverit, se non inter multos, sed inter plerosque a S. Gregorio indicatos connumerandum esse affirmabit.

Si autem ipsi obiiciatur, quod in saeculari statu pauperibus largiter subvenire consueverat, respondebit, se non minus ex ipsis Religiosis claustris, si bonorum suorum possessionem ad Religionem attulerit, opportunis obtentis facultatibus, pauperum indigentiis subventurum. Sane quum in praefata lege Mauritius Imperator inhiberet, ne debitores publici aerarii in monasteriis reciperentur, Sanctus Gregorius eam partem legis impugnans, de qua tamen deinde suam opinionem mutavit, ut observant laudati editores (*in notis litt. d.*), ita scribebat in citata epistola: " Quod vero in eadem lege dicitur, ut ei in monasterium converti non liceat, omnino miratus sum; dum et rationes eius possunt per monasterium fieri, et agi potest ut ab eo loco, in quo suscipitur, eius quoque debita suscipiantur. „

Quod si obiiciatur gravis aetas Presbyteri ad Religionem transeuntis, facilis et obvia erit responsio, quod multi sunt in Regularium familiis Religiosi viri in senili aetate constituti, qui pro modo virium suarum laudabilem operam Religioni praestant; quorum numero ipsum, de quo est quaestio, adiungi nil vetat. Ita pariter Sanctus Gregorius, contra propugnatores supra dictae legis, qui dicebant milites ad monasteria convolantes bonos monachos non evadere, affirmabat: " Ego, indignus famulus vester, scio quanti his diebus meis in monasterio milites conversi miracula fecerunt, signa et virtutes operati sunt. „

Aliae rationes ob quas non est ferenda constitutio.

Denique, huic epistolae iam nimis prolixae finem facturi unum adhuc addimus: ex centum nimirum Archidiaconis non facile duos inventum iri, qui archidiaconatum dimittere et Religionem ingredi velint; contra vero in pari Regularium numero multos sane inveniri posse, qui Regularem vitam pro Archidiaconatu adipiscendo relinquerent. Quare, quum leges versari oporteat circa ea quae frequenter accidunt, profecto non tam nova lege opus erit ad retinendos Clericos et Presbyteros saeculares, ne Religiones ingrediantur, quam necesse esset aliquid excogitare, quo magis intra Religiosa claustra continerentur ii, qui Regularem vitam amplexi et professi sunt. Vix enim credibile est, quam multi a Regularibus Ordinibus migrare variis artibus quotidie moliantur. Neque solum de apostatis loquimur, quorum numerus in dies augetur; sed, si omnes qui nullitatem professionis suae iudicio experiri aggrediuntur, illam apud Iudices probarent; si omnes qui dignitates extra Religionem ambiunt, voti compotes fierent; si demum facilem apud Nos aditum invenirent eorum instantiae qui e claustris exire et in habitu Presbyteri saecularis, sub obedientia Episcoporum, et cum obligatione servandi

BENEDICTI XIV

14 Ian. 1747

vota Religiosa, quatenus conciliari possunt cum statu Clerici saecularis, in saeculo manere vellent; longe utique minor eorum foret numerus, qui Religionem professi, ad mortem usque in illa perseverarent.

Dum itaque, dilecte fili Noster, consiliis tuis, quae tum privatis litteris, tum etiam typis impressis, non minus docte quam eloquenter proposuisti, obsecundandum Nobis esse non arbitramur: in eo tamen singularem existimationem quam de Te merito fovemus agnosces, quod Tibi causas atque rationes, quibus ab iis sequendis retrahimur, exponere non detrectavimus his litteris Nostris, quibus etiam Tibi, novum benevolentiae Nostrae pignus, apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae, apud S. MARIAM maiorem, die decimo quarto Ianuarii MDCCXLVII, Pontificatus Nostri anno septimo.

BENEDICTI XIV

INDULGENTIAE CONGREGATIONUM B. MARIAE VIRGINIS

CONFIRMANTUR ET AMPLIANTUR.

24 Apr. 1748

BENEDICTUS PAPA XIV
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

BENEDICTI XIV

Exordium a Societatis in instituenda iuventute meritis.

PRAECLARIS ROMANORUM PONTIFICUM praedecessorum Nostrorum de inclyta Societate IESU bene merentissimorum vestigiis insistentes, eamdem Societatem, cuius Religiosi Alumni Christi bonus odor sunt et ubique gentium habentur, ex eo praesertim, quod ut adolescentes ad eorumdem sacras aedes et scholas accedentes, tam in bonarum artium, doctrinarum ac disciplinarum studiis, quam in christianae religionis ac pietatis operibus et exercitationibus erudiantur, omnem operam studiumque impendere magno cum eorumdem adolescentium profectu pergunt, novis Nostrae etiam pontificiae benignitatis testimoniis cumulare non dubitamus; fore enim in Domino confidimus, ut omnia in ipsam Societatem collata apostolicae auctoritatis documenta in maiorem divini honoris cultum et animarum Christi fidelium redundent utilitatem.

Concessae antea Congregationi B. MARIAE V. gratiae,

Quoniam autem Congregationi sive Sodalitio adolescentium in Collegio laudatae Societatis huius almae Urbis Nostrae erectae ac Primae Primariae dictae, aliisque ubicumque locorum in aliis eiusdem Societatis Collegiis, locis sive Domibus ad ipsius Primae Primariae instar erectis et erigendis, fel. rec. Gregorius XIII, Sixtus V, Clemens VIII et Gregorius XV, Romani Pontifices praedecessores Nostri, per alias apostolicas suas sive sub plumbo, sive in simili forma brevis expeditas litteras, quarum tenores hisce Nostris pro insertis et expressis haberi volumus, nonnullas gratias, indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes concesserunt: dilectus filius Franciscus Retz, Generalis dictae Societatis Prae-

supplicante Praeposito Generali Francisco Retz,

BENEDICTI XIV

24 Apr. 1748

positus, Nobis humiliter supplicari fecit, ut coelestes huiusmodi thesauros, quorum dispensationem Nobis itidem credidit Altissimus, eidem Congregationi aliisque ad ipsius instar alibi erectis et erigendis, confirmare, et largiori apostolica liberalitate erogare dignaremur.

Nos itaque, vehementiora iisdem adolescentibus, ut ardentioribus studiis eximia pietatis opera et exercitationes huiusmodi suscipiant et frequentent, adiicere cupientes incitamenta, atque ipsum Franciscum, Generalem summa cum nominis sui laude memoratae Societatis Praepositum, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas gratias, indulgentias, remissiones et relaxationes ante dictas, auctoritate et tenore paribus non solum confirmamus, et de novo, quatenus opus sit, servata tamen illarum forma et dispositione, concedimus; verum etiam auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de omnipotentis Dei misericordia et BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ita extendimus, ampliamus et elargimur, ut omnes et singuli adolescentes sive sodales saepe dictas Congregationes erectas et erigendas frequentantes, et praescripta ab iisdem praedecessoribus Nostris opera peragentes, plenarias quidem indulgentias, quas etiam animabus Christi fidelium, quae

confirmantur,

novaeque conceduntur indulgentiae plenariae,

Deo in charitate coniunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicare possint, lucrentur:

Quo die in Sodalitatem quispiam recipitur,

In mortis articulo,

Nec non semel in hebdomada, in iis diebus in quibus iuxta dictae Primae Primariae, sive aliarum alibi erectarum vel erigendarum Congregationum ac Sodalitatum statuta ac regulas seu consuetudines, sodalium conventus haberi solent, et vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, ecclesiam, sive cappellam, oratorium, seu locum uniuscuiusque Congregationis ac Sodalitatis visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, et S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint.

Septem vero annorum et totidem quadragenarum de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis, poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxationes pariter consequi et lucrari possint ii omnes, qui corpora sodalium vel aliorum Christi fidelium ad ecclesiasticam sepulturam prosecuti fuerint, vel infirmi sive impediti, qui audito signo campanae genuflexi, si per infirmitatem licebit, Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam pro salute animae defuncti vel corporis infirmi recitaverint;

et partiales.

Item qui coetibus tum publicis tum privatis, seu divinis officiis, vel spiritualibus colloquiis et exhortationibus, aut piis officiis etiam in sodalium vel aliorum Christi fidelium defunctorum utilitatem per ipsam Congregationem ordinandis, et a Generali Praeposito pro tempore vel eius Vicario approbandis,

Sive sacrosancto Missae Sacrificio diebus feriatis interfuerint,

BENEDICTI XIV

24 Apr. 1748

Qui pariter conscientiam suam diligenter examinaverint vesperi antequam cubitum eant,

Qui pauperes infirmos, tam sodales quam alios, in hospitalibus vel privatis domibus,

Et qui carcere detentos visitaverint,

Nec non qui pacem inter inimicos conciliaverint.

Quas etiam omnes indulgentias consequi poterunt iidem adolescentes sive sodales, ubivis locorum commorantes, si apud ecclesiam eorumdem locorum, aut alibi, ut poterunt, opera praestabunt, quae sunt servanda ad indulgentias huiusmodi consequendas.

Indulgentias vero stationum ecclesiarum supra dictae huius almae Urbis Nostrae, sive intra sive extra muros illius, consequentur pariter iidem adolescentes sive sodales, si diebus quadragesimae et aliis anni temporibus ac diebus stationum huiusmodi, ecclesiam Societatis Iesu, si ibi fuerit, alioquin aliam ecclesiam seu cappellam, in locis ubi eos pro tempore esse contigerit, devote visitaverint, et ibi septies Orationem Dominicam et septies Angelicam Salutationem recitaverint.

Altare privilegiatum.

Porro iisdem sodalibus cuiusvis Congregationis ac Sodalitatis huiusmodi, etiam postquam eorumdem animae Deo in charitate coniunctae ex hac vita migraverint, de thesauris coelestium munerum, quorum dispensationem Nobis credidit Altissimus, benigne providere volentes; ut Domini nostri Iesu Christi eiusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, et illis adiutae e purgatorii poenis ad aeternam gloriam perduci valeant, de omnipotentis itidem Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ut quandocumque Sacerdos aliquis saecularis, vel cuiusvis Ordinis, Congregationis et Instituti Regularis, sacrosanctum Missae Sacrificium, sive ad altare cuiusvis Congregationis et Sodalitatis huiusmodi, sive sodales ipsi Sacerdotes pro suis sodalibus ad quodlibet altare celebraverint, Sacrificium huiusmodi perinde ipsis suffragetur, ac si ad altare privilegiatum fuisset celebratum, concedimus et indulgemus.

Non obstantibus Nostra et Cancellariae Nostrae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu Praepositi Generalis vel eius Secretarii sive Moderatoris pro tempore exsistentis memoratae Congregationis eiusdemque sigillo roboratis, vel manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur iisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die vigesima quarta Aprilis MDCCXLVIII, Pontificatus Nostri anno octavo.

Caietanus Amatus.

BENEDICTI XIV

INTER CONSULTORES CONGREGATIONIS SS. RITUUM

LOCUS UNI E SOCIETATE ASSIGNATUR.

BENEDICTUS PAPA XIV
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

BENEDICTI XIV

Exordium a laude Societatis Iesu;

Constantem omnium sensum, pontificio etiam confirmatum oraculo, omnipotentem nimirum Deum, sicut alios aliis temporibus sanctos viros, ita Luthero eiusdemque temporis haereticis S. Ignatium et institutam ab eo Societatem obiecisse: adeo Religiosi ipsius Societatis alumni luculentissimis tanti Parentis vestigiis insistentes, per assidua religiosarum virtutum exempla et praeclara omnium doctrinarum ac praesertim sacrarum documenta, comprobare pergunt; ut quemadmodum non mediocre ad gravissimas Catholicae Ecclesiae rationes saluberrime accurandas, componendosque mores atque in bonis artibus instituendos adolescentes, subsidium conferre satagunt, ita nova apostolicae benignitatis argumenta promereri videantur. Satis enim superque compertum est universis, atque exploratum, quibus per omne tempus religiosis viris, et christiana pietate, et omnium disciplinarum splendore, et multiplici litterarum cognitione, aeternaque Christi fidelium salutis zelo commendatissimis, addictissima huic S. Sedi ipsa Iesu Societas, locuples adhuc, veluti generosa mater, non immerito gloriatur.

Nos sane, qui ea propter semper plurimi fecimus, atque, in suprema hac sacrosanti apostolatus Cathedra plane immerentes per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam sedentes, maiori in honore laudatam Societatem habemus; decet ut perenni etiam Nostrae charitatis auctoritatisque apostolicae testimonio eamdem donemus, ne quod aliis Religiosis Ordinibus et Institutis in hac alma Urbe Nostra conspicuis, sive per Romanos Pontifices praedecessores Nostros, sive per Nos ipsos, decus et ornamentum sive honorificentiae munus impertitum esse dignoscitur, eidem Societati Iesu de orthodoxa religione bene merentissimae deesse patiamur. 24 Apr. 1748

cui quum viris in omni disciplina versatis abundet,

Qui magna Nostrorum operum volumina de Beatificatione et Canonizatione Servorum Dei pervolverit, is intelliget omni procul dubio, quod, si in caeteris expediendis negotiis insignium hominum opera et industria requiritur, in rebus certe per Congregationem venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositam expendendis decidendisque, maior virorum in omni disciplina versatorum, quibus ipsa inter alios Ordines et Instituta Societas memorata abundat, delectus haberi debeat. Hinc est, quod Nos motu proprio, ac ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, volu-

locus assignatur inter sacrae rituum Congregationis Consultores.

mus at decernimus, ut deinceps perpetuis futuris temporibus unus ex eiusdem Societatis Iesu Presbyteris laudatae Congregationis Cardinalium sacris ritibus praepositae Consultor sit et habeatur, ut huius vacatione succedente, alter dictae Societatis Presbyter in ipsius locum semper substituatur. Etsi autem in praesentia dilectus filius Hieronymus Ridolfi, saepe dictae Societatis Presbyter, locum unius Consultoris in memorata Congregatione Cardinalium teneat, tamen, ut pontificiae huiusmodi indulgentiae possessionem ipsa Societas Iesu capiat, atque etiam ut paterna grati animi significatione prosequamur dilectum filium Emmanuelem de Azevedo eiusdem Societatis Presbyterum, qui non solum in quam plurimis, sive colligendis, sive adornandis atque in lucem edendis aliorum insignium virorum operibus de rebus Liturgicis plenissime tractantibus, sed in ante dictis etiam Nostris voluminibus, aliisque a Nobis compositis, in unum veluti corpus e duodecim et amplius tomis constans, cogendis et quam castigatissime splendidissimeque hic Romae recudendis maxime intentus, atque in eiusdem sacrorum rituum Congregationis negotiis accurate expediendis versatus et instructus, primum huiusmodi locum quodam veluti merito sibi debitum vindicat: ea propter ipsum Emmanuelem de Azevedo a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, praeter memoratum Hieronymum Ridolfi consultorem, auctoritate et tenore paribus eumdem Emmanuelem unum saepe dictae sacrorum rituum Congregationis Consultorem itidem quoad vixerit facimus, constituimus et deputamus; ita ut uterque insimul quoad ambo etiam in humanis fuerint, eiusdem Congregationis Consultoris munere perfungantur, nec alterius vacationi in posterum substituatur, sed per utriusque dumtaxat cessum sive decessum novus eiusdem Societatis Presbyter Consultoris huiusmodi locum a Nobis, ut praemittitur, dictae Societati assignatum tenere debeat.

Clausulae.

Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii apostolici Auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque Societatis Iesu etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse deroga-

BENEDICTI XIV mus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. MARIAM maiorem, sub annulo Piscatoris, die vigesimo quarto Aprilis MDCCXLVIII, Pontificatus Nostri anno octavo. 24 Apr. 1748

Caietanus Amatus.

BENEDICTI XIV

BULLA AUREA

QUA INDULGENTIAE, GRATIAE ET PRIVILEGIA CONGREGATIONUM B. MARIAE VIRGINIS CONFIRMANTUR ET AMPLIANTUR.

BENEDICTUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

BENEDICTI XIV

Prooemium a cultu erga Deiparam commendando.

GLORIOSAE DOMINAE, DEI Genitricis, MARIAE cultum ac venerationem, DEI manifesta voluntate ac veraci semper Ecclesiae spiritu, magnopere commendari, nec minus iuste quam fructuose eidem a fidelibus exhiberi, adeo manifestum esse non dubitamus, ut ad christianorum corda religioso devotionis studio erga eam inflammanda apostolicae adhortationes Nostrae superfluae propemodum fore videantur.

Sicut enim omnipotens DEUS hanc felicissimam Virginem electam ex millibus, et ad ineffabilem divinae maternitatis dignitatem Angelo nuntiante evectam, gratiae suae donis abundantius prae caeteris omnibus puris creaturis replevit, ac splendidissimis gloriae coronis super alia omnia manuum suarum opera decoravit; sic etiam Catholica Ecclesia, Sancti Spiritus magisterio edocta, eamdem, et tamquam Domini ac Redemptoris sui Parentem coelique ac terrae Reginam impensissimis obsequiis colere, et tamquam amantissimam Matrem, extrema Sponsi sui morientis voce sibi relictam, filialis pietatis affectu prosequi studiosissime semper professa est. 27 Sept. 1748 Ad eius opem in publicis calamitatibus et perturbationibus, quaecumque infernorum hostium vi excitatae fuerunt, veluti ad tutissimum salutis portum confugere consuevit, eiusque potissimum virtute cunctas haereses in universo mundo exstinctas ac debellatas esse fatetur. Haec enim est speciosissima Esther, quam adeo supremus Regum Rex adamavit, ut ad salutem populi sui, non tam dimidiam regni sui partem, quam totum quodam modo imperium suum et potestatem cum ea communicasse videatur. Haec fortis illa Iudith, cui DEUS Israel de omnibus inimicis terrae suae victoriam deportare concessit. Hanc ipsa Ecclesia, concordibus Patrum sententiis, a filiis suis omnibus in peculiaribus eorum necessitatibus atque periculis cum fiducia adeundam suadet, tamquam Advocatam apud suum Deique unigenitum Filium loquentem pro nobis bona. Hanc praedicat mysticam arcam foederis, in qua reconciliationis nostrae impleta sunt sacramenta, quam DEUS respiciens pacti

BENEDICTI XIV

27 Sept. 1748

sui recordabitur, et misericordiae memor erit. Ipsa est coelestis veluti rivus, per quem gratiarum omnium atque donorum fluenta in miserorum mortalium sinum deducuntur; ipsa est aurea coeli porta, per quam in sempiternae beatitudinis requiem aliquando intrare confidimus.

De S. Ignatii in B. Virginem fiducia, et zelo in eius gloria propaganda.

Haec atque alia secum perpendens B. Ignatius Confessor, qui ad maiorem Dei gloriam propagandam militantis Ecclesiae castra novis sub Sanctissimi Nominis Iesu vexillo conscriptis legionibus auxit, quum magnum certamen, sibi suisque militibus pro sua cuiusque non minus quam pro aliorum etiam salute propositum, animo prospiceret, aptissimum sibi praesidium in B. Virginis tutela statuendum esse sapientissime iudicavit. Idcirco, quum primum e patria domo digressus, grandia iam tum in corde suo volvens, sacrae militiae tirocinium ponere decrevisset, ad ipsius Virginis pedes statim se contulit, et sub illius auspiciis arduum perfectionis iter ingressus est. Quum vero deinceps, primo commilitonum delectu habito, ipsos iam iam in aciem ducere institueret, non alibi quam in aede Virginis Parisiis apud Montem Martyrum solemni sacramento se cum illis adstrinxit, atque in hoc veluti firmissimo lapide prima Instituti sui fundamenta solidavit. Quod autem ipsi usitatum fuit, ut nihil fere gravius, nisi invocato prius Mariae nomine, aut statueret aut aggrederetur: id omnibus alumnis suis documento esse voluit, ut, in obeundis professionis suae officiis atque laboribus, in eius potissimum patrocinio divini adiutorii spem collocarent; et in adeundis pro religione periculis hanc sibi Turrim fortitudinis, ex qua clypeorum millia pendent, a facie inimici perfugium et munimentum esse confiderent. Itaque ipsi, per omnem terrarum et marium amplitudinem portantes adorabile Nomen Iesu coram Regibus et nationibus, dulcissimum simul Matris eius nomen ubique annuntiare non destiterunt; et una cum fidei lumine et morum sanctitate Deiparae quoque cultum et honorem in omnibus utriusque orbis regionibus mirabiliter propagarunt.

Societas Iesu sub B. Virginis tutela posita.

Inter alia Societatis Iesu instituta, laudatur erectio Congregationum B. V. Mariae.

Illud autem bene ac sapienter institutum ab ipsis et passim usurpatum esse dignoscitur, quod scilicet, dum inter alia Instituti sui exercitia, quibus Ecclesiae Dei utilissimam operam navare pergunt, christianam ubique iuventutem religione et bonis artibus imbuere et excolere student, eamdem piis Sodalitiis seu Congregationibus Sanctissimae Virgini Dei Genitrici dicatis aggregari curant, eiusque obsequiis et famulatui specialiter mancipatam, sub illius propemodum disciplina, quae Mater est pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis, ad christianae perfectionis fastigium eniti, et ad aeternae salutis metam contendere docent. Ex hoc laudabili et pio instituto, sanctis et salubribus legibus pro varia sodalium conditione multipliciter instructo, ac prudenti peculiarium Moderatorum solertia provide exculto, incredibile est quanta in omnium ordinum homines utilitas derivata fuerit; dum alii arreptam a teneris annis, sub beatissimae Virginis clientela, innocentiae ac pietatis viam insistentes, bene moratae vitae tenorem, qui christianum hominem et Virginis famulum decet, per omnes aetates, optimo exemplo et finalis perseverantiae fructu, servare meruerunt; alii a vitiorum illecebris,

Congregationum huiusmodi fructus.

quibus misere erant irretiti, et a via iniquitatis, quam ingressi fuerant, ope clementissimae Matris Dei, cuius obsequiis in huiusmodi Sodalitiis sese devoverant, ad bonam frugem revocati, sobriam deinde et iustam et piam vitae rationem amplexi sunt, ac sacrarum exercitationum in iisdem Congregationibus assiduitate adiuti, in ea felicissime perseverarunt; alii etiam, ex devota affectione erga Deiparam mature concepta, ad sublimiores divinae charitatis gradus evecti, vanis fluxisque huius mundi bonis ac voluptatibus forti magnoque animo relictis, ad sanctiorem tutioremque Regularis vitae statum commigrarunt, et Christi cruci per Religiosa vota confixi, propriae perfectioni et proximorum saluti promovendae totos se dediderunt.

Romani Pontifices dictas Congregationes variis gratiis cumularunt.

Ex his omnibus clare patet, quam prudenti et salutari consilio praedecessores Nostri Romani Pontifices huiusmodi Congregationum institutum iam usque ab initio apostolico favore complexi sint, et ad illud fovendum et promovendum pluribus et singularibus gratiis ac privilegiis earumdem Moderatores atque sodales cumulaverint. Vix enim fel. rec. Gregorius Papa XIII prima instituti huiusmodi fundamenta, in ecclesia B. Mariae Virginis Annuntiatae in corpore aedificiorum Collegii Romani sita, inter scholares ad ipsum Collegium confluentes aliquo modo iacta fuisse cognovit, quum ipsis scholaribus aliisque Christi fidelibus, qui adeo laudabilibus operibus et exercitiis cum ipsis se addicerent, nonnullas indulgentias et peccatorum remissiones concessit: quas tamen deinde multo magis apostolica liberalitate ampliavit, tunc quum institutum ipsum per alias etiam mundi partes ad Dei gloriam et Virginis honorem publicaeque salutis fructum per eosdem Societatis Iesu alumnos, ut iam fieri cognoverat, magis magisque semper propagari cupiens, operae pretium duxit Primariam instituti huiusmodi Congregationem seu Primarium Sodalitium, in ipsa ecclesia Annuntiationis B. Mariae Virginis in praefato Collegio Romano sita, sub Praepositi Generalis Societatis Iesu tunc et pro tempore exsistentis, vel eo absente aut esse desinente sub Vicarii etiam Generalis eiusdem Societatis regimine, auctoritate apostolica erigere et stabilire, ita ut aliae quaecumque Congregationes et Sodalitia similia per diversas mundi partes sub eodem titulo erecta et erigenda a Primaria huiusmodi Congregatione seu Primario Sodalitio, tamquam membra a capite dependentia, et normam et exemplum et indulgentiarum atque gratiarum communicationem ab ipso acciperent, ut latius et uberius continetur in ipsius Gregorii praedecessoris litteris, anno incarnationis Dominicae MDLXXXIV, nonis Decembris sub plumbo datis, quae sunt tenoris sequentis:

Gregorius XIII primariam Congregationem in Collegio Romano erexit cum indulgentiarum concessione,

et cum facultate aggregandi alias Congregationes, et communicandi indulgentias.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Omnipotentis Dei....

Vid. pag. 108.

Quum vero pium Congregationum huiusmodi institutum, communi ubique plausu et utilitate commendatum, tanta continuo incrementa suscepisset, ut necessarium plerumque esset in singulis Collegiis et Domibus ipsius Societatis Iesu, non unum, sed plura huiusmodi Sodalitia pro soda-

BENEDICTI XIV

27Sept.1748

Sixtus v primo ampliavit facultatem aggregandi.

lium frequentia et disparitate constituere; rec. mem. Sixtus Papa v similiter praedecessor Noster facultatem indulsit Generali eiusdem Societatis Praeposito tunc et pro tempore exsistenti, seu Vicario etiam Generali, ut in quibusvis etiam ipsius Societatis ecclesiis seu Domibus et Collegiis quasvis alias, sive scholarium tantum sive aliorum Christi fidelium tantum sive utrorumque simul, tam sub eodem B. Mariae Virginis Annuntiatae quam sub alio quovis titulo et invocatione, Congregationes et Sodalitia erigere et constituere, illasque et illa eidem Primariae Congregationi seu Primario Sodalitio aggregare, eisque omnes et singulas indulgentias aliasque gratias et privilegia spiritualia et temporalia praefatae Primariae concessa et concedenda communicare et extendere posset; per quasdam incipientes Superna dispositione, datas apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae MDLXXXVI, nonis Ianuarii, Pontificatus sui anno secundo, tenoris sequentis, videlicet:

Anno vulgari 1587.

SIXTUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Vid. pag. 108.

Superna dispositione ...

Sixtus v secundo ampliavit dictam facultatem.

Et successive, quia quaedam dubitandi occasio occurrerat, per alias suas apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicae MDLXXXVII, tertio kal. Octobris expeditas litteras, huiusmodi facultatem ampliando, declaravit huiusmodi erectiones, etiam in Collegiis seu Seminariis aliisque locis sub directione, institutione et gubernio ipsius Societatis vel personarum illius exsistentibus, similiter et pari cum effectu ab eodem Praeposito seu Vicario Generali fieri posse; aliaque statuit, quae in secundo dictis ipsius Sixti praedecessoris litteris distinctius continentur, quarum tenor talis est:

SIXTUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Vid. pag. 112.

Romanum decet Pontificem . . .

Clemens VIII eamdem facultatem extendit ad Congregationes in Residentiis Societatis Iesu erectas.

Praedictam vero facultatem novas Congregationes seu Sodalitia huiusmodi erigendi, et dictae Primariae Congregationi in Collegio Romano fundatae aggregandi, illisque indulgentias et gratias spirituales praefatas communicandi, Praeposito Generali Societatis Iesu, sicut praefertur, concessam, fel. rec. praedecessor pariter Noster Clemens Papa VIII ita ampliavit per suas litteras datas die trigesimo Augusti anni MDCII sub annulo Piscatoris, ut eidem Praeposito Generali tunc et pro tempore exsistenti liceret quascumque alias similes Congregationes, apud quascumque Residentias Presbyterorum dictae Societatis Iesu ubicumque erectas et postmodum erigendas, eidem Primariae Congregationi similiter aggregare, illisque indulgentias et gratias spirituales huiusmodi communicare.

Vid. pag. 130.

Gregorius XV id apertius declaravit.

Id quod apertius etiam, distinctius et uberius a sim. mem. praedecessore pariter Nostro Gregorio XV indultum et respective declaratum fuit per alias litteras die decimo quinto Aprilis anni MDCXXI sub annulo Piscatoris similiter datas, sequentis tenoris, videlicet:

GREGORIUS PAPA XV AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Vid. pag. 139.

Alias pro parte ....

Benedictus XIV qui, dum in minoribus

Nos denique, qui, dum in minoribus versabamur inter sodales Congre-

esset, adscriptus fuit huiusmodi Congregationibus, litteras praedecessorum confirmavit aliasque indulgentias concessit.

gationis B. MARIAE Virginis in coelum Assumptae apud Domum Professam praedictae Societatis IESU de Urbe adscripti, pias et religiosas ipsius Sodalitii exercitationes cum magna spirituali consolatione Nostra frequentasse libenti animo recolimus; ad pastoralis officii Nostri debitum pertinere iudicantes huiusmodi solidae pietatis instituta, quibus christiana virtus promovetur et animarum salus plurimum adiuvatur, apostolicae auctoritatis et liberalitatis ope fovere ac promovere, per Nostras litteras die vigesima quarta superioris mensis Aprilis in forma brevis expeditas praemissas omnes praedecessorum Nostrorum concessiones et gratias approbavimus, confirmavimus, atque etiam latius extendimus et ampliavimus, ut patet ex subiecto earumdem litterarum tenore, qui talis est:

BENEDICTUS PAPA XIV
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Vid. pag. 278.

PRAECLARIS ROMANORUM PONTIFICUM ....

Idem Pontifex dictam Congregationem et illi aggregatas novis privilegiis cumulare studet.

Nunc autem, ad declarandum magis magisque propensum Nostrum studium tam erga pias huiusmodi Sodalitates, quibus debita in DEUM religio et B. Virginis cultus cum salubribus et laudabilibus pietatis operibus assidue exercetur, quam etiam erga dilectum filium Franciscum Retz, praefatae Societatis IESU Praepositum Generalem, eiusdemque Societatis alumnos, quorum strenuam atque fidelem operam in propaganda aut asserenda per universum terrarum orbem catholicae fidei atque unitatis, christianaeque doctrinae ac pietatis integritate et sanctitate cum divini Nominis et Beatissimae Virginis cultu, plurimi facimus; quosque pro devota, quam profitentur et exhibere non cessant in Nos et Apostolicam Sedem, observantia, singulari paternae charitatis affectu prosequimur; praemissas concessiones et gratias novo apostolicae firmitatis robore communire atque etiam augere volentes; ipsumque Franciscum Praepositum, ac singulos dictae Societatis alumnos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati exsistant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; motu proprio, et ex certa scientia meraque liberalitate Nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, singulas praeinsertas Gregorii XIII, Sixti V, Gregorii XV praedecessorum praedictorum et nuperas litteras Nostras, omnesque et singulas gratias, concessiones, facultates, indulgentias, remissiones, relaxationes, immunitates et ampliationes in eis respective contentas et expressas singillatim et in specie, apostolica auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et innovamus.

Societatem IESU laudat.

Ideo confirmat denuo litteras praedecessorum et suas.

Item decernit quod Congregationes aggregatae et aggregandae sibi in Patronam B. MARIAM V. assumant,

Sane dignum et congruum arbitrantes, ut, quemadmodum Primaria Congregatio seu Primarium Sodalitium praedictum sub gloriosissimae DEI Genitricis titulo et protectione in via pietatis progreditur, ita et aliae piorum sodalium Congregationes, quae spiritualium gratiarum huiusmodi participationis consortes sunt aut esse cupiunt, sub tantae Virginis patrocinio et auspiciis in similium piorum operum exercitatione proficiant, et per hoc eidem Primariae Congre-

gationi seu Primario Sodalitio, tamquam membra capiti congruere dignoscantur: decernimus et statuimus, ut si aliquod fuerit huiusmodi Sodalitium aut Congregatio apud ecclesias, Domos, Collegia seu Residentias Presbyterorum Societatis IESU, cuius titulus non quidem B. MARIAE Virginis, sed vel alicuius Sancti vel cuiuslibet alterius generis exsistat; quo valeat in posterum indulgentiis et gratiis frui et gaudere, quae praefato Primario Sodalitio seu Primariae Congregationi, cui aggregari cupiat, seu iam aggregatum fuerit, ab Apostolica Sede concessae sunt, aut in futurum forsan concedentur, Beatissimam Virginem MARIAM in Patronam etiam eligere, eiusdemque mysterium aliquod seu festivitatem pro titulo, simul cum alio patrono aut titulo sibi alias electo seu deinceps eligendo, assumere et retinere debeat.

et extendit ad diem festum B. MARIAE V. quod pro titulo celebratur, indulgentiam die festo titulari a Gregorio XIII concessam;

Nos enim auctoritate praedicta concedimus, ut indulgentia plenaria, quam praefatus praedecessor Gregorius Papa XIII eisdem sodalibus et omnibus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, sacraque communione refectis, eiusdem Primariae Congregationis ecclesiam in festo Annuntiationis B. MARIAE visitantibus, ibique DEUM Opt. Max. iuxta expressam ibidem ipsius praedecessoris mentem precantibus, in praeinsertis ipsius litteris concessit, ea, quoad alias Congregationes eidem Primariae aggregatas seu aggregandas, pro eo die concessa censeatur, quo die huiusmodi festum seu mysterium B. MARIAE Virginis celebratur et colitur, cuius festivitatis aut mysterii titulo Congregationes huiusmodi insignitae fuerint.

die vero festo alterius S. Patroni,

Et nihilominus, tam ipsis sodalibus quam aliis quibuscumque Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis et eucharistici panis communione refectis, qui ecclesiam seu oratorium aut sacellum et locum huiusmodi Congregationum, in die festo alterius Patroni huiusmodi, a primis vesperis usque ad occasum solis ipsius festi, vel, si alter huiusmodi Patronus et titulus non adsit, uno alio die in singulos annos a cuiuslibet Congregationis Moderatore designando, a primis nempe vesperis ad occasum solis diei huiusmodi, visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione et S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad DEUM preces fuderint, similem indulgentiam plenariam, etiam in suffragium animarum fidelium defunctorum cuiusque arbitrio applicandam, sine praeiudicio alterius pro festivitate seu titulo B. MARIAE Virginis ut supra, atque aliarum similium per praedecessores Nostros, ut praefertur, eisdem Congregationibus concessarum, simili motu, scientia et potestate, concedimus et elargimur.

sive tituli, seu uno alio die infra annum, similem indulgentiam concedit.

Si locus pro utroque festo celebrando varietur, indulgentiam ad altare in quo festum celebratur tranfert.

Hoc insuper decernentes, ut, si ob aliquam causam locus, sive ecclesia aut oratorium seu sacellum ad Sodalitii conventus destinatum varietur, aut quomodolibet sive in perpetuum sive ad tempus immutetur, vel etiam pro maiori populi commoditate et solemniori festivitatis celebritate, tam tituli principalis quam Patroni et tituli minus principalis festum in alia ecclesia seu templo de consensu Moderatoris celebrari contingat, nihilominus eadem indulgentia, tam sodalibus quam aliis quibuscumque Christi fidelibus aliam huiusmodi ecclesiam seu templum aut oratorium rite visitantibus aeque suffragetur, ac si consuetam et propriam ipsius Sodalitii ecclesiam, seu

Si dies varietur, similem translationem concedit.

oratorium aut sacellum et locum ad ipsius conventus designatum, visitarent; utque praeterea, quatenus unum aut alterum titulare festum huiusmodi, seu etiam utrumque, ab aliqua ex praedictis Congregationibus proprio die non satis opportune aut solemniter celebrari possit, liceat praedicto Praeposito Generali tunc et pro tempore exsistenti, aut Superiori loci eiusdem Societatis, aliam diem, seu Dominicam infra octavam, sive diem octavam ipsius festi, sive aliam diem infra annum pro huiusmodi festivitatum celebratione et pro concessae indulgentiae acquisitione, iuxta singularum huiusmodi Congregationum opportunitates designare. Quo casu etiam permittimus, ut si dies electa impedita fuerit festo duplici, una Missa votiva solemnis de huiusmodi translato festo celebrari possit.

Declarat insuper indulgentiam, qualibet hebdomada concessam, acquiri die quo SS. Sacramenta sumuntur.

Cum autem Nos ipsi in praeinsertis Nostris litteris omnibus eiusdem Primae Primariae aliarumque Sodalitatum seu Congregationum huiusmodi eidem aggregatarum sodalibus ut praefertur dispositis, et propriam cuiusque Sodalitii ecclesiam, seu oratorium, sacellum aut locum semel in hebdomada, uno nimirum die quo Sodalitii conventus habeatur, visitantibus, ibique, ut etiam praefertur, orantibus, plenariam similiter indulgentiam apostolica liberalitate concesserimus; cumque non raro contingat, ut pluries in hebdomada saepe dicti Sodales ad pia et consueta exercitia congregentur: ne forte dubium oriatur, quinam ex illis diebus ad praefatam indulgentiam consequendam sit constitutus; decernimus et declaramus, praefatam plenariam indulgentiam semel in hebdomada, tam a sodalibus huiusmodi, quam etiam ab earumdem Congregationum seu Sodalitiorum ministris, seu ipsis inservientibus (ad quos videlicet donec huiusmodi Congregationum servitiis addicti fuerint, omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes pro Sodalibus hactenus tam a praedecessoribus Nostris quam a Nobis ipsis concessas et in posterum forsan concedendas, praesentium tenore expresse extendimus et iisdem communicamus) acquirendam, pro eo die valere, qui ad sumendam Sanctissimam Eucharistiam, aliaque iniuncta opera adimplenda cuiuslibet eorum arbitrio eligetur; dummodo tamen die electo, sive matutinis sive vespertinis horis sive etiam praecedenti vespere sodalium conventus in consueto oratorio seu ecclesia aut loco habeatur.

Indulgentias sodalibus concessas extendit ad ministros Congregationum ipsis actu inservientes.

Hortatur sodales ut in electione diei conformes sint sub Moderatoris regimine.

Sed tamen omnes et singulos sodales atque ministros praefatos monemus et in Domino hortamur, ut commendatam sibi suisque spiritualibus utilitatibus magnopere profuturam assiduitatem atque frequentiam, quam piis Congregationum huiusmodi exercitationibus praestituros eos esse confidimus, devotae subiectionis et obedientiae merito cumulare studeant; atque ita, non solum in reliquis omnibus, quae ad earumdem Congregationum statum et regimen pertinebunt, praefati Praepositi Generalis ac peculiarium Moderatorum ab ipso deputatorum mandatis consiliisque alacri et prompta voluntate obtemperare numquam recusent; sed in hac etiam re uniformitatem servare, aliisque vicissim sodalibus exemplo quisque suo insinuare singuli curent; ita ut dies pro consequenda indulgentia huiusmodi ab unoquoque in singulas hebdomadas eligendus, quoad fieri poterit, ille idem sit, qui a cuiusque So-

BENEDICTI XIV

27 Sept. 1748

dalitii seu Congregationis Moderatore proponetur.

Confessionis generalis commendatio.

Cumque, ex praemissis aliisque innumeris tam Nostrae quam praedecessorum Nostrorum voluntatis significationibus satis patere possit, quantum Nobis cordi sit, ut Sanctissima Eucharistiae et Poenitentiae Sacramenta iuxta S. Matris Ecclesiae mentem, tum ab omnibus Christi fidelibus, tum vero ab huiusmodi Congregationum sodalibus, frequenti usu ac certo et uberi fructu suscipiantur; utilissimam atque probatam praxim eisdem Sodalibus magnopere inculcari cupimus, ut sicuti cuilibet eorum optimum consilium datur, per generalem totius ante actae vitae confessionem ad primum in huiusmodi Congregationes ingressum se comparandi; ita quoque semel aut bis in singulos annos offensiones atque peccata sua, sive ab ultima generali confessione, sive a primo rationis usu admissa, iuxta prudentis directoris consilium, in amaritudine animae suae iterum recolentes, eaque sincerae poenitentiae spiritu firmoque mentis proposito detestantes, atque legitimi Ecclesiae Ministri iudicio subiicientes, propriam cum Deo reconciliationem magis magisque asserere, ac vitae suae emendationem virtutumque omnium augmentum de die in diem promovere satagant; ut sic identidem renovati spiritu mentis suae, novisque semper coelestis gratiae subsidiis confirmati et roborati, dignam christiana professione ac peculiari Virginis clientela vitam degant, ac divinorum Sacramentorum frequenti participatione vegetati, ad ipsorum promissa tandem in coelis assequenda eorumdem virtute praeparentur.

Sodales, confessionem generalem semel aut bis in anno peragentes, quo die illam peregerint, indulgentiam plenariam, qualibet hebdomada concessam, ubique lucrari valeant.

Idcirco praefatis ipsarum Congregationum sodalibus, quicumque semel aut bis in anno vere poenitentes generalem huiusmodi confessionem, ut praefertur, expleverint, eaque peracta Sacram Eucharistiam sumpserint; nova ac speciali gratia concedimus ut, quamvis non in propria ipsorum Sodalitii, sed in alia quacumque ecclesia, sive oratorio aut sacello, prout cuiusque devotionis aut opportunitatis ratio tulerit, eucharisticum panem percipiant, ibique praescriptas Deo preces offerant; nihilominus indulgentiam plenariam, quam in consuetis Sodalitii locis semel in singulas hebdomadas assequendam superius concessimus, in alia huiusmodi ecclesia seu sacra aede similiter consequi possint et valeant.

Charitatis fraternae opera sodalibus commendantur.

Omnibus demum ac singulis praedictarum Congregationum sodalibus charitatem fraternitatis enixe commendamus, tam inter se mutuo quam erga omnes Christi fideles studiose servandam ac sedulo exercendam; ut et religionis et misericordiae opera continenter exsequentes, duobus praeceptis intenti in quibus universa lex pendet et Prophetae, Ecclesiam Dei laetificare et iuvare non desinant.

Hinc est, quod in Nos praeinsertis Nostris litteris maiorem prospicientes necessitatem, qua fideles infirmitate corporis laborantes spiritualibus et temporalibus fraternae charitatis subsidiis indigent, inter alias indulgentias, quas pro sodalibus exercentibus varia pietatis opera elargiti fuimus, quasque etiam ad personas Sodalitiorum ministeriis atque servitiis addictas expresse extendimus, speciales quoque concessimus iis, qui, per campanae signum de extremo alicuius fidelis agone aut transitu admoniti, Deum Opt. Max. pro infirmi salute aut

BENEDICTI XIV

27 Sept. 1748

eius felici transitu vel pro defuncti requie fuerint deprecati. Atque insuper omnibus et singulis, tam ipsius Primariae quam aliarum ipsi aggregatarum Congregationum Moderatoribus eiusdem Societatis Iesu Presbyteris nunc et pro tempore exsistentibus et futuris, qui ipsarum Congregationum sodales aut ministros infirmos de Superiorum suorum licentia visitaverint, eosque spiritualibus monitis, sive ad morborum incommoda patienter toleranda, sive ad mortem de manu Domini libenter acceptandam adiuverint, et coram aliqua crucifixi Salvatoris nostri imagine ter saltem Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam iuxta Nostram et S. Matris Ecclesiae mentem ab ipsis recitari curaverint, quo die iidem infirmi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, ut ipsis indulgentiam plenariam, etiam in suffragium fidelium defunctorum, si placuerit, applicandam, apostolica auctoritate sibi per praesentes delegata impertiri possint et valeant, simili motu, scientia et potestatis plenitudine concedimus et indulgemus.

Facultas tribuitur Moderatoribus Congregationum applicandi sodalibus infirmis indulgentiam plenariam.

Caeterum oratorio publico sub titulo B. Mariae Virginis Pietatis nuncupatae et S. Francisci Xaverii prope dictum Collegium Romanum et apud ecclesiam S. Ignatii iam dudum erecto, in quo, non sine maximo Christi fidelium in alma Urbe commorantium fructu, singulis diebus salutaria pietatis exercitia frequentantur, illiusque Praefecto seu Moderatori, nec non confratribus et personis eidem oratorio illiusque functionibus opem et operam adiutricem praestantibus, omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, poenitentiarum relaxationes, aliasque spirituales gratias dictae Primariae Congregationi seu Primario Sodalitio eiusque sodalibus a Nobis et praedictis praedecessoribus Nostris per singulas praeinsertas et praesentes Nostras litteras respective concessas, iniuncta tamen opera rite et congrue adimplendo, assequendas, etiam ipsarum praesentium vigore concedimus et communicamus. Per hoc autem non intendimus alias quascumque indulgentias, etiam plenarias, oratorio eiusque confratribus et personis praedictis per Sedem Apostolicam peculiariter concessas revocare, neque eis ullatenus derogare.

Pontifex extendit omnes gratias dictae Primariae a praedecessoribus et a se concessas, ad oratorium B. Mariae V. Pietatis et Sancti Francisci Xaverii.

Praesentes demum litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae seu quopiam alio defectu notari, impugnari vel retractari aut revocari ullatenus posse neque debere, sed semper et in perpetuum validas et efficaces exsistere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, nec sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus per Nos vel alios Romanos Pontifices praedecessores Nostros aut Sedem Apostolicam, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus pro tempore quomodolibet factis comprehendi; sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse et censeri, omnibusque et singulis, quos ipsae concernunt, plenissime suffragari debere; et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Clausulae pro praemissorum firmitate.

Non obstantibus una de indulgen-

Derogatio contrariis.

tiis non concedendis ad instar, et altera per quam voluimus, quod in litteris indulgentiarum apponatur clausula quod, si ecclesiae aut ecclesiis vel personis, quibus indulgentiae conceduntur, aliqua alia indulgentia foret concessa, de qua inibi specialis mentio facta non esset, huiusmodi litterae essent nullae, aliisque Nostris et Cancellariae apostolicae regulis; nec non praedicti Clementis praedecessoris, super modo et forma confraternitates erigendi et aggregandi edita, cui ad praemissorum omnium et singulorum validitatis effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse, ac latissime et plenissime, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, harum serie derogamus, et aliis apostolicis constitutionibus, nec non omnibus illis, quae singuli praedecessores praedicti in suis praeinsertis litteris voluerunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides praestanda transsumptis.

Volumus autem, ut earumdem praesentium transsumptis etiam impressis, Secretarii praedictae Societatis Iesu vel Notarii publici manu subscriptis, et alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae vel pro tempore exsistentis Praepositi aut Vicarii Generalis eiusdem Societatis sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio quam extra illud, adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent originaliter exhibitae vel ostensae.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, confirmationis, decreti, statuti, concessionis, declarationis, indulti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCCXLVIII, quinto kal. Octobris, Pontificatus Nostri anno nono.

D. Card. Passioneus.

I. Datarius.

Visa de Curia.

I. C. Boschi.

I. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

BENEDICTI XIV

SS. EUCHARISTIA IN SACELLIS SOCIETATIS IESU,

INDULGENTIAE CONGR. B. M. V. PRO NOSTRIS ET PRO VIRIS PRINCIPIBUS, INDULGENTIAE XL HORARUM IN ORATORIIS CONGR. B. M. V., INDULGENTIAE PRO QUINQUE DIEBUS EXERCITIORUM SPIRITUALIUM, ALTARE PRIVILEGIATUM IN ECCLESIIS SOCIETATIS.

15 Iul. 1749

BENEDICTUS PAPA XIV
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

BENEDICTI XIV

Exordium a Societatis commendatione.

Quemadmodum presbyteri Regulares Societatis Iesu non ultimum locum et gradum inter tot Religiosos Ordines, Congregationes et Instituta in Catholica Ecclesia sibi vindicant, quippe qui assiduis laboribus omnes utriusque sexus Christi fideles in omnibus christianae pietatis et doctrinae virtutibus et studiis erudire et imbuere contendunt; ita omni procul dubio merentur, ut iisdem, quibus Apostolica haec Sancta Sedes nonnullos alios Religiosos Ordines, Congregationes et Instituta cumulavit, ipsos etiam apostolicae benignitatis privilegiis, gratiis et indultis augeamus.

Praeposito Generali Francisco Retz supplicante,

Itaque, demissis precibus dilecti filii Francisci Retz eiusdem Societatis Iesu Praepositi Generalis, ob religiosas virtutes paternae Nostrae charitati maxime commendati, Nobis totius Societatis nomine humiliter porrectis inclinati, atque ipsum Franciscum Praepositum Generalem dictosque Presbyteros specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati exsistunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes;

conceditur a S. Pontifice facultas asservandi SS. Eucharistiam in oratoriis Societatis,

Primum iisdem, ut in cappellis, sive sacellis, sive oratoriis domesticis uniuscuiusque Domus, Collegii, Tirocinii Seminariique, in quibus de more et iuxta dictae Societatis privilegia et indulta alias concessa sacrosanctum Missae Sacrificium celebratur, aliaque pietatis et Regularis Instituti sui officia peraguntur, dummodo decenter ornatis sacrisque supellectilibus instructis, in eleganti tabernaculo cum pyxide argentea et cuppa inaurata, et cooperta suo conopeo serico albi coloris Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservandi, quoties tamen et quam diu Praepositus Generalis pro tempore ita expedire in Domino iudicaverit, facultatem perpetuo valituram, tenore praesentium apostolica auctoritate concedimus et impertimur. Volumus autem et districte mandamus, ut lampas semper

BENEDICTI XIV

15 Iul. 1749

accensa coram Sanctissimo Sacramento inibi habeatur, et ciborii clavis per Sacristam custodiatur.

et in iis lucrandi indulgentias Congregationis B. MARIAE V.

Deinde ut iidem Presbyteri, Clerici et Laici eiusdem Societatis pro tempore exsistentes, et neque Congregationibus Primae Primariae dictis, vel eidem aggregatis seu pro tempore aggregandis adscripti, neque ipsarum Congregationum oratoria frequentantes neque visitantes, sed eadem pietatis opera, quae sodales earumdem Congregationum praestare solent, exercentes, ac sive proprias publicas ecclesias, sive ante dicta oratoria domestica visitantes, easdem indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes, quas consequerentur si, iisdem Congregationibus adscripti, ipsarum Congregationum oratoria visitarent, consequi possint et valeant, sine praeiudicio aliarum indulgentiarum ipsis quomodolibet concessarum, auctoritate et tenore paribus indulgemus et elargimur.

Facultas pro Regibus etc, lucrandi in quibusvis ecclesiis easdem indulgentias.

Praeterea omnibus et singulis Regibus, Principibus, Ducibus et Comitibus supremam potestatem habentibus eorumque consanguineis et affinibus primi et secundi gradus dumtaxat, qui Congregationibus ubique locorum erectis et erigendis, vel Primae Primariae huiusmodi adscribi petierint, etsi absentibus, eadem tamen pietatis opera, ut praemittitur, exercentibus, et aliquam ad eorumdem commodum et placitum ecclesiam visitantibus, easdem, ut supra, indulgentias, remissiones et relaxationes itidem concedimus et impertimur.

Facultas lucrandi indulgentias 40 horarum in oratoriis Congregationum.

Insuper, ut omnes et singuli Christi fideles, qui expositioni Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti in oratoriis supra dictarum Congregationum Primae Primariae, vel eidem aggregatarum seu pro tempore aggregandarum, spatio continui tridui per aliquod temporis spatium faciendae interfuerint, ibique oraverint, ac caetera iniuncta opera praestiterint, indulgentias, peccatorum remissiones poenarumque relaxationes, quas consequerentur, si ecclesiis, in quibus expositio Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti per quadraginta continuas horas fieri solet, visitarent, consequi possint et valeant, tenore et auctoritate paribus itidem concedimus et impertimur.

Facultas lucrandi indulgentias pro Exercitiis Spiritualibus, etiam quinque dierum spatio peractis.

Deinde, cum saepe contingat ut Exercitia Spiritualia S. Ignatii dicta, quae per octo dies fieri solent, rationabilibus de causis in quibusdam locis, attenta personarum, locorum et temporum conditione per integros octo dies peragi nequeant, sed ad quinque aliquando vel sex vel septem dies dumtaxat producantur: hinc est, quod Nos indulgentias concessas iis, qui per octiduum tantum illa frequentarent, ab iis etiam, qui vel per septem vel sex vel quinque saltem continuos dies peragerent, lucrari posse concedimus et indulgemus.

Altare privilegiatum in ecclesiis Societatis.

Denique, omnium saluti paterna charitate intenti, sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animae e purgatorii poenis ad aeternam salutem per DEI misericordiam perduci valeant. Volentes igitur omnes et singulas ecclesias, tam erectas quam in posterum erigendas eorumdem Presbyterorum Societatis IESU, et in qualibet ex dictis ecclesiis unum altare, dummodo nullum aliud altare privilegiatum adsit, hoc speciali dono illustrare: auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de omnipotentis DEI misericordia et BB.

BENEDICTI XIV

15 Iul. 1749

Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ut quandocumque Sacerdos aliquis saecularis, vel cuiusvis Ordinis, Congregationis et Instituti Regularis sacrosanctum Missae Sacrificium pro anima cuiuscumque Christi fidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ad altare per uniuscuiusque Domus sive Collegii aut Tirocinii Seminariique Rectorem designandum, et aliud alteri, quoties ita opportunum iudicaverit, subrogandum celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur; ita ut eiusdem Domini nostri Iesu Christi, ac Beatissimae Virginis Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus.

Clausulae.

Non obstantibus Nostra et Cancellariae Nostrae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur iisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die decimo quinto Iulii MDCCXLIX, Pontificatus nostri anno nono.

Caietanus Amatus.

BENEDICTI XIV

INDULGENTIA IN FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINICAE,

SEU ALIO DIE A SUPERIORE SOCIETATIS ELIGENDO,

EXTENSA AD OMNES IPSIUS SOCIETATIS ECCLESIAS,

ETIAM SI IN EADEM CIVITATE ESSENT PLURES.

BENEDICTUS PAPA XIV

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

BENEDICTI XIV

6 Oct. 1750

Alias, pro parte tunc in humanis agentis Everardi Mercuriani Praepositi Generalis Societatis Iesu, fel. rec. Gregorio Papae XIII, praedecessori Nostro exposito, quod alias rec. mem. Paulus Papa III, itidem praedecessor Noster, inter alias gratias eidem Societati concessas, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui aliquam ex ecclesiis aut aliquem pium locum dictae Societatis semel singulis annis, praeter annum iubilaei, in die per pro tempore exsistentem eiusdem Societatis Praepositum eligendo, a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei inclusive visi-

tarent ac inibi Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitarent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concesserat; et in eadem expositione subiuncto, quod, benedicente Domino, magna ecclesiarum ipsius Societatis multiplicatio in diversis orbis regionibus comperiebatur, et usu comprobante amplior divino beneficio sperabatur, dubiumque nonnullis occurrerat, num praedicta indulgentia omnibus et singulis eiusdem Societatis ecclesiis, vel uni tantum concessa fuisset: idem Gregorius, supplicationibus huiusmodi inclinatus, quod praedicta indulgentia omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrosancto Eucharistiae cibo refectis, qui Circumcisionis Dominicae, vel alio per praedictum Everardum Praepositum seu visitandi loci Superiorem semel pro semper nominando die, quamlibet ex dictae Societatis ecclesiis seu cappellis aut aliis piis locis, ubicumque Societatis huiusmodi Religiosos habitare contigisset, erectis seu erigendis (dummodo si plures eiusdem Societatis ecclesiae in eadem civitate, terra vel loco essent, una tantum ex eis ad id per Generalem Praepositum seu Superiorem praedictos statueretur) annis singulis, praeter annum iubilaei, ut praemittitur, devote visitassent, et inibi quinquies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam recitassent, vel alias ad Deum orationes pro S. Matris Ecclesiae exaltatione fideique catholicae incremento effudissent, et alias iuxta illius continentiam et tenorem suffragaretur, auctoritate apostolica itidem concessit, et alias, prout in Praedictorum Pauli et Gregorii praedecessorum litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Quoniam autem dilectus filius Franciscus Retz, modernus Praepositus Generalis dictae Societatis, Nobis nuper exponi fecit, quod experientia compertum habet magnum populi concursum ad ecclesias dictae Societatis pro lucranda indulgentia praedicta accedere, ita ut interdum aliqua confusio, praesertim in civitatibus principalioribus et incolis habitatoribusque frequentibus, evenire soleat; quo populi huiusmodi devotioni consultum sit, indulgentiam praedictam ad omnes dictae Societatis ecclesias, etiam si plures sint in eadem civitate, per nos extendi et ampliari plurimum desiderat: Nos, piis eiusdem Francisci Praepositi Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere amplioribusque gratiis prosequi volentes, supplicationibus eius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; supra dictam indulgentiam a memoratis Paulo et Gregorio praedecessoribus Nostris, in die festo Circumcisionis Domini nostri Iesu Christi, seu alio die a Praeposito Generali seu alio Superiore huiusmodi pro tempore semel eligendo, annis singulis, praeter annum iubilaei, sicut praemittitur, concessam, ad omnes et singulas praedictae Societatis ecclesias seu cappellas aliaque pia loca, ubicumque Societatis praedictae Religiosos habitare contigerit erectas aut erecta, seu erigendas vel erigenda, etiam si plures dictae Societatis ecclesiae in eadem civitate, terra vel loco fuerint, servata in reliquis forma et dispositione dictarum Gregorii praedecessoris litterarum, auctoritate apo-

BENEDICTI XIV

6 Oct. 1750

stolica tenore praesentium extendimus et ampliamus; ita tamen, ut, si plures in eadem civitate, terra et loco ecclesiae huiusmodi Societatis sint, semper in uno eodemque die, semel tantum eligendo et praescribendo a praedicto Francisco et pro tempore exsistente Praeposito Generali seu alio Superiore, indulgentia praedicta eisdem ecclesiis attributa intelligatur.

Non obstantibus omnibus et singulis illis quae idem Gregorius in suis litteris praedictis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et eiusdem Societatis vel alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillo munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. MARIAM maiorem, sub annulo Piscatoris, die sexto Octobris MDCCL, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro D. Card. Passioneo,
Ioannes Florius, Substitutus.

BENEDICTI XIV

FACULTAS CONGREGATIONI PRIMARIAE B. MARIAE V.

ALIAS QUASCUMQUE VIRORUM ET MULIERUM SUB CURA SOCIETATIS UBILIBET AGGREGANDI.

DILECTO FILIO IGNATIO VICECOMITI MODERNO ET PRO TEMPORE EXSISTENTI PRAEPOSITO GENERALI SOCIETATIS IESU,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

BENEDICTI XIV

Pontifex, ob benevolentiam erga Praepositum Generalem, eius subditorum preces benigne excipit.

QUO TIBI, dilecte fili, magis notum fiat, quam propensa ad tibi ac Societati, cuius supremum regimen nuper adeptus laudabiliter geris, opportune gratificandum voluntate feramur; paterna benignitate precibus annuere non dedignamur, quas dilectus filius Vespasianus Trigona, eiusdem Societatis Presbyter, Nobis etiam maxime commendatus, nuper porrexit.

8 Sept. 1751

P. Vespasianus Trigona exponit animarum fructum in Congregatione de poenitentia Panormi erecta,

Humiliter enim Nobis exposuit, quod in templo Domus Professae eiusdem Societatis, in civitate Panormi erecto, instituta reperitur publica utriusque sexus Congregatio dicta de poenitentia, sub invocatione S. Mariae Magdalenae, quae a duobus memoratae Societatis Presbyteris magno cum animarum fructu regitur, et in qua singulis feriis tertiis cuiuslibet hebdomadae quam plurima christianae pietatis officia peraguntur.

et quod ea Congregatio nulli alii aggregari potest; aliter nullae sunt indulgentiae.

Hanc autem Congregationem a fel. rec. Alexandro Papa VII, praedecessore Nostro, decima quinta mensis Iunii MDCLV canonice erectam, die undecima mensis Maii MDCLXXVIII venerabilis Innocentius XI praedecessor itidem

BENEDICTI XIV

8 Sept. 1751

Noster confirmavit; cum ea tamen, quemadmodum in apostolicis utriusque praedecessoris Nostri in simili forma brevis litteris praescribitur, conditione, ut nulli deinceps cuivis Congregationi aggregari possit; aliter indulgentiae aliaque coelestia munera ipsi Congregationi de poenitentia concessae et concessa nullius essent valoris et momenti.

Rogat ut aggregari possit Primae Primariae, firmis remanentibus antiquis indulgentiis.

Quoniam autem Nos, per alias Nostras in pari forma brevis et sub bulla aurea expeditas litteras, Congregationi Primae Primariae dictae, et in aedibus Collegii Romani eiusdem Societatis tuae institutae, quamplurimos indulgentiarum et divinorum charismatum thesauros elargiti sumus; ipse Vespasianus exoptans, ut, non obstante conditione in laudatis Alexandri et Innocentii praedecessorum litteris apposita, ac firmis remanentibus indulgentiis per eosdem praedecessores praefatae Congregationi de poenitentia impertitis, eadem Congregatio de poenitentia Primae Primariae ante dictae aggregari possit; Nobis propterea humiliter supplicavit, ut in praemissis opportune providere de benignitate et auctoritate apostolica dignaremur.

Conceditur facultas eam aggregandi, et quascumque alias tam virorum quam mulierum, sive utriusque sexus.

Nos itaque, nihil impensius cupientes quam ut omnes Christi fideles ad christianae pietatis exercitia peragenda suaviter fortiterque per coelestia etiam munera alliciantur, et amplioribus gratiarum favoribus te, dilecte fili, tuamque Societatem prosequentes, tibi moderno et pro tempore exsistenti Societatis Iesu Praeposito Generali, tenore praesentium, apostolica auctoritate facultatem tribuimus et impertimur, ut non solum saepe dicta Congregatio de poenitentia in templo Domus Professae Panormi, ut praemittitur, erecta, sed omnes et singulae, tam virorum quam mulierum, sive utriusque sexus Congregationes, Confraternitates et Sodalitia, sive in aedibus, sive in ecclesiis Societatis Iesu ubique locorum, canonice tamen, erectae et erecta, sive erigendae et erigenda, non obstantibus quibuscumque apostolicis, sive pro particulari Congregatione, sive generaliter editis constitutionibus in contrarium earumdem praesentium facientibus, Primae Primariae praefatae aggregare, seu aggregari facere ac permittere possis et valeas, et quilibet successorum tuorum possit et valeat. Interim apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, et eiusdem Societatis Religiosis Alumnis peramanter impertimur.

Transsumptis fidem adhiberi iubet.

Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die octavo Septembris MDCCLI, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Caietanus Amatus.

BENEDICTI XIV

DE SCHOLASTICIS IN SOCIETATEM ADMITTENDIS

ANTE COMPLETUM DECIMUM QUARTUM AETATIS ANNUM.

BENEDICTUS PAPA XIV
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

BENEDICTI XIV

30 Ian. 1758

EXPONI NOBIS nuper fecit dilectus filius Ignatius Vicecomes, Praepositus Generalis Societatis IESU, quod per Constitutiones eiusdem Societatis a Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris peculiariter confirmatas, praesertim part. I, cap. II, num. XII, et iterum cap. III, lit. K, facultas Praeposito Generali dictae Societatis reperitur attributa admittendi interdum aliquem ad habitum per Clericos eiusdem Societatis gestari solitum, et subinde ad Novitiatum, ante annum decimum quintum aetatis expletum, immo et interdum ante expletum decimum quartum; quae quidem facultas ab VIII generali memoratae Societatis Congregatione MDCXLV habita, vigore decreti XXXV in ea sanciti, eidem Praeposito Generali roborata remansit, et praxis perpetua memoratae Societatis ab illius exordio ad hanc usque diem, scilicet per ducentorum et ultra annorum spatium, praefatis Constitutionibus conformis fuit.

Facultas in Constitutionibus Praeposito attributa admitendi Novitios ante decimum quartum annum,

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dubitatio nuper inciderit, utrum per verba cuiusdam decreti a Congregatione tunc exsistentium S. R. E. Cardinalium et Romanae Curiae Praelatorum super disciplina Regulari specialiter deputata anno MDCLXXV editi, quo praescriptum fuit, quod admittendi sint ad habitum cuiusvis Ordinis seu Instituti Regularis ab Apostolica hac Sancta Sede approbati pro Clericis seu Choristis ii, qui decimum quintum annum expleverint; et licet ipse Ignatius Praepositus Generalis existimet decretum huiusmodi minime obstare posse Constitutionibus et praxi eiusmodi Societatis admittendi aliquando, de speciali sua licentia, aliquem pro Clerico ad Novitiatum ante annos decimum quintum vel decimum quartum completos; tum quia verba decreti huiusmodi videntur respicere communem formam illorum Ordinum seu Institutorum habentium unum dumtaxat annum Probationis, non autem dictam Societatem, cuius admissi pro Clericis duos annos Novitiatus peragunt ante quam professionem, per illos emitti consuetam, emittant, et si contingit, completo Novitiatus biennio, aetatem a Sacro Concilio Tridentino praescriptam aliquem minime attingere, in eodem Novitiatu usque dum ad aetatem legitimam praescriptamque pervenerit remanere pergit; tum quia in dicto decreto non exsistunt ullae clausulae, quibus derogatum intelligatur Constitutionibus saepe dictae Societatis, ut praefertur, confirmatis; ac proinde ipse Ignatius Praepositus Generalis

non obstante quodam decreto S. Congreg. Regularium anni 1685,

ad uberiorem securitatem, licet de praedicta facultate non dubitarit, omnemque ex adverso ambiguitatem de medio auferendam, opportune sibi in praemissis a Nobis provideri, et ut infra indulgeri plurimum desideret: Nos, piis eiusdem Ignatii Praepositi Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes; supplicationibus eius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Ignatio moderno et pro tempore exsistenti Praeposito Generali Societatis Iesu, ut ipse, enuntiato decreto minime obstante, facultate sibi a Constitutionibus dictae Societatis, auctoritate apostolica pluries confirmatis, attributa admittendi ad habitum et Novitiatum illos qui decimum quartum suae aetatis annum dumtaxat attingunt, et annum huiusmodi minime explèverint, dummodo tamen ad illam professionem per eos emitti consuetam, nisi completa aetate a Concilio Tridentino praescripta, minime admittantur, libere, licite et absque ullo poenarum ecclesiasticarum incursu, possit et valeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus et indulgemus, dictamque facultatem illi confirmamus et innovamus, et quatenus opus sit de novo tribuimus et assignamus.

firma mansisse declaratur et confirmatur.

Clausulae.

Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et Praeposito Generali huiusmodi plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii apostolici Auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus memorato dictae Congregationis decreto, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die trigesimo Ianuarii MDCCLIII, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

D. Card. Passioneus.

BENEDICTI XIV

FACULTAS ABSOLVENDI

PERAGENTES APUD NOSTROS EXERCITIA SPIRITUALIA
VEL DIEM PRAEPARATIONIS AD MORTEM
ET INDULGENTIA PLENARIA EISDEM CONCESSA.

BENEDICTUS PAPA XIV
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

BENEDICTI XIV

Ad Exercitia Spiritualia frequentanda Summi Pontifices et spirituales magistri semper adhortati sunt.

QUANTUM SECESSUS illi ab omni mundanarum rerum strepitu remoti, in quo Christi fideles sese interdum recipientes in meditationibus exercentur aeternis, ad vitam sive male actam corrigendam, sive in melius confirmandam, et ad aeternam salutem facilius comparandam semper profuerint, experientia ipsa tam compertum exploratumque est, ut SS. Patres et spiritualis vitae magistri, atque ipsi Romani Pontifices, praedecessores Nostri, non solum ad eos saepissime frequentandos verbis et exemplis, verum etiam coelestium munerum thesauris, eosdem Christi fideles excitare, adhortari et allicere non destiterint.

Illa S. Ignatius primum instituit, et caeteri Ordines Religiosi sunt amplexi.

Sane, postquam S. Ignatius Societatis IESU Fundator, in ipso suae ad DEUM adhaesionis initio, homo litterarum plane rudis admirabilem illum composuit Exercitiorum librum Apostolicae huius Sanctae Sedis iudicio et omnium utilitate comprobatum, in quo saluberrima eorumdem Spiritualium Exercitiorum cum profectu peragendorum via ac ratio traditur; nulla certe Religiosorum Ordinum familia fuit, quae salutare huiusmodi institutum non fuerit amplexa.

29 Mar. 1753

Religiosi Societatis IESU, praeter Collegia et Domos Professas, aedificia hunc ad finem construxerunt, et ubique speciali studio S. Fundatoris monitis inhaerent.

Religiosi vero Societatis IESU Alumni, praeclaris monitis et exemplis sibi a Fundatore S. Ignatio relictis pressius inhaerentes, tanto cum ardore, tanto cum studio, tanta cum charitate, sedulitate, vigilantia ac labore in pium eiusmodi opus incumbere satagunt, ut praeter proprias Domus et Collegia (in quas vel quae admittere solent quoscumque Spiritualibus Exercitiis vacare cupientes) alias quoque Domus seorsum a populorum frequentia, quantum ipsis licuit, dissitas construxerint, spirituales Secessus, *Domus Exercitiorum* dictas, ut in iisdem, quemadmodum in memoratis Domibus vel Collegiis, atque earum eorumque ecclesiis et cappellis, publice etiam Exercitia huiusmodi dari in more positum est per dies decem, octo, quinque in singulos annos, et per diem unum semel in mense pro exercitio quod appellant praeparationis ad mortem, commorantes piis meditationibus tranquillam operam navare valeant.

Praepositus Generalis semper huiusmodi Exercitia studuit promovere.

Quoniam autem, sicut dilectus filius Ignatius Vicecomes, eiusdem inclytae Societatis Generalis Praepositus, nuper Nobis humiliter exponi fecit, tam proficuum tamque consentaneum ad fructus christiana poenitentia dignos faciendos, ac coelestem in terris vitam agendam, huiusmodi

institutum, quod ipse Ignatius semper, ac potissimum dum Provincialis primum Provinciae Mediolanensis, deinde Assistentiae Italiae Assistentis, tum totius Societatis Vicarii Generalis munere fungeretur, pro viribus promovere studuit, in dies magis magisque augeretur, ita ut non tam saeculares quam ecclesiastici viri, etiam cuiusvis Ordinis et Instituti Regulares, frequenter accedant ad eiusdem Societatis Iesu Collegia, Domus, ac praesertim spirituales Secessus et Exercitiorum Domus, sive Spiritualia S. Ignatii nuncupata Exercitia per plures dies in singulis annis, sive exercitium praeparationis ad mortem semel in mense peracturi: idem Ignatius, Praepositus Generalis, certior factus, quod maiori certe cum frequentia pergant ad eas Societatis suae Domus vel Secessus, in quibus et coelestium munerum thesauros abundantiori apostolicae benignitatis copia concessos lucrari possint, et a peccatis quibuscumque absolvendi facultatem apostolica auctoritate impertitam fuisse constiterit confessariis eadem Exercitia tradentibus; ea propter Nobis humiliter supplicari fecit, ut ea omnia apostolicae charitatis et potestatis munera, pro nonnullis eiusdem Societatis Domibus, ac nuper a Nobis pro regno Siciliae ultra Pharum et insula Melita erogata, ad omnes et singulas saepe dictae Societatis Domus, Collegia, ac praesertim spirituales Secessus et Exercitiorum Domus, tam hactenus erectas quam in posterum erigendas, extendere, vel de novo elargiri de benignitate et auctoritate apostolica dignaremur.

Gratias pro aliquibus locis concessas rogat ad totam Societatem Iesu extendi.

Nos itaque, qui non solum memoratum Ignatium, Praepositum Generalem, praecipua, ob eximias religiosasque suas virtutes, universamque Societatem in amplissima vinea Dei Sabaoth ubique terrarum per suos Alumnos accurate excolenda assidue adlaborantem, benevolentia prosequimur, verum etiam eiusmodi institutum tam pium, tam religiosum et medendis animarum languoribus tam opportunum et salutare, apostolicis laudibus commendantes, ipsumque Ignatium, Generalem Praepositum, amplioribus gratiarum favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes; supplicationibus ab eodem Ignatio Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, atque ut maiori cum fructu spirituale eiusmodi opus fiat, ad augendam eorumdem Christi fidelium devotionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae muneribus comparandam pia charitate intenti:

Pontifex Generalem Societatis Iesu praecipua benevolentia prosequitur.

Iis omnibus sive singulis, qui in aliquo Collegio, Domo aut Secessu, vel in publica etiam ecclesia seu cappella dictae Societatis ubicumque locorum exsistentibus, et tam hactenus erectis quam in posterum erigendis, quoties Spiritualia huiusmodi Exercitia, ut praemittitur, per quodcumque dierum spatium semel aut pluries in anno, vel per unum etiam diem semel in mense peregerint, et vere poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti ecclesiam sive oratorium eiusdem Collegii vel Domus vel Secessus visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum

Quoties Exercitia Spiritualia vel diem praeparationis ad mortem fideles peregerint, toties indulgentiam plenariam consequuntur,

BENEDICTI XIV

29 Mar. 1753

exstirpatione et S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad DEUM preces effuderint; toties plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam per modum suffragii fidelibus defunctis applicare possint, misericorditer in Domino concedimus.

et Confessarii a Superioribus destinati absolvere possunt etiam a casibus reservatis.

Praeterea Superioribus cuiusvis Collegii vel Domus vel Secessus eiusdem Societatis pro tempore exsistentibus, et uni vel pluribus dictae Societatis Sacerdotibus probitate, prudentia et doctrina conspicuis, ad audiendas quoque Christi fidelium confessiones ab Episcopis Ordinariis locorum approbatis, prout unicuique Superiori magis expedire in Domino visum fuerit, quoscumque tam saeculares quam cuiusvis Ordinis et Instituti Regulares in quolibet Collegio, Domo aut Secessu, vel publica etiam ecclesia seu cappella, saepe dicta Spiritualia Exercitia peragentes, eorum confessionibus diligenter auditis, a quibuscumque ipsorum peccatis, excessibus ac delictis, quamtumcumque gravibus et enormibus, et cuicumque, etiam Sedi Apostolicae (non tamen per litteras die Coenae Domini legi solitas) reservatis, in foro conscientiae tantum, poenitentia tamen salutari pro modo culpae, aliisque, quae iniungenda fuerint, eis iniunctis, absolvendi facultatem perpetuis futuris temporibus valituram, auctoritate apostolica tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Clausulae pro litterarum apostolicarum validitate.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quorumvis Ordinum, Congregationum et Institutorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transsumptis adhibenda.

Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. MARIAM maiorem, sub annulo Piscatoris, die vigesimo nono Martii MDCCLIII, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

Caietanus Amatus.

BENEDICTI XIV

EXTENSIO INDULGENTIARUM ET FACULTATUM

DE QUIBUS IN PRAECEDENTI CONSTITUTIONE,

UBICUMQUE EXERCITIA SPIRITUALIA ET PRAEPARATIO AD MORTEM PERAGANTUR.

BENEDICTUS PAPA XIV
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

BENEDICTI XIV

Dedimus sane paucis abhinc mensibus alias Nostras in simili forma brevis litteras tenoris sequentis:

BENEDICTUS PAPA XIV,
AD PERPETUAM REI MEMMORIAM.

Vid. pag. 301.

Quantum secessus . . .

Praepositus Generalis rogat gratias peragentibus Exercitia Spiritualia et diem praeparationis ad mortem concessas extendi ad externas ecclesias.

Quoniam autem idem Ignatius Vicecomes, Praepositus Generalis, iterum Nobis nuper humiliter exponi fecit, frequenter evenire, quod Religiosi eiusdem Societatis Alumni, tam qui ad missiones ubique terrarum peragendas pergunt, quam qui, in eiusdem Societatis Domibus et Collegiis ac Seminariis commorantes, assiduam in procuranda aeterna Christi fidelium salute operam impendunt, requiruntur ut Spiritualia huiusmodi Exercitia, non solum populo in publicis quibuscumque ecclesiis convenienti, verum etiam in ecclesiis sive oratoriis quorumcumque Regularium Ordinum, Institutorum, Collegiorum ac Seminariorum, et quarumcumque Congregationum et Sodalitatum, nec non quorumcumque Monasteriorum monialium, et Conservatoriorum virginum ac mulierum, de Superiorum licentia tradant, sacramentalesque Confessiones excipiant; ea propter Nobis humiliter supplicari fecit, ut omnes et singulas, tum indulgentias, tum facultates in praeinsertis Nostris litteris contentas, ad eiusmodi effectum extendere de benignitate apostolica dignaremur. 16 Mai. 1753

Pontifex commendat zelum atque laudabiles Alumnorum Societatis labores ad Dei cultum et animarum salutem.

Hinc est quod Nos, novis apostolicae laudationis praeconiis eximium eiusdem Ignatii, Praepositi Generalis, zelum, laudabilesque Religiosorum eius Societatis Alumnorum labores summa cum Christi fidelium utilitate semper impensos commendantes; atque insimul fore in Domino confidentes ut eo maiori alacritate, sollicitudine et constantia impositum ipsis huiusmodi opus, ad divini honoris cultum et animarum salutem magis magisque profuturum, suscipiant et urgeant, quo maiora a Nobis apostolicae auctoritatis beneficentiaeque munera sibi conferri sentiant; memoratum Ignatium, Praepositum Generalem, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventem et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicatio-

BENEDICTI XIV

Gratias omnes concessas extendit ad quascumque ecclesias vel pia loca, ubi a Religiosis Societatis Exercitia traduntur.

tionibus inclinati; tenore praesentium, apostolica auctoritate, omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones poenarumque relaxationes, nec non facultates absolvendi a quibuscumque peccatis et censuris cuicumque, etiam Sedi Apostolicae (non tamen per litteras die Coenae Domini legi solitas) reservatis in praeinsertis Nostris litteris contentas, et a Nobis concessas atque impertitas, ad omnes et singulos eiusdem Societatis Religiosos Alumnos, ubique locorum, sive missionarios in actu missionum quarumcumque, sive in quibusvis tam publicis quam privatis ecclesiis et oratoriis et piis locis et aedibus, vel saecularibus vel Regularibus quorumcumque Ordinum, Institutorum, Collegiorum, Seminariorumque, nec non quarumcumque Congregationum et Sodalitatum, et Monasteriorum monialum oblatarumque et Conservatoriorum virginum ac mulierum, de Superiorum licentia Spiritualia huiusmodi Exercitia vel diem quem appellant praeparationis ad mortem tradentes, sacramentalesque confessiones tempore vel occasione eorumdem Exercitiorum excipientes, et ad Sacerdotes iisdem a Superioribus adiunctos socios, ut praemittitur, sub iisdem omnino modo et forma, sub quibus in praeinsertis Nostris litteris praescribitur, in perpetuum extendimus, concedimus atque impertimur.

16 Mai. 1758

Clausulae pro litterarum apostolicarum validitate.

Non obstantibus iis omnibus et singulis, quae per praeinsertas Nostras litteras diximus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transsumptis adhibenda.

Volumus itidem ut earumdem praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris die decimo sexto Maii MDCCLIII, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

Caietanus Amatus.

BENEDICTI XIV

QUAESTIO DE DOMINIO CONGREGATIONUM B. MARIAE VIRGINIS IN AEDES, VASA ETC. DIRIMITUR.

BENEDICTUS PAPA XIV
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

BENEDICTI XIV

Laudabile Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum institutum, ut si quas super quibusvis negotiis emergere et erumpere perspexissent contentiones, lites ac disceptationes, statim apostolica auctoritate et providentia dirimerent componerentque, eo maiori studio tenere ac sectari Nos, in sacrosancti apostolatus specula constitutos, decet, quo per omnem vitae Nostrae aetatem nihil curavimus impensius, quam ut, e medio sublatis contentionum, litium

15 Feb. 1758

Auctoritate apostolica dirimi lites decet.

BENEDICTI XIV

15 Feb. 1758

disceptationumque forensium dissidiis ac tricis, per solam liquidamque veritatis inspectionem ius suum unicuique tribueretur, ac iustitia et pax sese invicem oscularentur.

Expositis iure quo reguntur ex S. Sedis decretis Sodalitates B. Mariae V., eorumque incapacitate dominii,

Nuper pro parte dilecti filii Ioannis Antonii Timoni, Vicarii Generalis Societatis Iesu, Nobis expositum fuit quod, iuxta facultates eidem Societati ab Apostolica hac Sancta Sede benigne attributas, nonnullae saecularium personarum Congregationes seu Confraternitates in omnibus fere Collegiis seu Domibus regularibus eiusdem Societatis canonice erectae et institutae fuerunt et reperiuntur, quae quidem Congregationes seu Confraternitates, tamquam Collegiis seu Domibus praedictis in quibus erectae sunt coniunctae, nihil possidere possunt, quippe quae omnimoda dispositio et dominium omnium supellectilium aliarumque rerum ad illarum usum, commodum et ornatum spectantium, penes Collegium aut Domum regularem huiusmodi cui incorporatae exsistunt remanere debet; congregati vero seu confratres pro spirituali eorum profectu Praeposito Generali pro tempore exsistenti dictae Societatis, seu pro eo Directoribus ab ipso assignatis et assignandis, in omnibus parere, obtemperare et subesse teneantur; ad ipsummet Praepositum Generalem seu ab illo deputatum, pro spirituali dictarum Congregationum seu Confraternitatum bono, legitime pertinet regulas, statuta et decreta condere, facere et statuere, quae iuxta datam a Domino prudentiam opportuniora existimantur; quae quidem regulae, statuta et decreta ab ipso Praeposito Generali, vel a Directoribus ab eodem deputatis, variari et immutari, aliaque de novo statui et praescribi possunt, illaque sic variata et immutata et de novo praescripta, ipsi congregati seu confratres inviolabiliter observare tenentur, prout latius continetur non solum in constitutione a fel. rec. Gregorio Papa XIII praedecessore Nostro anno MDLXXXIV edita, quae incipit Omnipotentis Dei, et subinde a rec. mem. Sixto Papa V Praedecessore pariter Nostro per aliam suam constitutionem anni MDLXXXVI incipientem Superna dispositione, confirmata, verum etiam in alia a Nobis MDCCXLVIII pariter edita constitutione, cuius initium est Praeclaris; in qua praesertim reperiuntur haec verba: " In omnibus, quae ad Congregationum statum et regimen pertinebunt, Generalis Praepositi et peculiarium Moderatorum ab ipso deputatorum mandatis consiliisque, alacri ac prompta voluntate obtemperare numquam recusent. "

et discordia orta in civitate Castelli,

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ob pravam humani generis hostis instigationem in aliqua ex dictis Congregationibus seu Confraternitatibus discordia identidem sata fuerit, et interdum ab aliquibus ex congregatis contensum sit, supellectilia earumdem Congregationum multo iure sua esse, claves penes se habere et retinere, seseque proprio marte moderari, ac debitam proprio Superiori obedientiam negare, obsequiumque exuere, ac constitutiones, decreta et statuta condere, ac condita statuta et decreta absque ulla Superiorum approbatione observare, aut semel a Superiore approbata, absque ipsorum congregatorum consensu, numquam variari aut mutari posse; ita ut toties quoties dictae dissensiones irrepserint, necesse fuerit causas huiusmodi iudicialiter sustinere et defendere; et licet in causa Asculana

BENEDICTI XIV

15 Feb. 1758

etiam post decreta in causis Asculana et Firmana,

anno MDCCXIII, in Congregatione tunc exsistentium S. R. E. Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, perpensa, eiusmodi Congregatio decreverit: " Sodalitates non posse possidere, ipsosque confratres parere debere Praeposito Generali Societatis "; quod quidem decretum, anno MDCCXL, in causa Firmana ab eadem Cardinalium Congregatione confirmatum fuerit; nihilominus nuper iudicio contendere necesse fuerit, ut mobilia Congregationis sub invocatione Nativitatis B. MARIAE Virginis Immaculatae in Collegio civitatis Castelli erectae, ab illius congregatis rapta, dictae Congregationi restituerentur; prout quidem in aliis Congregationibus huiusmodi praedictae dissensiones irrepserint: in hoc rerum statu memoratus Ioannes Antonius Vicarius Generalis, considerans non minus dispendia hactenus facta quam alia in posterum subeunda, si lites in praemissis producantur, ac lites ipsas publicae tranquillitati et Christi fidelium pietati detrimentosas atque adeo dirimendas esse, Nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

a Vicario Generali Societatis Iesu petita fuit decisio S. Sedis.

S. Pontifex avocat quasvis lites de eo iure pendentes,

Hinc est, quod Nos, qui lites dissidiaque opportunis rationibus dirimere, illisque, ne rursus quandocumque excitentur, ansam praecidere studemus, supra dictis aliisque ex causis animum Nostrum moventibus adducti, nec non supra dictas constitutiones et decreta a memorata Cardinalium Congregatione edita, ac controversiae et litis huiusmodi statum et merita, nominaque et cognomina ac qualitates Iudicum et collitigantium, et alia quaecumque, etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quascumque lites et causas super praemissis inter dictos congregatos seu confratres ex una, et Praepositos Collegiorum aut Domorum Regularium dictae Societatis ex altera, partibus, coram quibusvis Iudicibus et tribunalibus motas et pendentes, in statu et terminis, in quibus de praesenti reperiuntur, ad Nos harum serie cum suis emergentibus, annexis et connexis avocamus, illasque sic avocatas, motu, scientia, deliberatione ac potestatis plenitudine paribus, perpetuo supprimimus et extinguimus, perpetuumque silentium imponimus.

confirmat decreta,

Ac insuper motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, decreta a memorata Cardinalium Congregatione in causis Asculana et civitatis Castelli edita confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnes et singulos iuris et facti etiam substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus. Praeterea motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, perpetuo statuimus, decernimus et mandamus, ut Congregationes praefatae iam erectae, et quandocumque deinceps erigendae in Collegiis et Domibus regularibus eiusdem Societatis, ita dictis Collegiis et Domibus, in quibus erectae exsistunt, unitae et incorporatae sint et esse debeant et intelligantur, ut earumdem Congregationum congregati seu confratres nullum ius, nullumque dominium, nullamque actionem supra

et statuit quasvis Congregationes B. MARIAE V. in Domibus Societatis IESU erectas Praeposito Generali subiectas esse quoad dominium supellectilis,

BENEDICTI XIV

15 Feb. 1758

aedes, vasa, mobilia, ornamenta et supellectilia quaecumque, tam sacra quam profana, ad easdem Congregationes nunc et pro tempore quandocumque spectantia et pertinentia, ac pro illorum usu et ornatu empta et emenda habeant, nec habere possint, minusque claves armariorum, in quibus mobilia ac supellectilia aliaque praemissa asservantur et custodiuntur, nullo modo, nullave ratione et causa, penes se habere et retinere ac praetendere queant, sed dumtaxat eas claves retinere valeant, quae a Directoribus earumdem Congregationum, a Praeposito Generali ipsius Societatis pro tempore deputatis et deputandis, sponte et ad tempus ipsis Directoribus bene visum tradantur et consignentur, minusque dictis congregatis pro tempore exsistentibus ullo umquam tempore licitum sit decreta, statuta, regulas et constitutiones condere, statuere, praescribere et edere; sed facultas condendi, edendi, praescribendi, statuendi et publicandi regulas, constitutiones, statuta et decreta, legitime spectet et spectare teneatur, censeatur, et debeat ad Praepositum Generalem, seu Vicarium Generalem dictae Societatis, qui, iuxta facultates ut praefertur attributas, statuta, decreta, regulas et constitutiones huiusmodi ad sui libitum variare et mutare valeat, nullo requisito et obtento consensu dictorum congregatorum, qui ea omnia ad regimen, curam, gubernium et administrationem tum spiritualium tum temporalium ipsarum Congregationum spectantia et pertinentia, quae sive a memorato Praeposito sive Vicario Generali ipsius Societatis, aut a Directore ab ipso Praeposito sive Vicario Generali pro tempore assignato seu assignando, iniuncta et praescripta fuerint, omnino exsequantur, et exsequi debeant et teneantur.

et quoad regulas et regimen.

Praesentes de quovis defectu notar non possunt.

Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet etiam cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis, aut alias etiam specifica et individua mentione et expressione digni, in praemissis forsan ius vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex alia quacumque, quantumvis iuridica, pia, legitima et privilegiata causa, colore, praetextu et capite etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali ac inexcogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio et extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper et perpetuo firmas, validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia

BENEDICTI XIV

15 Feb. 1758

plenissime suffragari, et inviolabiliter observari et adimpleri; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii apostolici Auditores, ac S. R. E. praedictae Cardinales, etiam de latere Legatos et dictae Sedis Nuntios, sublata eis et cuilibet eorum quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Sic iudicari debet.

Non obstantibus, etc.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictarum Congregationum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die decimo quinto Februarii MDCCLVIII, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

Pro D. Card. Passioneo,
Ioannes Florius, Substitutus.

CLEMENTIS XIII

CONSTITUTIO QUA INSTITUTUM SOCIETATIS IESU DENUO APPROBATUR.

CLEMENS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

CLEMENTIS XIII

7 Ian. 1765

Exordium ab officio supremi Pastoris,

Apostolicum pascendi dominici gregis munus, Beatissimo Apostolo Petro eiusque successori Romano Pontifici delatum a Christo Domino, nulla locorum, nulla temporum conditio, nullus humanarum rerum respectus, nulla denique ratio circumscribere aut suspendere potest, quominus idem Romanus Pontifex ad omnes eiusdem officii partes, nulla ex iis praetermissa, nulla neglecta, curas suas dirigere debeat, atque omnibus incurrentibus in Ecclesia necessitatibus providere. Harum partium inter praecipuas postrema non est Regularium Ordinum approbatorum ab Apostolica Sede tutelam gerere, ac fortibus piisque viris, qui eiusdem Regularibus Ordinibus sese solemni sacramento addixerunt, suamque, pro tuenda atque amplificanda catholica religione agroque dominico excolendo, strenuam operam impendunt, alacritatem addere et animum, languidos et infirmos excitare et corroborare, iacentibus afflictisque consolationem afferre, praecipue vero ab Ecclesia, fidei suae et custodiae

qui Ordinum Regularium tutelam gerit.

concredita, omnia quae in animarum ruinam in dies suboriuntur scandala summovere.

S. Pontifex commendat Societatem Iesu,

Institutum Societatis Iesu (ab homine conditum, cui ab universali Ecclesia idem qui sanctis viris cultus et honor tribuitur) a fel. rec. praedecessoribus Nostris Paulo III et Iulio itidem III, Paulo IV, Gregorio XIII, et Gregorio XIV, Paulo V, diligenti examine perpensum, approbatum, saepius confirmatum, et ab iisdem pluribusque aliis ad novemdecim praedecessoribus Nostris ornatum peculiaribus favoribus et gratiis, Episcoporum non modo huius sed superiorum etiam aetatum praeconio commendatum ut maxime frugiferum et fructuosum, et ad promovendum Dei cultum, honorem et gloriam, aeternamque animarum salutem procurandam aptissimum; potentissimorum piissimorumque Regum, et clarissimorum in christiana republica Principum praesidio et tutela usque munitum; cuius ex disciplina novem prodiere viri in Sanctorum vel Beatorum numerum relati, quorum tres martyrii gloriam sunt consecuti; a pluribus sanctitate claris viris, quos beatos in coelo novimus sempiterna perfrui gloria, collaudatum; quod Ecclesia universa longo duorum saeculorum spatio in suo sinu aluit et fovit, eiusque professoribus praecipuam sacri ministerii partem semper commisit magno cum emolumento animarum; quod ipsa denique Catholica Ecclesia in Tridentina Synodo declaravit ut pium: hoc idem Institutum novissime fuerunt, qui per pravas interpretationes, tum privatis sermonibus tum scriptis etiam typis in lucem editis, irreligiosum et impium appellare, contumeliis lacerare, probro et ignominia afficere non sunt veriti, atque eo devenerunt, ut, privata sua non contenti opinione, huiusmodi virus de regione in regionem, nullis non adhibitis artibus, derivare atque undequaque diffundere sint aggressi; neque adhuc cessant incautis, si quos inveniant, Christi fidelibus, ut in proprios pertrahant sensus, subdole propinare. Quo in Ecclesiam Dei nihil iniurium magis, nihil contumeliosius: quasi adeo erraverit turpiter, ut, quod impium et irreligiosum est, solemniter existimaverit Deo charum et pium; eoque decepta sit flagitiosius, quo diuturnius, ad annos scilicet amplius ducentos, cum maximo animarum detrimento sinui suo tantam haerere labem et maculam sustinuerit. Huic tanto malo, quod eo longius dissimulatum tanto altius radices agit viresque acquirit in dies, diutius differre remedium iustitia, quae sua cuique asserere et fortiter tueri iubet, et pastoralis nostra erga Ecclesiam sollicitudo non sinit.

eamque tuetur contra malevolorum calumnias.

Ut igitur tam gravem iniuriam a Sponsa Ecclesia divinitus Nobis concredita, atque etiam ab hac Apostolica Sede propulsemus, et huiusmodi iniustas irreligiosasque voces, in animarum perniciem et seductionem et contra omnes aequi bonique rationes longe lateque diffusas, Nostra auctoritate apostolica compescamus; ut Clericis Regularibus Societatis Iesu id a nobis pro iustitia exigentibus suus maneat status eadem Nostra auctoritate firmius constabilitus, eorumque nunc temporis summe afflictis rebus aliquod afferamus levamen; ut demum venerabilium fratrum Nostrorum Episcoporum, qui ex omnibus regionibus catholicis eamdem Societatem Nobis per litteras magnopere commendarunt, et ex ea maximas utilitates in

CLEMENTIS XIII — 7 Ian. 1765

Renovat praedecessorum approbationes.

suis quisque dioecesibus se capere profitentur, iustis desideriis obsecundemus: motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnium praedecessorum Nostrorum inhaerendo vestigiis, hac Nostra perpetuo valitura constitutione, eodem modo, ratione et forma quibus ipsi edixerunt et declararunt; Nos quoque edicimus et declaramus Institutum Societatis Iesu summopere redolere pietatem et sanctitatem, tum ob praecipuum finem quo maxime spectat, defensionem scilicet propagationemque catholicae religionis, tum ob media quae adhibet ad eiusmodi finem consequendum, quod vel ipsa Nos hactenus docuit experientia, cum ex eadem disciplina tam multos ad hanc usque aetatem prodiisse novimus orthodoxae fidei propugnatores, sacrosque praecones, qui invicto animi robore terra marique subiere pericula, ut ad gentes immanitate barbaras evangelicae doctrinae lumen afferrent, et quotquot idem profitentur laudabile Institutum, partim intentos iuventuti religione et bonis artibus erudiendae, partim operam dare Spiritualibus Exercitiis tradendis, partim assidue versari in Sacramentis praecipue Poenitentiae et Eucharistiae administrandis, et ad eorum frequentiorem usum fidelibus excitandis, tum homines in agris degentes divini verbi pabulo recreare; ac propterea idem Institutum Societatis Iesu, ad haec eximia perpetranda divina providentia excitatum, Ipsi quoque approbamus, et praedecessorum Nostrorum approbationes eiusdem Instituti apostolica auctoritate Nostra confirmamus.

Speciatim laudat vota, usum Exercitiorum Spiritualium.

Vota insuper, quibus iidem Clerici Regulares Societatis Iesu iuxta idem eorum Institutum se devovent Deo, grata illi et accepta esse declaramus; Spiritualia Exercitia, quae ab iisdem Clericis Regularibus traduntur fidelibus a mundi strepitu semotis per dies aliquot, ut de aeterna sui ipsorum salute serio et unice cogitent, ut maxime conducibilia ad reformandos mores et ad christianam pietatem hauriendam nutriendamque magnopere probamus et laudamus.

et Congregationes B. Mariae V.

Congregationes praeterea seu Sodalitia, non modo adolescentium qui ad scholas ventitant Societatis Iesu, sed quaevis alia, sive scholarium tantum sive aliorum Christi fidelium tantum sive utrorumque simul, sub invocatione B. Mariae seu quovis alio titulo erecta, et quae in iis pia opera ferventi studio exercentur, probamus, praecipuamque erga B. Dei Genitricem semper Virginem Mariam devotionem, quae in iis Sodalitiis alitur et promovetur, magnopere commendamus, Nostrorumque fel. rec. praedecessorum Gregorii XIII, Sixti V, Gregorii XV, et Benedicti XIV constitutiones, quibus ea Sodalitia approbarunt, Nos apostolica auctoritate Nostra confirmamus, caeterasque omnes constitutiones a Romanis Pontificibus, praedecessoribus Nostris, in eiusdem Instituti Societatis Iesu functionum approbationem et laudem conditas, quarum singulas hic haberi volumus pro insertis, auctoritate itidem Nobis a Deo tradita, apostolicae confirmationis Nostrae robore, per hanc Nostram constitutionem munitas volumus, et, si opus sit, velut a Nobis ex integro conditas editasque censeri praecipimus et mandamus.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae approbationis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si

CLEMENTIS XIII quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et B. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCCLXIV, septimo idus Iannuarii, Pontificatus Nostri anno septimo. 7 Ian. 1765 Anno vulgari 1765.

N. Card. Antonellus.
C. Card. Pro-Datarius.

CLEMENTIS XIV

INDULGENTIA PLENARIA CUM BENEDICTIONE PONTIFICIA

PRO MISSIONIBUS SOCIETATIS AD SEPTENNIUM CONCEDIDUR.

CLEMENS PAPA XIV,

UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS, PRAESENTES LITTERAS INSPECTURIS, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

CLEMENTIS XIV Coelestium munerum thesauros, quorum dispensatores esse Nos voluit Altissimus, libenter iis impertimur, quos, pro sua in Deum et proximos charitate et christianae religionis zelo, animarum salutem omni studio procurare intelligimus. Quo in genere cum Societatis Iesu Religiosos habeamus, eosque in primis quos dilectus filius Laurentius Ricci, eiusdem Societatis Iesu Praepositus Generalis, ob hanc causam hoc ipso et consequentibus annis in diversas provincias christianae reipublicae mittere constituit: Nos sane, eorumdem Religiosorum pietatem et operam, eorumque, ad quos illi mittendi erunt, religionem ac devotionem spiritualibus gratiis confovere atque augere cupientes, eiusdem Laurentii Praepositi Generalis precibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, piamque illius deliberationem, quantum cum Domino possumus promovere volentes; de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis dictae Societatis Religiosis mittendis (ubi tamen non erunt missionarii Congregationis de Propaganda Fide), et aliis utriusque sexus Christi fidelibus ad quos ipsi mittendi accesserint, Nostram et apostolicam benedictionem per praesentes impertimur; nec non iisdem vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui pro S. R. Ecclesiae exaltatione, Principum christianorum unione, infidelium conversione ac haeresum exstirpatione, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino auctoritate apostolica tenore praesentium, pro una vice dumtaxat pro unaquaque missione, concedimus et elargimur; hortantes venerabiles fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et alios ecclesiarum Praelatos et Rectores, ac verbi Dei praedicatores, ut in suis quisque ecclesiis cum populus frequentior fuerit, praesentes litteras ac omnia in eis con- 12 Iul. 1769

CLEMENTIS XIV

12 Iul. 1769

tenta publicent ac publicari faciant, et omnem iisdem Religiosis favorem et auxilium in praemissis praestent.

Volumus autem, quod praesentium transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici seu dictae Societatis Secretarii subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae seu Praepositi Generalis eiusdem Societatis obsignatis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Praesentibus ad septennium tantum valituris.

Datum Romae, apud S. MARIAM maiorem, sub annulo Piscatoris, die duodecimo Iulii MDCCLXIX, Pontificatus Nostri anno primo.

A. Card. Negronus.

CLEMENTIS XIV

BREVE SUPPRESSIONIS SOCIETATIS IESU.

CLEMENTIS XIV

21 Iul. 1773

CLEMENS PAPA XIV
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Ministerium pacis et reconciliationis Sedi Apostolicae commissum

DOMINUS AC REDEMPTOR noster IESUS Christus, Princeps pacis a Propheta praenuntiatus, quod hunc in mundum veniens per Angelos primum pastoribus significavit, ac demum per se ipsum, antequam in coelos ascenderet, semel et iterum suis reliquit discipulis, ubi omnia DEO Patri reconciliavisset, pacificans per sanguinem crucis suae, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt; Apostolis etiam reconciliationis tradidit ministerium, posuitque in eis verbum reconciliationis, ut, legatione fungentes pro Christo, qui non est dissensionis DEUS sed pacis et dilectionis, universo orbi pacem annuntiarent, et ad id potissimum sua studia conferrent ac labores, ut omnes in Christo geniti solliciti essent servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus et unus spiritus, sicut vocati sunt in una spe vocationis, ad quam nequaquam pertingitur, ut inquit S. Gregorius Magnus, si non ad eam unita cum proximis mente curratur.

S. Pontificem tam ad destruendum quam ad aedificandum inducere debet.

Hoc ipsum potiori quadam ratione Nobis divinitus traditum reconciliationis verbum et ministerium, ubi primum, meritis prorsus imparibus, evecti fuimus ad hanc Petri Sedem, in memoriam revocavimus, die noctuque prae oculis habuimus, cordique altissime inscriptum gerentes, et pro viribus satisfacere contendimus, divinam ad id opem assidue implorantes, ut cogitationes et consilia pacis Nobis et universo dominico gregi DEUS infundere dignaretur, ad eamque consequendam tutissimum Nobis firmissimumque aditum reserare. Quin immo, probe scientes divino nos consilio constitutos fuisse super gentes et super regna, ut in excolenda vinea Sabaoth conservandoque christianae religionis aedificio, cuius Christus est angularis lapis, evellamus et destruamus et disperdamus et dissipemus et aedificemus et plantemus;

40

eo semper fuimus animo constantique voluntate, ut quemadmodum pro christianae reipublicae quiete et tranquillitate nihil a Nobis praetermittendum esse censuimus, quod plantando aedificandoque esset quovis modo accommodatum; ita, eodem mutuae charitatis vinculo expostulante, ad evellendum destruendumque quidquid iucundissimum etiam Nobis esset atque gratissimum, et quo carere minime possemus sine maxima animi molestia et dolore, prompti aeque essemus atque parati.

Ideo, quamvis Ordines Regulares, in catholicae reipublicae bono procurando, principem fere locum teneant;

Non est sane ambigendum, ea inter quae ad catholicae reipublicae bonum felicitatemque comparandam plurimum conferunt, principem fere locum tribuendum esse Regularibus Ordinibus, ex quibus amplissimum in universam Christi Ecclesiam quavis aetate dimanavit ornamentum, praesidium et utilitas. Hos idcirco Apostolica haec Sedes approbavit non modo, suisque fulcita est auspiciis, verum etiam pluribus auxit beneficiis, exemptionibus, privilegiis et facultatibus, ut ex his ad pietatem excolendam et religionem, ad populorum mores verbo et exemplo rite informandos, ad fidei unitatem inter fideles servandam confirmandamque, magis magisque excitarentur atque inflammarentur. Ast ubi eo res devenit, ut ex aliquo Regulari Ordine, vel non amplius uberrimi ii fructus atque optatissima emolumenta a christiano populo perciperentur, ad quae afferenda fuerant primitus instituti, vel detrimento potius esse visi fuerint, ac perturbandae magis populorum tranquillitati quam eidem procurandae accommodati: haec eadem Apostolica Sedes, quae eisdem plantandis operam impenderat suam, suamque interposuerat auctoritatem, eos vel novis communire legibus, vel ad pristinam vivendi severitatem revocare, vel penitus etiam evellere ac dissipare minime dubitavit.

eorum numerum certis legibus cohibuerunt Innocentius III,

Hac sane de causa Innocentius Papa III praedecessor Noster, cum comperisset nimiam Regularium Ordinum diversitatem gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducere, in Concilio generali Lateranensi IV firmiter prohibuit, ne quis de caetero novam Religionem inveniat, sed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat; decrevitque insuper, ut qui voluerit religiosam domum de novo fundare, regulam et institutionem accipiat de approbatis. Unde consequens fuit, ut non liceret omnino novam Religionem instituere, sine speciali Romani Pontificis licentia: et merito quidem; nam cum novae Congregationes maioris perfectionis gratia instituantur, prius ab hac Sancta Apostolica Sede ipsa vitae futurae forma examinari et perpendi debet diligenter, ne, sub specie maioris boni et sanctioris vitae, plurima in Ecclesia Dei incommoda, et fortasse etiam mala, exoriantur.

et Gregorius X.

Quamvis vero providentissime haec fuerint ab Innocentio III praedecessore constituta, tamen postmodum non solum ab Apostolica Sede importuna petentium inhiatio aliquorum Ordinum Regularium approbationem extorsit, verum etiam nonnullorum praesumptuosa temeritas diversorum Ordinum, praecipue mendicantium nondum approbatorum, effrenatam quasi multitudinem adinvenit. Quibus plene cognitis, ut malo statim occurreret, Gregorius Papa X, pariter praedecessor Noster, in generali Concilio Lugdunensi, renovata constitutione

CLEMENTIS XIV

21 Iul. 1773

ipsius Innocentii III praedecessoris, districtius inhibuit, ne aliquis de caetero novum Ordinem aut Religionem adinveniat, vel habitum novae Religionis assumat. Cunctas vero generaliter Religiones et Ordines mendicantes post Concilium Lateranense IV adinventos, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicae meruerunt, perpetuo prohibuit. Confirmatos autem ab Apostolica Sede, modo decrevit subsistere infrascripto: ut videlicet Professoribus eorumdem Ordinum ita liceret in illis remanere, si voluerint, quod nullum deinceps ad eorum professionem admitterent, nec de novo domum vel aliquem locum acquirerent, nec domos seu loca quae habebant alienare valerent, sine eiusdem Sanctae Sedis licentia speciali. Ea enim omnia dispositioni Sedis Apostolicae reservavit in Terrae Sanctae subsidium vel pauperum, vel alios pios usus, per locorum Ordinarios, vel eos quibus Sedes ipsa commiserit, convertenda. Personis quoque ipsorum Ordinum omnino interdixit, quoad extraneos, praedicationes et audiendi confessiones officium, aut etiam sepulturam. Declaravit tamen in hac constitutione minime comprehensos esse Praedicatorum et Minorum Ordines, quos evidens ex eis utilitas Ecclesiae universali proveniens perhibebat approbatos. Voluitque insuper Eremitarum S. Augustini et Carmelitarum Ordines in solido statu permanere, ex eo quod istorum institutio praedictum generale Concilium Lateranense praecesserat. Demum singularibus personis Ordinum, ad quos haec constitutio extendebatur, transeundi ad reliquos Ordines approbatos licentiam concessit generalem; ita tamen, ut nullus Ordo ad alium, vel conventus ad conventum, se ac loca sua totaliter transferret, non obtenta prius speciali Sedis Apostolicae licentia.

Immo Clemens V Ordinem militarem Templariorum suppressit;

Hiscemet vestigiis, secundum temporum circumstantias, inhaeserunt alii Romani Pontifices praedecessores Nostri, quorum omnium decreta longum esset referre. Inter caeteros vero Clemens Papa V, pariter praedecessor Noster, per suas sub plumbo sexto nonas Maii anno Incarnationis Dominicae MCCCXII expeditas litteras, Ordinem militarem Templariorum nuncupatorum, quamvis legitime confirmatum, et alias de christiana republica adeo praeclare meritum, ut a Sede Apostolica insignibus beneficiis, privilegiis, facultatibus, exemptionibus, licentiis cumulatus fuerit, ob universalem diffamationem suppressit et totaliter exstinxit, etiam si Concilium generale Viennense, cui negotium examinandum commiserat, a formali et definitiva ferenda sententia censuerit se abstinere.

Pius V, Ordinem Regularem Fratrum Humiliatorum;

Sanctae mem. Pius Papa V, similiter praedecessor Noster, cuius insignem sanctitatem pie colit et veneratur Ecclesia Catholica, Ordinem Regularem Fratrum Humiliatorum, Concilio Lateranensi anteriorem, approbatumque a fel. rec. Innocentio III, Honorio III, Gregorio IX et Nicolao V, Romanis Pontificibus praedecessoribus itidem Nostris, ob inobedientiam decretis apostolicis, discordias domesticas et externas exortas, nullum omnino futurae virtutis specimen ostendentem, et ex eo quia aliqui eiusdem Ordinis in necem S. Caroli S. R. E. Cardinalis Borromaei, Protectoris ac Visitatoris apostolici dicti Ordinis, scelerate conspiraverint, exstinxit ac penitus abolevit.

Urbanus VIII Congregatio-

Rec. mem. Urbanus Papa VIII,

CLEMENTIS XIV

21 Iul. 1773

nem FF. Conventualium reformatorum,

etiam praedecessor Noster, per suas in simili forma brevis die sexto Februarii MDCXXVI expeditas litteras, Congregationem Fratrum Conventualium reformatorum, a fel. mem. Sixto Papa V, itidem praedecessore Nostro, solemniter approbatam et pluribus beneficiis ac favoribus auctam, ex eo quia ex praedictis Fratribus ii in Ecclesia DEI spirituales fructus non prodierint, immo quamplures differentiae inter eosdem Fratres Conventuales reformatos ac Fratres Conventuales non reformatos ortae fuerint, perpetuo suppressit ac exstinxit; domus, conventus, loca, supellectilem, bona, res, actiones et iura ad praedictam Congregationem spectantia, Ordini Fratrum Minorum S. Francisci conventualium concessit et assignavit, exceptis tantum domo Neapolitana, et domo S. Antonii de Padua nuncupati de Urbe, quam postremam camerae apostolicae applicavit et incorporavit, suaeque suorumque successorum dispositioni reservavit; Fratribus denique praedictae suppressae Congregationis ad Fratres S. Francisci Cappuccinos, seu de Observantia nuncupatos, transitum permisit.

et Ordinem SS. Ambrosii et Barnabae ad Nemus.

Idem Urbanus Papa VIII, per alias suas in pari forma brevis die secundo Decembris MDCXLIII expeditas litteras, Ordinem Regularem SS. Ambrosii et Barnabae ad Nemus perpetuo suppressit, exstinxit et abolevit, subiecitque Regulares praedicti suppressi Ordinis iuris dictioni et correptioni Ordinariorum locorum, praedictisque Regularibus licentiam concessit se transferendi ad alios Ordines Regulares ab Apostolica Sede approbatos. Quam suppressionem rec. mem. Innocentius Papa X, praedecessor quoque Noster, solemniter, per suas sub plumbo kal. Aprilis anno incarnationis Dominicae MDCXLV expeditas litteras, confirmavit, et insuper beneficia, domus et monasteria praedicti Ordinis, quae antea regularia erant, ad saecularitatem reduxit, ac in posterum saecularia fore et esse declaravit.

Innocentius X Pauperes Matris DEI Scholarum Piarum in simplicem Congregationem reduxit,

Idemque Innocentius X praedecessor, per suas in simili forma brevis die decimo sexto Martii MDCXLV expeditas litteras, ob graves perturbationes excitatas inter Regulares Ordinis Pauperum Matris DEI Scholarum Piarum, etsi Ordo ille praevio maturo examine a Gregorio Papa XV, praedecessore Nostro, solemniter approbatus fuerit, praefatum Regularem Ordinem in simplicem Congregationem, absque ullorum votorum emissione, ad instar Instituti Congregationis Presbyterorum saecularium Oratorii in Ecclesia S. MARIAE in Vallicella de Urbe, S. Philippi Neri nuncupatae, reduxit; Regularibus praedicti Ordinis sic reducti transitum ad quamcumque Religionem approbatam concessit; admissionem Novitiorum et admissorum Professionem interdixit; superioritatem denique et iuris dictionem, quae penes Ministrum generalem, Visitatorem aliosque Superiores residebat, in Ordinarios locorum totaliter transtulit: quae omnia per aliquot annos consecuta sunt effectum, donec tandem Sedes haec Apostolica, cognita praedicti Instituti utilitate, illum ad pristinam votorum solemnium formam revocavit, ac in perfectum Regularem Ordinem redegit.

et suppressit Ordinem S. Basilii de Armenis,

Per similes suas in pari forma brevis die vigesimo nono Octobris MDCL expeditas litteras, idem Innocentius X praedecessor, ob discordias quoque et dissensiones exortas, suppressit totaliter Ordinem S. Basilii

de Armenis; Regulares praedicti suppressi Ordinis omnimodae iuris dictioni et obedientiae Ordinariorum locorum subiecit in habitu Clericorum saecularium, assignata iisdem congrua sustentatione ex reditibus conventuum suppressorum; illisque etiam facultatem transeundi ad quamcumque Religionem approbatam concessit.

et Congr. Regularium Presbyterorum Boni Iesus.

Pariter ipse Innocentius x praedecessor, per alias suas in dicta forma brevis die vigesimo secundo Iunii MDCLI expeditas litteras, attendens nullos spirituales fructus ex Regulari Congregatione Presbyterorum Boni Iesus in Ecclesia sperari posse, praefatam Congregationem perpetuo exstinxit; Regulares praedictos iuris dictioni Ordinariorum locorum subiecit, assignata eisdem congrua sustentatione ex reditibus suppressae Congregationis, et cum facultate transeundi ad quemlibet Ordinem Regularem approbatum a Sede Apostolica; suoque arbitrio reservavit applicationem bonorum praedictae Congregationis in alios pios usus.

Item Clemens ix, tres Ordines Regulares.

Denique fel. rec. Clemens Papa ix, praedecessor itidem Noster, cum animadverteret tres Regulares Ordines, Canonicorum videlicet Regularium S. Georgii in Alga nuncupatorum, Hieronymianorum de Fesulis, ac tandem Iesuatorum a S. Ioanne Columbano institutorum, parum vel nihil utilitatis et commodi christiano populo afferre, aut sperare posse eos esse aliquando allaturos, de iis supprimendis exstinguendisque consilium cepit, idque perfecit suis litteris in simili forma brevis die sexto Decembris MDCLXVIII expeditis; eorumque bona et reditus, satis conspicuos, Venetorum Republica postulante, in eos sumptus impendi voluit, qui ad Cretense bellum adversus Turcas sustinendum erant necessario subeundi.

In his vero omnibus SS. Pontifices, omissis forensibus iudiciis, pro sua prudentia et ex potestatis plenitudine agere consueverunt.

In his vero omnibus decernendis perficiendisque, satius semper duxerunt praedecessores Nostri ea uti consultissima agendi ratione, quam ad intercludendum penitus aditum animorum contentionibus, et ad quaelibet amovenda dissidia vel partium studia, magis conferre existimarunt. Hinc, molesta illa ac plena negotii praetermissa methodo, quae in forensibus instituendis iudiciis adhiberi consuevit, prudentiae legibus unice inhaerentes, ea potestatis plenitudine qua tamquam Christi in terris Vicarii ac supremi christianae reipublicae moderatores amplissime donati sunt, rem omnem absolvendam curarunt, quin Regularibus Ordinibus suppressioni destinatis veniam facerent et facultatem sua experiundi iura, et gravissimas illas vel propulsandi criminationes, vel causas amoliendi ob quas ad illud consilii genus suscipiendum adducebantur.

Quibus exemplis ante oculos positis,

His igitur aliisque maximi apud omnes ponderis et auctoritatis exemplis Nobis ante oculos propositis, vehementique simul flagrantes cupiditate, ut in ea, quam infra aperiemus, deliberatione, fidenti animo tutoque pede incedamus, nihil diligentiae omisimus et inquisitionis, ut quidquid ad Regularis Ordinis, qui Societatis Iesu vulgo dicitur, originem pertinet, progressum hodiernumque statum, perscrutaremur; et compertum inde habuimus, eum ad animarum salutem, ad haereticorum et maxime infidelium conversionem, ad maius denique pietatis et religionis incrementum a Sancto suo Conditore fuisse institutum; atque, ad optatissimum huiusmodi finem facilius feliciusque con-

attentis hinc Societatis Iesu fine,

sequendum, arctissimo evangelicae paupertatis voto, tam in communi quam in particulari, fuisse Deo consecratum, exceptis tantummodo studiorum seu litterarum Collegiis, quibus possidendi reditus ita facta est vis et potestas, ut nihil tamen ex iis reditibus in ipsius Societatis commodum, utilitatem ac usum impendi umquam possit, atque converti.

atque Constitutionibus in eius gratiam editis a Paulo III,

His aliisque sanctissimis legibus probata primum fuit eadem Societas Iesu a rec. mem. Paulo Papa III, praedecessore Nostro, per suas sub plumbo, quinto kal. Octobris anno Incarnationis Dominicae MDXL, expeditas litteras; ab eodemque concessa ei fuit facultas condendi iura atque statuta, quibus Societatis praesidio, incolumitati atque regimini firmissime consuleretur. Et quamvis idem Paulus praedecessor Societatem ipsam angustissimis sexaginta dumtaxat Alumnorum limitibus ab initio circumscripsisset; per alias tamen suas itidem sub plumbo pridie kal. * Martii anno Incarnationis Dominicae MDXLIII expeditas litteras, locum dedit eadem in Societate iis omnibus quos in eam excipere illius Moderatoribus visum fuisset opportunum aut necessarium. Anno deinde MDXLIX, suis in simili forma brevis die decimo quinto * Novembris expeditis litteris, idem Paulus praedecessor pluribus atque amplissimis privilegiis eamdem Societatem donavit, ac in his indultum, alias per eumdem Praepositis Generalibus dictae Societatis concessum, admittendi viginti Presbyteros Coadiutores spirituales, eisque impertiendi easdem facultates, gratiam et auctoritatem, quibus Socii ipsi Professi donantur, ad alios quoscumque, quos idoneos fore iidem Praepositi Generales censuerint, ullo absque limite et numero extendendum voluit atque mandavit; ac praeterea Societatem ipsam et universos illius Socios et personas illorumque bona quaecumque ab omni superioritate, iuris dictione, correctione quorumcumque Ordinariorum exemit et vindicavit, ac sub sua et Apostolicae Sedis protectione suscepit.

* Datae fuerunt litterae anno vulgari 1544, pridie *idus* Martii. Vid. pag. 7.

* Datae fuerunt litterae decimo quinto *kalendas* Novembris. Vid. pag. 18.

et a pluribus Romanis Pontificibus;

Haud minor fuit reliquorum praedecessorum Nostrorum eamdem erga Societatem liberalitas ac munificentia. Constat enim a rec. mem. Iulio III, Paulo IV, Pio IV et V, Gregorio XIII, Sixto V, Gregorio XIV, Clemente VIII, Paulo V, Leone XI, Gregorio XV, Urbano VIII, aliisque Romanis Pontificibus privilegia eidem Societati iam antea tributa, vel confirmata fuisse, vel novis aucta accessionibus, vel apertissime declarata.

attentis illinc contentionibus, quas eadem Societas propter suas Constitutiones, privilegia et doctrinam sustinuit.

Ex ipso tamen apostolicarum constitutionum tenore et verbis palam colligitur eadem in Societate, suo fere ab initio, varia dissidiorum ac aemulationum semina pullulasse, ipsos non modo inter Socios, verum etiam cum aliis Regularibus Ordinibus, Clero saeculari, academiis, universitatibus, publicis litterarum gymnasiis et cum ipsis etiam Principibus, quorum in ditionibus Societas fuerat excepta; easdemque contentiones et dissidia excitata modo fuisse de votorum indole et natura, de tempore admittendorum Sociorum ad vota, de facultate Socios expellendi, de iisdem Sociis ad sacros ordines promovendis sine congrua ac sine votis solemnibus, contra Concilii Tridentini ac sanctae mem. Pii Papae V, praedecessoris Nostri, decreta, modo de absoluta potestate quam Praepositus Generalis eiusdem Societatis sibi vindicabat, ac de aliis rebus ipsius Societatis regi-

CLEMENTIS XIV

21 Iul. 1773

men spectantibus, modo de variis doctrinae capitibus, de scholis, de exemptionibus et privilegiis, quae locorum Ordinarii aliaeque personae in ecclesiastica vel saeculari dignitate constitutae suae noxia esse iuris dictioni ac iuribus contendebant; ac demum minime defuerunt gravissimae accusationes eisdem Sociis obiectae, quae christianae reipublicae pacem ac tranquillitatem non parum perturbarunt.

speciatim sub Philippo II Hispaniarum Rege;

Multae hinc ortae adversus Societatem querimoniae, quae, nonnullorum etiam Principum auctoritate munitae ac relationibus, ad rec. mem. Paulum IV, Pium V et Sixtum V, praedecessores Nostros, delatae fuerunt. In his fuit clarae mem. Philippus II, Hispaniarum Rex Catholicus, qui tum gravissimas, quibus ille vehementer impellebatur, rationes, tum etiam eos, quos ab Hispaniarum Inquisitoribus, adversus immoderata Societatis privilegia ac regiminis formam acceperat, clamores, et contentionum capita, a nonnullis eiusdem etiam Societatis viris doctrina et pietate spectatissimis confirmata, eidem Sixto V praedecessori exponenda curavit, apud eumdemque egit, ut apostolicam Societatis visitationem decerneret atque committeret. Ipsius Philippi Regis petitionibus et studiis, quae summa inniti aequitate animadverterat, annuit idem Sixtus praedecessor, delegitque ad apostolici Visitatoris munus Episcopum prudentia, virtute et doctrina omnibus commendatissimum; ac praeterea Congregationem designavit nonnullorum S. R. E. Cardinalium, qui ei rei perficiendae sedulam navarent operam. Verum, dicto Sixto V praedecessore immatura morte praerepto, saluberrimum ab eo susceptum consilium evanuit omnique caruit effectu.

et non obstantibus novis confirmationibus Instituti per Gregorium XIV,

Ad supremum autem apostolatus apicem assumptus fel. rec. Gregorius Papa XIV, per suas litteras sub plumbo, quarto kal. Iulii anno Dominicae Incarnationis MDXCI, expeditas, Societatis Institutum amplissime iterum approbavit, rataque haberi iussit ac firma privilegia quaecumque eidem Societati a suis praedecessoribus collata; et illud prae caeteris, quo cautum fuerat ut a Societate expelli dimittique possent Socii, forma iudiciaria minime adhibita, nulla scilicet praemissa inquisitione, nullis confectis actis, nullo ordine iudiciario servato, nullisque terminis etiam substantialibus servatis, sola facti veritate inspecta, culpae vel rationabilis causae tantum ratione habita ac personarum aliarumque circumstantiarum. Altissimum insuper silentium imposuit, vetuitque sub poena potissimum excommunicationis latae sententiae, ne quis dictae Societatis Institutum, Constitutiones aut decreta directe vel indirecte impugnare auderet, vel aliquid de iis quovis modo immutari curaret. Ius tamen cuilibet reliquit, ut quidquid addendum, minuendum aut immutandum censeret, sibi tantummodo et Romanis solum Pontificibus pro tempore exsistentibus, vel immediate, vel per Apostolicae Sedis Legatos seu Nuntios significare posset atque proponere.

Tantum vero abest, ut haec omnia satis fuerint compescendis adversus Societatem clamoribus et querelis, quin potius magis magisque universum fere orbem pervaserunt molestissimae contentiones de Societatis doctrina, quam fidei veluti orthodoxae bonisque moribus repugnantem plu-

CLEMENTIS XIV

rimi traduxerunt; domesticae etiam externaeque efferbuerunt dissensiones, et frequentiores factae sunt in eam de nimia potissimum terrenorum bonorum cupiditate accusationes; ex quibus omnibus suam hauserunt originem, tum perturbationes illae omnibus satis cognitae, quae Sedem Apostolicam ingenti moerore affecerunt ac molestia, tum capta a Principibus nonnullis in Societatem consilia.

Paulum v, Quo factum est, ut eadem Societas novam Instituti sui ac privilegiorum confirmationem a fel. rec. Paulo Papa v praedecessore Nostro impetratura, coacta fuerit ab eo petere, ut rata habere vellet, suaque confirmare auctoritate, decreta quaedam in quinta generali Congregatione edita, atque ad verbum exscripta in suis sub plumbo pridie nonas Septembris anno Incarnationis Dominicae MDCVI desuper expeditis litteris; quibus in decretis discretissime legitur, tam internas Sociorum simultates ac turbas, quam exterorum in Societatem querelas ac postulationes, Socios in comitiis congregatos impulisse ad sequens condendum statutum: — " Quoniam Societas nostra, quae ad fidei propagationem et animarum lucra a Domino excitata est, sicut per propria Instituti ministeria, quae spiritualia arma sunt, cum Ecclesiae utilitate ac proximorum aedificatione sub crucis vexillo finem feliciter consequi potest quem intendit, ita et haec bona impediret et se maximis periculis exponeret, si ea tractaret quae saecularia sunt, et ad res politicas atque ad status gubernationem pertinent; idcirco sapientissime a nostris maioribus statutum est, ut militantes Deo, aliis, quae a nostra professione abhorrent, non implicemur. Cum autem his praesertim temporibus valde periculosis, pluribus locis, et apud varios Principes (quorum tamen amorem et charitatem sanctae memoriae Pater Ignatius conservandam ad divinum obsequium pertinere putavit) aliquorum fortasse culpa, et vel ambitione vel indiscreto zelo, Religio nostra male audiat, et alioquin bonus Christi odor necessarius sit ad fructificandum: censuit Congregatio ab omni specie mali abstinendum esse, et querelis, quoad fieri poterit, etiam ex falsis suspicionibus provenientibus, occurrendum. Quare praesenti decreto graviter et severe nostris omnibus interdicit, ne in huiusmodi publicis negotiis, etiam invitati aut allecti, ulla ratione se immisceant, nec ullis precibus aut suasionibus ab Instituto deflectant. Et praeterea, quibus efficacioribus remediis omnino huic morbo, sicubi opus sit, medicina adhibeatur, patribus Definitoribus accurate decernendum et definiendum commendavit. "

21 Iul. 1773

Maximo sane animi Nostri dolore observavimus, tam praedicta, quam alia complura deinceps adhibita remedia, nihil ferme virtutis prae se tulisse et auctoritatis ad tot ac tantas evellendas dissipandasque turbas, accusationes et querimonias in saepe dictam Societatem, frustraque ad id laborasse caeteros praedecessores Nostros Urbanum VIII, Clementem IX, X, XI et XII, Alexandrum VII et VIII, et Innocentium X, XI, XII et XIII, et Benedictum XIV, qui optatissimam conati sunt Ecclesiae restituere tranquillitatem, plurimis saluberrimis editis constitutionibus, tam circa saecularia negotia, sive extra sacras missiones, sive earum occasione minime exercenda, quam circa dissidia gravissima plurimosque Romanos Pontifices,

CLEMENTIS XIV

21 Iul. 1773

ac iurgia adversus locorum Ordinarios, Regulares Ordines, loca pia atque communitates cuiusvis generis in Europa, Asia et America, non sine ingenti animarum ruina ac populorum admiratione, a Societate acriter excitata; tum etiam super interpretatione et praxi ethnicorum quorumdam rituum aliquibus in locis passim adhibita, omissis iis, qui ab universali Ecclesia sunt rite probati; vel super earum sententiarum usu et interpretatione, quas Apostolica Sedes, tamquam scandalosas optimaeque morum disciplinae manifeste noxias, merito proscripsit; vel aliis demum super rebus maximi equidem momenti, et ad christianorum dogmatum puritatem sartam tectam servandam apprime necessariis, et ex quibus nostra hac, non minus quam superiori aetate, plurima dimanarunt detrimenta et incommoda, perturbationes nimirum ac tumultus in nonnullis catholicis regionibus, Ecclesiae persecutiones in quibusdam Asiae et Europae provinciis. Ingens denique allatus est moeror praedecessoribus Nostris, et in his piae mem. Innocentio Papae XI, qui, necessitate compulsus, eo devenit ut Societati interdixerit Novitios ad habitum admittere; tum Innocentio Papae XIII, qui eamdem poenam coactus fuit eidem comminari; ac tandem rec. mem. Benedicto Papae XIV, qui visitationem Domorum Collegiorumque, in ditione charissimi in Christo filii Nostri Lusitaniae et Algarbiorum Regis Fidelissimi exsistentium, censuit decernendam; quin ullum subinde, vel Sedi Apostolicae solamen, vel Societati auxilium, vel christianae reipublicae bonum accesserit ex novissimis apostolicis litteris a fel. rec. Clemente Papa XIII, immediato praedecessore Nostro, extortis potius, ut verbo utamur a praedecessore Nostro Gregorio X in supra citato Lugdunensi oecumenico Concilio adhibito, quam impetratis, quibus Societatis Iesu Institutum magnopere commendatur ac rursus approbatur.

et postremo per Clementem XIII editis,

Post tot tantasque procellas ac tempestates acerbissimas, futurum optimus quisque sperabat, ut optatissima illa tandem aliquando illucesceret dies, quae tranquillitatem et pacem esset cumulatissime allatura. At Petri Cathedram gubernante eodem Clemente XIII praedecessore, longe difficiliora ac turbulentiora accesserunt tempora. Auctis enim quotidie magis in praedictam Societatem clamoribus et querelis, quin immo periculosissimis alicubi exortis seditionibus, tumultibus, dissidiis et scandalis, quae, christianae charitatis vinculo labefactato ac penitus disrupto, fidelium animos ad partium studia, odia et inimicitias vehementer inflammarunt, eo discriminis ac periculi res perducta visa est, ut ii ipsi, quorum avita pietas ac in Societatem liberalitas haereditario quodam veluti iure a maioribus accepta, omnium fere linguis summopere commendatur, charissimi nempe in Christo filii Nostri Reges Francorum, Hispaniarum, Lusitaniae, ac utriusque Siciliae, suis ex regnis, ditionibus atque provinciis socios dimittere coacti omnino fuerint et expellere, hoc unum putantes extremum tot malis superesse remedium, et poenitus necessarium ad impediendum quominus christiani populi in ipso sanctae Matris Ecclesiae sinu sese invicem lacesserent, provocarent, lacerarent.

passim sustinere solita est,

et sustinet adhuc a quatuor Regibus, qui eam e suis regnis expulsam, ubique supprimi cupiunt;

Ratum vero habentes praedicti charissimi in Christo filii Nostri re-

medium hoc firmum esse non posse, ac universo christiano orbi reconciliando accommodatum, nisi Societas ipsa prorsus exstingueretur ac ex integro supprimeretur; sua idcirco apud praefatum Clementem Papam XIII praedecessorem exposuerunt studia ac voluntatem, et qua valebant auctoritate et precibus, coniunctis simul votis expostularunt, ut efficacissima ea ratione perpetuae suorum subditorum securitati, universaeque Christi Ecclesiae bono providentissime consuleret. Qui tamen, praeter omnium exspectationem, contigit eiusdem Pontificis obitus, rei cursum exitumque prorsus impedivit. Hinc Nobis in eadem Petri Cathedra, divina disponente clementia, constitutis, eaedem statim oblatae sunt preces, petitiones et vota, quibus sua quoque addiderunt studia animique sententiam Episcopi complures, aliique viri dignitate, doctrina, religione plurimum conspicui.

Clemens XIV, sensum Tridentinae approbationis perscrutatus,

Ut autem in re tam gravi tantique momenti tutissimum caperemus consilium, diuturno Nobis temporis spatio opus esse iudicavimus, non modo ut diligenter inquirere, maturius expendere et consultissime deliberare possemus, verum etiam ut multis gemitibus et continuis precibus singulare a Patre luminum exposceremus auxilium et praesidium; qua etiam in re fidelium omnium precibus, pietatisque operibus Nos saepius apud DEUM iuvari curavimus. Perscrutari inter caetera voluimus, quo innitatur fundamento pervagata illa apud plurimos opinio, Religionem scilicet Clericorum Societatis IESU fuisse a Concilio Tridentino solemni quadam ratione approbatam et confirmatam; nihilque aliud de ea actum fuisse comperimus in citato Concilio, quam ut a generali illo exciperetur decreto, quo de reliquis Regularibus Ordinibus cautum fuit, ut, finito tempore Novitiatus, Novitii qui idonei inventi fuerint, ad profitendum admittantur, aut a monasterio eiiciantur. Quamobrem eadem sancta Synodus (*sess.* 25, *cap.* 16, *de Regular.*) declaravit, se nolle aliquid innovare, aut prohibere quin praedicta Religio Clericorum Societatis IESU, iuxta pium eorum Institutum a S. Sede Apostolica approbatum, Domino et eius Ecclesiae inservire possit.

et muneris necessitate compulsus, pacis causa,

Tot itaque ac tam necessariis adhibitis mediis, Divini Spiritus, ut confidimus, adiuti praesentia et afflatu, nec non muneris Nostri compulsi necessitate, quo et ad christianae reipublicae quietem et tranquillitatem conciliandam, fovendam, roborandam, et ad illa omnia penitus de medio tollenda quae eidem detrimento vel minimo esse possunt, quantum vires sinunt arctissime adigimur; cumque praeterea animadverterimus praedictam Societatem IESU uberrimos illos amplissimosque fructus et utilitates afferre amplius non posse, ad quos instituta fuit, a tot praedecessoribus Nostris approbata ac plurimis ornata privilegiis, immo fieri aut vix aut nullo modo posse, ut, ea incolume manente, vera pax ac diuturna Ecclesiae restituatur: his propterea gravissimis adducti causis, aliisque pressi rationibus, quas et prudentiae leges et optimum universalis Ecclesiae regimen Nobis suppeditant, altaque mente repositas servamus, vestigiis inhaerentes eorumdem praedecessorum Nostrorum, et praesertim memorati Gregorii X praedecessoris in generali Concilio Lugdunensi; cum et nunc de Socie-

tate agatur, tum Instituti sui, tum privilegiorum etiam suorum ratione, Mendicantium Ordinum numero adscripta; maturo consilio, ex certa scientia et plenitudine potestatis apostolicae, saepe dictam Societatem exstinguimus et supprimimus: tollimus et abrogamus omnia et singula eius officia, ministeria et administrationes, Domus, scholas, Collegia, hospitia, grangias et loca quaecumque, quavis in provincia, regno et ditione exsistentia, et modo quolibet ad eam pertinentia; eius statuta, mores, consuetudines, decreta, Constitutiones, etiam iuramento, confirmatione apostolica, aut alias roboratas; omnia item et singula privilegia et indulta generalia vel specialia, quorum tenores praesentibus, ac si de verbo ad verbum essent inserta, ac etiam si quibusvis formulis, clausulis irritantibus, et quibuscumque vinculis et decretis sint concepta, pro plene et sufficienter expressis haberi volumus.

dictam Societatem exstinguit et supprimit,

et auctoritatem Superiorum cassat.

Ideoque declaramus cassatam perpetuo manere ac penitus exstinctam omnem et quamcumque auctoritatem Praepositi Generalis, Provincialium, Visitatorum aliorumque quorumlibet dictae Societatis Superiorum, tam in spiritualibus quam in temporalibus; eamdemque iuris dictionem et auctoritatem in locorum Ordinarios totaliter et omnimode transferimus, iuxta modum, causas et personas, et iis sub conditionibus, quas infra explicabimus; prohibentes, quemadmodum per praesentes prohibemus, ne ullus amplius in dictam Societatem excipiatur, et ad habitum ac Novitiatum admittatur; qui vero hactenus fuerunt excepti, ad professionem votorum simplicium vel solemnium, sub poena nullitatis admissionis et professionis aliisque arbitrio Nostro, nullo modo admitti possint et valeant. Quin immo volumus, praecipimus et mandamus, ut qui nunc Tirocinio actu vacant, statim, illico, immediate et cum effectu dimittantur; ac similiter vetamus, ne, qui votorum simplicium professionem emiserunt, nulloque sacro ordine sunt usque adhuc initiati, possint ad maiores ipsos ordines promoveri, praetextu aut titulo vel iam emissae in Societate professionis, vel privilegiorum contra Concilii Tridentini decreta eidem Societati collatorum.

Ex paterno erga singulos Socios affectu consulit ut Professi votorum simplicium congruum munus inveniant;

Quoniam vero eo Nostra tendunt studia, ut, quemadmodum Ecclesiae utilitatibus ac populorum tranquillitati consulere cupimus, ita singulis eiusdem Religionis individuis seu Sociis, quorum singulares personas paterne in Domino diligimus, solamen aliquod et auxilium afferre studeamus; ut, ab omnibus, quibus hactenus vexati fuerunt contentionibus, dissidiis et angoribus liberi, fructuosius vineam Domini possint excolere et animarum saluti uberius prodesse: ideo decernimus et constituimus, ut Socii professi votorum dumtaxat simplicium, et sacris ordinibus nondum initiati, intra spatium temporis a locorum Ordinariis definiendum, satis congruum ad munus aliquod vel officium, vel benevolum receptorem inveniendum, non tamen uno anno longius a data praesentium Nostrarum litterarum inchoandum, Domibus et Collegiis eiusdem Societatis, omni votorum simplicium vinculo soluti, egredi omnino debeant, eam vivendi rationem suscepturi, quam singulorum vocationi, viribus et conscientiae magis aptam in Domino iudicaverint;

cum et iuxta Societatis privilegia dimitti ab ea hi poterant, non alia de causa praeter eam quam Superiores prudentiae et circumstantiis magis conformem putarent, nulla praemissa citatione, nullis confectis actis, nulloque iudiciario ordine servato.

ut promoti ad ordines sacros alias Religiones ingredi possint,

Omnibus autem Sociis ad sacros ordines promotis veniam facimus ac potestatem easdem Domos aut Collegia Societatis deserendi; vel ut ad aliquem ex Regularibus Ordinibus a Sede Apostolica approbatis se conferant, ubi Probationis tempus a Concilio Tridentino praescriptum debebunt explere, si votorum simplicium professionem in Societate emiserint; si vero solemnium etiam votorum, per sex tantum integros menses in Probatione stabunt, super quo benigne cum eis dispensamus; vel ut in saeculo maneant, tamquam Presbyteri et Clerici saeculares, sub omnimoda ac totali obedientia et subiectione Ordinariorum in quorum dioecesi domicilium figant: decernentes insuper, ut his, qui hac ratione in saeculo manebunt, congruum aliquod, donec provisi aliunde non fuerint, assignetur stipendium ex reditibus Domus seu Collegii ubi morabantur, habito tamen respectu tum redituum, tum onerum eidem annexorum.

vel iusta de causa in Domibus Societatis manere, Ordinario subiecti.

Professi vero in sacris ordinibus iam constituti, qui vel timore ducti non satis honestae sustentationis ex defectu vel inopia congruae, vel quia loco carent ubi domicilium sibi comparent, vel ob provectam aetatem, infirmam valetudinem, aliamque iustam gravemque causam, Domus Societatis seu Collegia derelinquere opportunum minime existimaverint, ibidem manere poterunt; ea tamen lege, ut nullam praedictae Domus seu Collegii administrationem habeant, Clericorum saecularium veste tantummodo utantur, vivantque Ordinario eiusdem loci plenissime subiecti. Prohibemus autem omnino quominus in eorum, qui deficient, locum alios sufficiant, domum de novo, iuxta Concilii Lugdunensis decreta, seu aliquem locum acquirant; Domos insuper, res et loca, quae nunc habent, alienare valeant; quin immo in unam tantum Domum seu plures, habita ratione Sociorum qui remanebunt, poterunt congregari, ita ut Domus quae vacuae relinquentur, possint in pios usus converti, iuxta id quod sacris canonibus, voluntati fundatorum, divini cultus incremento, animarum saluti ac publicae utilitati videbitur, suis loco et tempore, recte riteque accomodatum. Interim vero vir aliquis ex Clero saeculari, prudentia probisque moribus praeditus, designabitur, qui dictarum Domorum praesit regimini, deleto penitus et suppresso nomine Societatis.

Suppressione generali comprehendi Socios antea expulsos declarat.

Declaramus individuos etiam praedictae Societatis ex omnibus provinciis, a quibus iam reperiuntur expulsi, comprehensos esse in hac generali Societatis suppressione; ac proinde volumus, quod supra dicti expulsi, etiam si ad maiores ordines sint et exsistant promoti, nisi ad alium Regularem Ordinen transierint, ad statum Clericorum et Presbyterorum saecularium ipso facto redigantur, et locorum Ordinariis totaliter subiiciantur.

Concedit ut Sacerdotes ad confessiones dioecesanorum audiendas admitti,

Locorum Ordinarii, si eam, qua opus est, deprehenderint virtutem, doctrinam morumque integritatem in iis, qui e Regulari Societatis Iesu Instituto ad Presbyterorum saecularium statum in vim praesentium Nostrarum litterarum transierint, pote-

runt eis pro suo arbitrio facultatem largiri aut denegare excipiendi sacramentales Confessiones Christi fidelium, aut publicas ad populum habendi sacras conciones, sine qua licentia in scriptis nemo illorum iis fungi muneribus audebit. Hanc tamen facultatem iidem Episcopi vel locorum Ordinarii numquam quoad extraneos iis concedent, qui in Collegiis aut Domibus antea ad Societatem pertinentibus vitam ducent, quibus proinde perpetuo interdicimus sacramentum Poenitentiae extraneis administrare, vel praedicare, quemadmodum ipse etiam Gregorius x praedecessor in citato generali Concilio simili modo prohibuit. Qua de re ipsorum Episcoporum oneramus conscientiam, quos memores cupimus severissimae illius rationis, quam de ovibus eorum curae commissis Deo sunt reddituri, et durissimi etiam illius iudicii, quod iis qui praesunt supremus vivorum et mortuorum Iudex minatur.

et Magistri scholarum in munere perseverare possint.

Volumus praeterea, quod si quis eorum, qui Societatis Institutum profitebantur, munus exerceat erudiendi in litteris iuventutem, aut Magistrum agat in aliquo Collegio aut schola, remotis penitus omnibus a regimine, administratione et gubernio, iis tantum in docendi munere locus fiat perseverandi et potestas, qui ad bene de suis laboribus sperandum signum aliquod prae se ferant, et dummodo ab illis alienos se praebeant disputationibus et doctrinae capitibus, quae, sua vel laxitate vel inanitate, gravissimas contentiones et incommoda parere solent et procreare; nec ullo umquam tempore ad huiusmodi docendi munus ii admittantur, vel in eo, si nunc actu versantur, suam sinantur praestare operam, qui scholarum quietem ac publicam tranquillilatem non sunt pro viribus conservaturi.

Sibi reservat missionum inter fideles curam.

Quo vero ad sacras attinet missiones, quarum etiam ratione intelligenda volumus quaecumque de Societatis suppressione disposuimus, Nobis reservamus ea media constituere, quibus et infidelium conversio et dissidiorum sedatio facilius et firmius obtineri possit et comparari.

Socios ad beneficia et stipendium, secundum ius commune habile declarat.

Cassatis autem et penitus abrogatis, ut supra, privilegiis quibuscumque et statutis saepe dictae Societatis, declaramus eius Socios, ubi a Domibus et Collegiis Societatis egressi, et ad statum Clericorum saecularium redacti fuerint, habiles esse et idoneos ad obtinenda, iuxta sacrorum canonum et constitutionum apostolicarum decreta, beneficia quaecumque, tam sine cura quam cum cura, officia, dignitates, personatus, et id genus alia, ad quae omnia eis in Societate manentibus aditus fuerat penitus interclusus a fel. rec. Gregorio Papa XIII per suas in simili forma brevis, die decimo Septembris MDLXXXIV, expeditas litteras, quarum initium est: SATIS SUPERQUE. Item iisdem permittimus, quod pariter vetitum eis erat, ut eleemosynam pro missae celebratione valeant percipere, possintque iis omnibus frui gratiis et favoribus, quibus tamquam Clerici Regulares Societatis IESU perpetuo caruissent. Derogamus pariter omnibus et singulis facultatibus, quibus a Praeposito Generali aliisque Superioribus, vi privilegiorum a Summis Pontificibus obtentorum, donati fuerint, legendi videlicet haereticorum libros et alios ab Apostolica Sede proscriptos et damnatos; non servandi ieiuniorum dies, aut esurialibus cibis in iis non utendi; anteponendi postponendique horarum

canonicarum recitationem, aliisque id genus, quibus in posterum eos uti posse severissime prohibemus; cum mens Nobis animusque sit, ut iidem, tamquam saeculares Presbyteri, ad iuris communis tramites suam accomodent vivendi rationem.

Clausulas apponit.

Vetamus, ne, postquam praesentes Nostrae litterae promulgatae fuerint ac notae redditae, ullus audeat earum exsecutionem suspendere, etiam colore, titulo, praetextu cuiusvis petitionis, appellationis, recursus, declarationis, aut consultationis dubiorum quae forte oriri possent, alioque quovis praetextu praeviso vel non praeviso. Volumus enim, ex nunc et immediate, suppressionem et cassationem universae praedictae Societatis et omnium eius officiorum suum effectum sortiri, forma et modo a Nobis supra expressis, sub poena maioris excommunicationis ipso facto incurrendae, Nobis Nostrisque successoribus Romanis Pontificibus pro tempore reservatae, adversus quemcumque, qui Nostris hisce litteris adimplendis impedimentum, obicem aut moram apponere praesumpserit.

Prohibet ne brevis argumentum tractetur.

Mandamus insuper, ac in virtute sanctae obedientiae praecipimus, omnibus et singulis personis ecclesiasticis, Regularibus, saecularibus, cuiuscumque gradus, dignitatis, qualitatis et conditionis, et iis signanter, qui usque adhuc Societati fuerunt adscripti et inter Socios habiti, ne defendere audeant, impugnare, scribere vel etiam loqui de huiusmodi suppressione, deque eius causis et motivis, quemadmodum nec de Societatis Instituto, regulis, Constitutionibus, regiminis forma, aliave de re, quae ad huiusmodi pertinet argumentum, absque expressa Romani Pontificis licentia; ac simili modo, sub poena excommunicationis Nobis ac Nostris pro tempore successoribus reservatae, prohibemus omnibus et singulis, ne huius suppressionis occasione ullum audeant, multoque minus eos qui Socii fuerunt, iniuriis, iurgiis, contumeliis aliove contemptus genere, voce aut scripto clam aut palam, afficere ac lacessere.

Hortatur Principes ad brevis exsecutionem,

Hortamur omnes christianos Principes, ut ea qua pollent vi, auctoritate et potentia, quam pro Sanctae Romanae Ecclesiae defensione et patrocinio a Deo acceperunt, tum etiam eo quo in hanc Apostolicam Sedem ducuntur obsequio et cultu, suam praestent operam ac studia, ut hae Nostrae litterae suum plenissime consequantur effectum; quin immo, singulis in iisdem litteris contentis inhaerentes, similia constituant et promulgent decreta, per quae omnino caveant, ne, dum haec Nostra voluntas exsecutioni tradetur, ulla inter fideles excitentur iurgia, contentiones et dissidia.

et fideles omnes ad pacem et charitatem.

Hortamur denique christianos omnes, ac per Domini nostri Iesu Christi viscera obsecramus, ut memores sint omnes eumdem habere Magistrum, qui in coelis est; eumdem omnes Reparatorem, a quo empti sumus pretio magno; eodem omnes lavacro aquae in verbo vitae regeneratos esse, et filios Dei, cohaeredes autem Christi constitutos; eodem catholicae doctrinae verbique divini pabulo nutritos; omnes demum unum corpus esse in Christo, singulos autem alterum alterius membra; atque idcirco necesse omnino esse ut omnes, communi charitatis vinculo simul colligati, cum omnibus hominibus pacem habeant, ac nemini debeant quidquam, nisi ut invicem diligant, nam, qui diligit proximum, legem implevit; summo pro-

CLEMENTIS XIV

21 Iul. 1773

sequentes odio offensiones, simultates, iurgia, insidias, aliaque huiusmodi ab antiquo humani generis hoste excogitata, inventa et excitata, ad Ecclesiam DEI perturbandam, impediendamque aeternam fidelium felicitatem, sub fallacissimo scholarum, opinionum vel etiam christianae perfectionis titulo ac praetextu. Omnes tandem totis viribus contendant veram germanamque sibi sapientiam comparare, de qua scriptum est per Sanctum Iacobum (cap. 3 *Epist. canon.* vers. 13.) " Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiae. Quod si zelum amarum habetis, et contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari, et mendaces esse adversus veritatem. Non est enim ista sapientia desursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Quae autem de sursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione. Fructus autem iustitiae in pace seminatur facientibus pacem. "

Litterarum efficaciae consulit.

Praesentes quoque litteras, etiam ex eo quod Superiores et alii Religiosi saepe dictae Societatis, et caeteri quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae aut quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, sive etiam ex eo quod in praemissis seu eorum aliquo, solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata non fuerint; aut ex quocumque alio capite a iure vel consuetudine aliqua resultante, etiam in corpore iuris clauso, seu etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, et quovis alio praetextu, occasione vel causa, etiam quantumvis iusta, rationabili et privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso aut impetrato quempiam uti seu se iuvare in iudicio vel extra illud posse; sed easdem praesentes semper perpetuoque validas, firmas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

Secundum eas iudicari iubet.

Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et Sedis Apostolicae Nuntios, et alios quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi seu interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Contrariis derogat

Non obstantibus constitutionibus

CLEMENTIS XIV

21 Iul. 1773

et ordinationibus apostolicis, etiam in Conciliis generalibus editis, et quatenus opus sit regula Nostra de non tollendo iure quaesito, nec non saepe dictae Societatis illiusque Domorum, Collegiorum ac ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Societati illiusque Superioribus, Religiosis et personis quibuslibet, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque decretis, etiam irritantibus, etiam motu simili, etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

et fidem transsumptis haberi vult.

Volumus autem, ut praesentium litterarum transsumptis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. MARIAM maiorem, sub annulo Piscatoris, die vigesimo primo Iulii MDCCLXXIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

A. Card. Nigronus.

CLEMENTIS XIV

CONGREGATIO CARDINALIUM ET CONSULTORUM

EXSEQUENDO BREVI SUPPRESSIONIS SOCIETATIS IESU PRAEPONITUR.

CLEMENS PAPA XIV
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

CLEMENTIS XIV

Ad breve suppressionis Societatis IESU exsequendum,

18 Aug. 1773

GRAVISSIMIS EX CAUSIS nuper Nos, per alias Nostras in simili forma brevis die vigesimo primo superioris mensis Iulii expeditas litteras, Societatem IESU exstinctam atque suppressam decrevimus et declaravimus, ac alias, prout in eisdem Nostris litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, uberius continetur. Accitis postmodum die sexto currentis mensis Augusti dilectis filiis Nostris S. R. E. Presbyteris Cardinalibus Andrea S. Matthaei in Merulana Corsino, Mario S. Augustini Marefusco, Francisco

quinque Cardinalium et Consultorum Congregatio instituitur,

S. Clementis Carafa et Francisco Xaverio SS. Silvestri et Martini ad Montes de Zelada respective nuncupatis, ac dilecto quoque filio Nostro Antonio S. Georgii ad Velum Aureum eiusdem S. R. E. Diacono Cardinali Casali pariter nuncupato, nec non dilectis etiam filiis Magistris Vincentio Macedonio et Onuphrio Alfano; Nos eisdem omnibus causas ipsas, totamque rei gestae seriem, eiusque singulares etiam circumstantias aperuimus ac uberrime patefecimus; perlectisque Nostris litteris praedictis, ipsi omnia per Nos gesta et in eis contenta quam maxime ac unanimiter commendantes, omnem promereri laudem agnoverunt, putarunt ac crediderunt. Modo autem volentes, ut quae in praedictis litteris disposita, constituta et praescripta sunt, debitae exsecutioni ac iuxta animi Nostri sententiam committantur: hinc est, quod motu proprio, atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris unam erigimus atque instituimus Congregationem ex supra dictis quinque Cardinalibus, ac duobus Romanae Curiae Praelatis, nec non ex duobus quoque Regularibus in sacra theologia praeclaris, tamquam Consultoribus a Nobis nominandis, quibus haec praecipue cura incumbere debeat, ut ea omnia, quae in dictis Nostris litteris constituta sunt atque mandata, suum assequantur effectum; et, si aliqua in earum exsecutione circa modum, personas et res olim ad Societatem ipsam spectantes, suboriri in posterum umquam valeat dubitatio, Nobis prius consultis, tollatur ac declaretur.

eique auctoritas tribuitur congrua,

Eidem vero sic per Nos institutae Congregationi omnes et quascumque pro exsecutione dictarum litterarum necessarias et quomodolibet opportunas facultates, etiam summarie ac sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, ac per inquisitionem quoque procedendi adversus omnes et quascumque personas, cuiusvis status, gradus, qualitatis et dignitatis exsistant, ac res, bona, libros, scripturas, supellectilia aliaque ad Societatem praedictam iam spectantia retinentes, occupantes et occultantes, easque tam sub ecclesiasticis censuris quam sub aliis arbitrio ipsius Congregationis imponendis poenis ad earum revelationem ac restitutionem cogendi et compellendi, motu, scientia et pari matura deliberatione, tribuimus et impertimur.

imposita simul lege secreti,

Ne autem ea, quae in Congregatione huiusmodi pertractanda atque discutienda erunt, revelentur et ad aliorum aures perveniant; omnibus et singulis eamdem Congregationem constituentibus, sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto absque ulla declaratione incurrendae, a qua nemo absolutionis beneficium, praeterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore exsistente, nisi in mortis articulo constitutus, valeat obtinere, prohibemus atque expresse interdicimus ne ea, quae quocumque modo in dicta Congregatione proposita, discussa aut definita fuerint, sub quovis praetextu, causa vel quaesito colore, patefacere vel directe aut indirecte revelare valeant aut praesumant.

et ius privativum deputandi ad varia munera a Socii praestari solita.

Praeterea, attenta dictae Societatis suppressione et exstinctione, omnes et quascumque facultates, iurisdictiones, privilegia et auctoritates quorumcumque Collegiorum, Domorum, ecclesiarum et Seminariorum ac personarum ipsius sic exstinctae Societatis Protectoribus, aliisque etiam S. R. E. Cardinalibus, et magno quo-

CLEMENTIS XIV

que Poenitentiario super eis quomodolibet concessas, indultas et attributas, motu, scientia et deliberatione similibus suspensas pro nunc decernimus et declaramus, atque omnimodam iuris dictionem, auctoritatem et potestatem in iis omnibus, quae quoquomodo personas, ecclesias, Domus, Collegia, res et bona dictae iam exstinctae Societatis respiciunt, privative quoad omnia alia tribunalia, etiam quarumcumque Congregationum eorumdem S. R. E. Cardinalium, tam Concilii Tridentini interpretum quam consultationibus Episcoporum et Regularium, ac negotiis Propagandae Fidei, ac disciplinae Regulari praepositorum, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpetrandi facultate atque auctoritate, ad eamdem Congregationem per praesentes constitutam spectare et pertinere statuimus et iubemus. Volentes insuper, ut ad dictam tantummodo Congregationem a Nobis, ut praefertur, erectam, privative pariter quoad alios quoscumque, et quaecumque alia tribunalia, spectet quoque et pertineat, non solum providere, sive quae Poenitentiarios basilicae Principis Apostolorum de Urbe, sive quae alios Poenitentiarios almae Domus Lauretanae respiciunt, sed etiam viros doctrina ac pietate praeditos, in Superiores, Lectores seu Magistros Domorum, Collegiorum et Seminariorum huiusmodi, eligere ac deputare.

13 Aug. 1773

Clausulae.

Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii apostolici Auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica aut quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis ac innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die decimo tertio Augusti MDCCLXXIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

A. Card. Nigronus.

LITTERAE EIUSDEM CONGREGATIONIS

AD SINGULOS EPISCOPOS

DE SOCIETATIS SUPPRESSIONE NOSTRIS DENUNTIANDA.

CLEMENTE XIV Pont. Max.

18 Aug. 1778

Perillustris et Reverendissime Domine uti frater.

Ex adiuncto exemplari impresso litterarum apostolicarum in forma brevis, sub datum 21 superioris mensis Iulii, percipiet Amplitudo Tua suppressionem et exstinctionem, iustis de causis a Sanctissimo Domino nostro Clemente Papa XIV factam, Congregationis Clericorum Regularium Societatis IESU dudum nuncupatae, quibusque legibus voluerit Sanctitas Sua huiusmodi suppressionem ubique terrarum exsecutioni demandari. Cumque pro eadem exsecutione perfecte complenda particularem constituerit Congregationem S. R. E. Cardinalium Corsini, Marefoschi, Carafa, Zelada et Casali, nec non RR. PP. DD. Macedonii et Alfani, cum amplissimis facultatibus ad id necessariis et opportunis, iuxta alias litteras apostolicas in forma brevis sub datum 13 currentis mensis Augusti, quarum exemplar impressum pariter hic adnectitur: eadem Congregatio particularis, de mandato Sanctissimi, praesentes litteras ad A. T. dandas esse praecepit ad hoc, ut A. T. in singulis Domibus, seu Collegiis, et ubicumque in sua dioecesi reperiantur dictae suppressae Societatis IESU individui, illis in unum congregatis, in qualibet Domo easdem litteras apostolicas suppressionis, et respective deputationis particularis Congregationis rite denuntiet, publicet et intimet, eosque ad illarum exsecutionem adigat et compellat, singularumque Domorum, Collegiorum et locorum huiusmodi, et illorum bonorum, rerum, iurium et pertinentiarum quarumcumque possessionem, nomine Sanctae Sedis apprehendat et retineat pro usibus a Sanctissimo designandis, amotis individuis suppressae Societatis praedictis; aliaque faciat, quae circa huiusmodi exsecutionem in eisdem litteris suppressionis decernuntur; et de exsecutis certiorem inde reddat eamdem particularem Congregationem. Sic igitur exsequi curabit A. T., et illi interea omnia fausta precamur a Domino.

Amplitudinis Tuae studiosissimus uti frater.

Romae, 18 Augusti 1773.

PII VII

SOCIETATIS IESU IN IMPERIO RUSSIACO

APPROBATIO ET CONFIRMATIO.

DILECTO FILIO FRANCISCO KAREU, PRESBYTERO AC SUPERIORI CONGREGATIONIS SOCIETATIS IESU IN IMPERIO RUSSIACO,

PIUS PAPA VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

PII VII

Post erectam a Pio VI

CATHOLICAE FIDEI in amplissimis Russiaci imperii regionibus conservandae et excolendae, nec non spirituali fidelium regimini instaurando prospiciens rec. mem. Pius Papa VI, praedecessor Noster, annuente Catharina II tunc in humanis agente, totius Russiae Imperatrice, per apostolicum Legatum Ioannem Andream Archiepiscopum Chalcedonensem, nunc S. R. E. Cardinalem et Episcopum Sabinensem, unam Cathedram archiepiscopalem cum suo Capitulo in civitate Mohilowiae erexit, eidemque in Archiepiscopum et Pastorem praefecit venerabilem fratrem Stanislaum Siestrentcewicz, cum ordinaria facultate ac potestate super catholicos latini ritus in iis omnibus provinciis ac regionibus totius Russiaci imperii, in quibus nulla esset erecta sedes episcopalis. Novis aliis provinciis, quae pridem Regi ac reipublicae Polonicae suberant, imperio Russiaco adiectis, praeclara serenissimi Imperatoris Pauli I in catholicos voluntate factum est, ut idem praedecessor Noster Pius Papa VI per alterum Legatum, venerabilem fratrem Laurentium Archiepiscopum Thebarum, episcopales catholicorum graeci ac latini ritus Cathedras, in iisdem regionibus dudum erectas, firmaverit, stabiliverit atque apostolica auctoritate muniverit; ipsam quoque Mohilowiensem Ecclesiam metropolitica potestate auxerit et decoraverit. 7 Mart. 1801

et dein potestate metropolitana auctam archiepiscopalem Mohiloviae Cathedram,

Verum quamvis multa hinc sint, ex Apostolicae Sedis providentia et supremi Principis Pauli I benignitate, catholicis ad eorum spiritualem salutem comparata subsidia, quid tamen illa sunt, aut quomodo satis esse possunt in tanta regnorum latitudine, quae in Europae et Asiae partes protenditur, in quibus nec ullae sunt sedes episcopales, nec Regularium ullius Ordinis coenobia, exiguus vel nullus Sacerdotum numerus, plurimi pascua quaerentes, sed non habentes qui pascua salutaria demonstret, ut idcirco nos, qui Pastores sumus in universa domo Israel, repetere saepius cum Christo Redemptore nostro debeamus "Messis quidem multa, operarii autem pauci"? Quamobrem, cum nonnulli exstinctae per apostolicas Clementis Papae XIV, praedecessoris Nostri, litteras Societatis IESU Presbyteri, in illis partibus a pluribus annis commorantes, erudiendae ac bonis moribus et fidei catholicae rudimentis imbuendae

Pius VII, ad ferendam Catholicis Russiacis opem,

petentibus Paulo I Imperatore,

PII VII

7 Mart. 1801

iuventuti, verbi Dei praedicationi, ac sacramentis administrandis sese obstringere valde exoptent; eorum praesertim opera uti se velle ad spiritualem catholicorum subditorum suorum curam ac institutionem clementissimus Imperator Paulus I declaravit, eosque in unum corpus coniungi, ac Nostra auctoritate muniri enixe postulavit.

et Francisco Kareu,

Tu itaque, tuo ac praedictorum isthic degentium Presbyterorum nomine, humillimas ad Nos dedisti preces, in quibus obsequenti animo supplicasti, ut, quo ne coetus iste ac Societas vestra, nullis fulcita praesidiis quibus Apostolica Sedes Regulares Ordines ac Congregationes munire consuevit, eorum, qui nunc vivunt, interitu dilabatur, in Societatem vos pristinam uniri et canonice posse exsistere, apostolica auctoritate decerneremus.

volens superstites exstinctae Societatis Iesu Presbyteros gratiis prosequi,

Nos, qui ad apostolicae servitutis onus, quamvis imparibus viribus, subeundum a Deo vocati sumus, nullum pro Nostra pastorali sollicitudine praetermittere officium debemus, quin Clericos et Presbyteros, qui studium et laborem in excolenda vinea Domini non refugiunt, novis stimulis excitemus, et gratiis etiam ac favoribus prosequamur. Nil vero ad vitia resecanda, ad morum disciplinam retinendam, ac fidei praeceptis christianam plebem informandam aptius remedium adhiberi posse censemus, quam ecclesiasticos viros in unum corpus consociatos, communibus legibus ac institutis sub unius Praesidis potestate coniungere, ut dimicando adversus humani generis hostem, quae eius multiplices atque insidiosae artes nocendi sunt, non dispersis et disiunctis viribus, sed uno veluti agmine facto ac districto verbi Dei gladio, frangant illum penitus et expugnent. Vere enim tunc expletur regii Psaltis votum: "O quam bonum et iucundum habitare fratres in unum... quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in saeculum; " et iterum alio loco: " Habitantes in domo Domini unius moris et labii sunt, dulces simul capientes cibos in domo Domini cum consensu; " non eos sane cibos, qui ad alimoniam corporis inserviunt, sed spirituales cibos, qui animae vires augent, reficiuntque famelicos panem quaerentes, nec invenientes qui illum eis porrigat. Aequa igitur ac honesta cum sit, et catholicae religionis cultoribus perutilis haec postulatio tua, maximum vero ei pondus accedit, ex potentissimi ac praeclarissimi Imperatoris Pauli I commendatione. Iam enim humanissimis suis ad nos datis litteris die undecimo Augusti superioris anni MDCCC, benevolo se admodum erga vos esse animo ostendit, vestramque postulationem a Nobis admitti gratissimum sibi fore significavit, utilissimum ratus catholicos subditos suos hoc novo spirituali praesidio iuvare; nihil enim magis ad iuventutem in Dei cultu, in morum disciplina, in obsequio erga sublimiores potestates informandam conducere posse arbitratus est, quam si ecclesiastici probatique viri huic subeundo oneri praeficiantur; quod de vestra fide, integritate ac scientia sibi maxime pollicetur. Quare iam in primis templum, quod pro catholicis Petropoli aedificatum est, vobis custodiendum ac sacris ministeriis celebrandum magna liberalitate commisit; Collegia instaurare ac vobis commendare, aliaque moliri paratus est, quae Nostrae communionis hominibus maxime profutura confidimus. His autem tantis

et Imperatoris beneficiis gratias referre,

PII VII

7 Mart. 1801

ac tam magni Principis in nostros catholicos collatis beneficiis, nonne gratiam referre debemus, eiusque votis assentiri, nec sinere irritam ac inanem apud Nos esse vestram ab eo susceptam commendationem? Perpensis itaque rebus omnibus, ac praesertim mature consideratis iis temporum, locorum ac personarum varietatibus, quae nova consilia capessenda, aut priora moderanda, prout Ecclesiae utilitas postulat, Nobis, qui supremi eiusdem Moderatores sumus, suadent ac prope imperant; implorato primum enixis precibus divini Numinis praesidio, accitisque in consilium nonnullis S. R. E. Cardinalibus, postulationes vestras benigne excipere volentes: te tuosque Socios a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati exsistitis, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, certa scientia et ex apostolicae Nostrae potestatis plenitudine; te caeterosque Presbyteros isthic degentes, aut qui in posterum adventuri sunt, quique dudum istiusmodi Congregationi nomen dederunt, aut deinceps daturi sunt, in unum corpus et Congregationem Societatis Iesu uniri, adunari, coniungi posse, intra tamen Russiaci imperii fines dumtaxat, et non extra, in una aut pluribus Domibus arbitrio Superioris designandis, eadem apostolica auctoritate permittimus et indulgemus. Huius autem Congregationis Superiorem seu Praesidem Generalem ad Nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, te, dilecte fili, deputamus et constituimus cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis; primigeniam S. Ignatii regulam a Paulo Papa III, praedecessore Nostro, suis apostolicis constitutionibus confirmatam et approbatam sequi et retineri posse concedimus; tuosque, quos in Congregationem cooptaveris Socios, ad puerorum institutionem in bonis moribus et disciplinis incumbere, Collegia et Seminaria regere, et, probantibus et consentientibus locorum Ordinariis, confessiones fidelium excipere, verbum Dei annuntiare, sacramenta administrare libere et valide posse item decernimus ac declaramus. Vosque praeterea omnes, et Congregationem istam Societatis Iesu sub Nostra et Sedis Apostolicae immediata protectione ac subiectione recipimus, et quae ad illam firmandam et communiendam, atque ab abusibus et corruptelis, si quae irrepserint, repurgandam in Domino visum fuerit expedire, Nobis et successoribus Nostris praescribenda ac sancienda reservamus.

dictos Presbyteros caeterosque iis adiunctos vel adiungi cupientes, in unam Congregationem Societatis Iesu uniri,

et S. Ignatii regulam sequi permittit,

facultatibus ornat opportunis,

et sub S. Sedis immediatam subiectionem recipit.

Clausulas apponit.

Decernentes has Nostras praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Derogat contrariis.

Non obstantibus quibuscumque ordinationibus et constitutionibus apostolicis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque et indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ac illis praesertim Clementis Papae XIV incipientibus Dominus ac Redemptor, sub annulo Piscatoris expeditis die vigesimo primo

PII VII

7 Mart. 1801

Iulii MDCCLXXIII, in iis dumtaxat quae praesentibus Nostris contraria sunt, et pro dominio imperii Russiaci tantum. Quibus omnibus et singulis, illorum tenore praesentibus pro plene et sufficienter expresso et ad verbum inserto habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum tantum specialiter et expresse derogamus, caeterisque in contrarium quibuscumque.

Fides transsumptis sit.

Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. MARIAM maiorem, sub annulo Piscatoris, die septimo Martii MDCCCI, Pontificatus Nostri anno primo.

R. Card. Braschius de Onestis.

PII VII

SOCIETATIS IESU IN REGNO UTRIUSQUE SICILIAE RESTITUTIO.

30 Iul. 1804

DILECTO FILIO GABRIELI GRUBER, PRESBYTERO SUPERIORI AC PRAESIDI GENERALI CONGREGATIONIS SOCIETATIS IESU IN IMPERIO RUSSIACO,

PIUS PAPA VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

PII VII

Breve Congregationi Societatis Iesu pro Russiaco imperio datum,

PER ALIAS Nostras in forma brevis datas litteras die septimo Martii MDCCCI, petente serenissimo Paulo I, tunc totius Russiae Imperatore, iustisque de causis animum Nostrum moventibus, praevia ad infra scriptum tantum effectum derogatione similium in forma brevis litterarum Clementis XIV, praedecessoris Nostri, incipientibus DOMINUS AC REDEMPTOR, super suppressione ac exstinctione Regularis Ordinis Societatis IESU, datarum die vigesima prima Iulii anno MDCCLXXIII, Presbyteris saecularibus in imperio Russiaco degentibus, qui novae Congregationi Societatis IESU adscribi vellent, facultatem dedimus in unum corpus sese uniendi, adunandi et coniungendi, sacramenta de consensu Ordinariorum administrandi, iuventutem bonis moribus ac liberalibus disciplinis imbuendi, et sub regimine tunc in humanis degentis Francisci Kareu, Superioris ac Praesidis Generalis huiusmodi Congregationis a Nobis ad Nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum deputati, intra fines dumtaxat imperii Russiaci, vivendi iuxta regulam S. Ignatii a fel. rec. Paulo III, praedecessore Nostro, suis constitutionibus confirmatam et approbatam, prout in iisdem litteris latius continetur.

petente Ferdinando Rege,

Nuper vero charissimus in Christo filius Noster Ferdinandus, utriusque

PII VII — 30 Iul. 1804

Siciliae et Hierusalem Rex illustris, exponi Nobis fecit, videri sibi, maxime in praesentium temporum circumstantiis, profuturum ad regni sui iuventutem bonis moribus informandam, ac rectis salutaribusque doctrinis instituendam, si, quemadmodum in Russiae imperio, ita in suis dominiis constitueretur eadem Congregatio Societatis IESU sub ipsa regula Sancti Ignatii a praefato Paulo III Pontifice confirmata, inter cuius praecipua munia, Sodalibus eidem adscriptis incumbentia, illud recensetur, adolescentes, aut in Collegiis altos, aut in publicis Gymnasiis congregatos, instruendi ac erudiendi. Nos igitur, dicti Ferdinandi Regis vota suorum subditorum spiritualem ac temporalem utilitatem prae se ferentia, ac maiorem DEI gloriam, et animarum Christi fidelium salutem in primis respicientia, pro pastoralis Nostri officii debito, benigno animo excipientes; ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praefatas Nostras apostolicas in forma brevis litteras, pro imperio Russiaco datas, ad regnum utriusque Siciliae extendimus; ideoque facultatem tibi concedimus et impertimur, ut sive per te, sive per dilectum filium Caietanum Angiolini ante dictae Congregationis Procuratorem generalem, omnes et singulos, qui in utriusque Siciliae regno Congregationi huiusmodi, quae Petropoli ac in imperio Russiaco auctoritate Nostra per supra dictas in forma brevis litteras constituta exsistit, nomen dare velint, eidem Congregationi unire ac coniungere, intra fines regni utriusque Siciliae, libere ac licite possis ac valeas. Hos autem in una seu pluribus Domibus congregatos, ac sub tua, et pro tempore exsistentis Praepositi Generalis, iuxta primigeniam S. Ignatii regulam a Paulo Papa III praedecessore Nostro suis apostolicis constitutionibus confirmatam, obedientia viventes, ut pariter intra fines utriusque Siciliae, ad puerorum institutionem in catholica religione ac bonis moribus et disciplinis incumbere, Collegia et Seminaria regere, itemque Christi fidelium confessiones excipere, verbum DEI annuntiare et sacramenta administrare, respectivis locorum Ordinariis approbantibus et consentientibus, libere et licite similiter posse decernimus et declaramus; eosdemque ac Domus, Collegia et Seminaria sicut praefertur erigenda, Congregationi Societatis IESU in Russiaco imperio constitutae unimus atque aggregamus, et sub Nostra et Sedis Apostolicae immediata subiectione et protectione recipimus: reservantes Nobis et successoribus Nostris Romanis Pontificibus ea decernere ac praescribere, quae ad Societatem ipsam firmandam et communiendam in Domino noverimus expedire, quemadmodum etiam in praememoratis Nostris litteris die septimo Martii MDCCCI, quas hic pro expressis haberi volumus, Nobis et successoribus Nostris reservavimus.

ad utramque Siciliam extenditur.

Gabrieli Gruber Praeposito Generali facultates opportunae conceduntur.

Clausulae.

Decernentes has Nostras praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Contrariis derogatur.

Non obstantibus quibuscumque ordinationibus et constitutionibus apostolicis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque et indultis et lit-

PII VII teris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ac illis praesertim Clementis XIV incipientibus DOMINUS AC REDEMPTOR, sub annulo Piscatoris expeditis die vigesimo primo Iulii MDCCLXXIII, in iis dumtaxat quae praesentibus Nostris contraria sunt. Quibus omnibus et singulis, illorum tenore praesentibus pro plene et sufficienter expresso et de verbo ad verbum inserto habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum tantum specialiter et expresse derogamus, caeterisque in contrarium quibuscumque.

Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. 30 Iul. 1804

Datum Romae, apud S. MARIAM maiorem, sub annulo Piscatoris, die trigesimo Iulii MDCCCIV, Pontificatus Nostri anno quinto.

R. Card. Braschius de Onestis.

PII VII

SOCIETATIS IESU IN UNIVERSO ORBE RESTITUTIO.

PIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

PII VII SOLLICITUDO OMNIUM ECCLESIARUM humilitati Nostrae, meritis licet et viribus impari, DEO sic disponente concredita, Nos cogit omnia illa subsidia adhibere, quae in Nostra sunt potestate, quaeque a divina Providentia Nobis misericorditer subministrantur, ut spiritualibus christiani orbis necessitatibus, quantum quidem diversae multiplicesque temporum locorumque vicissitudines ferunt, nullo populorum et nationum habito discrimine, opportune subveniamus.

Breve, quo Sum. Pontifex Sacerdotes Societatis IESU in Russiaco imperio,

Huius Nostri pastoralis officii oneri satis facere cupientes, statim ac tunc in vivis agens Franciscus Kareu, et alii saeculares Presbyteri a pluribus annis in amplissimo Russiaco imperio exsistentes, et olim addicti Societati IESU a fel. rec. Clemente XIV praedecessore Nostro suppressae, preces Nobis obtulerunt, quibus facultatem sibi fieri supplicabant, ut auctoritate Nostra in unum corpus coalescerent, quo facilius iuventuti fidei rudimentis erudiendae et bonis moribus imbuendae, ex proprii Instituti ratione operam darent, munus praedicationis obirent, confessionibus excipiendis incumberent et alia Sacramenta administrarent: eorum precibus eo libentius annuendum Nobis esse duximus, quod Imperator Paulus I, tunc temporis regnans, eosdem Presbyteros impense Nobis commendavisset humanissimis litteris suis die undecimo Augusti anni Domini MDCCC ad Nos datis, quibus, singularem suam erga ipsos benevolentiam 7 Aug. 1814

significans, gratum sibi fore declarabat, si catholicorum imperii sui bono Societas Iesu auctoritate Nostra ibidem constitueretur.

Quapropter Nos, attento animo perpendentes quam ingentes utilitates in amplissimas illas regiones, evangelicis operariis propemodum destitutas, essent proventurae, quantumque incrementum eiusmodi ecclesiastici viri, quorum probati mores tantis laudum praeconiis commendabantur, assiduo labore, intenso salutis animarum procurandae studio et indefessa verbi divini praedicatione, catholicae religioni essent allaturi, tanti tamque benefici Principis votis obsecundare rationi consentaneum exsistimavimus. Nostris itaque in forma brevis litteris datis die septimo Martii anni Domini MDCCCI, praedicto Francisco Kareu, aliisque eius Sodalibus in Russiaco imperio degentibus, aut qui aliunde illuc se conferre possent, facultatem concessimus, ut in unum corpus seu Congregationem Societatis Iesu coniungi unirique liberum ipsis esset, in una vel pluribus Domibus arbitrio Superioris, intra fines dumtaxat imperii Russiaci, designandis; atque eius Congregationis Praepositum Generalem eumdem Presbyterum Franciscum Kareu ad Nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum deputavimus, cum facultatibus necessariis et opportunis, ut S. Ignatii de Loyola regulam, a fel. rec. Paulo III praedecessore Nostro apostolicis suis constitutionibus approbatam et confirmatam, retinerent et sequerentur: atque ut hoc pacto Socii in uno religioso coetu congregati, iuventuti religione ac bonis artibus imbuendae operam dare, Seminaria et Collegia regere, et, probantibus ac consentientibus locorum Ordinariis, confessiones excipere, verbum Dei annuntiare, et Sacramenta administrare libere possent; et Congregationem Societatis Iesu sub Nostra et Apostolicae Sedis immediata tutela et subiectione recepimus, et quae ad illam firmandam et communiendam, atque ab abusibus et corruptelis, quae forte irrepsissent, repurgandam visum fuisset in Domino expedire, Nobis ac successoribus Nostris praescribenda et sancienda reservavimus; atque ad hunc effectum constitutionibus apostolicis, statutis, consuetudinibus, privilegiis et indultis quomodolibet in contrarium praemissorum concessis et confirmatis, praesertim litteris apostolicis memorati Clementis XIV, praedecessoris Nostri, incipientibus Dominus ac Redemptor Noster, expresse derogavimus in iis tantum quae contraria essent dictis Nostris in forma brevis litteris, quarum initium Catholicae, et dumtaxat pro Russiaco imperio elargitis.

sub Praeposito Generali Francisco Kareu,

regulam Sancti Ignatii retinere permisit,

Consilia, quae pro imperio Russiaco capienda decrevimus, ad utriusque Siciliae regnum non ita multo post extendenda censuimus, ad preces charissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi Regis, qui a Nobis postulavit, ut Societas Iesu, eo modo quo in praefato imperio stabilita a Nobis fuerat, in sua quoque ditione ac statibus stabiliretur; quoniam luctuosissimis illis temporibus, ad iuvenes christiana pietate ac timore Domini, qui est initium sapientiae, informandos, doctrinaque et scientiis instruendos, praecipue in Collegiis scholisque publicis, Clericorum Regularium Societatis Iesu opera uti in primis opportunum sibi arbitrabatur. Nos, ex muneris Nostri pastoralis debito, piis tam illustris Principis desideriis, quae ad maiorem

ad utramque Siciliam paulo post extensum,

PII VII

7 Aug. 1814

Dei gloriam, animarumque salutem unice spectabant, morem gerere exoptantes, Nostras litteras pro Russiaco imperio datas ad utriusque Siciliae regnum extendimus novis in simili forma brevis litteris incipientibus Per alias, expeditis die trigesimo Iulii anni Domini MDCCCIV.

instante fere toto orbe christiano.

Pro eiusdem Societatis Iesu restitutione, unanimi fere totius christiani orbis consensu, instantes urgentesque petitiones a venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, atque ab omnium insignium personarum ordine et coetu quotidie ad Nos deferuntur; praesertim postquam fama ubique vulgata est uberrimorum fructuum quos haec Societas in memoratis regionibus protulerat, quaeque, prolis in dies crescentis fecunda, dominicum agrum latissime ornatura et dilatatura putabatur.

necessitatum praesentium intuitu,

Dispersio ipsa lapidum sanctuarii, ob recentes calamitates et vicissitudines, quas deflere potius iuvat quam in memoriam revocare, fatiscens disciplina Regularium Ordinum (religionis et Ecclesiae Catholicae splendor et columen), quibus nunc reparandis cogitationes curaeque Nostrae diriguntur, efflagitant, ut tam aequis et communibus votis assensum Nostrum praebeamus. Gravissimi enim criminis in conspectu Dei reos Nos esse crederemus, si in tantis reipublicae necessitatibus ea salutaria auxilia adhibere negligeremus, quae singulari Providentia Deus Nobis suppeditat, et si Nos in Petri navicula assiduis turbinibus agitata et concussa collocati, expertos et validos qui sese Nobis offerunt remiges, ad frangendos pelagi naufragium Nobis et exitium quovis momento minitantis fluctus, respueremus.

ad Statum Ecclesiasticum et omnes alios extenditur.

Tot ac tantis rationum momentis, tamque gravibus causis animum Nostrum moventibus, id exsequi tandem statuimus, quod in ipso Pontificatus Nostri exordio vehementer optabamus. Postquam igitur divinum auxilium ferventibus precibus imploravimus, suffragiis et consiliis plurium venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium auditis, ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, ordinare et statuere decrevimus, uti revera hac Nostra perpetuo valitura constitutione ordinamus et statuimus, ut omnes concessiones et facultates a Nobis pro Russiaco imperio et utriusque Siciliae regno unice datae, nunc extensae intelligantur et pro extensis habeantur, sicut vere eas extendimus, ad totum Nostrum Statum Ecclesiasticum, aeque ac ad omnes alios status et ditiones.

Praeposito Generali Thaddaeo Brzozowski opportunae facultates conceduntur.

Quare concedimus et indulgemus dilecto filio Presbytero Thaddaeo Brzozowski, moderno Praeposito Generali Societatis Iesu, aliisque ab eo legitime deputatis, omnes necessarias et opportunas facultates, ad Nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, ut in cunctis praefatis statibus et ditionibus, omnes illos qui in Regularem Ordinem Societatis Iesu admitti et cooptari petent, admittere et cooptare libere ac licite valeant; qui in una vel pluribus Domibus, in uno vel pluribus Collegiis, in una vel pluribus Provinciis, sub Praepositi Generalis pro tempore exsistentis obedientia coniuncti, et prout res feret distributi, ad praescriptum regulae S. Ignatii de Loyola apostolicis Pauli III constitutionibus approbatae et confirmatae, suam accommodent vivendi rationem. Concedimus etiam et declaramus, quod pariter iuventuti,

catholicae religionis rudimentis erudiendae ac probis moribus instituendae, operam dare, nec non Seminaria et Collegia regere, et, consentientibus atque approbantibus Ordinariis locorum in quibus eos degere contigerit, confessiones audire, verbum DEI praedicare et Sacramenta administrare libere et licite valeant. Omnia vero Collegia, Domus, Provincias, Sociosque sic coniunctos, et quos in posterum coniungi et aggregari contigerit, iam nunc sub immediata Nostra et huius Apostolicae Sedis tutela, praesidio et obedientia recipimus; Nobis et Romanis Pontificibus successoribus Nostris reservantes ea statuere ac praescribere, quae ad eamdem Societatem magis magisque constabiliendam et communiendam, et ab abusibus, si forte (quod DEUS avertat) irrepserint, repurgandam, statuere ac praescribere visum fuerit expedire.

Socii sub immediata S. Sedis obedientia recipiuntur,

Omnes vero et singulos Superiores, Praepositos, Rectores, Socios et Alumnos qualescumque huius restitutae Societatis, quantum in Domino possumus, commonefacimus et exhortamur, ut in omni loco ac tempore sese fideles asseclas et imitatores tanti sui Parentis et Institutoris exhibeant, regulam ab ipso conditam et praescriptam accurate observent, et utilia monita ac consilia quae filiis suis tradidit, summo studio exsequi conentur.

servandae regulae et consiliorum Sancti Ignatii admonentur,

Denique dilectis in Christo filiis illustribus et nobilibus viris Principibus ac Dominis temporalibus, nec non venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, aliisque in quavis dignitate constitutis, saepe dictam Societatem IESU et singulos illius Socios plurimum in Domino commendamus, eosque exhortamur ac rogamus, non solum ne eos inquietari a quocumque permittant ac patiantur, sed ut benigne illos, ut decet, et cum charitate suscipiant.

et Principibus atque Episcopis commendantur.

Clausulae.

Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper ac perpetuo firma, valida et efficacia exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari debere; sicque et non aliter per quoscumque Iudices quavis potestate fungentes iudicari et definiri pariter debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praesertim supra memoratis litteris in forma brevis fel. rec. Clementis XIV incipientibus DOMINUS AC REDEMPTOR NOSTER, sub annulo Piscatoris expeditis die vigesima prima Iulii anni Domini MDCCLXXIII, quibus ad praemissorum effectum expresse ac speciatim intendimus derogare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transsumptorum.

Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transsumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae ordinationis, statuti, extensionis, concessionis, indulti, declarationis, facultatis, receptionis, reservationis, moniti, exhortationis, decreti et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire.

PII VII Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCCCXIV, septimo idus Augusti, Pontificatus Nostri anno quinto decimo. 7 Aug. 1814

A. Card. Pro-Datarius.
R. Card. Braschi Onesti.

PII VII

RESPONSIO AD PRAEPOSITUM GENERALEM

DE SOCIETATE IESU IN UNIVERSO ORBE RESTITUTA SANCTITATI SUAE PER LITTERAS GRATULANTEM.

DILECTO FILIO THADDAEO BRZOZOWSKI, PRAEPOSITO GENERALI SOCIETATIS IESU,

PIUS PAPA VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

PII VII Accepimus litteras tuas die decimo quinto elapsi mensis ad Nos datas, ex quibus intelleximus quanto gaudio exsultaveritis ob restitutam a Nobis Societatem, cui tanta cum pietatis prudentiaeque laude praees. Persuasum habemus illam exspectationi Nostrae responsuram, eiusdemque Alumnos tamquam strenuos operarios totis viribus laboraturos, ut vineam Domini, quam exterminavit aper de silva, reparent et christianarum virtutum fecundam laetamque reddant. 26 Nov. 1814

Quod significas te Romam, cum primum licuerit, venturum, id quidem valde Nobis probatur. De Missis coronisque marianis, quas pro Nobis celebrandas recitandasque nuntias, gratias tibi referimus, gratiaeque animi Nostri pignus apostolicam benedictionem tibi ipsi peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die vigesimo sexto Novembris MDCCCXIV, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

Dominicus Testa.

CONCESSIO INDULGENTIAE PLENARIAE

IN DIE ANNIVERSARIA RESTITUTAE PER UNIVERSUM ORBEM SOCIETATIS.

PIO VII Pont. Max.

16 Iun. 1818

Decretum Urbis et Orbis.

Ex audientia SSmi die 16 Iunii 1818.

Ad humillimas preces Praepositi Generalis Societatis Iesu, SSmus Dnus Nr Pius Papa VII benigne annuens, omnibus et singulis eiusdem Societatis Religiosis ubique locorum exsistentibus, qui vere poenitentes, confessi et sacra synaxi refecti, ecclesiam cuiuscumque Domus praefatae Societatis, die septima mensis Augusti, devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium, iuxta mentem Sanctitatis Suae, pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam fidelibus quoque defunctis applicabilem, incipiendam a primis vesperis usque ad occasum solis praedicti diei, benigne concessit.

Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla brevis expeditione.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

I. P. Card. Scotti.

Angelus Costaguti Secr.

CONFIRMATIO PRIVILEGIORUM

PRO OFFICIIS ET MISSIS

ANTE SUPPRESSAM SOCIETATEM CONCESSORUM.

PIO VII Pont. Max.

6 Febr. 1821

Societatis Iesu.

SSmus Dominus Noster Pius VII Pont. Max., precibus annuens Rmi Patris Praepositi Generalis Societatis Iesu, ad mei infra scripti Sacrorum Rituum Congregationis Secretarii relationem, benigne indulsit ut in omnibus eiusdem Societatis Domibus atque ecclesiis locum habeant, in ordine recitationis divini officii ac in celebratione Missarum, praeter concessiones omnes officiorum, Missarum, octavarum, translationum atque ritus elevationum, quae fuerunt ab Apostolica Sede impetratae post eiusdem Societatis redintegrationem, etiam illae quae, ante actis temporibus indultae, usque ad suppressionis diem fuerunt servatae.

Die 6 Februarii 1821.

Iulius M. Card. Epus Ostien. et Veliternen. della Somaglia, Sanctae Ecclesiae Vice Cancellarius, S. R. C. Praef.

I. A. Sala S. R. C. Secr. Coad.

INDULGENTIAE PLENARIAE IN ARTICULO MORTIS

CONCESSIO IN PERPETUUM.

* *Beatissimo Padre,*

PIO VII Pont. Max. *Luigi Fortis, Preposito Generale della Compagnia di* GESÙ *nell' atto che genuflesso implora l' apostolica benedizione, umilmente rappresenta alla Santità Vostra, che fino dal 21 Gennaio 1766, per decreto emanato dalla Sacra Congregazione delle Indulgenze, fu conceduta in perpetuo al P. Preposito Generale ed a' di lui successori la facoltà di dare la benedizione con l'indulgenza plenaria a tutti i Religiosi della medesima Compagnia, che si trovassero* in articulo mortis, *abilitando eziandio i medesimi Prepositi Generali a suddelegare anche altri Religiosi della medesima Società per dare la detta Benedizione,* servata semper forma in Rituali romano descripta.

L' Oratore supplica la Santità Vostra a degnarsi concedere ad esso ed a' successori, con la facoltà di delegare, la grazia in perpetuo di poter dare la detta benedizione, come sopra. Che etc.

Ex audientia SSmi die 6 Februarii 1821. **6 Febr. 1821**

SSmus Dnus Noster Pius Papa VII, ad humillimas preces Aloisii Fortis, Societatis IESU Praepositi Generalis, benigne annuens, tum eidem, cum suis pro tempore successoribus, concessit facultatem impertiendi benedictionem, sive per se, sive per alios eiusdem Societatis Sacerdotes ab ipso eiusque successoribus subdelegandos, omnibus dictae Societatis Religiosis in mortis articulo constitutis riteque dispositis, vel sanctissimum IESU nomen corde, si ore nequiverint, devote invocantibus, una cum indulgentia plenaria, servata forma in Rituali romano descripta.

Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam perpetuis futuris temporibus, absque ulla brevis expeditione, fore valituram.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum, die et anno audientiae praefatae.

B. Card. Naro Praef.
A. Costaguti Secr.

---

* Beatissime Pater,

Aloisius Fortis, Praepositus Generalis Societatis IESU, dum genibus subnixus apostolicam benedictionem implorat, humillime exponit Sanctitati Tuae, iam inde a die 21 Ianuarii anni 1766, decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, P. Praeposito Generali eiusque successoribus concessum in perpetuum fuisse, ut omnibus Religiosis viris eiusdem Societatis in mortis articulo constitutis, benedictionem una cum plenaria indulgentia impertire possent; facta simul eisdem Praepositis Generalibus potestate etiam alios ex eadem Societate subdelegandi ad praedictam benedictionem impertiendam, servata semper forma in Rituali romano descripta.

Orator a Sanctitate Tua supplex petit, ut ipsi eiusque successoribus, una cum subdelegandi potestate, gratiam eiusdem benedictionis perpetuis futuris temporibus elargiendae, ut superius dictum est, velit concedere. Quam gratiam etc.

AD PRIMARIAM BONAE MORTIS CONGREGATIONEM

AGGREGANDI FACULTAS CONCEDITUR.

PIO VII Pont. Max.

6 Febr. 1821

* *Beatissimo Padre,*

Luigi Fortis, Preposito Generale della Compagnia di GESÙ, *nell' atto che genuflesso implora l'apostolica benedizione, umilmente rappresenta alla Santità Vostra, che fino dall'anno 1660 circa ebbe principio nella chiesa del* GESÙ *di Roma, e poscia nelle chiese per tutto il mondo cattolico ed in modo particolare in quelle addette alla Compagnia la Congregazione così detta " della Buona Morte." Fu quindi solennemente questa Congregazione eretta et arricchita di molte indulgenze dalla s. m. di Benedetto* XIII *Sommo Pontefice, con apostolica lettera in forma di bolla nell' anno 1729, in cui si degnò delegare segnatamente al Preposito Generale, ed in di lui mancanza al P. Vicario Generale la facoltà di erigere, aggregare, visitare e regolare le altre Congregazioni che si vogliono erigere etc.*

L' Oratore al presente a facilitare e vieppiù propagare detta pia opera, supplica la Santità Vostra a rinnovare o confermare le medesime facoltà e concessioni di indulgenze, e tutt'altro che si contiene nella stessa lettera apostolica del Sommo Pontefice Benedetto XIII, *e qualunque altra indulgenza di cui posteriormente possa essere stata arricchita la prelodata Congregazione dai Sommi Pontefici. Che etc.*

Ex audientia SSmi die 6 Februarii 1821.

Ad humillimas preces Aloisii Fortis, Societatis IESU Praepositi Generalis, SSmus Dnus Nr Pius Papa VII benigne annuens, eidem, ac Vicario Generali tum cum eiusdem Praepositi vices fecerit, facultatem impertitus est aggregandi Confraternitates sub titulo Bonae Mortis, eisdemque sic aggregatis et canonice erectis omnes et singulas indulgentias a praedecessoribus suis Pontificibus huic Primariae Congregationi Urbis, sub eodem titulo Bonae Mortis in ecclesia IESU, de qua in precibus, exsistenti, concessas, communicandi facultatem pariter elargitus est. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla brevis expeditione.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

B. Card. Naro Praef.
Angelus Costaguti Secr.

---

* Beatissime Pater,

Aloisius Fortis, Praepositus Generalis Societatis IESU, flexis genibus apostolicam benedictionem precatus, Sanctitati Tuae humillime exponit, iam inde ab anno fere 1660 Romae in templo Nomini IESU dicato, ac dein in templis universi Orbis catholici, ac potissimum in iis, quae ad Societatem pertinent, initium habuisse Congregationem « a Bona Morte, » vulgo nuncupatam. Quae dein Congregatio solemni pompa constituta atque indulgentiis multis ditata fuit a sanctae mem. Benedicto XIII Summo Pontifice, litteris Apostolicis in forma bullae anno 1729 datis, quibus nominatim Generali Praeposito, et, si ille desit, P. Vicario Generali delegare dignatus est potestatem erigendi, aggregandi, visitandi ac moderandi caeteras Congregationes, quae sint erigendae etc.

Nunc igitur Orator, ut pium hoc opus et facilius reddatur et magis in dies propagetur, Sanctitatem Tuam supplex rogat, ut renovare aut comprobare velit easdem potestates et indulgentiarum elargitiones et quaecumque alia in iisdem Summi Pontificis Benedicti XIII apostolicis litteris continentur, et caeteras indulgentias omnes quibus forte eadem Congregatio a Summis Pontificibus postea donata fuerit. De gratia etc.

LEONIS XII

COLLEGIUM ROMANUM EIUSQUE IURA

AC SPECIATIM IUS AGGREGANDI CONGREGATIONES B. MARIAE V. SOCIETATI IESU RESTITUUNTUR.

LEO PAPA XII
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

LEONIS XII

Collegium Romanum, liberali Sum. Pontificum sollicitudine

Cum multa in Urbe hac Nostra fuerint a Summis Pontificibus providentissime constituta, quae ad salutem et commodum christiani populi maxime pertinent, eminet certe inter ea Romanum Collegium, quod religioni ac bonis artibus tradendis, ex fel. rec. Gregorii Papae XIII liberalitate molitione ingenti ac magnificentissima exstructum, insignia semper impensae sollicitudinis paternaeque dilectionis testimonia a praedecessoribus Nostris omni aetate est promeritum. Mirum quippe est, atque in ipsius decus honestissima commemoratione percensendum, quinam ad haec usque tempora ex concluso illo horto fructus assidui promanarint virtutis et honestatis, viri nimirum clarissimi, qui, morum sanctitate, dignitatum splendore ac doctrinae laude praestantes, ex eo artium optimarum domicilio in rei et sacrae et publicae utilitatem praefulsere. Hoc porro Collegium, quod S. Ignatius Loyola primitus instituerat, Clericis Regularibus conditae ab ipso Societatis Iesu commendarunt Romani Pontifices, eamque procurationem, quam diu Societas stetit, feliciter ab iisdem, prout etiam subinde a Clero saeculari, gestam fuisse compertum est.

et virtutis ac doctrinae fructibus insigne,

Societati Iesu antiquitus commendatum,

17 Mai. 1824

eidem Societati, iuventutis instituendae gratia potissimum restitutae,

Cum vero nutu fel. rec. Pii VII, praedecessoris Nostri, per apostolicas litteras datas septimo idus Augusti, anno MDCCCXIV, Societas Iesu in pristinam dignitatem restituta fuerit, ex illa potissimum causa, ut iuventutem et litteris et moribus instituendam susciperet: Nos, qui probe noveramus eiusdem Pii Pontificis sententiam de Societate Iesu in Collegium Romanum revocanda, deliberandum illico de ea re censuimus, audita selecta venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregatione, quibus gravissimum de recta iuventutis institutione, post teterrimam temporum asperitatem, in universa ditione Nostra felicius aptiusque ordinanda, negotium demandavimus; quam quidem unam esse et expeditissimam emendandi generis humani rationem conspicimus.

in perpetuum assignatur, cum ecclesia S. Ignatii, aliisque adnexis.

Quare, de certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae auctoritatis plenitudine, per hasce litteras dilectis filiis Clericis Regularibus Societatis Iesu, et eorum nomine dilecto filio Aloisio Fortis, Generali eiusdem Praeposito, perpetuum in modum Collegium Romanum cum ecclesia S. Ignatii et continenti

LEONIS XII — 17 Mai. 1824

oratorio, quod a Patre Caravita nuncupant, nec non cum museis, bibliotheca et speculari turri, aliisque adnexis et pertinentiis, concedimus, assignamus, et attribuimus, ea lege, ut ipsi publicas ibidem ex veteri more, prout anno MDCCLXXIII invisebatur, scholas habeant, quibus adiiciendas iubemus cathedras eloquentiae sacrae et physicae chimicae.

Ipsis autem tenore praesentium committimus, ut pro religionis studio quo incendi eos decet, atque ex Societatis Instituto, quo se in animarum salutem manciparunt, nedum ad pueros et adolescentes piis ac liberalibus disciplinis accuratissime imbuendos operam et industriam quam maximam connitantur impendere, sed et ad eos curatione sacrorum statis in Congregationibus iuvandos incumbant, nec non ad caeteros etiam Christi fideles in memorato oratorio, ut pridem in more habebant, excolendos praesto sint.

Ei, praeter annuum censum,

Annuum idcirco censum scutorum duodecim millium monetae Romanae integrum atque ab omni prorsus onere liberum, scutorum scilicet mille in singulos menses, a proxime futuro Octobri numerandos, ex Nostri fisci aerario iisdem perpetuo persolvendum mandamus, quo et in Sodalium victum cultumque, et in fabricae sacrarumque aedium tuitionem, et in quaslibet Collegii necessitates esse consulendum edicimus.

iura antiqua, et in specie ius Primae Primariae aggregandi, tribuuntur.

Iura porro ac privilegia Collegii Romani, illaque praesertim, quibus ex Iulii III et Pii IV auctoritate lauream in Artibus et in sacrae Theologiae facultate impertiri, pariterque Congregationi Annuntiationis B. MARIAE Virginis, Primae Primariae nuncupatae, aggregare datum est, integre perstare decernimus. Iubemus autem, ut iis quibus par est temporibus astronomicas observationes et alia in rei litterariae utilitatem edant publicentque.

Cardinali Pacca committitur litterarum executio.

Quibus ita dispositis, venerabili fratri Nostro Bartholomaeo Episcopo Portuen. et S. Rufinae, S. R. E. Cardinali Pacca nuncupato, eiusdem S. R. E. Camerario, vigore praesentium committimus, ut, praedicto mense Octobri ineunte, Collegium ipsum cum ecclesia et oratorio ac omnibus ad illa spectantibus eidem Praeposito Generali, sive alteri ab eo delegato, tradi faciat legitimo iure, ut in sequenti mense Novembri scholae universae, sub Virginis Genitricis aliorumque coelitum Sanctorum auspiciis, ex pristino Instituto aliisque pro temporum ratione praestitutis legibus, iterum pateant.

Eidem Societati committitur Collegium nobilium.

Cum autem decreverimus insuper Collegium nobilibus alumnis educandis erudiendisque, in opportunis peculiaribus aedibus infra sex menses proximos omnino statuendis, assignandis et tradendis, constituere, ubi primum cuncta in id operis necessaria in promptu sint; illius quoque Collegii regimen per eosdem Clericos Regulares Societatis IESU assumi ac geri volumus, quin aliud ab ipsis ex huiusce procurationis causa possit exquiri. Suburbanas idcirco aedes in pomoerio Tiburtino, pro veteri nobilium Collegio olim exstructas, tradendas interim ipsis Sodalibus sancimus, ut feliciori coelo, per autumnales praesertim ferias, rusticari ibidem memoratis nobilibus alumnis commodum sit.

Vota Summi Pontificis.

Humili demum multaque prece a Patre luminum exposcimus, ut Nostris hisce votis conatibusque adsit ipse volens, propitius, et illam im-

 primis mentem iis iniiciat, quos in negotiosam hanc ac perdifficilem provinciam advocavimus, ut animo magno ac lubenti impositum munus sustineant, gloriam cogitantes qua ex DEI monitu fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates, cum ad iustitiam erudierint multos. Dono insimul suae gratiae Ipse, a quo est omne bonum, et docibiles efficiat ac mansuetos ingenio adolescentes discipulos, ut, bonitatem, disciplinam ac scientiam apprime edocti, floreant in spem optimam, laetiora in dies Sanctae huic Sedi et reipublicae allaturi, quibus uberrimos fructus, ex belle peracto studiorum curriculo, sese suscepisse gratulentur.

Clausulae.

Decernentes has praesentes litteras firmas, validas et efficaces exsistere et fore, dictisque Clericis Regularibus plenissime suffragari, ac ab omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter obtinere et observari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii apostolici Auditores, et Sedis Apostolicae Nuntios, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatur contrariis.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicti Collegii, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; quibus omnibus et singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transsumptis adhibenda.

Volumus autem ut praesentium transsumptis etiam impressis, et manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimo septimo Maii MDCCCXXIV, Pontificatus Nostri anno primo.

I. Card. Albanus.

PRAEPOSITO GENERALI DATUR FACULTAS

UT NOSTRI ANIMARUM CURAM AGENTES

STIPENDIA PRO MISSIS ET ALIIS MINISTERIIS ACCIPERE VALEANT.

16 Sept. 1824

LEONE XII Pont. Max.

* *Beatissimo Padre,*

Bartolomeo Avesani, Procuratore Generale della Compagnia di Gesù, genuflesso espone alla Santità Vostra, che tanto in Europa che fuori di essa, e segnatamente nei paesi eterodossi, vi sono Sacerdoti della Compagnia di Gesù che per mancanza di Preti secolari debbono sostenere il peso della cura delle anime, applicandosi ancora nelle missioni ed in altri ministeri ecclesiastici. Per l'Istituto che osservano, non potrebbero i medesimi ricevere elemosine di Messe nè altri proventi per causa di funerali o altro, nè il P. Preposito Generale della Società ha facoltà di dispensarli da tale osservanza di regola. Altronde talvolta i detti Religiosi trovansi in gravi necessità per la sussistenza: di più ricusando elemosine di Messe e gli altri proventi per i ministeri ecclesiastici, verrebbero a pregiudicare con consuetudini contrarie ai dritti di quelle parrocchie che ora sostengono, e che potranno in appresso essere occupate da Sacerdoti secolari: e finalmente ricusandosi dall' accettare specialmente le elemosine delle Messe, ciò sarebbe un'origine di disturbi e di contese fra' parrocchiani per la moltitudine de' fedeli, che allettati dal poter godere senza interesse dell' applicazione delle Messe, in gran folla, ma per la maggior parte inutilmente per l'impossibilità concorrerebbero per esigerne la celebrazione per i loro defunti. In tale stato di cose, l'Oratore supplica umilmente la Santità Vostra, o a sciogliere dal vincolo della regola i detti Religiosi finchè si esercitino nell'officio di Parrochi, o a munire il P. Preposito Generale delle opportune facoltà perchè possa dispensare dall'osservanza di detta regola quelli che giudicherà nel Signore degni di essere dispensati.

Che della grazia etc.

---

* Beatissime Pater,

Bartholomaeus Avesani, Procurator Generalis Societatis Iesu submissis genibus Sanctitati Tuae exponit, tum in Europa, tum extra illam, praecipue vero in regionibus haeterodoxis, Sacerdotes Societatis Iesu, inopia Sacerdotum saecularium, suscipere debere onus animarum curandarum, pariterque sese dedere sacris missionibus aliisque Ecclesiae ministeriis. Instituti lege, quod ipsi profitentur, illis nefas est Missarum stipendia percipere vel alios reditus, sive ex funeribus, sive alio nomine; nec P. Praeposito Generali Societatis ius est illos eximendi ab hac regula servanda. Attamen hi Religiosi homines interdum summa tenentur rerum, quae ad vitam sunt necessariae, egestate; tum, Missarum stipendia aliosque ex Ecclesiae ministeriis proventus renuentes, contraria inducta consuetudine, damnum inferrent iuribus illarum paroeciarum, quas ipsi nunc regunt, quaeque in posterum ad Sacerdotes saeculares devolvi poterunt: denique, Missarum praesertim stipendiis recusatis, perturbationes et dissidia inter Parochianos orirentur ex magno Christi fidelium numero, qui, spe illecti Missarum applicationibus absque ulla impensa fruendi, turmatim, sed frustra, ut plurimum, ob summam rei difficultatem, confluerent earum celebrationes pro vita functis rogantes. Quae cum ita sint, Orator humillime supplicat Sanctitati Tuae, vel ut ab Instituti vinculis memoratos Religiosos eximat, donec Parochorum munere perfunguntur, vel ut Praepositum Generalem opportunis donet potestatibus, quibus possit ab huiusmodi lege servanda illos liberare, quos hac exceptione dignos in Domino iudicaverit. — De gratia etc.

LEONE XII Pont. Max.

16 Sept. 1824

Ex audientia SSmi die 16 Septembris 1824.

SSmus, attentis peculiaribus circumstantiis in casu de quo agitur concurrentibus, P. Praeposito Generali introscriptae Societatis facultates omnes tribuit necessarias et opportunas ad introscriptum effectum, durante exposita causa et prout in Domino expedire iudicaverit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

P. G. Card. Galleffi.

FACULTAS AGGREGANDI AD PRIMARIAM B. MARIAE VIRGINIS

SODALITATES QUAE SUB REGIMINE SOCIETATIS NON SUNT.

LEONE XII Pont. Max.

7 Mart. 1825

* *Beatissimo Padre,*

Nel glorioso e sempre memorando Breve Pontificio del 17 Maggio 1824, la Santità Vostra unitamente alla restituzione del Collegio Romano, si degnò ravvivare a favore della Compagnia di Gesù insieme con altri privilegi anche quello, che il P. Preposito Generale possa aggregare alla Congregazione della Prima Primaria sotto il titolo della Annunziazione di Maria Santissima esistente in detto Collegio, le altre Congregazioni, oratorii etc. di tutto l'Orbe cattolico, che domandano essere partecipi di quelle indulgenze e privilegi, che gode la prelodata Congregazione : privilegio conceduto già dal Sommo Pontefice Gregorio XIII, confermato ed ampliato in progresso da altre costituzioni Pontificie ed ultimamente dalle costituzioni del Sommo Pontefice Benedetto XIV di s. m.

Quantunque a tenore delle indicate costituzioni le facoltà del P. Preposito Generale non si estendano che a quelle Congregazioni sì di uomini che di donne, le quali peraltro sono sotto la cura della Compagnia, nondimeno di tal beneficio molti ne partecipavano, perchè molto era estesa la Società. Ma al presente che è molto ristretto il numero delle Congregazioni dirette dalla medesima, e altronde essendo già varie le petizioni delle Congregazioni estere, ma che non dipendono dalla Compagnia, le quali domandano l'aggregazione alla Prima Primaria; perciò Luigi Fortis attuale Preposito Generale della ridetta

---

* Beatissime Pater,

Praeclaro et semper memorando Brevi Pontificio, dato die 17 Maii anni 1824, Sanctitas Tua, Collegium Romanum restituens, alia inter privilegia illud etiam voluit Societati redditum, ut P. Praepositus Generalis aggregare possit Primae Primariae, quae sub titulo Annuntiationis Sanctissimae Virginis exstat in eodem Collegio, caeteras Congregationes, oratoria etc. totius Orbis Catholici, quae exposcunt communionem earum indulgentiarum et privilegiorum, quibus fruitur praedicta Congregatio: quod quidem privilegium, a Summo Pontifice Gregorio XIII iam concessum, aliis deinde constitutionibus Pontificiis et postremo constitutionibus Summi Pontificis Benedicti XIV sanctae mem. est confirmatum et auctum.

Quamvis vi earum constitutionum facultates P. Praepositi Generalis non sese extendant ultra eas Congregationes tam virorum, quam mulierum, quae caeterum curae sunt Societati; tamen eiusmodi beneficio plures fruebantur, cum Societas late pateret. Sed in praesentiarum, cum perexiguus sit Congregationum numerus quae ab eadem dirigantur, et cum praeterea plures iam sint Congregationes exterae, quas Societas non procu-

LEONE XII Pont. Max. 7 Mart. 1825

Società prostrato ai piedi della Santità Vostra ed implorando l'apostolica benedizione, per soddisfazione della pietà de' fedeli prega Vostra Beatitudine a degnarsi di munirlo delle opportune e necessarie facoltà di potere aggregare alla Prima Primaria tutte le altre Congregazioni che non sono dirette dalla Compagnia, che il richiedessero: rendendosi in tal guisa la Pontificia grazia comprensiva di tutte le Congregazioni come fu nel 5 Maggio 1798 conceduta al Direttore pro tempore della prelodata Congregazione con benigno rescritto del Sommo Pontefice Pio VI *di s. m. che quì in copia si umilia, e come fu fino a questi ultimi tempi praticato dai rispettivi Direttori della Prima Primaria.*

E della grazia etc.

Ex audientia SSmi die 7 Martii 1825.

SSmus, attentis expositis, remisit preces arbitrio eiusdem Oratoris P. Praepositi Generalis Societatis Iesu, cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

C. Card. Guerrieri Gonzaga.

LEONIS XII

GRATIARUM ET FACULTATUM NOVA CONCESSIO.

LEO PAPA XII
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

LEONIS XII — 11 Iul. 1826

Societatem Iesu, a Pio VII instauratam, et educandae iuventuti maxime intentam,

Plura inter et egregia, quae summi consilii Pontifex Pius VII, praedecessor Noster, cum ante suam ex Urbe deportationem, tum post eius reditum, pro rei christianae bono perfecit, illud profecto, quod Societatem, cui a parente S. Ignatio Iesu nomen inditum (siquidem ipsi per speciem sese obtulit Deus eum Sociosque Iesu Filio baiulanti crucem commendans), instaurandam curavit. Neminem porro latet quot quantaque in christianam praecipue rempublicam commoda ex hac ipsa Societate, quae virorum et pietate et multiplici doctrinarum laude praestantium fecunda nutrix, profecta et in posterum etiam profectura speramus, cum vix novellis defixa radicibus ingens ramos late pandit. Equidem, praeter alia, non solum in principe magistraque orbis terrarum Ecclesia, verum etiam in Italia ac transalpinis remotisque regionibus ubi peramanter excepta, nihil non aggreditur ac movet, ut iuvenes et adolescentes, piis

---

rat, quaeque tamen, ut Primae Primariae aggregentur, rogant; ideo Aloisius Fortis, nunc Generalis Praepositus praedictae Societatis, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus et apostolicam benedictionem implorans, quo Christi fidelium pietati satis fiat Beatitudini Tuae supplicat, ut velit ipsum opportunis necessariisque instruere facultatibus aggregandi Primae Primariae caeteras omnes Congregationes, quae a Societate non reguntur, quae id forte postulent; ea nempe ratione, ut pontificia gratia ad omnes Congregationes se porrigat, uti se habebat illa quae die 5 Maii anni 1798 concessa fuit Moderatori praedictae Congregationis pro tempore exsistenti, benigno rescripto Summi Pontificis Pii VI sanctae mem. cuius exemplar humillime adiicimus, et uti ad haec usque tempora usu servatum est a singulis Moderatoribus Primae Primariae. De gratia etc.

ac liberalibus disciplinis mature imbuti, nostrae proximaeque aetatis ornamento sint futuri.

novis praesidiis firmare cupiens Leo XII,

Dum vero idem praedecessor Noster omnia eius Collegia, Domos, Provincias Alumnosque in suam ac Sedis Apostolicae tutelam, praesidium et obedientiam omnino recepit, sibi et Romanis Pontificibus successoribus reservavit ea statuere ac praescribere, quae ad eamdem Societatem magis magisque constituendam et communiendam opportuna viderentur. Quod operis procul dubio perfecisset, nisi aetate iam gravis, curisque in regenda Ecclesiae navicula diu multumque iactata confectus, ab Deo evocatus, in eius sinum complexumque advolasset, promeritam coronae gloriam accepturus. Itaque Nos, qui, etsi impares, ex aeternae mentis inaccesso consilio in suprema Pontificia amplitudine et specula collocati sumus, Nostri muneris esse ducimus id ipsum promovere, ut Societas Iesu novis firmetur praesidiis, eiusque Alumni, totidem in agro Domini operarii, partem sibi concreditam magno animo conentur excolere, utilesque plantationes, quas Pater coelestis conseruit, uberius rigatae accipiant a Christo Iesu incrementum ad salutem.

quaedam ex privilegiis olim concessis confirmat,

Quum igitur sedulo perpenderimus, petentibus Societatis Iesu Alumnis, privilegia ac facultates, quibus ex praedecessorum Nostrorum Pauli III et Iulii itidem III indulgentia S. Ignatius auctus, ante celebrationem sessionis decimae septimae et insequentium usque ad postremam vigesimam quintam Concilii Tridentini, itemque alias eidem Societati a Romanis Pontificibus S. Pio V, Gregorio XIII et Urbano VIII tributas; eas quidem adlegendas existimavimus, quas, tum ex eiusdem Concilii decretis, ac deinceps ex variis praedecessorum Nostrorum constitutionibus, tum ex temporum inclinatione et hodiernae Romanae Ecclesiae disciplina Nobis visum est expedire. Quapropter, auctoritate Nostra apostolica easdem ipsas innovamus, confirmamus ac iterum concedimus ex harum litterarum praescripto, e quo ne transversum quidem unguem discedi praecipimus. Quin immo, Societati Iesu eiusque Alumnis gratificare cupientes, et in primis Generali Praeposito, ut Praesuli ac eorum Praefecto, qui e sua familia Evangelii causa in longinquas regiones mittuntur, hisce facultatibus nonnullas alias ex benignitate Nostra adiungere non gravamur.

novisque auget; quorum duae series.

Prima series. Iurisdictio cum assensu Ordinarii.

Illae autem sunt huiusmodi, videlicet: Primo, religiosis viris in Societatem Iesu cooptatis veniam facimus, qua christiani populi sacras confessiones possint excipere, verbum Dei annuntiare, Sacramenta administrare, assentientibus ac probantibus quibusque locorum Ordinariis Praesulibus, in quorum dioecesi vel quasi dioecesi eos versari contigerit. — Possint praeterea ordines qua minores qua maiores accipere, etiam extra tempora, ac interstitiis nequaquam servatis, a quocumque sacro Antistite cum Cathedra Romana sociato, adepto tamen consensu Ordinarii illius loci Praesulis in quo id fiet. — Nec non de eiusdem sententia possint ecclesiae Societatis Iesu a quolibet Episcopo vel Archiepiscopo benedici et consecrari. — Peculiaribus autem rationibus permoti, volumus, ut Societas eiusque Alumni nullibi teneantur, cuiuslibet Praesulis rogatu, visitandi onus, aut religiosarum mulierum virginumque curam suscipere. — Eis

Ordinum susceptio, etiam extra tempora.

Ecclesiarum consecratio.

Exemptio ab onere visitandi et a cura monialium.

Facultas absolvendi a reservatis, et commutandi vota.

item liceat a casibus Sedi Apostolicae reservatis absolvere, exceptis iis, qui continentur in bulla Coenae Domini. — Vota simplicia commutare, numquam vero vota castitatis, Religionis, trium peregrinationum ad sacra BB. Apostolorum limina, ad S. Iacobum in Compostellis et ad Hierusalem, eaque vota, in quibus agitur de praeiudicio vel iure tertii. — Hora ante auroram, horave post meridiem divinis operari. — Ac peracto Sacrificio, seu ante illius celebrationem, aut alias Eucharistiae Sacramentum ministrare. — Atque etiam eos, qui irregularitatem occultam, tam ad suscipiendos quam ad exercendos ordines, incurrerint, in foro conscientiae tantum ab hoc impedimento absolvere.

Missam celebrandi tempus.

Eucharistiae ministratio.

Absolutio ab impedimento irregularitatis.

Decernimus insuper, ut ab animadversione e Societatis legum praescripto irrogata nefas sit extra Societatem provocare. — Ut Societatis Alumni confiteri nequeant animae noxas, nisi iis, qui a Praeposito facultatem habuerint sacras eorum confessiones audiendi. — Ut nemini, qui in Societate vota nuncupavit, ad aliam sacram familiam, praeter Carthusiensium, liceat transire. — Ut irregulares, qui Societati dant nomen (nisi irregularitas sit ex homicidio voluntario, bigamia, mutilatione membrorum, defectu animi, et simul excepta irregularitate quae oritur ex infamia iuris vel facti) possint promoveri ad sacros ordines et ad quaecumque Societatis officia. — Ut Tironum Magistri nequaquam ei decreto sint obnoxii, quod vetat, ne Praesules sacras excipiant Alumnorum confessiones. — Ut Societas ex eius consuetudine, Constitutionibus ac se gerendi modo, omnibus privilegiis perfrui possit eis sacris Familiis, quae mendicando vivunt, sive ut vocant, Mendicantium generatim tributis.— Demum, ut Christi fideles templa Societatis adeuntes, semel in anno, die festo tituli eorum cuiuslibet, plenariam indulgentiam valeant lucrari.

Appellatio.

Confessiones Sociorum.

Transitus ad alios Ordines.

Irregularium promotio.

Novitiorum confessiones.

Privilegia Mendicantium.

Indulgentia in festo titulari templi.

Praepositum vero Generalem, uti Praesulem, potestate donamus iis e Societate Alumnis, quibus id opportunum ducit, veniam tribuendi, qua in domestico sacello legitime erecto perlitent. — Iustis de causis eosdem Alumnos a ieiunio et vetitis cibis dispensandi. — Adversa valetudine laborantibus divinum officium in pias alias preces commutandi. — Item indulgendi, ut, si aequum est, horae matutinae, peracto sacrificio, recitentur. — Iis Alumnis, quibus expedire existimet, facultatem faciendi, cuius vi libros prohibitos queant legere. — Postremo huiusmodi facultatibus omnium Societatis Domorum, Collegiorum in qualibet Provincia Praesules muniendi.

Sacellum domesticum.

Dispensatio a ieiunio.

Commutatio divini officii.

Dilatio eiusdem.

Lectio librorum prohibitorum.

Facultatum communicatio est penes Praepositum Generalem.

Post haec statuimus, ut Generalis Praepositus sacris ubicumque Missionibus praesit, quibus suae Societatis Alumni ad catholicae religionis commodum et animarum salutem operam navabunt. Quare ei liceat ad nuntiandum Iesu Christi Evangelium suos mittere Alumnos, ubi praecones isti desiderantur, ac praesertim ubi ecclesiasticorum operariorum numerus sit adeo exiguus, ut parvulis panem quaerentibus non sit qui frangat; nec non earumdem Missionum Praefectos constituere. Et, quo uberiores fructus inde possint referri, ipsi Praeposito Generali eas impertimur facultates, quae continentur formulis a suprema Inquisitionis Congregatione ex praedecessorum Nostrorum voluntate iam diu confectis, quaeque iuxta

Altera series.

Praepositus Generalis, ut qui Missionibus praeest et Praefectos constituit, instruitur variis facultatibus in rebus quae sequuntur:

LEONIS XII 11 Iul. 1826

locorum distantiam, Sacra efflagitante Congregatione christiano nomini propagando praeposita, a Nobis huiusce laboriosae provinciae Praefectis tribuuntur, ad eos a Praeposito Generali, ab hisce ad alios tanto ministerio addictos delegandas. Praefecti vero aliique christianae veritatis nuntii, in regionibus Ordinariorum Praesulum iuris dictioni subiectis, id muneris, nisi ex eorum venia, nequeant exercere; si vero inibi nulla sit ecclesiastica iuris dictio, eodem munere libere perfungantur. Ut autem ex hac Nostra indulgentia omne dubium, quod a formularum discrimine, quas commemoravimus, oriri posset, omnino arceatur; easdem ipsas facultates quibus pro Ecclesiae bono ipsum Praepositum instruimus, hic singillatim enumerandas censemus, iisdemque verbis expressas, quas Congregatio christiano nomini propagando praeposita in iis concedendis solet usurpare, nimirum: I. Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera; et dispensandi ex rationabili causa in votis simplicibus castitatis et religionis. II. Dispensandi in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis simplici et mixto tantum, et in secundo, tertio, et quarto mixtis, non tamen in secundo solo, quoad futura matrimonia; quo vero ad praeterita, etiam in secundo solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum iis qui ab haeresi vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam; et in praedictis casibus prolem susceptam declarandi legitimam. III. Dispensandi super impedimento publicae honestatis iustis ex sponsalibus proveniente. IV. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen coniugum machinante, ac restituendi ius petendi debitum amissum. V. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum. VI. Hae vero dispensationes matrimoniales, videlicet II, III, IV, V non concedantur nisi cum clausula: dummodo mulier rapta non fuerit, vel, si rapta fuerit, in potestate raptoris non exsistat; et in dispensatione tenor huiusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis ad quod fuerint concessae. VII. Dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti. VIII. Benedicendi paramenta et alia utensilia ad Sacrificium Missae necessaria, ubi non intervenit sacra unctio; et reconciliandi ecclesias pollutas, aqua ab Episcopo benedicta, et in casu necessitatis etiam aqua non benedicta ab Episcopo. IX. Absolvendi ab haeresi, et apostasia a fide, et a schismate, quoscumque etiam Ecclesiasticos tam saeculares quam regulares, non tamen eos qui ex locis fuerint ubi S. Officium exercetur, nisi in locis missionum, in quibus impune grassantur haereses, deliquerint, nec illos qui iudicialiter abiuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur haereses, et post iudicialem abiurationem illuc reversi in haeresim fuerint relapsi; et hos in foro conscientiae tantum. X. Absolvendi in omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in Bulla Coenae contentis. XI. Concedendi indulgentiam plenariam primo conversis ab haeresi, atque etiam fidelibus quibuscumque in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt. XII. Recitandi rosarium vel alias preces,

Dispensatio et commutatio in votis simplicibus.

Dispensatio in impedimentis affinitatis et consanguinitatis,

item publicae honestatis,

item criminis,

item cognationis spiritualis.

cum clausula de non raptu et cum facultatis allegatione.

Dispensatio quoad infideles polygamos.

Benedictio paramentorum et ecclesiarum reconciliatio.

Absolutio ab haeresi.

Absolutio a reservatis etiam in Bulla Coenae.

Indulgentia plenaria pro conversis et moribundis.

Commutatio divini officii.

LEONIS XII — 11 Iul. 1826

si breviarium secum deferre non poterunt vel divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant. XIII. Consecrandi calices, patenas et altaria portatilia, cum oleis ab Episcopo benedictis, ubi non erunt Episcopi, vel distent duas dietas, vel sedes vacet. XIV. Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum et lacticiniorum, tempore ieiuniorum et praesertim quadragesimae. XV. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima Missa non sumpserit ablutionem; per unam horam ante auroram, et aliam post meridiem; in altari portatili; sine ministro; sub diu et sub terra, in loco tamen decenti; etiam si altare sit fractum; vel sine reliquiis Sanctorum; et praesentibus haereticis, schismaticis et infidelibus et excommunicatis, dummodo minister non sit haereticus aut excommunicatus, ac aliter celebrari non possit. Huiusmodi autem facultate bis in die celebrandi nullatenus uti liceat, nisi rarissime et ex gravissimis et urgentissimis causis, in quo graviter tam conscientia Praepositi Generalis quam Praefectorum missionum nec non missionariorum ipsorum oneratur. XVI. Deferendi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii. XVII. Induendi vestibus saecularibus, si aliter vel transire vel permanere non poterit in locis missionum. XVIII. Administrandi omnia Sacramenta etiam parochialia, Ordine et Confirmatione exceptis, et quoad Sacramenta parochialia in dioecesibus ubi non erunt Episcopi vel Ordinarii aut eorum Vicarii, vel in parochiis ubi non erunt Parochi, vel ubi erunt, de eorum licentia. XIX. Benedicendi coronas, rosaria, cruces, crucifixos, parvas statuas, numismata, *medaglie* vulgo nuncupata, et applicandi indulgentias huiusmodi benedictionibus a Nobis impertiri solitas Christi fidelibus, qui secum habentes vel apud se retinentes aliquod ex praefatis, pia opera praescripta adimplebunt ad formam instructionis, quae per Sacram Congregationem de Propaganda Fide missionariis, quibus haec facultas a Nobis conceditur, una cum concessae facultatis instrumento distribuitur. XX. Et praedictae missionariorum facultates gratis et sine ulla mercede exerceantur; ac per viginti annos tantum a data praesentium concessae intelligantur. Quod si forte contigerit indicatum viginti annorum tempus Sedis vacantis tempore exspirare, nunc pro tunc, omnes et singulas prorogatas decernimus usque ad novi Summi Pontificis electionem, ad quem debeat Praepositus Generalis, ut missionum Societatis Iesu Superior, quam primum recurrere pro earumdem facultatum innovatione.

Caeteras autem facultates ac privilegia in hisce litteris contenta, tam Societati Iesu suisque Alumnis quam Praeposito Generali, uti illius Praesuli, ex benignitate apostolica in perpetuum concedimus et indulgemus.

Decernentes easdem ipsas litteras semper firmas, validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviola-

Marginalia: Consecratio calicum etc. — Dispensatio in cibis vetitis. — Missae celebratio hora insueta, et bis in die. — SS. Eucharistiae cultus. — Vestitus saecularis. — Sacramentorum parochialium ministratio. — Benedictio coronarum etc. et applicatio indulgentiarum. — Facultates gratis exercendae sunt. — Facultates secundae seriei sunt vicennales; — priores perpetuae. — Clausulae.

LEONIS XII biliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Nostri apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuntios, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatoria. Non obstantibus. fel. rec. Pauli III, Iulii III, S. Pii V, Gregorii XIII et Urbani VIII, praedecessorum Nostrorum, apostolicis litteris, nec non omnibus et singulis illis, quae ab ipsis in suo cuiusque diplomate non obstare decretum est, caeterisque contrariis quibuscumque. 11 Iul. 1826

Vota S. Pontificis. Interea vero, dum Societatis IESU Alumnos peramanter in Christo complectimur et apostolicam eis omnibus benedictionem impertimur, Deum enixe oramus atque obsecramus, ut patrum et maiorum suorum exempla imitantes, omnia ad DEI gloriam sint relaturi.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die undecimo mensis Iulii MDCCCXXVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

FACULTAS AGGREGANDI AD PRIMARIAM BONAE MORTIS

ALIAS CONGREGATIONES QUAE SUB REGIMINE SOCIETATIS NON SUNT.

Beatissime Pater,

LEONE XII Pont. Max. *Aloisius Fortis, Praepositus Generalis Societatis IESU, prostratus ad pedes Sanctitatis Tuae, humillime exponit, quod fel. rec. Benedictus Papa XIII per apostolicas litteras datas anno Dni 1729 nono kal. Octobris Congregationem utriusque sexus Christi fidelium, sub titulo et denominatione D. N. I. C. in cruce moribundi et Beatissimae Mariae eius Genitricis Dolorosae vulgo "Bonae Mortis" nuncupatam, primo quidem in ecclesia Domus Professae romanae instituit et erexit, eamque regi voluit per Praepositum Generalem Societatis pro tempore exsistentem, seu Vicarium Generalem; deinde eiusdem sodalibus varias gratias, privilegia et indulgentias ex Ecclesiae thesauris liberaliter contulit; praeterea eidem Praeposito Generali pro tempore exsistenti, seu Vicario Generali, apostolica auctoritate potestatem fecit, in quibusvis aliis ecclesiis Societatis per universum orbem tunc et pro tempore exsistentibus, quascumque alias aliorum utriusque sexus Christi fidelium Congregationes sub titulo et denominatione praefatis, quae ab ipsa Primaria tamquam membra a capite dependeant, erigendi et instituendi, illasque eidem Primariae aggregandi, et earumdem sodalibus praedictas omnes et quascumque alias gratias, privilegia et indulgentias ab Apostolica Sede Primariae Congregationi eiusmodi concessas et de caetero concedendas communicandi; quae omnia et singula fel. rec. Pius Papa VII confirmare et denuo concedere dignatus est* 22 Ian. 1827

LEONE XII Pont. Max.

22 Ian. 1827

speciali rescripto dato anno Dni 1821 die 6 Februarii.

Verum haec omnia ad illas solas Congregationes, quae in ecclesiis Societatis erectae vel erigendae sunt, restringuntur. Cum autem Rectores seu Praepositi aliarum ecclesiarum huiusmodi Congregationes in suis ecclesiis erigi et Primariae Romanae aggregari nonnumquam postulent: ut tam pio ipsorum desiderio satis fieri possit, Sanctitatem Tuam Orator suppliciter rogat, ut sibi ac successoribus suis pro tempore exsistentibus, nec non Vicariis Generalibus potestatem facere dignetur etiam in aliis quam sui Ordinis ecclesiis, ad petitionem illorum quorum interest, huiusmodi Congregationes erigendi, ac Primariae Romanae aggregandi, atque earumdem sodalibus praedictas gratias, privilegia et indulgentias eidem Primariae a Sancta Sede concessas vel in posterum concedendas communicandi. Etc.

Ex audientia Sanctissimi die 22 Ianuarii 1827.

SSmus benigne annuit pro gratia petitae extensionis, servata in reliquis enuntiati indulti die 6 Februarii 1821 forma et dispositione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

C. Card. Guerrieri Gonzaga.

FACULTAS AD NOVITIATUM ADMITTENDI

ADOLESCENTES POST COMPLETUM DUODECIMUM AETATIS ANNUM.

2 Mart. 1827

LEONE XII Pont. Max.

* *Beatissimo Padre,*

Luigi Fortis, Preposito Generale della Compagnia di Gesù, prostrato ai piedi della Santità Vostra, umilmente espone essere molte le istanze, segnatamente nelle provincie estere, dei giovanetti di ottima indole ed ingegno, ma non di sufficiente età, che desiderebbero entrare in qualità di novizi scolastici nella detta Compagnia. Or, siccome la esperienza fa conoscere che la malizia antireligiosa ed antimorale, dominante in questi tempi, prende di mira in modo particolare la tenera gioventù, per comunicare ad essa il veleno del libertinaggio e dell' incredulità, con fatale detrimento delle anime e della Chiesa; così per ovviare in qualche parte a simile luttuoso disordine del tempo, ed inerendo a quanto si sa essersi praticato nella Compagnia prima della di lei soppressione, il ricorrente con ogni più umile sommissione implora dalla Santità Vostra la grazia, che nella Compagnia di Gesù si possano accettare nella qualità di no-

---

* Beatissime Pater,

Aloisius Fortis, Praepositus Generalis Societatis Iesu, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, demississime exponit, plures, praesertim e provinciis exteris, optimae indolis et ingenii adolescentes, nondum vero legitimam aetatem assequutos, enixe efflagitare, ut in dictam Societatem tamquam Novitii scholastici recipiantur. Iam vero, cum rerum experientia compertum sit, hominum nequitiam Religioni et bonis moribus infestam, quae nostris hisce temporibus dominatur, omnes suas vires in teneros adolescentulos potissimum intendere, ut eorum animos licentiae et impietatis veneno inficiat, exitiali animarum et Ecclesiae detrimento; ut tam luctuosae temporum perturbationi aliqua ex parte occurratur, inhaerens iis. quae in Societate ante ipsius suppressionem consuevisse novimus, Orator Sanctitatem Tuam humillime precatur, ut in Societatem Iesu admitti possint, uti Novitii Schola-

LEONE XII Pont. Max. *vizi studenti i giovani, compiti che abbiano gli anni dodici, con condizione di ritenerli nella qualità di novizi, e non già abilitarli ad emettere i voti semplici così detti del biennio, finchè siano giunti a quell' età, che non solo dalle Costituzioni Pontificie, ma ancora dalle Costituzioni della Compagnia viene prescritta. In tal guisa parrebbe che si potesse supplire a quelle istruzioni e studi anche elementari, de' quali i giovani al presente per incuria di educazione restano privi; ma quello che più interessa, si toglierebbero i medesimi giovani dal pericolo di essere divorati dalle fauci del vizio e dell'irreligione, con vantaggio la Dio mercè delle loro anime e della Chiesa cattolica. L' Oratore implorando genuflesso l' apostolica benedizione, si protesta sempre obbediente a qualunque sia il cenno che la Santità Vostra si degnerà esternare su la presente supplica. E della grazia etc.* 2 Mart. 1827

Ex audientia SSmi die 2 Martii 1827.

SSmus, benigne annuendo pro gratia, facultates omnes ad effectum, de quo in precibus, P. Praeposito Generali Oratori benigne est impertitus. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

C. Card. Guerrieri Gonzaga.

PROFESSORES SOCIETATIS IESU

DECRETO CAESAREO DE EXAMINIBUS SUBEUNDIS

PARERE POSSUNT, IMMO ETIAM DEBENT, SI IUBEANTUR.

Beatissime Pater,

LEONE XII Pont. Max. *Aliqui Professores e nostra Societate in Galicia putant sibi non licere, tuta conscientia, ob leges Ecclesiae et Concilii Tridentini, obtemperare decreto caesareo, quo tenentur tum ipsi tum eorum disciputi subire examen coram delegatis ab Episcopo et ab auctoritate civili, de capacitate ad docendum et de profectu in studiis ecclesiasticis; affirmantque se ad tale examen subeundum obligari non posse auctoritate Praepositi Generalis vel etiam totius Societatis; Nisi tamen obtemperetur dicto decreto, timenda est gravis offensio caesareae maiestatis, eo ipso tempore quo se tam benevolam et beneficam ostendit erga Societatem. Cum igitur nihil aliud supra dictorum Professorum conscientiam quietam reddere posse videatur, nisi auctoritas ipsius Sedis Apostolicae, suppliciter ad genua Tuae Beatudinis provolutus, peto ut Sanctitas Tua declarare dignetur eos, se submittendo dicto decreto, nihil facturos contra voluntatem* 28 Iun. 1828

---

stici, ii adolescentes, qui duodecim aetatis annos absolverint; ea tamen lege, ut hi in Tironum numero habeantur, non vero sinantur vota simplicia biennii, uti dicunt, nuncupare, ante quam aetatem illam non attigerint, quae non modo Pontificiis, sed etiam Societatis ipsius Constitutionibus praescribitur. Hac tandem ratione institutiones et studia inde ab ipsis elementis suppleri posse videntur, quibus nunc adolescentes, ex neglecto eorum cultu, carent: quod vero potioris est momenti, iidem iuvenes, a periculis liberati, eripi possunt vitii et impietatis faucibus, maximo, Deo opitulante, animarum et Ecclesiae Catholicae emolumento. Orator, apostolicam benedictionem implorans, se Sanctitati Tuae dicto audientem pollicetur, quidquid demum hac super re significandum iudicaverit. De gratia etc.

LEONE XII Pont. Max.

Sanctae Sedis, facturos vero si in re tanti momenti, ex qua ruina Societatis in Statibus Austriacis sequi posset, obedientiam suo Praeposito Generali detrectent.

Et reverenter exosculans pedes Beatitudinis Tuae, sanctam benedictionem imploro, Sanctitatis Tuae humillimus, obedientissimus, infimus servus, Aloisius Fortis, Praep. Gen. Soc. Iesu.

Romae ex Domo Professorum, die 16 Iunii 1828.

Cum superiorem declarationem, quam Praepositus Generalis Societatis Iesu a Nobis postulat, tum ad Societatis ipsius bonum, tum ad pacem et utilitatem animarum, tum etiam ad ostendendum animum Nostrum valde gratum ac memorem beneficiorum, quae Imperator et Rex Apostolicus in Ecclesiam iam contulit, et collaturum maiora speramus, conducere in Domino existimemus, auctoritate Nostra permittimus et annuimus ut Professores Societatis Iesu licite possint praefato decreto sese subiicere, immo vere parere debeant, quotiescumque Praepositus Generalis, cui facultates omnes ea de re tribuimus, ita iusserit. Decretis Conciliorum, constitutionibus apostolicis, aliisque contrariis non obstantibus. 23 Iun. 1828

Hac die 23 Iunii 1828.

LEO PP. XII.

CONCESSIO INDULGENTIAE PLENARIAE

POST ABSOLUTAM DOMUS VISITATIONEM.

GREGORIO XVI Pont. Max.

2 Apr. 1832

* *Beatissimo Padre,*

Giovanni Roothaan, Preposito Generale della Compagnia di Gesù, prostrato a' piedi di Vostra Santità, umilmente espone, che già dalla santa memoria di Papa Urbano VIII fu accordata una indulgenza plenaria, da guadagnarsi da' Religiosi della Compagnia, in occasione della visita solita farsi nelle case o collegi da' Provinciali o Visitatori, secondo le Costituzioni della medesima compagnia. Supplica pertanto V. S. a degnarsi di benignamente rinnovare tal concessione, cioè, che finita la visita di una casa o collegio, come si suol fare nelle provincie da' Prepositi Provinciali o qualche volta da un Visitatore a ciò dal Generale deputato, ovvero anche, in Roma specialmente, dal Preposito Generale medesimo, possa

---

* Beatissime Pater,

Ioannes Roothaan, Praepositus Generalis Societatis Iesu, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, humillime exponit, iam a sanctae mem. Pontifice Urbano VIII concessam fuisse indulgentiam plenariam acquirendam a religiosis viris eiusdem Societatis, eo tempore quo a Provincialibus vel Visitatoribus, secundum eiusdem Societatis Constitutiones, Domus aut Collegia de more visitantur. Supplex igitur rogat Sanctitatem Tuam, ut hanc gratiam benigne velit renovare, qua scilicet post absolutam Domus aut Collegii visitationem, quae fieri solet in Provinciis a Praepositis Provincialibus, aut interdum ab aliquo Visitatore, cui hoc officium a Generali demandatur, aut etiam, Romae praesertim, ab ipso Praeposito Generali; singuli Sodales quibus constat Domus vel Collegium indulgentiam plenariam lucrari possint, rite confessi et sacra Communione refecti, et Deum precati ad mentem Sanctissimi D. N. et pro necessitatibus, tum totius generatim Societatis, tum singillatim illius Domus.

De gratia etc.

GREGORIO XVI Pont. Max.

ognuno degli individui componenti tal casa o collegio, guadagnare una indulgenza plenaria, confessandosi e comunicandosi, e pregando secondo la intenzione di Sua Santità, e pei bisogni della Compagnia in genere e di quella rispettiva casa in ispecie. Che della grazia etc. 2 Apr. 1832

Die 2 Aprilis 1832.

Annuimus pro gratia iuxta petita.

GREGORIUS PP. XVI.

FACULTAS ACCIPIENDI MINERVALIA

IN COLLEGIIS AMERICAE, ANGLIAE ET HIBERNIAE.

GREGORIO XVI Pont. Max.

Ex audientia SSmi habita die 13 Ianuarii 1833. 13 Ian. 1833

Cum nuper expositum fuisset a R. P. D. Iosepho Rosati, Sancti Ludovici in statu Missouriensi Episcopo, in litteris tum ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, tum etiam ad R. P. Praepositum Generalem Societatis IESU datis, in Statibus Foederatae Americae gravia oriri incommoda ex illa Instituti eiusdem Societatis lege, qua eius Religiosi prohibentur stipendium ullum seu eleemosynam accipere pro puerorum seu adolescentium in ipsorum scholis institutione; quod scilicet, non solum absque huiusmodi stipendiorum perceptione Magistrorum sustentationi provideri non possit, verum etiam quod in illis regionibus ea vigeant adversus scholas gratuitas praeiudicia, ut honestiores parentes, etiam catholici, dedecori sibi ducant liberos suos cuiquam gratis instituendos tradere, malintque eos Magistris committere acatholicis quam illis Religiosis ea lege ut nihil stipendii seu minervalis nomine solvatur; fieri proinde ut, quod a Sancto Fundatore ad finem maioris DEI gloriae sanctissime institutum fuit, id ob tales illic circumstantias in gloriae DEI detrimentum atque adeo impedimentum cedat; cumque dictus Praepositus Generalis, hac super re sententiam rogatus, desiderandum sibi videri respondisset, ut Sanctitas Sua, perpensis illis rationibus, pro sua singulari sapientia et clementia, declarare dignaretur quid facto opus esset; et si dispensandum esse Sanctitas Sua censeret, optandum videri ut huiusmodi dispensatio extenderetur etiam ad Religiosos Societatis in Anglia et Hibernia degentes, ubi similes omnino sunt circumstantiae quae in America Foederata: Sanctissimus Dominus Noster Gregorius divina providentia Papa XVI, audita mei infra scripti Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretarii relatione, iustas esse et necessarias dispensandi rationes censuit, ac eidem P. Praeposito Generali auctoritate apostolica benigne facultatem fecit, qua, manentibus iisdem circumstantiis, pro suo arbitrio et prudentia, Patres in praedictis regionibus degentes et iuventuti instituendae operam dantes, possit ab eo Constitutionum capite observando eximere. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex aedibus dictae Sacrae Congregationis, die et anno quibus supra.

Castruccius Castracane Secr.

FACULTAS MISSIONARIIS NOSTRIS CONCESSA

MISSAM HORA SECUNDA POST MEDIAM NOCTEM CELEBRANDI.

GREGORIO XIV Pont. Max.

13 Mai. 1838

* *Beatissimo Padre,*

Il Preposito Generale della Compagnia di GESÙ *umilmente espone alla Santità Vostra, che la grazia accordata ai misionarii della sua Compagnia, di celebrare la Messa un'ora avanti l'aurora, uon è sufficiente per i loro bisogni, quando debbono mettersi in viaggio, ed anche quando esige la necessità di celebrare, o per dare la comunione ai fedeli che si sono confessati e che sono disposti a riceverla, o per aumentare la pietà de' medesimi e del missionario, ed anche in qualche luogo dove il partire tardi è molto incomodo per gli ardori del sole e per conseguenza pericoloso alla salute. Quindi supplica Vostra Santità a volersi degnare di accordare al Preposito Generale pro tempore, la grazia di comunicare ai missionarii la facoltà di poter celebrare, nei casi menzionati di sopra, la Messa due ore dopo mezza notte. Che etc.*

Ex audientia SSmi habita die 13 Maii 1838.

SSmus Dominus Noster Gregorius divina providentia Papa XVI, referente me infra scripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario, perpensis expositis, benigne annuit in omnibus pro gratia iuxta petita. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex aedibus dictae Sacrae Congregationis, die et anno quibus supra.

I. Archiep. Edessen.

---

* Beatissime Pater,

Praepositus Generalis Societatis IESU demississime exponit Sanctitati Tuae gratiam Missionariis Societatis eiusdem factam celebrandi Missam hora ante auroram haud satis esse eorum usibus, cum iter aliquod est illis ineundum, et etiam cum urget necessitas sacrum faciendi ad ministrandam Eucharistiam Christi fidelibus iam confessis et rite paratis, sive ad eorum et Missionarii ipsius pietatem fovendam, sive etiam cum alicubi itineris mora propter aestum solis est magnopere molesta adeoque valetudini periculosa. Quare supplex rogat Sanctitatem Tuam, ut benigne velit Praeposito Generali pro tempore gratiam conferre, qua possit Missionariis potestatem facere Missam, iis in casibus quos superius declaravimus, post duas horas a media nocte celebrandi.

Pro gratia etc.

FACULTAS ACCIPIENDI MISSARUM STIPENDIA

ET IURA STOLAE IN MISSIONIBUS EXTERIS.

GREGORIO XVI Pont. Max.

13 Mai. 1838

* *Beatissimo Padre,*

Il Preposito Generale della Compagnia di Gesù *umilmente espone alla Santità Vostra, che in America ed in altri paesi esteri i Missionari della Compagnia, o sia per esserne pregati con importunità dai fedeli, o sia perchè ne han bisogno per il mantenimento, ricevono limosine per le Messe ed anche* iura stolae *dove esercitano l'ufficio di Parrochi. Crede l' Oratore che sieno state concedute in vari tempi dai Sommi Pontefici delle dispense intorno a questo punto; poichè anche prima della soppressione della Compagnia i Missionari della medesima solevano in più luoghi ricevere dette limosine. Quindi è che per tranquillità tanto di sua propria coscienza, quanto di quella de' suoi successori, supplica Vostra Santità a degnarsi concedere tutte le facoltà ed autorizzazioni di cui vi è bisogno, per accordare ai Missionari della suddetta Compagnia quanto è stato di sopra esposto. Che etc.*

Ex audientia SSmi habita die 13 Maii 1838.

SSmus Dominus Noster Gregorius divina providentia Papa xvi, referente me infra scripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario, perpensis expositis, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta petita. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex aedibus dictae Sacrae Congregationis, die et anno quibus supra.

I. Archiep. Edessen.

---

* Beatissime Pater,

Praepositus Generalis Societatis Iesu Sanctitati Tuae humiliter exponit, in America aliisque exteris regionibus Missionarios Societatis, vel a Christi fidelibus impensius rogatos, vel vitae sustentandae necessitate compulsos, accipere stipendia Missarum et etiam iura stolae, ubi Parochorum officio perfunguntur. Existimat Orator huiusmodi potestatem etiam aliis temporibus a Summis Pontificibus factam fuisse, cum etiam ante suppressam Societatem eiusdem Missionarii pluribus in locis eleemosynas percipere consueverint. Quare, tum suae, tum suorum successorum tranquillitati prospicere volens, Sanctitatem Tuam supplex orat, ut velit conferre quidquid potestatis et iuris opus est ad ea quae superius exposuimus eiusdem Societatis Missionariis concedenda. Quam gratiam etc.

GREGORII XVI

BULLA CANONIZATIONIS B. FRANCISCI DE HIERONYMO.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

26 Mai. 1839

GREGORII XVI

§. 1. Proemium ab Apostolici ministerii munere.

Ad apostolici ministerii munus potissimum pertinere grassanti vitiorum licentiae bellum indicere, et qua zizania in agro Domini superseminata penitus eradicare, qua virtutum aedificium in animis fidelium exstruere, eorumque salutem propriis vel laboribus vel incommodis vel vitae ipsius iacturae anteferre, non modo luculentissima sacrarum Scripturarum testimonia, sed illustria quoque exempla ab ipsis Ecclesiae primordiis petita, nec umquam in posterum defutura, unicuique persuadent. Quae quidem apostolatus officia per verbi Dei praedicationem, cum spectatissima vitae ratione coniunctam, mirifice implentur; illorum scilicet praeconum virtute, qui potentes opere ac sermone plebem verbo aedificant et exemplo.

§. 2. Virtutes B. Francisci de Hieronymo gneratim commendantur.

Novissimum istiusmodi apostolum Franciscum de Hieronymo Deus Opt. Max. terris ostendisse, et tamquam exemplar in quod intueri possit, sacro praesertim ordini, superiori aetate suppeditasse visus est; quem omnigenae virtutis exercitio conspicuum ac miraculorum fama celeberrimum Societas Iesu Sodalem habuisse merito gratulatur. Quamobrem, probatissima ipsius vitae ratione ad examen de more revocata planeque cognita, atque perspecta miraculorum veritate, quae, B. Francisco deprecatore, edita ferebantur; de consilio venerabilium fratrum Nostrorum S. E. R. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, qui ad tantae rei deliberationem in Romanam Curiam frequentissimi convenerunt, apostolicae auctoritatis plenitudine qua in suprema totius Ecclesiae procuratione vel immerentes potimur, B. Franciscum de Hieronymo Sanctorum Coelitum Ordini adscripsimus, eumque ab universa Ecclesia Sanctum habendum esse ac venerandum decernimus, idque praesentibus apostolicis litteris declaramus.

§. 3. Eius ortus, pueritia pie traducta.

Cryptaleis, quod est oppidum intra fines Hydruntinae provinciae prope Tarentum, anno a partu Virginis MDCXLIII ex parentibus pietate commendatis ortus, Franciscus primam aetatem ita traduxit, ut facile quisque assequi coniectura potuerit, quis esset puer ille futurus, cuius crescentis vitae primordia iam tum caeteros in admirationem raperent. Ab nugis scilicet ac iocis, quibus puerilis aetas delectatur, se perpetuo abstinuit; immo vero, religionis ac pietatis operibus unice intentus, circumfusum aequalium agmen fidei nostrae rudimentis imbuebat. Pius in egenos, illorum inopiam stipe atque eleemosynis recreabat, aucto interdum, ut fama est, per prodigium pane, ubi satiandae non esset pauperum multitudini.

§. 4. Duodennis in Sacerdotum

Acta itaque pientissime et per honestas artes pueritia, cum duodeci-

domum receptus, et dein Sacerdotio auctus munere praefecti fungitur in collegio Societatis Iesu Neapolitano.

mum aetatis annum Franciscus attingeret, piam Sacerdotum domum a S. Caietano nuncupatam Tarenti ingressus, mirum profecto ut singulari vitae innocentia, morum suavitate, ac prompto, quo pollebat, animo ad quaevis charitatis munia alacriter obeunda Sodales illos delectarit ac iuverit: qui solerti adolescentulo sacrae aedis curam et christianam puerorum institutionem praecipue commendatam voluerunt. Cum tantam sui spem faceret, quindecim annos natus in clericalem ordinem relatus est, emensoque egregia cum laude minorum disciplinarum et philosophiae curriculo, ut pleniorem sacrarum rerum notitiam sibi compararet, Neapolim se contulit, ibique Sacerdotio auctus, in Collegio Patrum Societatis Iesu nobilibus adolescentibus erudiendis instituto, ad theologicas et vero etiam iuris doctrinas excolendas animum convertit. Mox religiosae illius familiae Sodales, cum experti novissent qua singulari continentiae, religionis pietatisque laude Franciscus emineret, illum dignissimum habuerunt, cui contubernalis praefecti munus tuto committerent; nec exitus exspectationem fefellit: illud enim omni nisu urgendum sibi proposuit, ut verbo et exemplis facilem iuventam suae curae concreditam ad pietatis amorem omnemque honestatem informaret. Quantum vero temporis ab istiusmodi occupationibus vacuum ac liberum Francisco supererat, illud ab aliorum commercio seiunctus ad rerum divinarum contemplationem afflictionemque corporis conferebat. Hinc tantopere de illius sanctimoniae praestantia opinio apud omnes invaluerat, ut honestissimo „Sacerdotis sancti" praenomine vulgo designaretur.

§. 5. Novitius Societatis factus, missionibus operam tribuit.

Sed iam tempus adventasse novit, quo, dolente licet patre filii desideratissimi secessionem, Societatis Iesu Institutum, quod iam diu sibi erat in votis, profiteretur. Itaque Neapoli inter Tirones Loyolaeos libentissime exceptus, coelestem in terris beatitatem degustare sibi videbatur, atque adeo virtutum omnium exercitatione inclaruit, ut provectiores quosque Sodales tanta sanctimoniae luce perculsos facile superarit. Quamobrem, post exactum unius anni religiosae vitae Tirocinium, sacris missionibus obeundis in Hydruntinam Apulamque provincias missus, omni prorsus laborum ac sollicitudinum genere perditos hominum mores ad virtutem revocavit. Hinc Neapolim reversus theologiae studia penitus absolvit, solemniaque vota Deo nuncupavit.

§. 6. Absoluta theologia, votisque solemnibus nuncupatis, Neapolitanum regnum per quatuor et quadraginta annos missionibus excolit.

Divini amoris impetu abreptus, vehementissimo martyrii perferendi desiderio aestuabat, cui facilius explendo penes summum Societatis Iesu Moderatorem preces ingeminavit, ut sibi copiam faceret ad Indos commeandi, quo Iaponias gentes, superstitionis errorumque tenebris obductas, ad catholicae religionis lucem veritatemque haud sine capitis discrimine traduceret. Praesuli tamen respondenti sibi: Indias suas et Iaponiam parthenopaeas provincias esse oportere; vir obsequentissimus acquievit, nec prudens Moderatoris consilium improbavit eventus. Laboriosam scilicet apostolicae vitae rationem per quadraginta quatuor annos, integris animi corporisque viribus ulloque propemodum labore flecti nesciis, produxit; et quamvis exiguam fuscamque vocem nactus a natura fuerit, cum tamen verba faceret e suggestu, eadem longissime audiebatur;

quod omnibus portento simile videbatur. In agris sibi demandatis, qua poterat maxima contentione, excolendis ita insudavit, ut rerum praeclarissime gestarum numero et gravitate, quasi multiplex ipse foret, plurium hominum in id unice adnitentium labores aequasse unus Franciscus visus fuerit. Universas ferme Neapolitani regni provincias obivit, sacris undequaque missionibus tepescentem fidelium pietatem excitavit, inflammavit, ac effrontium praesertim mulierum vitam molliter licenterque habitam, ad modestiae pietatisque normam, Deo bene iuvante, redegit. Nulla molestiarum mole, nulla itinerum difficultate, nulla laborum vi deterritus, non prius ab opere, quod in animorum utilitatem cederet, Franciscus desistebat, quam penitus perfectum illud atque absolutum fuisset. Piaculares fidelium confessiones assidue excipiebat, per urbem ac finitima oppidula versari decem integros dies in uno quolibet mense consuevit, ut dispersam hominum multitudinem in unum coactam sacro Angelorum pane reficeret. Inter haec frequentissimas diu noctuque, in locis admodum dissitis, conciones ad populum habuit; religiosa virorum coenobia identidem adibat, eosdemque ad omnem virtutis laudem hortabatur. Virginum monasteria iussus invisebat, ut regularis disciplinae, si quid forte remisisset, ad pristinum robur revocaret. Plurium puellarum integritati, emendicata etiam ostiatim stipe, perfugium aperuit. Aegrotis in nosocomio iacentibus praesto erat, ut corporis non modo verum etiam animae morbis convalescerent, nocentesque homines carceribus conclusos alloquebatur, eosque verbis ardore plenissimis vitiorum coeno expiabat, ac fidelibus, praesertim in extremo vitae exitu laborantibus, spiritualia subsidia allaturus, diu noctuque praesens aderat. Ita sane omnibus omnia factus, prope infinitam hominum multitudinem Christo lucrifecit; adeo ut, quotquot urbes ac loca perlustraverit, tot praeclarissimos de inferno hoste triumphos reportarit. Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum per plures continentes horas mira animi dulcedine perfusus venerari consuevit, mentemque in rerum sacrarum contemplatione diutissime defixam coelestibus quodammodo inserere adnitebatur. Deiparam Virginem singulari quodam charitatis affectu prosequebatur, atque, ut in matrem amantissimam pari dilectionis studio omnes exardescerent, impensissime contendit.

§. 7. Humilitatis, obedientiae ac paupertatis virtutibus

Inter tot tamque praeclara facinora coelestibus quoque prodigiis divinitus comprobata, tanta vir apostolicus humilitatis virtute praestitit, ut, licet communi omnium appellatione angelus diceretur, abiecto nihilominus " Francisci peccatoris „ titulo se perpetuo depresserit ac dehonestarit. Nec frequens Cleri totius occursus, quum in aliquem locum adventaret, nec plurium praestantium dignitate virorum observantia, nec mira de illius sanctitate, quae penes cuiuscumque generis homines percrebuerat, opinio, Francisci animum ullatenus erigere potuerunt; quandoquidem maximus caeteris, sibi uni minimus videbatur. Illatas sibi iniurias aequo animo ferebat; cumque gravem alapam tum nobilis generis adolescens, tum homo ad triremes damnatus nefario ausu eidem duxerint, positis humi genibus vir humillimus alteram ambobus maxillam ultro caedendam obtulit. Nec

quisquam Superiorum voluntati Francisco obtemperantior; illud unum dixisse sufficiat, quod Rectoris iussu ex longinquo loco Neapolim accersitus, ut virum gravi morbo correptum alloquio suo sustentaret, sacram missionem iam inchoatam, et unde optimam frugem sperare licebat, protinus ipse abrupit, illuc properans quo vocabatur. Custos paupertatis fuit severissimus; hinc vestibus operiebatur laceris propemodum ac detritis; hinc angustiorem cellam prope Domus aditum sub scala positam incolebat, eamdemque viliori, quam caeteri Sodales haberent, supellectile instructam; omnia denique pauperrimi hominis morem cultumque ostentabant.

§. 8. Vitaeque austeritate insignis fuit.

Ad haec accessit vitae austeritas plane singularis. Fere numquam mensae assidebat, ast in genua provolutus tam modicum cibum ac potionem corpori impertivit, ut mirum omnibus videretur, quomodo sustentare vitam laboris plenam potuerit. Breves somnos, nec cruciatibus vacuos, vel humi carpebat vel in tabula; ferreis ciliciis alte perforatos artus excruciabat, ac vehementissimos sibi verberum ictus vel domi vel inter concionandum asperrimis flagris inferebat, sic ut, avulsa interdum carne, miserandum intuentibus sui ipsius spectaculum exhiberet.

§. 9. Laboribus fractus obiit.

Tanta igitur laborum contentione debilitatus ac fractus, lethalem in morbum incidit, quem vitae suae finem allaturum praevidit ac praenuntiavit. Susceptis itaque religiosissime Sacramentis, cum ad mortalis vitae exitum properaret, religiosae Domus Rectorem pro sua humilitate obsecravit, ne sineret immeriti corpus communi Sodalium tumulo condi, ast omni sepulcri honore privatum in apertum campum proiici iuberet. Postquam denique animam pientissime Christo Servatori ac Beatissimae Virgini commendasset, inter adstantium lacrymas de Francisci obitu insolabiliter moerentium, tertium supra septuagesimum agens aetatis annum, dormientis more ad superos evolavit quinto idus Maii MDCCXVI.

§. 10. Sanctitatis opinione miraculis confirmata, ad beatificationem processum est anno 1806;

Ut primum vulgatum est Franciscum de Hieronymo supremum diem obiisse, ingens multitudo protinus advenit, desideratissimi viri manus deosculandi atque aliquid diripiendi cupiditate, quod viventi in usum fuisset. Nec signa defuerunt, quibus eximiam Francisci sanctitatem palam testari Deus voluit, ut nimis sui amicus honoraretur. Quibus late pervulgatis, Neapolitanus Antistes, ordinaria qua pollebat auctoritate, cum nondum a Francisci obitu duodecim anni transiissent, tum in eius vitam, virtutes ac miracula, tum etiam in cultum, qui Ecclesiae iudicium non praeoccupasset, binis processibus inquisierat. Quod Archiepiscopi opus severissimo Congregationis Sacris Ritibus tuendis institutae examini et iudicio subiectum ac probatum est, et causa B. Francisci de Hieronymo decimo nono kal. Ianuarias anni MDCCXXX agi coepta est. Quamobrem auctoritate apostolica publicas in tabulas ea omnia relata sunt, quae Francisci virtutes ac miracula potenti illius prece a Deo, uti ferebatur, patrata complecterentur. His omnibus in consilio Sacris servandis Ritibus matura deliberatione expensis atque excussis, cum nemine suffragantium dissentiente (quod vix umquam contingit) in eam universi sententiam convenerint, quod Franciscus, mortalem vitam dum ageret, virtutes o-

GREGORII XVI

26 Mai. 1839

mnes in gradu heroico exercuit, post celebrata generalia comitia pridie nonas Aprilis anno MDCCLVIII coram sanctae mem. Benedicto XIV, praedecessore Nostro, Pontifex pientissimus, quamvis Sacram Eucharistiam in viaticum iam sumpsisset mortique proximus decumberet, nihilo tamen secius non prius ex hac vita discedendum duxit, quam memoratum laudatae Congregationis votum rite confirmaret. Quod sexto nonas Maias eiusdem anni perfectum est. Absoluto de virtutibus iudicio, instituta quaestio est de miraculis, quibus DEUS Opt. Max. praeclaram Francisci sanctimoniam manifestasse vulgo censebatur. Ex iis autem duo extra omnem dubitationem posita in consuetis Sacrorum Rituum Congregationis coetibus reperta, et a Pio VII praedecessore Nostro uti vera miracula solemni decreto, quod edidit quinto idus Februarias anno MDCCCVI, comprobata sunt: nimirum instantanea et perfecta sanatio medici physici Ioannis Ambroselli ab insanabilibus et gangrena correptis vulneribus in dextero brachio per igneae balistae explosionem inflictis, cum ossium fractura et in fragmenta collisione, atque insigni musculorum nervorumque eiusdem brachii laceratione; alterum, instantanea ac perfecta sanatio sanctimonialis Mariae Angelae Ruspoli a diutina hemiplegia, sive totius sinistri lateris paralysi apoplexiam consecuta, aliisque gravibus affectionibus, cum integra virium restitutione. Deinde, cum saepius memorata Sacrorum Rituum Congregatio, in generali conventu ad aedes Quirinales habito, pronuntiasset tuto Franciscum de Hieronymo in Beatorum Coelitum numerum adscribi posse; idipsum Pius VII praedecessor Noster decimo quarto kal. Aprilis eiusdem anni edito decreto sancivit, solemniaque beatificationis in basilica Principis Apostolorum peracta sunt.

§. 11. novisque accedentibus miraculis.

Decursu temporis, ad validam B. Francisci de Hieronymo intercessionem, miracula adhuc multa contigisse dicebantur; quibus ad accuratissimam trutinam de veteri more revocatis, duo rursus pro eiusdem canonizatione certissima habita sunt: nempe primum, instantanea et perfecta sanatio Caietani Santoro, annorum octoginta quatuor, ab ulcere inveterato maligno insanabili in dextero crure; alterum, instantanea et perfecta sanatio ab invincibili cruris dexteri ancylosi, seu articuli immobilitate post diuturnum ulcus a combustione productum, cum ossium carie, in epileptica muliere Maria Iosepha Greco. Cum Sacrorum Rituum Congregatio plenis suffragiis horum miraculorum veritatem asseruerit, eadem idibus Septembris anno MDCCCXXXV auctoritate apostolica confirmavimus. Deinde vero, cum in generali Sacrorum Rituum consessu coram Nobis ad aedes Quirinales habito quinto idus Martii anno MDCCCXXXVI deliberatum fuerit, num ad solemnem B. Francisci de Hieronymo canonizationem procedi tuto posset, cumque universi in affirmativam sententiam descenderint, hac de re decretum evulgari iussimus.

§. 12. et decreto canonizationis post duplex consistorium confecto,

Tunc enim vero plures Episcopi, ac viri ex omni ordine spectatissimi, praesertim autem Sodales Societatis IESU, summis precibus enixe a Nobis flagitarunt ut B. Franciscum de Hieronymo Sanctorum honore cumularemus. Faciles itaque supplicibus aures exhibentes, primum venerabiles fratres Nostros S. E. R. Cardinales in consistorio secreto die decima Decembris

GREGORII XVI

26 Mai. 1839

anni MDCCCXXXVIII de sententia postulavimus. Deinde venerabiles fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos ex universa Italia in Urbem vocavimus, ut quid ipsi sentirent Nobis patefacerent. Qui, postea quam causam omnem cognoverunt, tum ex oratione quam de laudibus B. Francisci coram Nobis habuit dilectus filius Thomas Gnoli, Decanus consistorialis aulae Advocatus, tum etiam ex monumentis Sacri Consilii Ritibus tuendis praepositi, quorum exemplar typis editum unicuique illorum exhiberi iussimus, in semipublicum consistorium convenerunt coram Nobis coactum sexto idus maii, in quo ven. fratres Nostri S. E. R. Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi in eamdem omnes sententiam conspirarunt, de Sanctorum honoribus B. Francisco deferendis. Collectis itaque singulorum suffragiis propria manu subscriptis, ut in tabularium Ecclesiae Romanae referrentur, dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis negotium commisimus, ut consueta hac super re instrumenta conficerent.

§. 13. in festo SS. Trinitatis 1839 Sanctorum Confessorum fastis solemniter adscriptus est.

Festam itaque diem Augustissimae Trinitati sacram solemni canonizationis ritui celebrando designavimus, fideles hortantes uti ad superni luminis claritatem impetrandam suas preces Nostris adiungerent. Ubi haec dies faustissima illuxit, convenerunt omnes Cleri saecularis ac Regularis Ordines, omnes Romanae Curiae Proceres et Officiales, cuncti denique ven. fratres Nostri S. E. R. Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, quibus universis praeeuntibus, solemni supplicationis ritu basilicam Principis Apostolorum ingressi sumus. Illic, antequam sacris operaremur, dilectus filius Noster Aloisius tituli S. Calixti Presbyter Cardinalis Lambruschini, perorante dilecto filio Antonio Maria Cagiano de Azevedo, consistorialis aulae Advocato, Nobis preces ac vota detulit virorum Principum, sacrorum Antistitum, atque universae Societatis IESU Sodalium, uti B. Franciscum cum BB. Alphonso Maria de Ligorio, Ioanne Iosepho a Cruce, Pacifico a S. Severino ac Veronica de Iulianis, in Sanctorum ordinem referremus; cumque iterum ac tertio Nos obsecrasset ut optatam sententiam proferentes universos Christi fideles iucundissimo gaudio compleremus, primum universae coelestis curiae praesidium imploravimus; tum a Paraclito Spiritu lucis suae radios humillime postulavimus. Exinde ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad catholicae fidei amplificationem ac decus, auctoritate Domini Nostri IESU Christi, BB. Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra praedictum B. Franciscum, Sacerdotem Professum Societatis IESU, christianarum virtutum praestantia ac miraculorum fama conspicuum, Sanctum esse pronuntiavimus, et una cum praedictis Alphonso, Ioanne Iosepho, Pacifico et Veronica, ecclesiasticis SS. Confessorum non Pontificum fastis adscripsimus.

§. 14. Decretum de festo et indulgentiae.

Decrevimus insuper ut B. Francisci memoria quinto idus Maii quotannis in Ecclesia recolatur, et Christi fidelibus, qui illius tumulum eodem die venerati fuerint, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenas in perpetuum concessimus. Quo absoluto, ex podio aulae superioris Vaticanae basilicae, solemnem frequenti populo benedictionem peramanter impertiti, omnibus Christi fidelibus, tam eidem benedictioni praesentibus

GREGORII XVI

quam universis, qui sacro canonizationis ritui interfuerunt, plenariam indulgentiam in Domino elargiti sumus.

§. 15. Hortationes.

Vos itaque praecipue alloquentes, quotquot sacrae militiae nomen dedistis, vehementissime in Domino hortamur, ut quandoquidem novum vobis ecclesiasticae perfectionis exemplar ad imitandum proponitur, illud prae oculis habentes, fulgidissimis Francisci de Hieronymo vestigiis insistatis. Omnibus vero Christi fidelibus auctores sumus, ut virum apostolicum, qui praeclaro charitatis ardore succensus in curanda proximorum salute totus incubuit, propitium precibus sibi reddant, ut sempiternam beatitatem, ad quem ingentem hominum multitudinem gravissimis exantlatis laboribus, Deo opitulante, traduxit, praesenti illius auxilio feliciliter assequantur.

§. 16. Fides transsumptorum.

Atque, ut auspicatissima huius rei memoria nulla umquam temporis diuturnitate interitura sit, apostolicis eam litteris consignari et roborari voluimus, mandantes ut eorum exemplis alicuius Notarii publici manu subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem habeatur fides, quae praesentibus hisce adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae voluntatis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, an. Incarnationis Dominicae MDCCCXXXIX, septimo kal. Iunii, Pontificatus Nostri anno nono.

✠ EGO GREGORIUS, CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS. 26 Mai. 1839

✠ Ego B. Episcopus Ostien. et Veliternen. Card. Pacca S. C. Decanus.

✠ Ego E. Episcopus Portuen. S. Rufinae et Centumcellar. Card. De Gregorio, maior Poenitentiarius.

✠ Ego I. F. Episcopus Albanen. Card. Falzacappa.

✠ Ego C. M. Episcopus Praenestinus Card. Pedicini, Vice Cancellarius.

✠ Ego F. Ludovicus Episcopus Tusculanus Card. Micara.

✠ Ego A. D. Episcopus Sabinen. Card. Gamberini.

✠ Ego C. tit. S. Bernardi ad Thermas Presb. Card. Opizzoni.

✠ Ego B. tit. S. Balbinae Presb. Card. Bandini.

✠ Ego I. B. tit. S. Pancratii Presb. Card. Bussi.

✠ Ego I. tit. SS. Petri et Marcellini Presb. Card. Iustiniani.

✠ Ego I. Ph. tit. S. Mariae in Ara Coeli Presb. Card. Franzoni.

✠ Ego B. tit. S. Mariae Transtiberim Presb. Card. Barberini.

✠ Ego A. tit. S. Calisti Presb. Card. Lambruschini.

✠ Ego F. tit. SS. XII Apostolorum Presb. Card. Serra Cassano.

✠ Ego A. tit. S. Laurentii in Pane et Perna Presb. Card. del Drago.

✠ Ego C. tit. S. Petri ad Vincula Presb. Card. Castracane de Antelminellis.

✠ Ego I. A. tit. S. Caeciliae Presb. Card. Brignole.

✠ Ego S. tit. S. Susannae Presb. Card. della Porta Rodiani.

✠ Ego C. tit. S. Sylvestri in Capite Presb. Card. Patrizi.

✠ Ego I. tit. S. Priscae Presb. Card. Alberghini.

GREGORII XVI

26 Mai. 1839

✠ Ego P. tit. S. Eustachii Presb. Card. Polidori.

✠ Ego P. M. tit. S. Mariae in Transpontina Presb. Card. Tadini.

✠ Ego A. tit. S. Anastasiae Presb. Card. Maius.

✠ Ego C. tit. S. Marcelli Presb. Card. Falconieri.

✠ Ego A. tit. S. Petri in Monte Aureo Presb. Card. Tosti.

✠ Ego I. tit. S. Onuphrii Presb. Card. Mezzofante.

✠ Ego A. S. Mariae ad Martyres, Prior Diaconorum, Card. Rivarola.

✠ Ego Th. tit. S. Caesarii Diaconus Card. Bernetti.

✠ Ego I. F. tit. S. Agathae ad Suburram Diac. Card. Marco y Catalan.

✠ Ego L. S. Eustachii Diac. Card. Gazzoli.

✠ Ego M. S. Mariae ad Aquiria Diac. Card. Mattei.

✠ Ego A. S. Mariae in Cosmedin. Diac. Card. Spada.

✠ Ego A. S. Mariae in Porticu Diac. Card. De Flisco.

✠ Ego A. tit. S. Angeli in Foro Piscium Diac. Card. Ciacchi.

B. Card. Pacca Pro Datarius.
E. Card. De Gregorio.

GREGORII XVI

INDULGENTIA PLENARIA IN PERPETUUM CONCEDITUR

PRO MISSIONIBUS SOCIETATIS IESU.

GREGORIUS PAPA XVI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

GREGORII XVI

Petente Ioanne Roothaan, Praeposito Generali, indulgentia plenaria, ad septennium concedi solita,

20 Dec. 1839

in perpetuum conceditur pro missionibus, tum Sociis, tum fidelibus quinquies assistentibus.

Exponendum nobis curavit dilectus filius Ioannes Roothaan, Praepositus Generalis Societatis Iesu, eius in votis esse perpetuam facultatem a Nobis concedi, qua Religiosi eiusdem Societatis a Superioribus ad missiones peragendas missi, et omnes Christi fideles utriusque sexus ad eas accedentes, plenariam indulgentiam in qualibet missione lucrari semel tantum possint. Supplici ergo cum prece a Nobis postulavit ut huiusmodi facultatem, a rec. mem. Paulo v, praedecessore Nostro, et a Nobis ipsis ad septennium tributam, perpetuum in modum largiri velimus.

Nos igitur, de speciali omnium fidelium salute vehementer solliciti, illius precibus quam libentissime annuendum censuimus. Quam ob rem de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, tam Religiosis eiusdem Societatis Iesu a Superioribus ad missiones peragendas missis, quam omnibus utriusque sexus Christi fidelibus qui missionibus ipsis per Religiosos Societatis Iesu peragendis quinque vicibus pro qualibet missione rite adstiterint, ac interea temporis vere poenitentes et confessi, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, ac pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel tantum tempore uniuscuiusque mis-

GREGORII XVI sionis omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesimo Decembris MDCCCXXXIX, Pontificatus Nostri anno nono. 20 Dec. 1839

A. Card. Lambruschini.

GREGORII XVI

INDULGENTIA PLENARIA IN ECCLESIIS SOCIETATIS

DIE FESTO S. FRANCISCI DE HIERONYMO.

GREGORIUS PAPA XVI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

GREGORII XVI Cum inclyta Iesu Societas, hominum doctrina ac sanctitate praestantium fecunda parens, tantisque erga Catholicam Ecclesiam et civilem Societatem promeritis vel maxime refulgeat, tum Romani Pontifices amplissimis benevolentiae testimoniis Societatem ipsam honestandam existimarunt. Itaque, cum in praesentia dilectus filius Ioannes Roothaan, eiusdem Societatis Praepositus Generalis, a Nobis efflagitaverit ut die festo S. Francisci de Hieronymo, quem Nos solemni ritu Sanctorum fastis adscripsimus, omnibus Societatis ecclesiis plenariam indulgentiam tribuere velimus, Nos huiusmodi piis desideriis quam libentissime annuendum censuimus. Quare, auctoritate Nobis a Domino tradita, deque omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri ac Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi; omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui quamlibet Societatis Iesu ecclesiam die festo S. Francisci de Hieronymo, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. 17 Mart. 1840

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo Praepositi vel Procuratoris Generalis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimo septimo Martii MDCCCXL, Pontificatus Nostri anno decimo.

A. Card. Lambruschini.

INDULGENTIA PRO INFIRMIS TEMPORE MISSIONUM.

GREGORIO XVI Pont. Max.

17 Mart. 1841

* *Beatissimo Padre,*

Giovanni Roothaan, Preposito Generale della Compagnia di GESÙ *prostrato umilmente al bacio del piede ed implorando l'apostolica benedizione, rappresenta alla Santità Vostra, come occorre continuamente, che all'occasione delle sante missioni o esercizi in forma di missione, che in diverse città o terre si danno da' suoi Religiosi, gl'infermi non possano fare acquisto della indulgenza plenaria concessa in fine della missione per rescritto de' 22 Dicembre 1832 a tutti i fedeli i quali abbiano assistito almeno quattro volte** alle funzioni solite a farsi in detti esercizi o missioni. Supplica pertanto Vostra Beatudine a degnarsi di estendere la predetta indulgenza anche ai summentovati infermi, ogniqualvolta ricevano pur essi all'occasione della missione i SS. Sacramenti, e suppliscano al rimanente con altre opere di pietà ad arbitrio del respettivo lor confessore. Che etc.*

Ex audientia SSmi.

SSmus Dnus Nr Gregorius Papa XVI plenariam indulgentiam, de qua in precibus, clementer extendit ad infirmos, dummodo alia pia opera a respectivo Confessario iniungenda fideliter exsequantur. Servato in reliquis etiam quoad tempus tenore citatae concessionis. Praesenti valituro absque ulla brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum, die 17 Martii 1841.

C. Card. Castracane Praef.
A. Can. Prinzivalli Subst.

---

* Beatissime Pater,

Ioannes Roothaan, Praepositus Generalis Societatis IESU, humiliter ad pedis osculum provolutus, et apostolicam benedictionem implorans, exponit Sanctitati Tuae semper evenire, ut, quum sacrae missiones vel Exercitia instar missionum in variis urbibus vel locis a suis Religiosis viris habentur, aegroti nequeant lucrari plenariam indulgentiam, quae in fine missionis, ex rescripto diei 22 Decembris anni 1832, omnibus Christi fidelibus conceditur, qui usitatis horum Exercitiorum vel missionum functionibus quater saltem ** interfuerint. Quare Beatitudinem Tuam supplex orat, ut eiusmodi indulgentiae eos etiam aegrotos participes faciat, qui etiam ipsi missionum tempore SS. Sacramentis se refecerint, et caetera piis aliis operibus, Confessarii iudicio, suppleverint. Pro qua gratia etc.

** In Summario indulgentiarum per rescriptum 22 Decembris 1832 probato legitur: « *ad minimum per quinque dies.* » Cfr. tamen rescriptum 22 Aprilis 1882, pag. 426.

INDULGENTIA DECEM DOMINICARUM S. IGNATII

UBI SOCIETAS PROPRIAM ECCLESIAM NON HABET.

GREGORIO XVI Pont. Max.

10 Dec. 1841

* *Beatissimo Padre,*

Giovanni Roothaan, Preposito Generale della Compagnia di GESÙ, *prostrato al bacio del piede della Santità Vostra, ed implorando l' apostolica benedizione, umilmente rappresenta, come fu conceduta dalla f. m. di Clemente* XIII *e confermata dalla Santità Vostra con rescritto de' 22 Dic. 1832, la grazia di lucrare indulgenza plenaria, una volta ad arbitrio, a tutti i fedeli dell'uno e dell'altro sesso, che celebrando dieci domeniche consecutive fra l' anno in onore di S. Ignazio di Loyola, con recitare devote preghiere e con esercitarsi in altre opere pie, si accostassero in una di esse ai SS. Sacramenti della confessione e comunione, e visitassero una chiesa della Compagnia di* GESÙ.

In progresso di tempo, essendosi estesa questa pia devozione anche in molte città e terre, dove non esiste chiesa della Compagnia di GESÙ, *supplica il devoto Oratore la Santità Vostra, a degnarsi di estendere la summentovata indulgenza per tali luoghi a tutti i fedeli i quali surrogheranno la visita di qualunque chiesa od oratorio a quella prescritta di una chiesa della medesima Compagnia. Che etc.*

Ex audientia SSmi.

SSmus Dns Nr Gregorius Papa XVI benigne annuit pro gratia iuxta preces; indulsit nempe, ut omnes utriusque sexus Christi fideles indulgentias prout in precibus iam elargitas, in iis etiam locis ubi Societas IESU non exsistit, lucrari valeant: dummodo tamen eiusmodi diebus rite dispositi fuerint, nec non respectivam ecclesiam parochialem visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium, iuxta consuetos fines oraverint.

Praesenti in perpetuum valituro absque ulla brevis expeditione.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum, die 10 Decembris 1841.

C. Card. Castracane Praef.
H. Ginnasi Secr.

---

* Beatissime Pater,

Ioannes Roothaan, Praepositus Generalis Societatis IESU, ad osculum pedis Sanctitatis Tuae provolutus et apostolicam benedictionem implorans, humiliter exponit, a felicis mem. Clemente XIII factam, et a Sanctitate Tua comprobatam fuisse potestatem plenariae indulgentiae semel pro lubitu acquirendae ab omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, qui decem continenter dominicos dies inter annum in honorem S. Ignatii de Loyola celebrantes, tum precibus, tum piis aliis operibus vacando, uno ex iis dominicis diebus sacramenta Confessionis et Communionis receperint, ac templum aliquod Societatis IESU visitarint.

Quae pia exercitatio cum temporis successu ad multas etiam urbes atque loca ampliata sit, ubi Societati IESU nullum est templum; Orator Sanctitatem Tuam supplex rogat, ut his in locis eamdem indulgentiam omnibus Christi fidelibus velit elargiri, qui, pro templo Societatis Iesu ex praescripto visitando, quodcumque aliud templum vel oratorium visitarint. Et de gratia etc.

GREGORII XVI

INDULGENTIAE SODALITATUM MISSIONIS

IN HELVETIA.

GREGORIUS PAPA XVI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

GREGORII XVI

Societatibus Missionis in Helvetia constitutis

Nuper perlatum est Nobis, in variis Helvetiae locis novam quamdam utriusque sexus fidelium Societatem sub nomine Missionis initam fuisse, cuius est institutum quam plurima religionis et christianae pietatis opera peragere, et praecipue iuventutem vitae castitate et bonis moribus imbuere. Quo vero instituti huiusmodi finis melius obtineatur, uberioresque exinde fructus eveniant, Nobis humiliter supplicatum fuit, ut fidelium eorumdem pietatem coelestibus donis fovere, et nonnullas indulgentias eidem Societati concedere dignaremur.

conceduntur variae indulgentiae: plenaria in festo titulari, vel dominica aliqua proxima,

Nos igitur, piis huiusmodi desideriis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere cupientes, de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, per praesentes apostolica auctoritate impertimur, ut, praevia canonica institutione eiusdem Societatis, omnes in eadem tam recensiti quam in posterum recensendi, iuvenes, puellae, parentes, ac patres matresque familias, et alii cuiuscumque sint Helvetiae loci, vel dioeceseos et parochiae, modo promissis instituti stent, et caste in suo statu vivant, et accedente ad hoc locorum Ordinariorum consensu, plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem lucrari possint, si rite confessi ac synaxi sacra refecti aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint et iuxta mentem Romani Pontificis oraverint, die qua Societatis sectio ad quam pertinent festum quasi titulare celebraverit; quod festum a loci Parocho designari posse indulgemus. Ac eamdem indulgentiam eos quoque in una ex tribus festo huiusmodi proximis dominicis lucrari posse concedimus, qui legitimo detenti impedimento festum titulare, ut praefertur, celebrare nequiverint; itemque eos, qui extra paroeciam, cuius coetui adscripti sunt, commorantur, licet ad festi celebrationem accedere non possint, dummodo in loco in quo degunt Sacramenta suscipiant dicto tempore, aliaque praescripta adimpleant. Et si ob paroeciae exiguitatem aliasque ob causas praefati iuvenes, puellae parentesque et heri uno eodemque die festum titulare huiuscemodi celebraverint, omnes eadem illa die plenaria indulgentia pari modo perfrui posse etiam impertimur. Praeterea iisdem, qui rite confessi ac sacra Communione refecti aliquam ecclesiam vel oratorium, in uno alio anni die ad uniuscuiuscumque eorum libitum eligendo, visitaverint, et ut supra ora-

30 Mai. 1843

et alio die ad libitum,

GREGORII XVI

30 Mai. 1843

partiales pro certis piis operibus.

verint, plenariam similiter indulgentiam et remissionem in Domino tribuimus. Septem item annos et totidem quadragenas iis ex praedictis, qui ut praemittitur dispositi Missae sacrificio devote interfuerint, et pro omnibus sociis preces ad Deum effuderint; et quoties sociorum cadavera ad sepulturam comitati fuerint, quinque annos; centum vero dies, quoties corde saltem contrito Pater, Ave et Gloria pro omnibus sociis recitaverint, de iniunctis relaxamus.

Sodalitatem foventibus eaedem indulgentiae conceduntur.

Demum locorum Parochis, aliisque Sacerdotibus, Confessariis et Concionatoribus, qui Associationem instituunt, propagant, fovent, commemoratas omnes indulgentias elargimur, ita ut duas plenarias, diebus eorum arbitrio eligendis, possint lucrari.

Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, etiam animabus Christi fidelium quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse indulgemus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die trigesimo Maii MDCCCXLIII, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

A. Card. Lambruschini.

GREGORII XVI

INDULGENTIAE PRO PERSEVERANTIA POST MISSIONEM

AUT EXERCITIA SPIRITUALIA.

GREGORII XVI

7 Iul. 1843

GREGORIUS PAPA XVI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Iniuncti Nobis divinitus apostolici muneris ratio postulat, ut coelestium munerum thesauros dispensationi Nostrae a Domino concreditos fideliter erogemus, cum id ad animarum salutem speramus in Domino profuturum.

Supplicante Praeposito Generali Ioanne Roothaan,

Exponi itaque Nobis nuper curavit dilectus filius modernus Praepositus Generalis Clericorum Regularium Societatis Iesu, ipsum ad maiorem animarum lucrum et utilitatem obtinendam summopere cupere, ut nonnullae indulgentiae per Nos concedantur Christi fidelibus, qui, post peracta missionis aut etiam recessus spiritualis exercitia a Clericis Regularibus praedictae Societatis Iesu tradita in ecclesiis, oratoriis, plateis aut campis, pias preces per quadraginta dies ad impetrandam propositorum perseverantiam persolverint.

GREGORII XVI

7 Iul. 1843

Suppliciter propterea Nos adiit, ut hanc veniam de huius Apostolicae Sedis gratia elargiri velimus.

ad maiorem exercitiorum spiritualium fructum,

Nos, impense desiderantes ut ex huiusmodi Spiritualibus Exercitiis aut missionibus finis melius obtineatur, uberioresque exinde fructus obveniant; eiusdem moderni Praepositi zelum et vigilantiam plurimum in Domino commendantes, ac ipsam Societatem Iesu, quae utiles et fructuosos in Ecclesia Dei quotidie fert operarios, speciali praerogativa prosequi volentes; piis huiusmodi votis et supplicationibus benigne annuendum censuimus.

Orantibus per 40 dies pro perseverantia,

Quamobrem, de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, qui post peracta missionis aut etiam recessus spiritualis exercitia a Clericis Regularibus dictae Societatis Iesu tradita in ecclesiis, oratoriis, plateis aut campis, pias preces per quadraginta dies, incipiendo a die quam designabit exercitii aut missionis praeses, ad obtinendam perseverantiam recitaverint, ac interea temporis vere poenitentes et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In quocumque vero ex huiusmodi quadraginta diebus Christi fidelibus supra dictis, qui, peractis ut praemittitur Spiritualibus Exercitiis aut missionibus, preces praefatas corde saltem contrito persolverint, bis centum dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis, poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, etiam animabus Christi fidelium quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse impertimur.

concedentur una indulgentia plenaria, et quotidiana indulgentia 200 dierum.

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die septimo Iulii MDCCCXLIII, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

A. Card. Lambruschini.

SOCIETATIS RATIO IN RECIPIENDIS NOVITIIS

ATQUE IN ADMITTENDIS AD PROFESSIONEM SOCIIS APPROBATUR.

PIO IX Pont. Max. **28 Ian. 1850**

* *Chi si presenta per entrar nella Compagnia, munito delle sue fedi quanto alla sua vita antecedente, viene prima di tutto esaminato minutamente da tre o quattro Padri, e sulla sua vita passata, e sui motivi che lo portano a domandar la Compagnia, e sulle sue qualità naturali e talento, e sulla disposizione all' osservanza della vita religiosa della quale gli si fa conoscere principalmente tutto ciò che può far difficoltà.*

Questi esaminatori rimettono al Provinciale il risultato minuto del loro esame, aggiungendo il loro voto favorevole o contrario. Il Provinciale, se si trova sul luogo, esamina anch' esso il candidato, e se lo accetta, lo manda al noviziato per la prima probazione, ove il Maestro dei novizii, in ogni caso, continua ad esaminarlo e ad osservarlo per lo spazio di giorni 10, 12, e sino a 20, prima di dargli la veste, e di ammetterlo a convivere coi novizii.

In questo tempo di prima probazione, l' Esame generale, opera di S. Ignazio, che entra in tutti i dettagli, e particolarmente espone quanto di virtù si domanda a chi vuol essere della Compagnia, è dato al candidato a considerare; e viene esaminato su tutto questo, e tutto gli viene spiegato anche meglio; ed ove si contenti egli di tutto, si ammette finalmente, dietro scrittura con cui egli stesso dichiara di avere esaminato tutto e star contento e desideroso di entrare.

Tale esame poi si ripete ogni sei mesi, dopo il quale il novizio ogni volta rinnova la medesima sua dichiarazione in iscritto.

Finalmente, non prima di un biennio intiero, e soltanto quando abbia dato soddisfazione in tutte le diverse prove alle quali andò soggetto, viene ammesso

---

* Qui, Societatem ingressurus, scripta exhibet testimonia, quae fidem faciant de sua vivendi ratione, minutatim examinatur a tribus vel quatuor Patribus, et de vita ante acta, et causis cur velit Societati adnumerari, tum de dotibus et ingenio, et de animi praeparatione ad religiosam vitam servandam, cuius omnia illa potissimum aperiuntur, quae difficiliora possint reperiri.

Deinde hi Patres referunt ad Provincialem de omnibus singillatim quae compererint, suam sententiam subiicientes, sive haec faveat, sive adversetur. Provincialis, si ibidem est, candidatum et ipse ad examen revocat, et, si illum recipit, in Tirocinii Domum mittit, primae Probationis causa; in qua Magister Novitiorum, utcumque res se habeant, ab eo examinando observandoque non desistit per decem vel duodecim dies, atque etiam, si opus sit, usque ad vicesimum diem ante quam hic Tironum vestem induat, atque ad communem cum eis vitam admittatur.

Hoc primae Probationis tempore, Examen Generale, quod opus est S. Ignatii, singula presse attingens, ac potissimum ostendens quantum virtutis ab eo requiratur, qui stipendia mereri velit in Societate, candidato datur considerandum; atque in iis omnibus examinatur, et omnia etiam melius illi explicantur; ubi vero contentus omnibus rebus sit, tandem, exarato scripto quo ipsemet declaret se omnia perpendisse, et contentum esse atque ingressum optare, admittitur.

Hoc examen singulis deinde senis mensibus repetitur, ac toties eodem modo Novitius suam voluntatem scripto iterum testatur.

Tandem, non ante elapsum integrum biennium, nec nisi cum, diversis omnibus factis periculis, sese probaverit, admittitur ad vota simplicia Societatis

PIO IX Pont. Max. *a' voti semplici della Compagnia, dietro il voto del Maestro de' novizii ed altri Padri che nel noviziato lo assistono,* approbante Provinciali.

Per la professione poi, che non si fa che dopo 10 anni da quei che entrarono dopo fatti tutti gli studii, e dopo 17 anni di vita religiosa dalla maggior parte di quei che sono entrati giovani; oltre ad essere sempre osservati per tutto questo tempo nelle varie comunità in cui vissero e ne' ministerii che esercitarono;

1.° Si domandano informazioni minute sulla di lui condotta e virtù, da quattro informatori, senza contare i suffragii di quattro esaminatori giurati sopra la sua abilità negli studii:

2.° Queste informazioni vengono discusse dal Provinciale ed i suoi quattro Consultori, i quali tutti, ciascuno da sè separatamente, mandano i lor voti, insieme con le dette quattro informazioni al Generale:

3.° Il Generale esamina e queste informazioni ed i voti del Provinciale, e de' Consultori con i suoi quattro Assistenti.

Ed è dietro a tutto questo, che il Generale o decreta la professione, se il soggetto ne è giudicato meritevole, o la differisce; ed in questo caso il soggetto viene in scriptis *avvisato di quanto da lui ancora si desidera; avviso de' difetti, che anche prima è solito darsi in iscritto, specialmente nell'anno di terza probazione, che è un secondo Noviziato da farsi dopo gli studii finiti, da quei che li han dovuti fare nella Compagnia.* **28 Ian. 1850**

Si supplica alla Santità di N. S. che possa la Compagnia, eseguendo fedelmente ed esattamente quanto qui viene esposto, continuare senza ansietà in questo suo metodo, assicurandosi così il fine del decreto della Sacra Congregazione Super Statu Regularium, *senza essere costretta a nuove formalità estranee al suo Istituto.*

Portici, die 28 Ianuarii 1850.
Attentis peculiaribus circumstantiis, benigne annuimus pro gratia.

PIUS PP. IX.

---

nuncupanda, suffragio Magistri Novitiorum et aliorum Patrum, quos hic adiutores et administros habet in Tirocinii Domo, approbante Provinciali.

Quod vero ad Professionem, quae non fit nisi post annos decem ab iis qui ingressi sunt emenso iam studiorum omnium curriculo, et post annos septem et decem vitae religiosae a plerisque eorum, qui iuniores sunt ingressi: praeter quam quod observantur per id omne tempus in variis Domibus ubi morantur, atque in ministeriis quae obeunt:

1.° Minutae notitiae de cuiusque agendi ratione ac virtute a quatuor ad hoc delectis Patribus exquiruntur, praeter suffragia sacramento firmata quatuor examinatorum de eius scientia in studiis.

2.° Hae notitiae perpenduntur a Provinciali et a quatuor Patribus qui ei sunt a consiliis; qui omnes, per se singuli, separatim, una cum acceptis notitiis, suam sententiam ad Generalem referunt.

3.° Generalis et quae primi quatuor retulerunt, et quae Provincialis eiusque Consultores iudicarunt, una cum suis quatuor Assistentibus ad examen revocat;

Quibus omnibus peractis, Generalis decernit vel Professionem illi concedendam qui dignus habitus fuerit, vel eam differendam; et tunc ille in scriptis monetur de iis, quae ab ipso desiderentur; quae quidem monita etiam antea denuntiari solent scripto, praesertim anno Tertiae Probationis, quae alterum est Tirocinium post absoluta studia ab iis peragendum, qui illis in ipsa Societate operam dederunt.

A Sanctitate D. N. suppliciter petitur, ut Societas, ea quae superius sunt exposita, rite et sancte servans, secura pergere possit in hac sua agendi ratione; qua in tuto est finis decreti Sacrae Congregationis Super Statu Regularium, quin ad novas normas a suo Instituto alienas adigatur.

PII IX

INDULGENTIAE SODALITATUM MISSIONIS IN HELVETIA

AD ALIAS REGIONES EXTENDUNTUR.

PIUS PAPA IX
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

PII IX

1 Mart. 1850

Romani pontifices, de universi dominici gregis salute sibi divinitus commissa vehementer solliciti, pias illas fidelium Societates omni benevolentia ac studio prosequendas, et coelestibus quoque Ecclesiae thesauris ditandas existimarunt, quae ad virtutem, honestatem, religionem fovendam, ad iuventutem caste integreque instituendam, atque ad animarum bonum procurandum potissimum spectant. Itaque rec. mem. Gregorius XVI, praedecessor Noster, similibus apostolicis litteris die trigesimo Maii anno MDCCCXLIII datis, quae incipiunt Nuper perlatum est Nobis, nonnullas spirituales gratias perlibenter concessit piae utriusque sexus Christi fidelium Associationi in Helvetia institutae, quae, Missionis nomine appellata, plurimis christianae religionis ac pietatis operibus exercendis, ac iuventuti castis bonisque moribus imbuendae et ad omnem virtutem fingendae operam navare summopere studet.

Gratiae a Gregorio XVI Associationi Missionis in Helvetia concessae,

Cum autem, Deo bene iuvante, ex huiusmodi Associatione uberes ac laeti in iuvenes praesertim ac puellas fructus redundarint, dilectus filius Ioannes Roothaan, Societatis Iesu Praepositus Generalis, suppliciter a Nobis efflagitavit, ut spirituales gratias, a fel. rec. decessore Nostro commemoratis apostolicis litteris pro Helvetia concessas, ad alias quoque regiones et provincias benigne extendere velimus, ubi evangelici eiusdem Societatis operarii eamdem Associationem, occasione sacrarum missionum, cum Ordinariorum cuiusque regionis auctoritate constituendam existimaverint.

petente Ioanne Roothaan, Societatis Iesu Praeposito Generali,

Nos igitur, qui in hac praesertim tanta temporum iniquitate nihil aliud tam vehementer optamus, quam ut omnium hominum, ac teneri potissimum adolescentium et adolescentularum animi mentesque sanctissimis divinae nostrae religionis praeceptionibus sedulo erudiantur, ac modis omnibus a pestiferis et undique serpentibus insidiantium hominum erroribus et fraudibus amoveantur, atque excitentur ad alacriter constanterque ambulandum per semitas Domini, quique noscimus quanto studio et zelo eiusdem Societatis Alumni, inter tot etiam acerbissimos casus ac tristissima rerum discrimina, nullis neque curis neque consiliis neque laboribus parcentes, in maiorem Dei eiusque Sanctae Ecclesiae gloriam promovendam, in sempiternam hominum salutem procurandam, atque in iuventutem pietate, rebusque optimis, ac salutaribus doctrinis enutriendam atque excolendam incumbant, pien-

ad vitam christianam ubique fovendam,

PII IX — 1 Mart. 1850

tissimis supremi ipsius Societatis Moderatoris desideriis quam libentissime annuendum esse censuimus.

extenduntur ad regiones in quibus Missionarii Societatis Iesu hanc Associationem stabilire curant.

Quamobrem omnes et singulas spirituales gratias a fel. rec. Gregorio XVI, decessore Nostro, piae Associationi Missionis pro Helvetia tributas, atque in memoratis apostolicis litteris expressas, hisce litteris auctoritate Nostra apostolica perpetuum in modum extendimus ad omnes Galliae, Germaniae et Italiae provincias atque regiones, in quibus Societatis Iesu Alumni occasione sacrarum missionum piam eiusmodi Associationem, cum proprii cuiusque regionis Ordinarii auctoritate, statuendam existimaverint, ita ut omnes utriusque sexus Christi fideles in Galliae, Germaniae et Italiae regionibus degentes, qui in posterum eidem piae Associationi Missionis rite fuerint adscripti, atque illius opera exercuerint, lucrari et consequi possint omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes, eodem prorsus modo et forma quae in enuntiatis praedecessoris Nostri litteris exprimitur. Quas omnes indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes animabus quoque Christi fidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse concedimus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae ecclesiastica dignitate insignitae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae et ostensae.

Datum Neapoli, in suburbano Portici, sub annulo Piscatoris, die primo Martii anno Domini MDCCCL, Pontificatus Nostri anno quarto.

I. Card. Antonelli,
de speciali mandato Sanctissimi.

FACULTAS RECITANDI SYMBOLUM NICAENUM

IN MISSIS SANCTORUM SOCIETATIS.

22 Nov. 1850

Societatis Iesu.

PIO IX Pont. Max.

Pene ab immemorabili ea fuit constans consuetudo apud Societatis Iesu Alumnos, ut in festis Sanctorum Societatis ipsius, quae celebrantur ritu duplici secundae classis et octava, adderetur Nicaenum symbolum per integram octavam in Missa. Sed quum ex decretis cautum sit, ut additio isthaec locum habere valeat solum quoad Regularium Ordinum Institutores, vel eos qui sunt vel Titulares ecclesiarum vel Patroni, propterea Sanctissimum Dominum nostrum Pium Papam IX humillime rogavit R. P. Ioseph Aloisius Chierighini, recensitae Societatis Generalis Procurator, quatenus, hoc non obstante, in ecclesiis ad Societatem spectantibus, praedictis in festis perseverari possit in adducta consuetudine addendi symbolum sin-

PIO IX Pont. Max.

gulis in Missis SS. Francisci de Hieronymo, Ioannis Francisci Regis, Aloisii Gonzaga, Francisci Borgia, Stanislai Kostka ac Francisci Xaverii, praeter S. Ignatium Institutorem, cui de iure proprium est, tam in festis quam per octavas.

Sanctitas Sua, referente me subscripto Secretario, attentis expositis, de speciali gratia benigne annuit iuxta preces. Contrariis non obstantibus quibuscumque. 22 Nov. 1850

Die 22 Novembris 1850.

A. Card. Lambruschini S. R. C. Praef.
I. F. Fatati S. R. C. Secr.

FACULTAS COMMUTANDI OBLIGATIONES INDULGENTIAE

QUAE DICITUR SABBATINA.

PIO IX Pont. Max.

Beatissime Pater,

Anno 1842 D. Ludovicus de Sambucy, Canonicus Parisiensis, Sacrae Congregationi Indulgentiarum hoc dubium exposuit: " An Sacerdos qui obtinet facultatem benedicendi ac imponendi scapularia habeat eo ipso facultatem commutandi obligationes commutabiles fratrum quando opus est, sc. cum recursus ad alterum sit impossibilis, ut hoc commodo fideles non priventur. " Cui responsum est: Negative; vigore enim obtentae facultatis benedicendi ac imponendi scapularia, non sequitur quod Sacerdos ea quoque gaudeat potestate commutandi obligationes iniunctas, nisi expresse enuntietur in rescripto concessionis.

Porro, cum saepissime fideles aliqua commutatione indigeant, sive pro ieiuniis sive pro recitatione officii sive pro abstinentiis praescriptis, ad indulgentiam lucrandam quae dicitur Sabbatina, et deficiant Confessarii qui privilegio gaudeant has obligationes commutandi, Praepositus Generalis Societatis IESU, *ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus, supplex rogat Beatitudinem Vestram ut facultatem commutandi, de qua in precibus, benigne largiri dignetur Sacerdotibus eiusdem Societatis, in locis ubi conventus Ordinis RR. PP. Carmelitarum non habentur.* 19 Ian. 1851

Romae, die 19 Ianuarii 1851.

Facultatem facimus Superiori Generali Societatis IESU designandi Sacerdotes, qui possint commutare obligationes, ut supra, et iuxta preces.

PIUS PP. IX.

AUXILIARES IN COLLEGIIS SOCIETATIS

UTI POSSUNT NOSTRORUM KALENDARIO.

PIO IX Pont. Max.

19 Ian. 1851

Beatissime Pater,

Ioannes Roothaan, Praepositus Generalis Societatis IESU, *ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus, exponit quod in Collegiis, praesertim vero in Convictibus, curae Patrum eiusdem Societatis commissis, non raro auxiliares adsciscantur Sacerdotes aut Clerici in sacris ordinibus constituti, quorum plures eodem uti breviario ac dicti Patres exoptant, quam diu in dictis Collegiis aut Convictibus remanebunt, tum devotionis gratia, tum etiam ut, qui Sacerdotes sunt, Missam officio congruentem quotidie legere valeant. Quare Orator demississime supplicat Sanctitati Vestrae, ut benigne largiri dignetur praefatis Sacerdotibus aut Clericis facultatem qua indigent ad id praestandum quod in precibus.*

Et DEUS *etc.*

Romae, die 19 Ianuarii 1851.
Pro gratia, durante munere.

PIUS PP. IX.

FACULTAS DANDI BENEDICTIONEM APOSTOLICAM

IN FINE MISSIONIS, VEL ALIUM AD ID DELEGANDI.

INDULGENTIA CENTUM DIERUM

ORANTIBUS ANTE CRUCEM IN MISSIONE ERECTAM.

PIO IX Pont. Max.

4 Mai. 1851

* *Beatissimo Padre,*

Il Preposito Generale della Compagnia di GESÙ, *prostrato ai piedi della Santità Vostra, atteso il notabile sviluppo che riprendono le sacre missioni in varie parti d'Europa e fuori d' Europa con gran frutto delle anime, supplica Vostra Beatudine: 1.° Che possa darsi in fine delle missioni la benedizione, che suol dirsi* Papale, *cioè una benedizione come mandata a quei fedeli dal Sommo Pontefice; grazia che anticamente era conceduta alla Compagnia e della quale oggi pure godono altri Missionarii.*

2.° Che in quei paesi, ove è l' uso

---

* Beatissime Pater,

Praepositus Generalis Societatis Iesu ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, cum videat sacras missiones, tum in variis Europae regionibus tum etiam extra Europam, magno cum fructu animarum magis ac magis in dies florere, Beatitudinem Tuam supplex precatur: 1.° ut possit in fine missionum benedictio impertiri, quae Papalis nuncupari solet, benedictio scilicet ad eos Christi fideles veluti a Pontifice missa; quae potestas iam olim fuit Societati, et nunc est etiam aliis Missionariis concessa; 2.° ut in iis regionibus, ubi mos est crucem erigi in missionis memoriam, Christi fideles eam invisentes atque ante eam orantes indulgentiam centum dierum lucrari possint. Et de gratia etc.

PIO IX Pont. Max. — 4 Mai. 1851

di piantare una croce in memoria della missione, i fedeli, visitando poi tal croce e pregando avanti della medesima, possano lucrare una indulgenza di cento giorni.

Che della grazia etc.

Romae, die 19 Ian. 1851.

Benigne annuimus pro gratia, et benedictio ut supra detur cum imagine Domini nostri Iesu Christi.

PIUS PP. IX.

---

* *Beatissimo Padre,*

Siccome in alcuni luoghi la suscettibilità del Clero secolare consiglia ai Padri Missionarii di cedere al digniore del Clero presente alla missione il primo posto nelle funzioni di qualche solennità; così sembrerebbe opportuno, che la facoltà di dare l'ultima benedizione così detta Papale, *si potesse pure delegare in simile caso. Se piacesse alla Santità Vostra di concederlo.*

Romae, die, 4 Maii 1851.

Annuimus pro gratia.

PIUS PP. IX.

FACULTAS MISSAM DE REQUIE RECITANDI

PRAESENTE CADAVERE, RITUQUE DUPLICI OCCURRENTE.

9 Mai. 1851

PIO IX Pont. Max.

Societatis Iesu.

Dum, praesente cadavere alterius ex Alumnis defunctis e Societate Iesu, exsequiae explentur in ecclesiis eiusdem, Missa quae cum communitatis assistentia a Constitutionibus iniungitur, de Requie absque cantu celebrari nequit plerumque, quia ritus duplicis officium occurrit. Cui quidem incommodo pro viribus occurrere exoptans, R. P. Ioannes Roothaan, memoratae Societatis Generalis Praepositus, SSmum Dominum nostrum Pium Papam IX rogavit enixe, ut huiusmodi in occurrentia, exceptis diebus solemnioribus, in ecclesiis suae Societatis, praesente cadavere, ut supra, Missa absque cantu esse valeat de Requie.

Sanctitatis Sua, referente me subscripto Secretario, attentis expositis, de speciali gratia benigne annuit iuxta preces: attamen in huiusmodi Missae lectae celebratione servata lege, quae in parochialibus locum habet quoad Missam solemnem cum cantu, corpore praesente. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 9 mense Maio 1851.

A. Card. Lambruschini S. R. C. Praef.

I. G. Fatati S. R. C. Secr.

---

* Beatissime Pater,

Cum quibusdam in locis Cleri saecularis facilis ad offensionem animus suadeat Patribus Missionariis ut primas deferant digniori eorum e Clero, qui missioni intersunt in solemnibus functionibus; opportunum videtur ut etiam potestas impertiendi benedictionem, quae Papalis dicitur, tunc possit delegari. Si id Sanctitas Tua concedendum ducat etc.

PII IX

BEATIFICATIO SERVI DEI IOANNIS DE BRITTO

MARTYRIS E SOCIETATE IESU

EIUSQUE OFFICII ET MISSAE CERTIS IN LOCIS CONCESSIO.

18 Mai. 1852

PIUS PAPA IX
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

PII IX

Martyrum testimonio confirmatur christiana fides.

Cum primis ecclesiae temporibus, infinito pene numero exstiterint, qui testimonium Iesu Christo virtute magna redderent, et animo parato ac lubenti contumelias, supplicia mortemque ipsam pro Nomine eius paterentur; tum etiam per consequentia tempora non defuere, qui hoc idem testimonium christianae fidei alacriter exhiberent. Et certe sapientissimo Dei consilio factum est ut religio, quae Martyrum rigata sanguine vel ab initio crevit, eodem sanguine per varias aetates confirmaretur, nec non Christi fideles veluti in exemplari intuerentur expressum id quod ipsos ad fidei constantiam excitaret. Ita enim homines discunt Christum adhuc in Sanctis suis pugnare et vincere, ac fore coronandum neminem, nisi qui legitime ad mortem usque certaverit.

Ioannes de Britto, S. Francisci Xaverii ope sanatus,

In hunc sane heroum numerum merito accensendus est Ven. Servus Dei Ioannes de Britto, Sacerdos Professus Societatis Iesu, qui labente saeculo xvii sacram expeditionem quam suscepit, suo sanguine illustravit. Ille Ulyssipone anno mdcxlvii claro genere natus, ac regios inter Lusitaniae ephebos adlectus, bona institutione non minus quam suopte ingenio ad vitae integritatem non vulgarem formabatur. Duodennis e gravissimo morbo S. Francisci Xaverii ope recreatus, iam tum intellexit, se idcirco ab coelesti hoc patrono servatum esse, ut charismata meliora aemularetur, scilicet exemplum Xaverii ipsius, qui aeternae Indorum saluti operam suam plane devovit.

Societati Iesu se addicit.

Anno aetatis quinto decimo, perfectionis desiderio, ex aulae splendore et domus perillustris commodis ad religiosae vitae asperitates se convertit, ac S. Ignatii de Loyola Institutum secutus est; ubi, Tirocinio vix posito, omnibus exemplo praelucere coepit, ad studia praesertim sacra vigilantius eniti, fidei propagandae zelo medullitus exardescere; quare, Sacerdotio vix suscepto, de Moderatorum licentia in Malabariam transmisit, provinciam Europaeis longe molestissimam, ut ibi se ad Madurensem expeditionem compararet. Nec ita multo post eo perrexit, maximo cum fructu illorum populorum; etenim, ut erat apostolico spiritu plenus, arduis rebus minime terrebatur; gravia et molesta devorabat; ac frigoris, aestus, inediae et laboris patientissimus, nihil praetermittebat, modo experiretur si quam opem ei genti afferre posset. Et attulit profecto, cum, tredecim continenter annos ibi versatus, multa hominum millia

In Madurensi missione multa hominum millia ad fidem convertit.

Christo lucrifecit. Id ferre non potuit humani generis hostis, e cuius potestate sectatores adeo multi eripiebantur; quamobrem Maravarum regulum excitat, qui Evangelii nuntium, patriae religionis violatae reum, in vincula coniiceret, praeterea graviter cruciatum e regni finibus pelleret. In Europam remeare coactus, fixum tamen animum ibi, unde abscesserat, retinuit Ioannes; quippe divino lumine instinctus praesentiebat alia atque alia trophaea se eo loci afferre debere, ac denique proprio sanguine terram illam fecundare; immo vel absens huius expeditionis commoda, qua potuit, curavit, utque primum aditus patuit, ad Madurenses suos advolavit, coactus illa qua aestuabat divina charitate. Ibi ad sarcienda inimici hominis damna, qui forte zizania in medio tritici superseminaverat, sedulus incubuit, intermissamque ex necessitate operam compensare satagens, omnia tentabat, nil incommodi aut laboris recusabat, ut gens illa quantocius, si fieri posset, suave Christi iugum, excussa daemonum tyrannide, subiret. Haec satis evincebant apostolicam hominis charitatem, qua Dei ac Salvatoris nostri gloriam quaerebat, et proximis quod aeternum est parare studebat; atqui ea laus cum caeteris virtutibus ad exemplum omnium in illo coniungebatur.

Fide, spe, sui abnegatione, castitate insignis,

Fides eius maxima erat, illamque in agendo uti normam unice sequebatur. Deum continenter precari, Virginem Deiparam veluti filius amantissimus colere, eiusque cultum longe ac late promovere in deliciis habuit. Spes autem tanta fuit, ut ea scilicet fretus rem quamlibet vel perarduam et difficillimam susciperet. Cum caeteris mitis et misericors, in se unum durus atque asper visus est; et quasi gravissima ministerii incommoda et labores satis ipsum non coercerent, voluntarias afflictationes adhibebat, numquam laetior quam tum cum sole ureretur, glacie rigeret, inedia languesceret, et denique ulcere, quod laboribus conceperat, prostratus iaceret. Eum Dei dona corrumpere existimabat, qui ab suo vitae instituto vel minimis in rebus discederet; et adeo Societatis, cui se addixit, regulas omnes religiosissime coluit, ut nec tantillum ex iis umquam discesserit. Castitatis porro ita studiosus fuit, ut ea de causa in fidem B. Virginis se contulerit, et sic omnia sua ad mortem usque composuit, ut coelestem in terris vitam agere videretur. Quamobrem insignis eius fama erat, atque in omnium ore ac sermone versata, eumdemque adhuc vivum coelestia signa comitabantur. Una res famulo Dei ad cumulum dignitatis et gloriae deerat, martyrii palma, quam ipse studio inflammato appetebat. Sed enim hoc etiam ex votis cessit, quandoquidem, dum sui oblitus pergeret fidelium bono consulere, subiit iterum invidiam tyranni, qui Ioannem comprehendi iubet, ac blanditiis primum frustra tentatum, denique capite damnat. Optata ille sententia laetissimus, obtruncandum se tortoribus dedit, et ita Christi Evangelium in Malabaria proprio sanguine obsignavit.

martyrio in Malabaria fidem obsignat.

Haec tanta fortitudo et simul coelestia prodigia, quae illo dum adhuc viveret intercessore contigerant, satis demonstrabant, Ioannem, uti socius passionum Christi fuerat in terris, ita esse et consolationis in coelo. Quamobrem, Servi Dei fama vulgata, Meliapurensis Ordinarius et viciniorum locorum Episcopi, Goanus imprimis et

Quaestione de ritibus malabaricis, de martyrio et miraculis rite discussa.

 Coccinensis, idoneorum testium fide interposita, de huiusmodi signis seu prodigiis acta conficere, et ad hanc Sanctam Sedem transmittere matura-runt. Post haec fel. mem. praedecessor Noster Papa Clemens XII, iam inde ab anno MDCCXXXVIII, de hac re tota quaeri constituit, et kal. Iuliis eiusdem anni S. R. E. Cardinalibus Sacri Consilii legitimis Ritibus cognoscendis investigandum dedit: An constaret de causa martyrii in casu et ad effectum. Haec inter alia quaestione suborta: An obstarent ritus obiecti, videlicet Malabarici, quominus procedi posset ad ulteriora et ad effectum de quo agebatur, Benedictus Papa XIV, praedecessor item Noster, de consilio Cardinalium eiusdem Congregationis, sub die sexto nonas Iulii anni MDCCXLI declaravit obiectos ritus non fuisse uti penes Gentiles adhibitos in signum protestativum, sed mere fuisse actus vitae civilis, et ideo decrevit non obstare quominus ad ulteriora procederetur: Tunc rediit prima quaestio de martyrio et causa martyrii, nec non de signis seu prodigiis, quae illo deprecatore facta esse dicebantur; eaque dilata primum ob varias circumstantias, tum postea discussa maturo examine est, et praefatae Congregationis Consultorum suffragiis atque Cardinalium sententiis unanimiter probata. Quare Nos anno MDCCCLI, die sacro Principi militiae coelestis, pronuntiavimus: Constare de martyrio et causa martyrii praedicti Ven. Servi DEI Ioannis de Britto, multis signis a DEO illustratis et confirmatis, ac propterea in hac causa procedi posse ad ulteriora, quin deveniatur ad discussionem aliorum miraculorum, praeter signa proposita et examinata. Nihil aliud supererat, nisi ut de more interrogaretur Sacrum Consilium legitimis Ritibus cognoscendis, utrum censeret ipsum tuto Beatorum albo adscribi posse. Id peregimus sexto kal. Februarii vertentis anni, eo coetu coram Nobis habito; qui unanimi consensione censuit posse, cum Nobis visum esset, commemoratum DEI Servum Beatum declarari cum omnibus indultis, donec solemnis eius canonizatio fieret.

Assentiente Sacra Congregatione Rituum, Beatus declaratur et culto publico honoratur.

Quapropter Nos, coelesti lumine implorato, etiam ut fideles in hac temporum difficultate novum habeant christianae fortitudinis exemplum, de memoratae Congregationis Cardinalium consilio et assensu, ad preces universae Societatis IESU, auctoritate apostolica, tenore praesentium facultatem facimus, ut idem DEI Servus Ioannes de Britto, Sacerdos Professus Societatis IESU, qui animam suam pro Christi nomine posuit, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque corpus et sacra lipsana seu reliquiae (non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae) publicae fidelium venerationi proponantur. Praeterea eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de eo recitetur quotannis officium et Missa de communi unius Martyris, cum orationibus propriis a Nobis approbatis, iuxta Missalis et Breviarii romani rubricas. Eius vero officii recitationem fieri concedimus dumtaxat in dioecesi Lisbonensi, intra fines vicariatus apostolici Madurensis, itemque per omnia templa Societatis IESU, ubicumque ea constituta sit, tertio idus Februarias, die octavo ab anniversaria pretiosae eius mortis memoria, ab omnibus Christi fidelibus tam saecularibus quam Regularibus qui horas canonicas persolvere teneantur, et, quod ad Missas, etiam ab

PII IX — 18 Mai. 1852

omnibus Sacerdotibus qui ad ecclesias, in quibus dictum festum peragitur, celebrent. Denique concedimus pariter ut, anno primo ab hisce litteris datis, solemnia beatificationis Servi Dei Ioannis de Britto in templis dioeceseos, vicariatus apostolici et Societatis, de quibus habita mentio est, celebrentur cum officio et Missis ritus duplicis maioris; hoc autem fieri volumus die ab Ordinariis sacris Praesidibus indicendo, et posteaquam ea solemnia in basilica Vaticana peracta fuerint.

Clausulae.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et decretis de non cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii praedictae Congregationis subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce litteris ostensis, haberetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimo octavo mensis Maii MDCCCLII, Pontificatus Nostri anno sexto.

A. Card. Lambruschini.

PII IX

BEATIFICATIO SERVI DEI ANDREAE BOBOLAE

MARTYRIS E SOCIETATE IESU

EIUSQUE OFFICII ET MISSAE CERTIS IN LOCIS CONCESSIO.

PIUS PAPA IX
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

PII IX — 5 Iul. 1853

Suum ministerium martyrio adornant sacri praecones.

Quae duo ad sacrum ministerium in primis pertinent, videlicet christianae fidei veritatem asserere, et bene vivendi normam aliis tradere, ea in martyrio peculiari quadam ratione commendata esse videntur. Nemo enim firmius veritatem, quam diximus, testatur, quam qui suo eam sanguine obsignat; et alii optime ad bene vivendum informantur, cum illos exemplo doceamus pro religione ac virtute ad sanguinem usque esse resistendum. Ita in ipsis Ecclesiae exordiis primi illi Evangelii praecones ministerium suum adornarunt; ita postea quotquot Sacerdotes gloriose pro suo munere vi impiorum occubuerunt.

Andreas Bobola Polonus,

Id autem ipsum saeculo XVII intra ipsos Europae fines omnium oculis obiectum est, cum Ven. Andreas Bobola, Sacerdos Professus Societatis Iesu, vitam praeclare actam, et animarum saluti plane deditam, martyrio conclusit. Natus ille in provincia Palatinatus Sandomiriensis in Polonia, gentem suam domi bellique illustrem, proprio merito illustriorem fecit. Iam inde a pueritia ingenio bono atque optimo egregiam sui spem excitavit; adolescens autem aetatem

PII IX **5 Iul. 1853**

virtute superabat sic, ut ii, quorum disciplinae traditus fuerat, ipsum aequalibus tamquam exemplar proponerent; non enim aut splendidae domus commoda, aut honores, quos polliceri sibi iure poterat, aut denique voluptates, ab DEI amore ac studio sanctimoniae egregium iuvenem vel paulum retardarunt. Immo intelligens, experientia duce, se, quam diu in saeculo viveret, in turbido ac pleno tempestatum pelago iactari; in portum salutis mature idcirco appellere festinavit, atque adeo, annos natus novem ac decem, Vilnae Societati IESU nomen dare voluit, in qua, e rerum humanarum cura et mundi illecebris remotus, in virtute unice conquiesceret. Tum statim sanctioris vitae fundamenta posuit, et nihil aliud sequi visus est, nisi quod animum suum perficeret, ac proprius ad DEUM adduceret. Quod studium in posterum numquam remisit, immo auxit in dies magis; et una, ab disciplinis praesertim sacris, doctrinam solidam sibi parandam curavit. Haec inter, de Moderatorum voluntate, suscepit munus plenum negotii ac laboris, sed amplissimi fructus, institutionem nimirum adolescentum in litteris, et puerorum in christianae fidei rudimentis; quod illi viam stravit ad aliud longe amplius, unde et aliis aeterna salus et ipsi palma honestissima provenire debebat. Sacerdos factus, ex ea dignitate novos spiritus novasque vires sumpsit ad lucem gentibus affundendam, quod unice concupierat, et ad quod consilio divino vocabatur. Haec Vilnae primum, tum Brobroyskii exercuit, eo ardore ac vigilantia, quam nec labores prope innumeri, nec temporum adversitas, nec hostium minae, nec denique morbus pestilens, qui tres continenter annos per ea loca grassatus est, imminuerent; ita omnes vel in christiana perfectione obfirmabat, vel ad religionem virtutemque reducebat, sic ut venator animarum vulgari nomine vocaretur. Tristis hinc et plena aerumnarum calamitas eas regiones tunc temporis devexavit; populi enim, non modo a vera religione, sed etiam ab animi humanitate remoti, Poloniam invaserunt, iidemque, odio in fidem catholicam acerrimo, Sacerdotes praecipue vexabant, diripiebant, et comprehensos servituti subiiciebant, vel ad mortem rapiebant. Andreas, qui tunc temporis in Lithuania sacris missionibus munus suum vigilantissime obibat, non quidem timorem, sed contra laetitiam singularem ex iis concepit animo; quippe oblatam occasionem videbat proprio sanguine rei catholicae testimonium dandi. Multis iam diu virtutibus ille se ad hanc victoriam comparaverat: studio fidei et in se augendae, et in aliis asserendae ac propagandae; charitate maxima, qua, Christum imitatus, animam ponere pro eius ovibus desiderabat; spe firmissima aeternae gloriae per martyrium habendae; precatione assidua, qua in DEO defixus, numquam inde mentem avocabat; insigni morum candore, et demisso admodum de se rebusque suis sensu; quae omnia pietate maxima erga Virginem Deiparam fovebat atque augebat in dies magis. Nec diu certamen, quod optabat, remoratum est; hostes enim, quibus invisa illius in sacro ministerio alacritas, nec non fructus maximi ex eo capti, postridie nonas Maii, anno MDCLVII, prope Ianoviam, virum DEI comprehenderunt. Non quidem una aut altera poena in illum

Vilnae Societatem IESU ingressus,

primum iuventuti scholarum,

dein sacro ministerio dedit operam.

Virtutibus conspicuus,

prope Ianoviam dirum cruciatum et necem passus est, anno 1657.

PII IX

5 Iul. 1853

abhibetur, sed plane innumerae atque acerbissimae: expediuntur flagella, acuuntur enses, faces ad incendendum parantur; quae cum omnia fortiter tolerasset, fidem catholicam constantissime confitens et veniam tortoribus precatus, vulnera vulneribus toto corpore adduntur, eademque nova barbarie exasperantur, tum, vena resecata, semivivus media via proiicitur, ut ibi longa morte moreretur; atque ita sane contigisset, nisi carnificum quidam ensis ictu mortem ipsi attulisset.

Causa martyrii

Haec longe ac late vulgata, non in Polonia solum, sed et alibi famam maximam de illo excitavere; quam ob rem Apostolica Sedes rem totam cognoscendam dedit S. R. E. Cardinalibus Sacrorum Rituum Iudicibus, ac fel. rec. Papa Benedictus XIV, praedecessor Noster, quinto idus Februarii anni MDCCLV decretum edidit, quo declaravit martyrium et causam martyrii Ven. Andreae Bobolae ita probari, ut procedi posset ad ulteriora, nempe ad discussionem et approbationem quatuor miraculorum, iuxta formam decreti generalis diei vigesimi quinti Aprilis anni MDCCXLI. Id porro confectum est et ab sanctae mem. Papa Gregorio XVI, praedecessore item Nostro, qui, de sententia Consultorum et Cardinalium dictae Congregationis Sacrorum Rituum, octavo kal. Februarii anni MDCCCXXXV solemniter edixit constare de uno miraculo, scilicet de incorruptione, miro cum odore, corporis Ven. Servi DEI; ac demum a Nobis, qui, deputato peculiari consilio Cardinalium eiusdem Congregationis, et auditis suffragatorum sententiis, nec non divino lumine cum prece exorato, anno currente, in festivitate Ascensionis Domini Nostri IESU Christi pronuntiavimus constare de tribus miraculis a DEO patratis, intercessore Ven. Andrea Bobola. Supererat ut de more Cardinales memoratae Congregationis interrogarentur, num censerent tuto eum Beatorum ordini accenseri posse; iique in generali coetu habito coram Nobis pridie kal. Iunii huius anni unanimiter assenserunt. Nihilominus aliquod temporis spatium precationi tribuere voluimus, ut in re adeo gravi suo Nos DEUS lumine collustraret. Quod cum impense fecerimus, tandem, die sacro Nativitati Praecursoris Domini, in basilica Nostra Lateranensi solemniter pronuntiavimus tuto procedi posse ad solemnem Ven. Andreae Bobolae beatificationem.

et miraculis quatuor ad examen revocatis,

assentiente Congregatione Sacrorum Rituum,

Quapropter nunc Nos, ut in tanta temporum difficultate atque hostium multitudine novum habeant Christi fideles exemplum, quo fortes ad certamen efficiantur, ad preces totius Societatis IESU, de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum, auctoritate apostolica, per hasce litteras facultatem facimus, ut idem DEI Servus Andreas Bobola, Sacerdos Professus Societatis IESU, qui pro catholica fide animarumque salute martyrium fecit, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque corpus et sacra lipsana seu reliquiae (non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae) publicae fidelium venerationi proponantur. Praeterea eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de eo recitetur quotannis officium et Missa de communi unius Martyris, cum orationibus propriis a Nobis approbatis, iuxta Missalis et Breviarii romani rubricas. Eiusdem vero officii recitationem fieri concedimus dumtaxat in dioecesi Luceoriensi et

Beatis adscribitur, cultu publico honorandus.

PII IX

per omnes Domos seu templa Societatis Iesu, undecimo kal. Iunias, die octavo ab anniversaria gloriosae huius mortis memoria, ab omnibus Christi fidelibus tam saecularibus quam Regularibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et, quod ad Missas, etiam a Sacerdotibus qui celebrant ad ecclesias in quibus hoc festum peragitur. Denique concedimus etiam, ut, anno primo ab hisce litteris datis, solemnia beatificationis Servi Dei Andreae Bobolae in ecclesiis dioecesis et Societatis praefatarum celebrentur, cum officio et Missis ritus duplicis maioris; quod fieri volumus die ab Ordinariis sacris Praesidibus indicendo, et postquam eadem solemnia in basilica Nostra Vaticana peracta fuerint.

5 Iul. 1853

Clausulae.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non decretis de non cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, modo manu Secretarii dictae Congregationis subscripta, et Praefecti sigillo munita sint, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce litteris ostensis, haberetur.

Datum Romae, apud S. Mariam maiorem, sub annulo Piscatoris, die quinto Iulii MDCCCLIII, Pontificatus Nostri anno octavo.

A. Card. Lambruschini.

B. MARIAE ANNAE A IESU DE PAREDES

OFFICIUM ET MISSA SUB RITU DUPLICI AD UNIVERSAM SOCIETATEM EXTENDITUR.

Societatis Iesu.

PIO IX Pont. Max.

Inter Alumnos Societatis Iesu speciale viget pietatis studium erga Venerabilem Servam Dei Mariam Annam a Iesu de Paredes, quamprimum sublimibus Beatorum honoribus iam decretis honorandam, ex eo potissimum, quia Patres Societatis Iesu, non modo eius spiritum probarunt, verum etiam adlaborarunt ut causa illius ad exoptatam beatificationem perveniret. Hinc Revmus P. Petrus Beckx, Praepositus Generalis, sui muneris esse duxit SSmum Dnm Nrm Pium IX, Pontificem Maximum humillimis adire precibus, enixeque rogare, ut huius novae Beatae officium cum Missa de communi, additis orationibus et lectionibus secundi nocturni adprobatis, extendere dignaretur ad integram Societatem suam sub ritu duplici, persolvendum die 2 Iunii. Sanctitas Sua, referente me subscripto Sacrae Rituum Congregationis Secretario, de speciali gratia benigne annuit; dummodo Rubricae serventur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 15 Septembris 1853.

15 Sept. 1853

A. Card. Lambruschini S. R. C. Praef.
Dom. Gigli S. R. C. Secr.

B. IGNATII DE AZEVEDO ET SOCIORUM MARTYRUM

CULTUS REDINTEGRATIO.

PIO IX Pont. Max.

11 Mai. 1854

Sanctis suis, queis in carne positis certamen forte disponit Deus, usque ad mortem perseverantibus in verae religionis impavida confessione, laboris mercedem plenam et supereffluentem promittit in coelis in perpetuas aeternitates gloria et honore coronandis.

Ad quod quidem propositum et gloriam veluti anhelans Ven. Ignatius de Azevedo, inter Lusitanos nobilissimo genere natus anno MDXXVII, post exactam laudabiliter pueritiam, mundana quaeque despiciens, Societati Iesu diluculo nomen dare festinavit, et a S. Francisco Borgia impetravit ut novam copiam operariorum sibi adiungeret, ad fidem catholicam inter barbaras gentes disseminandam. Quos itaque barbarorum conversioni opportunos in Hispaniae et Lusitaniae Provinciis reperire potuit novem supra sexaginta, Ulyssipone opportunis meditationibus, hortamentis aliisque piis exercitiis ad virtutem omnem excoluit; iisque nonis Iunii MDLXX tribus in navibus distributis, secum triginta novem in navi admissis, e portu solvit, brevique cursu ad insulam Materam pervenit. Coelesti visione ibi edoctus, se brevi cum aliis triginta novem martyrem futurum, de impendenti periculo Socios omnes qui secum una vehebantur navi, commonuit. Quibus tamen proposuit quod, si periculo obiectare se nollent, in Collegio Materensi haerere possent, vel classem Praetoris Brasiliae exspectare. Quatuor Novitiis hac facultate utentibus, totidem alii substituuntur ex iis qui aliis in navibus fuerant distributi, ne quadragenario numero aliquid deesset. Palmam igitur versus navigantibus, iterum Ignatius de suo et Sociorum martyrio coelitus admonetur, et dum mira dulcedine inter sese colloquerentur de Sanctorum martyrum felicitate et gloria, ferme in urbis Palmae conspectu, quinque haereticorum naves detectae sunt. Nulla interposita mora, Ven. Ignatius Socios omnes instantissime hortatus est ut ferventius orarent, coelumque adspicerent, seque morti pro fide catholica tuenda constanter offerrent. Cui primus ipse subiicitur: nam, e praetoria navi in ipsum sententia prolata, illico super verticem ipsius, huc illuc discurrentis Sociosque omnes ad constantiam voce et Deiparae imagine exhortantis, unus ex haereticis sublatum ensem summa vi deiecit, quo ictu ei late discissum est cranium. Succedunt interim alii quatuor hostes, martyrisque pectus iteratis hastarum ictibus confodiunt. Morientis Ignatii validissima exhortatione ad martyrii palmam assequendam accensi magis Socii, crudeliter et ipsi vel gladiis vulnerantur, vel lanceis confodiuntur, vel plumbatis glandibus crudelissime transverberantur, donec omnes in mare demersi sunt, quovis tormentorum genere vexati. Unus vero

ad quadragenarium numerum deerat, siquidem Ioannes Sancius, qui in ministerio coqui Sociis famulabatur, ab haereticis servatur incolumis, ut uterentur ministerio illius; sed alter Ioannes, nobilis adolescens, qui, virtutum et sanctitatis Ignatii exemplo captus, ab eo expetierat in Societatem admitti, invictam Ignatii et Sociorum in appetenda pro Christo morte demiratus constantiam, urgeri se sensit martyrii desiderio; ac reperta, felici admodum sorte, Societatis veste se induens, tamquam Sociorum alter pro fide interfici meruit et in mare cum aliis demergi.

Accidit haec clades idibus Iulii MDLXX, inspectante universa multitudine, tum haereticorum, tum catholicorum qui a praedonibus captivi facti fuerant, omnibusque admirantibus tum martyrum fortitudinem, tum mira quamplura, quae DEUS ex tunc operatus est. Quorum accessione, celeberrimi martyrii fama per omnes non modo Europae sed Indiarum regiones pervagata est: eorumque gloriosus in coelum ingressus divinitus eadem die S. Theresiae a IESU virgini, Abulae in exstasim raptae, apertissime pariter demonstratus est. Hinc mirus populorum ardor, mira in martyres devotio, qui statim publico cultu et ecclesiastica veneratione in Lusitania, in Brasilia, in Hispania, in Italia et hic etiam Romae coli coeperunt. Eorum vestes, ut Sanctorum reliquiae distributae, maximo in pretio habitae sunt; eorum imagines cum radiis aliisque martyrum insignibus in publicis ecclesiis et oratoriis ad fidelium venerationem expositae; eorum solemnitas quovis anno idibus Iulii in frequentissimis urbibus celebrata cum Missa de communi, panegyricis laudibus magnaque fidelium frequentia: eorum nominibus, tum voce, tum scriptis editis, praefixi tituli vel Sanctorum vel Beatorum, et haec omnia et singula, non modo tolerantibus et approbantibus Ordinariis et Sanctae Fidei Inquisitoribus, sed accedente etiam speciali apostolico indulto a sanctae mem. Gregorio Papa XV elargito.

Ab huiusmodi tamen cultu tot auctoritatibus ac privilegiis suffulto, Sanctorum quoque virorum dictis et scriptis declarato, ac per annos circiter sexaginta sine ulla interruptione perseverante, occasione decretorum sanctae mem. Urbani Papae VIII de anno MDCXXV editorum, de cultu DEI Servis nondum beatificatis et canonizatis amplius non praestando, Patres Societatis IESU cessandum constituerunt, rati quadraginta etiam martyres in hoc decreto comprehendi: immo iudicium instaurarunt super dubio martyrii cum causa martyrii, de quo sanctae mem. Benedictus XIV, post iteratas Sacrorum Rituum congregationes, XI kal. Octobris MDCCXLII solemni decreto suo ita constare pronuntiavit, ut ad ulteriora procedi posset.

Animadvertentes vero in praesentiarum Patres Societatis IESU hanc ipsam causam Ven. quadraginta martyrum Brasiliensium pertinere ad casum in Urbanianis decretis exceptum, ac proinde cultus ipsius redintegrationem postulari posse: id a Sanctissimo Domino nostro Pio IX, Pontifice Maximo, humillimis datis precibus requisivit R. P. Iosephus Boero, memoratae Societatis Sacerdos Professus, causaeque Postulator; cuius votis pro sua benignitate annuens Sanctissimus Dominus Noster pridie nonas Februarii MDCCCLII indulsit ut super huiusmodi

PIO IX Pont. Max.

cultus redintegratione actio proponeretur in Sacrorum Rituum Congregatione ordinaria, in qua suffragium suum darent etiam Praelati officiales Congregationis ipsius: ac proinde XVI kal. Maii superioris anni MDCCCLIII, in ordinariis comitiis Sacrorum Rituum ad Vaticanum habitis, proposito dubio: An, stante approbatione martyrii, ita constet de casu excepto ab Urbani VIII decretis, ut redintegrandus sit cultus Ven. Ignatio de Azevedo et triginta novem Sociis e Societate IESU, in casu et ad effectum de quo agitur? rescriptum prodiit: "Dilata, et scribat R. P. Sanctae Fidei Promotor." In hodierno tandem ordinario Sacrorum Rituum coetu ad Vaticanum pariter coadunato, quum Emus et Rmus D. Card. Gabriel Ferretti, loco et vice Emi et Rmi D. Card. Aloisii Lambruschini, Praefecti et huius causae Ponentis, idem dubium iterum proposuerit cum novis animadversionibus Sanctae Fidei Promotoris, EEmi et RRmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi Praelatique officiales, omnibus maturo examine perpensis, cribratisque rationum momentis a causae patronis in medium adductis, ac tandem ulterius iterum audito R. P. D. Andrea Maria Frattini Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: "Consulendum Sanctissimo pro cultus redintegratione. Die 8 April. MDCCCLIV." 11 Mai. 1854

Super quibus omnibus facta postmodum per me subscriptum Secretarium Smo Dno Nro Pio IX Pontifici Maximo fideli relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis approbavit confirmavitque.

Die 11 Maii, anno eodem.

J. Card. Antonelli.
Dom. Gigli S. R. C. Secr.

FACULTAS COMMUTANDI OBLIGATIONES

AD LUCRANDAS MISSIONUM INDULGENTIAS.

PIO IX Pont. Max. 29 Mar. 1855

Beatissime Pater,

Petrus Beckx, Praepositus Generalis Societatis IESU, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, humillime exponit, a fel. mem. Gregorio XVI, per Breve apostolicum EXPONENDUM NOBIS *datum 20 Decembris* 1839, *concessum fuisse ut fideles, qui missionibus a Religiosis eiusdem Societatis peractis adfuerint quinque vicibus, ac interea temporis vere poenitentes et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, ac pro finibus solitis pias ad DEUM preces fuderint, plenariam indulgentiam lucrari possint. Verum non semel quidam fideles, gratia DEI allecti, ex dissitis locis ad huiusmodi missiones accurrunt, quin tamen quinquies assistere possint. Item inveniuntur pueri aut adolescentes, qui ad primam communionem nondum fuerunt admissi, neque eo tempore admitti possunt.*

Hinc praefatus Orator humillime supplicat, ut Sanctitas Tua benigne concedere dignetur, ut tempore missionis,

PIO IX Pont. Max.

1.° Confessarii cum iis qui a longe ad missionem venerunt et quinquies assistere non possunt, dispensare valeant in obligatione quinquies missioni assistendi, eius loco praescribendo eis aliud pium opus; 2.° Item dispensandi a sacra communione eos infantes et adolescentes, qui ad primam communionem nondum potuerunt admitti, praescribendo etiam eis aliud pium opus. Quam gratiam etc.

29 Mart. 1855

Ex Audientia SSmi habita die 29 Martii 1855.

Referente me infrascripto, Sua Sanctitas vivae vocis oraculo benigne annuit pro gratia, ut petitur.

Die 29 Martii 1855.

Petrus Beckx, Praep. Gen. S. I.

FESTUM PATROCINII S. IOSEPHI CONCEDITUR

SUB RITU DUPLICI PRIMAE CLASSIS CUM OCTAVA.

Societatis Iesu.

PIO IX Pont. Max.

10 Feb. 1859

Decreto Sacrorum Rituum Congregationis diei 11 Martii anni mox elapsi 1858, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX clementer indulsit, ut ab Alumnis et in ecclesiis Societatis Iesu Provinciae Venetae festum Patrocinii S. Iosephi, Sponsi B. Mariae Virginis, ageretur dominica tertia post Pascha Resurrectionis, sub ritu duplici primae classis cum octava.

Modo vero, quum Rmus Pater Petrus Beckx, Praepositus Generalis eiusdem Societatis, huic Sanctae Sedi exposuerit Societatem ipsam, a sua origine, praecipua semper veneratione et peculiari cultu S. Iosephum prosecutam fuisse, ac proinde proprio et universae Societatis nomine eumdem Sanctissimum Dominum enixe rogaverit, ut praedictum decretum diei 11 Martii 1858 ad reliquas Societatis Provincias extendere dignaretur: Sanctitas Sua, referente subscripto eiusdem Sacrae Rituum Congregationis Secretario, pro gratia benigne annuit iuxta preces, dummodo Rubricae serventur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 10 Februarii 1859.

C. Epus Alban. Card. Patrizi S. R. C. Praef.

H. Capalti S. R. C. Secr.

FACULTAS DISPENSANDI IN REGULA

QUA NOSTRI PRO MINISTERIO SACRO ELEEMOSYNAM ACCIPERE PROHIBENTUR.

PIO IX Pont. Max.

10 Mai. 1859

Beatissime Pater,

Cum talis modo sit rerum publicarum conditio, ut Domorum nostrarum subversionem quibusdam in locis merito timere possimus, et cum exinde Religiosi nostri mediis sustentandi vitam facile privari possint; Praepositus Generalis Societatis Iesu ad pedes Sanctitatis Tuae prostratus humillime supplicat, ut Tua Sanctitas facultatem ei concedere dignetur dispensandi in regula nostri Instituti, qua prohibetur ne pro ministerio sacro, pro Missis etc. eleemosyna accipiatur, et permittendi iis qui necessitatem patientur, ut pro Missis et reliquis sacris ministeriis eleemosynam, ad normam aliorum Sacerdotum, accipere possint. Et Deus etc.

Die 10 Maii 1859.
Pro gratia, durantibus etc.

PIUS PP. IX.

PII IX

BULLA CANONIZATIONIS BB. PAULI, IOANNIS ET IACOBI

E SOCIETATE IESU

ALIORUMQUE MARTYRUM IAPONENSIUM.

PII IX

8 Iun. 1862

PIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

§ 1. Prooemium a laudando S. Ignatii Instituto.

Societas Iesu, qualis labentibus saeculis futura esset, vel a prima sua institutione apertissime demonstravit. Maiorem enim Dei gloriam, quam Ignatius tamquam Ordinis sui tesseram esse iusserat, non modo ipse totis viribus, sed omnes eius filii semper et ubique terrarum enixe quaesierunt. Hinc ethnicae superstitioni bellum perpetuum atque haeresi indicere, Collegia ad pueros pietate litterisque informandos instituere, academias colere, libros edere, Spiritualibus Exercitiis et concionibus ad sacramentorum frequentiam ac virtutem christianos excitare, aliaque pietatis opera animis Deo lucrandis exercere. Neminem vero latet huius Societatis Professos ad tria solemnia vota caeteris sacris familiis Deo dicatis communia, quartum illud nominatim adiungere, se ad fidelium vel infidelium disiunctissimas etiam orbis partes libenti animo et christianae rei causa ituros, dummodo Pontifici

Maximo placeat, nulla non modo mercede, sed ne ipsius viatici petitione adiecta. Ex quo factum est, ut magno Ecclesiae adiumento semper fuerit, haereticorum atque improborum hominum odia, bonorum vero existimationem amoremque sibi conciliaverit.

§ 2. S. Franciscus Xaverius primus Iaponiae apostolus.

Pauli III Pontificis Maximi, antecessoris Nostri, voce excitatus, christianam fidem primus in Iaponiam intulit Franciscus Xaverius, gentis illius Apostolus merito nuncupatus, eamque fere biennio praedicatione et miraculis confirmavit, adductis ad eam ex omni hominum ordine quam plurimis. Maxima in eadem provincia pericula ac difficultates perpessi, Patres Societatis IESU grandia incoepta grandibus incrementis nobilitarunt. Regibus aliquot et provinciarum potentibus Christi iugum imposuere, tres ex iis oratores Romam deduxere agnitum veneratumque Gregorium XIII, praedecessorem Nostrum, Christi Domini Vicarium in terris, cui se suosque subiiciebant; ecclesias pluribus in regnis fundarunt, excitarunt Collegia, scholas instituerunt et Seminaria.

§ 3. Taicosamae persecutio contra Patres Societatis IESU.

Interea Faxiba vulgaris homo, qui postea Quabacondoni titulum ac denique Taicosamae sibi indidit nomen, reges fere omnes ac principes sibi armis subiecit, universamque Iaponiam imperio occupavit. Oderat ille christianam rem; sed, uti fortuna doctus et foro, nunc dissimulare progressiones eius, alias severe prohibere, alias res permittere Lusitanorum institorum gratia. Anno MDLXXXVII suis omnibus Christi fidem interdixit, Patres Societatis IESU reliquo proscripsit imperio, Nangasachii consistere propter Lusitanos permisit. Palam ibi fuere quam plurimi; sed, cum nullus regnis illis excessisset, reliqui sparsim, cultu corporis immutato diversi, rem christianam agitabant. Ab iis sexaginta et quinque millia praeter infantes sacris undis abluti sunt. Per asperas atque secundas fortunas processum est usque ad annum MDXCIII, quo nonnulli ex Seraphica Familia homines accesserunt. Tunc temporis centum ac triginta quatuor Societatis alumni ad tercenta capitum millia, toto late imperio christianis iam tum initiata mysteriis, soli colebant; eadem tempestate venit in Iaponiam designatus Episcopus Petrus Martinez e Societate IESU, ad Taicosamam ab Indiae Praetore legationis obeundae specie; qui comiter a tyranno exceptus sedem etiam in regno figere potuit.

Primus Iaponiae Episcopus.

§ 4. Lex lata contra quosvis, qui ex Philippinis venissent religionis christianae causa provehendae.

Maxima dominandi cupido, iam totius Iaponiae potens, qua affectus fuerat Taicosama, atque hispana oneraria navis ex Luzoniis seu Philippinis insulis, pridie idus Quintiles, ditissimis referta mercibus vi maris abrepta ad Tosani regni oras, quo nondum fidei lux illata fuerat, gravissimae persecutionis initium exstitit. Relatum enim est ad Taicosamam, ad bellum Iaponiae inferendum haec omnia composita fuisse. Ad acuendam Imperatoris iram praesto fuit Iacuimus, regius medicus, qui, ardens odio christiani nominis et Patrum Societatis IESU, occasionem nactus, graves in christianos calumnias struxit, et qua valebat in Principem gratia usus, ad religionem penitus evertendam gravi oratione commovit. Quare Taicosama, ira incensus, edixit primum ut omnes seu ministri evangelicae praedicationis seu Christi fideles acerbissima morte plecterentur. Quam quidem sententiam, rogatu Gubernatoris Meacensis, qui christianis favebat, deinde ad eos

coarctavit, qui e Philippinis advenissent et legem christianam a se prohibitam praedicassent; quos in crucem agi Nangasachii iussit. Hoc Imperatoris edicto Patres Societatis Iesu dimitti liberos oportebat; et ab eorum quidem Meacensi Domo statim remotae custodiae sunt. Verum Ozacae Gubernator, saepe obiurgatus a Taicosama quod christianis faveret, metuensque ne quid in suum struerent caput, comprehendi iussit vinculisque detineri etiam Paulum Michi, Ioannem de Goto, Iacobum Chisai natione Iaponenses e Societate Iesu, nec umquam passus est ut eos dimitteret.

§ 5. Paulus Michi,

Paulus Michi, in regno Iamasciro, quo princeps urbs Meacensis continetur, claro genere ortus et a puero christiano ritu expiatus, vix undecimum aetatis annum attigerat, cum Patribus Societatis Iesu traditus est erudiendus in Seminario Anzuciamensi, eoque destructo, tum Arimae tum alibi inchoata litterarum studia prosecutus est. Quo tempore, terrena cuncta aversatus, anno aetatis vigesimo secundo Societati Iesu se adiunxit; in qua, posito Tirocinio, theologiae operam dedit, et arma comparavit quibus patrias debellaret superstitiones. Haec arma ut feliciter tractaret, solertia ingenii adiuvabat et facultas dicendi non vulgaris, qua instructus et ad sacras conciones adhibitus, plura Iaponiae regna peragravit, plurimosque e popularibus suis ab errore ad veritatem, a flagitiis ad virtutem traduxit. Audiebatur ingenti plebis pariter ac nobilitatis concursu, eminebatque in dicentis vultu tantus intimae sensus pietatis humilitate ac modestia suavissime conditus, ut audientes accenderet ac sibi Christoque conciliaret. Nec viva dumtaxat voce rem Christi curabat ac tuebatur, sed scriptis etiam libris patria lingua, qua pollebat maxime, in lucem editis, quibus idolorum cultores impiosque sectarum errores profligaret, eo successu, ut non paucos principes et ingentem hominum multitudinem ad Christi religionem adduceret. Sacerdotio iam erat initiandus ab Episcopo Iaponiae Petro Martinez Societatis Iesu; sed, exorta persecutione, fortis et alacer se ipsum obtulit victimam omnipotenti Deo in altari crucis.

§ 6. Ioannes Soan seu de Goto,

Ioannes Soan, natus in insula Goto, a qua etiam abnomen traxit, a christianis parentibus ad pietatem educatus, simul ac per aetatem potuit, in schola Patrum Societatis Iesu totam christianae fidei ac disciplinae rationem ea facilitate ac dexteritate percepit, ut idoneus fuerit iudicatus, qui alios eadem perdoceret, et solemni ritu in Dogicorum seu Catechistarum numerum est relatus. Hoc munere ornatus, adolescens annorum novemdecim et integris moribus conspicuus, Superiorum iussu Ozacam petiit, ut Patrem Ioannem de Morecon adiuvaret ac neophytos erudiret; quod egregie praestitit, donec cum duobus sociis carcere mancipatus, sanctorum martyrum numerum auxit. Poterat se periculo ac neci subducere; sed Societatis, quam dudum in votis habebat, fortunam licet gravem et asperam subire maluit. Ergo convasata celeriter et in tuto reposita sacrarii, cuius gerebat curam, supellectile, ultro suum nomen in proscriptionis tabulam referendum edidit, ac statim, sequestro ac interprete Paulo Michi, flagitavit a Patribus ut in Societatem emissis votis cooptaretur, idque paucis diebus interpositis summa animi alacritate est consecutus.

§ 7. Iacobus Chisai.

Iacobus Chisai annum confecerat quartum supra sexagesimum, cum ad eamdem martyrii gloriam feliciter pervenit. Oriundus ex regno Bigensi, nactus erat parentes ethnicos, a quibus idolorum cultum et superstitionis errores imbibit; verum, gratia DEI praeventus et a primis S. Francisci Xaverii sociis sacro fonte expiatus, matrimonium suo tempore iniit cum coniuge christiana; quam ad superstitionem impie reversam et in errore pertinacem dimisit, facto legitimo divortio, atque ita, coniugii vinculis expeditus, se totum DEO ac Societati dedit. Erat in litteris et characteribus Iaponicis satis eruditus; et inter Catechistas admissus, rem christianam, traditis primis fidei praeceptis, plures annos summo studio ac diligentia promovit ingenti animarum fructu. Sed qua erat humilitate insignis, non dedignabatur vilia domi ministeria obire, hospitesque et advenas ad ianuam subeuntes admittere. Mysteria Christi patientis recolebat frequens, neque ullum intermittebat diem, quin illa grato et memori animo tractaret. Eam ob rem libellum sibi confecerat, in quo eadem pictis eleganter vernaculis characteribus, quos effingebat lectissime, descripserat singillatim, ut oculis etiam obversarentur. Ex ea meditatione hausit miram patiendi pro Christo moriendique sitim; quam ut expleret, sanguinem et vitam libenti animo profudit.

§ 8. comprehenduntur, eisque Meaci auriculae parte abscissa, longo itinere Nangasachium perducuntur.

Comprehensi igitur Ozacae hi tres, primitiae tot in Iaponia martyrum Societatis IESU, cum P. Martino de Ascensione Franciscali, ac domesticis tribus, Meacum perducuntur; ubi cum aliis septemdecim, extrema sinistrae auris parte mutilati, revinctis post terga manibus vili plaustro impositi, omnes per frequentiores urbis vias ad ludibrium circumducuntur, praeeunte lictore et sententiam crucis in eos scriptam praeferente. Paulus Michi e plaustro ad frequentem multitudinem pro christiana religione patria lingua peroravit, nec irritae eius voces tum ibi, tum aliis secus viam locis: quippe in Meacensi carcere duos e custodibus, sex alios in Ozacensi, et alicubi Gubernatorem ipsum Christo adiunxit; iratis palam Taicosamae Bonziis idolorum ministris, quod homines istos per Iaponiam circumveheret, ad Christi sectam disseminandam scilicet, non exstirpandam. Meaco digressi et per varias urbes longo circuitu ad spargendum latius terrorem circumducti, Nangasachium denique pervenerunt nonis Februarii. Ad sublevandas itineris molestissimi aerumnas, submissus fuerat a P. Organtino Societatis IESU christianus quidam, spectatae probitatis ac prudentiae, itemque alter a Franciscalibus, qui iis in omni re opem ferrent. Cum hi duo ultro citroque liberius commearent, offensi milites stare ambos iussere, et an christiani essent rogavere. Affirmantibus iis manus quoque iniiciunt; ac caeteris Christi martyribus volentes ipsi etiam adiuncti sunt.

§ 9. Supplicii locus.

Iam prope ventum erat ad locum supplicii, cum P. Franciscus Pasius a Provinciali Societatis IESU missus advenit obvius; qui, singulos martyres ardenti affectu complexatus, eorum confessiones audivit, et Ioannis de Goto et Iacobi Chisai religiosa vota suscepit. Parabat Nangasachii Gubernator cruces defigere in urbis platea plectendis reis addicta; sed Lusitani petierunt atque impetrarunt, ut in ea statuerentur, quae prope urbem im-

PII IX

8 Iun. 1862

minebat mari, eo consilio ut ibi aliquando aedem sacrae martyrum Reginae ponerent; ut deinde factum est. In patenti igitur summi collis area statim defixae sunt cruces, uti Iaponensibus mos est, ordine directo viginti sex, ternis inter se quaternisve disiunctae passibus, ibique suffixi Paulus Michi, Ioannes de Goto, Iacobus Chisai, lanceisque a binis lateribus transverberati, adstantibus Gubernatoris facultate Ioanne Rodericio et Francisco Pasio Sacerdotibus e Societate Iesu, victrices animas coelo ab Angelis inferendas dederunt.

§ 10. Martyrium.

Aderat Ioannis pius ac fortis genitor, nec satis patuit uter supplicium laetius, illene tulerit, an iste spectaverit. Nec minor in Iacobo, devexa licet aetate, animi vigor eminebat. At Paulus, triumphali ex honoris loco, nativam hominis eloquentiam, stimulante Dei charitate, ad circumfusam multitudinem pro christiano nomine vehementi oratione usus est, sibi ipsi gratulatus quod ex cruce, ut Christus Dominus, eademque atque ille aetate moreretur. Dein, veniam pro crucifixoribus precatus, cum Deo animam suam commendasset, laetus exspiravit. Pendentes tot martyrum exuvias Episcopus Iaponiae, ad collem cum festinans venisset, positis humi genibus publice est veneratus, atque ex illo locus sacer esse coepit.

§ 11. Veritas martyrii miraculis pluribus confirmatur.

Id vero sibi gratum exstitisse variis Deus ostendit signis. Sanctorum martyrum vultus praeter morem renidere decore visi sunt, admirantibus ethnicis maximam eorum venustatem. Sanguis Pauli Michi aliorumque trium martyrum, confuse ab Italo milite collectus servatusque in fictili sinico, post novem menses fluidus purusque et expers vitii et graveolentiae fuit. Nec multo post obitum Sanctorum, die veneris in noctem obscuram coelestes ignes corporibus imminere visi sunt, quorum qui medius fuerat, supra sacram Societatis aedem suo motu delatus, ibi evanuit et tenebrosam noctem serenavit. Diu etiam deinceps sexta quaque feria, inspectante civitate universa, fulgentes flammae velut sidera locum martyrii obivere, et ad ea usque processere domicilia, quae prima excipiendis martyribus Nangasachii fuerant destinata. Sed nullum videtur testimonium virtutis illorum et gloriae splendidius quam sacer ille ardor, quo inflammati spectantium animi fuere ad christianam fidem ac pietatem aut amplectendam aut impensius colendam, ita ut sanguis martyrum semen fuerit christianorum. Horum autem trium martyrum corpora post duos menses e cruce deposita, in ecclesiam Collegii Macaensis Societatis Iesu in Sinis translata sunt.

§ 12. Acta Romam missa, a tribus Romanae Rotae Auditoribus, uti mos erat, perpenduntur.

Quae omnia, certis testimoniis consignata, Romam ad Urbanum VIII, praedecessorum Nostrum, Pontificem Maximum delata sunt, qui beatis martyribus solemnes honores, et cultum coelestibus haberi solitum, concessit anno MDCXXVII. Cum tres e duodecim viris Sacri Consilii litibus iudicandis, uti mos erat, ex actis apostolica auctoritate confectis omnia cognovissent, Congregatio Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Sacris Ritibus tuendis praeposita declaravit de martyrio et miraculis constare, tum B. Pauli Michi et sociorum Ioannis Soan seu de Goto et Iacobi Chisai Societatis Iesu, tum B. Petri Baptistae et sociorum eius Seraphici Ordinis, ideoque ad illorum canonizationem quandocumque celebrandam tuto posse procedi. Interea temporis Urbanus VIII, praede-

Urbanus VIII decernit

PII IX

8 Iun. 1862

officium et Sacrum pro Martyribus Iaponensibus.

cessor Noster, apostolicis litteris in forma brevi latis decimo septimo kal. Octobris anni MDCXXVII, precibus Praepositi Generalis Societatis IESU et Presbyterorum eiusdem annuens, facultatem impertitus est officium recitandi, Sacrumque faciendi pro tribus hisce martyribus Iaponensibus, sicuti antecedente die pro tribus et viginti martyribus supremo Praesidi Ordinis S. Francisci benigne concesserat.

§ 13. Post tria fere saecula causa reassumpta, Pius Papa IX cogit in aedibus Vaticanis Congregationem Sacris Ritibus Ecclesiae tuendis.

Summo ac venerando DEI iudicio cuncta suo nutu moventis, post tria fere silentii saecula causa reassumpta, prospere celeriterque ad optatum exitum perducta est, libentique animo postulationes dilecti filii Nostri Petri Beckx supremi Moderatoris aliorumque Societatis IESU humiliter a Nobis flagitantium excepimus, et decretum latum decimo quinto kal. Octobris MDCCCLXI pro martyribus Iaponensibus Seraphici Ordinis, ad eos quoque tres memoratae Societatis martyres extendimus. Coacta in Vaticano palatio Sacra Congregatione Ritibus cognoscendis pridie nonas Martias vertentis anni MDCCCLXII, propositoque dubio a dilecto filio Nostro Nicolao tituli S. Petri ad Vincula S. R. E. Presbytero Cardinali Clarelli Paracciani, causae relatore, ad eorumdem trium martyrum Societatis IESU canonizationem cunctis suffragiis tuto omnes procedi posse responderunt. Verumtamen in re tam gravi illorum votis acquiescere nequivimus, Nostramque sententiam proferre distulimus, quo fervidius divinam exoraremus sapientiam, precesque Nostras in humilitate cordis effunderemus.

Die autem B. MARIAE Virginis, DEI Parentis designatae, sacris in privato Nostro Vaticani sacello operati, ad S. MARIAE supra Minervam accessimus una cum S. R. E. Cardinalibus aliisque apostolicae aulae proceribus, solemni Missae sacrificio adstitimus; quo peracto, proximum eiusdem ecclesiae sacrarium ingressi sumus, et coram dilecto fratre Nostro Constantino Patrizi, Episcopo Portuensi et S. Rufinae, Sacrae Congregationis Ritibus tuendis Praefecto, et filio Nostro Nicolao tituli S. Petri ad Vincula Presbytero Cardinali Clarelli Paracciani causae relatore, caeterisque de more adstantibus, nono kal. Aprilis volventis anni, declaravimus ad trium quoque martyrum Iaponensium Societatis IESU canonizationem tuto procedi posse, in patriarchali basilica Vaticana quandocumque peragendam.

§ 14. Declarat posse procedi ad trium quoque Martyrum Societatis IESU canonizationem.

§ 15. Invitantur ad canonizationem omnes orbis terrarum Episcopi.

Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerere cupientes, non modo propiores invitavimus Episcopos, Archiepiscopos et Primates cum Catholica et Apostolica Sede gratiam et communionem habentes, sed etiam universi orbis terrarum Antistites, ut se Romam conferrent suumque Nobis animum aperirent de canonizatione perficienda, tum trium Societatis IESU, tum trium et viginti martyrum Iaponensium Seraphici Ordinis. Summa animi Nostri laetitia exspectationem Nostram vicerunt, tantoque agmine Romam omni ex parte quam citissime advenere, ut parem huic adstitisse numerum in canonizatione ulla auditum numquam fuerit.

§ 16. Primum et alterum Consistorium semipublicum.

Omnibus plene perpensis, ex monumentis Sacrae Rituum Congregationis, quorum exemplar typis editum singulis distribui iussimus, ad semipublicum Consistorium decimo kal. Iun. volventis anni vocavimus (publicum enim coegeramus idibus Maii, in quo XXVI martyrum causam peroraverat

PII IX

8 Iun. 1862

dilectus filius Franciscus Morsilli consistorialis aulae Advocatus) omnes fratres Nostros S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos, qui Romam frequentissimi convenerant, ut in re tam gravi consilio Nobis essent. Adstantibus Apostolicae Sedis Notariis et duobus antiquioribus palatii Nostri causarum Auditoribus, a Nobis interrogati, non modo uno ore assenserunt, sed scripto quoque Nos exorarunt, ut tandem aliquando ad supremam ipsorum martyrum glorificationem deveniremus. Cuius rei ab Apostolicae Sedis Notariis instrumenta condita sunt, et suffragiorum exempla, Episcoporum manu signata, collecta in tabularium S. R. E. inferri iussimus.

§ 17. Supplicationes et ieiunia per Urbem ad divinam opem assequendam.

Verum, antequam ad definitivam sententiam veniremus, solemnia in Urbe ieiunia indiximus, et patriarchales Nostras Lateranensem, Vaticanam et Liberianam ecclesias ad fidelium supplicationes designavimus, indulgentiis adiectis, ut, suas Nostris precibus iungentes, maiorem opem a Patre luminum in re tam gravi impetrarent, suaeque gratiae auxilium minime denegaret.

§ 18. Solemnis supplicatio ad S. Petrum.

Ea demum sacratissima die qua Sanctus Spiritus, numquam satis celebrando linguarum ignis prodigio, super Apostolos e coelis illapsus, universum terrarum orbem e vitiis eductum ad veram sanctimoniam adduxit, Vaticanam basilicam (aulaeis, pictis tabulis novorum Sanctorum imagines, cruciatus, prodigia referentibus, decoratam, laetitiaque undique gestientem) solemni supplicatione ingressi sumus.

Novae postulationes.

Omnes Cleri saecularis et Regularis ordines, cum praecederent, omnia magistratuum et officialium Romanae Curiae collegia, praedictique venerabiles fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi, antequam sacris operaremur, a dilecto filio Nostro Nicolao tituli S. Petri ad Vincula S. R. E. Cardinali Clarelli Paracciani, huic canonizationi procurandae praeposito, per dilectum filium Andream Frattini, sacrae consistorialis aulae Advocatum, christianorum Principum et populorum vota precesque semel, iterum ac tertio oblata sunt, ut Beatos hosce XXVI martyres in Sanctorum numerum recenseremus.

Canonizatio.

Implorata itaque prius coelestium spirituum et Sanctorum omnium intercessione, atque invocato Paracliti Spiritus auxilio, ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem catholicae fidei, ad christianae religionis incrementum, auctoritate Domini nostri IESU Christi, BB. Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita, divina ope implorata, ac venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium atque Episcoporum in Urbe exsistentium consilio, BB. Paulum Michi, Ioannem Soan seu de Goto, Iacobum Chisai cum BB. Seraphici Ordinis Iaponensibus martyribus Petro Baptista, Martino de Ascensione, Francisco Blanco, Francisco de Sancto Michaele, Gundisalvo Garzia, Philippo a IESU, Paulo Suzuqui, Gabriele Izecensi, Ioanne Quizuia, Thoma Izecensi, Francisco Iaponensi, Thoma Cosaqui, Ioachim Sequiior, Bonaventura Iaponensi, Leone Carazuma, Mathia Iaponensi, Antonio Iaponensi, Ludovico Iaponensi, Paulo Yuaniqui, Michaele Cozoqui, Petro Sequeixeim, Cosmate Raquiia, Francisco Fahelante, addito B. Michaele de Sanctis, Ordinis SS. Trinitatis severioris regulae pro captivis recuperandis

Confessore non Pontifice, Sanctos esse decrevimus, ac Sanctorum albo inscripsimus, statuentes ab Ecclesia universali eorum memoriam, quam in subsequenti Missae celebratione Nos ipsi solemniter venerati sumus, quolibet anno nonis Februariis esse recolendam; indulgentiamque septem annorum cum totidem quadragenis iis qui anniversaria die ipsorum martyrum exuvias venerati fuissent, plenariam vero iis omnibus qui solemni huic ritu adfuissent, largiti sumus, maximo animi Nostri gaudio, uti in sermone quem ad frequentissimum Clerum populumque habuimus, clare aperteque demonstravimus.

Concessio indulgentiae septem annorum et plenariae.

§ 19. Monitiones.

Gaudeat igitur in Domino universa familia gentium, in vocibus exsultationis omnes iubilent Deo, qui Ecclesiam suam pia miseratione custodiens, praeclaris eam iustorum exemplis quotidie instruere, meritis et praesidiis roborare non desinit. Probe omnes intelligant, ut gloriosissimi isti martyres, Iaponensis Ecclesiae primitiae, mirificam illam Domini nostri Iesu sententiam: nos cruci cum ipso sive animo sive corpore oportere esse suffixos, neque dignum esse Christo, qui crucem suam baiulare nequiverit. Solabitur ipse Deus in omni tribulatione nostra, facietque cum tentatione sustinere proventum. Post praelia triumphus; in paucis vexati, in multis bene disponemur. Haec utinam aliquando demum hominum animos veritas mentesque pervadat atque devincat. Tunc illa terrarum orbi effulgebit pax, quam enixis votis, collectisque omnium Christi fidelium precibus iam diu a Deo Opt. Max. deprecamur, quamque assequi minime dubitamus.

Fides habenda transsumptis.

Praemissa omnia ad universalis Ecclesiae notitiam deduci, praesentesque Nostras litteras ad perpetuam rei memoriam dare voluimus, mandantes ut earum transsumptis sive exemplis etiam impressis, et manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur ab omnibus, quae haberetur, si exhibitae atque ostensae forent praesentes Nostrae litterae.

Sanctio poenalis.

Nulli liceat paginam hanc Nostrae definitionis, decreti, mandati ac voluntatis infringere; si quis autem voluerit temerario ausu contradicere, omnipotentis Dei indignationem ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCCCLXII, sexto idus Iunias, Pontificatus Nostri anno sexto decimo.

✠ EGO PIUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

✠ Ego Marius Episc. Ostiensis et Veliternensis Card. Mattei, Sacri Collegii Decanus.

✠ Ego Constantinus Episc. Portuensis et S. Rufinae Card. Patrizi.

✠ Ego Aloisius Episc. Praenestinus Card. Amat, Vice Cancellarius.

✠ Ego Antonius Maria Episc. Tusculanus Card. Cagiano de Azevedo, maior Poenitentiarius.

✠ Ego Hieronymus Card. de Andrea Episc. Sabinensis, Abbas Sublacensis.

✠ Ego Ludovicus Episc. Albanensis Card. de Alteriis, S. R. E. Camerarius.

✠ Ego Benedictus tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Barberini, brevium a secretis.

✠ Ego Antonius tit. S. Petri in Monte Aureo Presb. Card. Tosti, S. R. E. Bibliothecarius.

PII IX 8 Iun. 1862

✠ Ego Fridericus Ioan. Ios. tit. S. Augustini Presb. Card. Schwarzenberg, Archiepisc. Pragensis.

✠ Ego Fabius Maria tit. S. Stephani in Monte Coelio, Presb. Card. Asquini.

✠ Ego Nicolaus tit. S. Petri ad Vincula Presb. Card. Clarelli Paracciani.

✠ Ego Dominicus tit. S. Mariae Angelorum ad Thermas Presb. Card. Carafa de Traietto, Archiepisc. Beneventanus.

✠ Ego Sixtus tit. S. Sabinae Presb. Card. Riario Sforza, Archiepisc. Neapolitanus.

✠ Ego Camillus tit. S. Ioannis ad Portam Latinam Presb. Card. di Pietro.

✠ Ego Carolus Augustus tit. S. Caeciliae Transtiberim Presb. Card. de Reisach.

✠ Ego Clemens. tit. S. Pancratii Presb. Card. Villecourt.

✠ Ego Alexander tit. S. Susannae Presb. Card. Barnabò.

✠ Ego Ioseph tit. S. Mariae in Ara Coeli Presb. Card. Milesi Pironi Ferretti, Abbas SS. Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias.

✠ Ego Petrus tit. S. Marci Presb. Card. de Silvestri.

✠ Ego Carolus tit. S. Mariae de Populo Presb. Card. Sacconi.

✠ Ego Caietanus tit. S. Mariae supra Minervam Presb. Card. Bedini, Episc. Viterbiensis et Tuscaniensis.

✠ Ego Angelus tit. SS. Andreae et Gregorii in Monte Coelio Presb. Card. Quaglia.

✠ Ego Fr. Antonius Maria tit. xii Apostolorum Presb. Card. Panebianco.

✠ Ego Aloisius S. Angeli in Foro Piscium Card. Prior Diaconorum Ciacchi.

✠ Ego Ioseph S. Mariae in Via Lata Card. Diaconus Ugolini.

✠ Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano Card. Diaconus Marini.

✠ Ego Ioseph S. Caesarei Card. Diaconus Bofondi.

✠ Ego Iacobus S. Agathae in Suburra Card. Diaconus Antonelli.

✠ Ego Robertus S. Mariae in Domnica Card. Diaconus Roberti.

✠ Ego Dominicus S. Mariae in Aquiro Card. Diaconus Savelli.

✠ Ego Prosper S. Mariae de Scala Card. Diaconus Caterini.

✠ Ego Gaspar SS. Viti et Modesti Card. Diaconus Grassellini.

✠ Ego Theodulphus S. Eustachii Card. Diaconus Mertel.

SODALITATI PROPAGATIONIS FIDEI IN MISSIONIBUS EXTERIS

CONCEDUNTUR INDULGENTIAE.

Beatissime Pater,

PIO IX Pont. Max.

Andreas Borgniet, Religiosus Societatis Iesu, *Episcopus Berissensis, Nanchinensis dioeceseos in Cinis Administrator Apostolicus, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, sequentia humiliter exponit.*

Pluribus abhinc annis in Nanchinensi missione, inter ferventiores christianos pia instituta est Associatio ad promovendam ethnicorum conversionem, et derelictorum infantium salutem aeternam, immo et temporalem. Huiusmodi Associatio praeconcepta et constituta est, non tamquam novum aliquod et peculiare opus, sed ut adiutrix et complementum in ipso missionis loco operum Propagationis Fidei et Sanctae Infantiae. Communem enim habet cum utroque praelaudato Sodalitio finem, communem etiam organismi formam per decurias et centurias. Indigenae siquidem Christi fideles, huius Associationis membra, sub Missionariorum directione vocantur et excitantur ad omnes suas exercendas vires pro contribulium suorum conversione; et hoc immediate praestant bonis virtutum exemplis, precibus, opportuna confabulatione, suavi adhortatione, idonea instructione, omnimodisque industriis, prout quisque potest, pro animarum salute adhibentes quidquid homines benevola necessitudine inter se coniungit, ut sunt commercii relationes, habitationis vicinia, consanguinitas, amicitia, influxus ex claro nomine, ex natalibus, ex operibus, ex ingenii, civilium munerum praestantia, exercitatio artium; ex oblatis occasionibus, circumstantiis, successibus prosperis vel adversis ansam arripientes, ut pagani convertantur, ut infantes derelicti colligantur, baptizentur, alantur et christiane educentur. Horum christianorum zelo ac industria inter suos praestantium ope, Missionarii in regione opera multiplicatur, intima gentis viscera pervadit, et in plurimorum cordibus Evangelii verbum seminatur et fructificat. Hinc etiam, inter selectos Christianos illos, in dies crescit et inflammatur magis divinus ignis, quem Dominus noster Iesus *Christus misit in terras et voluit vehementer accendi.*

7 Aug. 1862

Associationis porro organismus idem est ac ille Propagationis Fidei et Sanctae Infantiae, per decurias nempe et centurias. Singulis hebdomadis de pio opere conferre debet decurio cum suis alumnis; iuxta singulorum nomen, in suo libello inscribit quoties per mensem quisque paganos adhortatus fuerit, catechizaverit, quot et quinam catechumeni firmiter statuerint baptismum suscipere, et ad illud proxime disponendi sint: quoties de industria regionem circuierit ad derelictos infantes conquirendos, quot baptizaverit, quot apud honestas familias collocaverit nutriendos. Suum libellum quot mensibus decuriones exhibent suo centurioni, cuius est, ut omnia rite fiant invigilare, exemplo, piis industriis, exhortantibus decuriones suos dirigere,

PIO IX Pont. Max. — 7 Aug. 1862

excitare, promovere in bonum. Decurionum libellos exhibent centuriones proprio Missionario, quem convenire debent simul omnes saltem semel singulis annis. Missionarius vero de omnibus rationem reddit Episcopo, ab eoque supremam accipit directionem.

In Nanchinensi missione prospere procedit haec pia Associatio. Iam inde a septem annis, postulante Illmo Maresca, huius dioeceseos Administratore Apostolico, variis indulgentiis a Sanctitate Vestra ditata est. Verum, ut alacrius sodales operibus zeli incumbant, humiliter et enixe postulat Orator: 1.° Ut haec Associatio, utpote complementum Sodalitatum Propagationis Fidei et Sanctae Infantiae in loco missionis, indulgentiarum ac privilegiorum utrique operi a Sancta Sede concessorum efficiatur particeps. 2.° Ut fruatur indulgentiis a fel. rec. Gregorio XVI elargitis die 9 Iunii 1844 Sodalitati Angelicae, quae huius nostrae Associationis ut initium quoddam haberi potest. 3.° Ut confirmentur indulgentiae nostro operi iam concessae a Sanctitate Vestra die 10 Iunii 1855. 4.° Ut illae indulgentiae omnes extendantur pio operi instituto iam vel instituendo in omnibus missionibus a Patribus Societati Iesu rectis: cui petitioni prorsus annuit Praepositus eiusdem Societatis.

Et Deus etc.

Ex audientia SSmi habita die 7 Augusti 1862.

SSmus Dominus noster Pius divina Providentia Papa IX, referente me infra scripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Cardinali Praefecto, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta petita, ita tamen, ut, quoad indulgentiam plenariam semel in mense lucrandam ea die qua ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae accesserint, vel in die adscriptionis in Societatem aut eiusdem anniversarii, non intelligantur iteratae ex communicatione privilegiorum et indulgentiarum operi Propagationis Fidei, vel S. Infantiae vel Sodalitati Angelicae concessarum, sed permaneant uti eidem concessae fuerunt praecitato rescripto diei 10 Iunii 1855.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die et anno ut supra.

Al. C. Barnabò, Praef.

SOCIETATIS SACERDOTIBUS FACULTAS CONCEDITUR

QUASDAM BENEDICTIONUM FORMULAS ADHIBENDI.

Societatis IESU.

PIO IX Pont. Max. Rmus P. Petrus Beckx, Praepositus Generalis Societatis IESU, SSmum D. N. Pium Papam IX humillime exoravit, ut commissae sibi Societatis Sacerdotibus facultatem tribuere dignaretur, ubi opus fuerit, adhibendi formulas benedictionum, quae, etsi in Rituali romano non reperiantur, attamen a Sacra Rituum Congregatione pro particularibus locis rite approbatae fuerunt, ipsa non exclusa formula qua benedicitur cingulum in honorem S. Iosephi, Sponsi B. MARIAE V.

Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem SSmo Dno tributis, Oratoris precibus benigne annuit, dummodo indubie constet de earumdem benedictionum formularum approbatione. Contrariis non obstantibus quibuscumque. 14 Mar. 1864

Die 14 Martii 1864.

C. Epus Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.
D. Bartolini S. R. C. Secr.

CRUCES SECUS VIAS ERIGENDI FACULTAS

MISSIONARIIS NOSTRIS CONCEDITUR.

Societatis IESU.

PIO IX Pont. Max. Quum Rmus P. Petrus Beckx, Praepositus Generalis Societatis IESU, privilegium perpetuum a SSmo D. N. Pio Papa IX supplicibus votis imploraverit, vi cuius Missionarii eiusdem Societatis, in fine vel decursu sacrarum missionum quae ab ipsis peraguntur, benedicere et erigere valeant secus vias cruces erigi solitas; Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem SSmo Dno tributis, pro gratia benigne annuit, dummodo in benedictione harum crucium adhibeatur formula, vel in Rituali praescripta, vel a Sancta Sede apposite approbata. Contrariis non obstantibus quibuscumque. 14 Mar. 1864

Die 14 Martii 1864.

C. Epus Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.
D. Bartolini S. R. C. Secr.

FACULTAS RECITANDI SIMUL OFFICIUM LOCI

TEMPORE EXERCITIORUM SPIRITUALIUM.

Societatis Iesu.

PIO IX Pont. Max.

Ad promovendam pietatem et spiritum recollectionis in Sacerdotibus aliisque ecclesiasticis viris, sive saecularibus sive Regularibus, qui ad Spiritualia Exercitia per aliquot dies peragenda in unum congregantur, et ad vitanda incommoda quae ex privata horarum canonicarum recitatione oboriri, et hinc bono Exercitiorum fructui officere pronum est: Apostolica Sedes, primum Presbyteris Congregationis Missionis, ac deinde Patribus Societatis Iesu in Urbe degentibus, aliisque Regularibus Ordinibus iam pridem indulsit, ut Sacerdotes aliique ecclesiastici viri onere divini officii recitandi adscripti, sive saeculares sint sive Regulares, et etiam beneficiati, simul recitantes officium loci in quo Exercitia Spiritualia obeunt sub directione eorumdem Presbyterorum Missionis, seu Patrum Societatis Iesu, seu aliarum Regularium familiarum, hoc ipso obligationi divini officii satisfaciant, quocumque demum titulo horas canonicas ipsi persolvant.

Iamvero, quum pro aliis etiam locis extra Urbem eaedem rationes militent, immo non raro graviora etiam ex diversitate kalendariorum incommoda oriri compertum sit, Rmus P. Petrus Beckx, Praepositus Generalis Societatis Iesu, SSmum Dominum nostrum Pium Papam IX suppliciter exoravit, ut facultatem superius memoratam generatim ad alia etiam loca, in quibus Sacerdotes aliique ecclesiastici viri sub directione Patrum Societatis Iesu ad Spirituales S. Ignatii Exercitationes obeundas congregantur, extendere dignaretur. **7 Iul. 1864**

Sanctitas porro Sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, precibus clementer annuere dignata est, sub lege tamen et conditione ut horae canonicae insimul persolvantur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 7 Iulii 1864.

C. Epus Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.

D. Bartolini S. R. C. Secr.

PII IX

BEATIFICATIO SERVI DEI PETRI CANISII,

SACERDOTIS PROFESSI E SOCIETATE IESU,

EIUSQUE OFFICII ET MISSAE CERTIS IN LOCIS CONCESSIO.

PIUS PAPA IX
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

PII IX

Exordium a providentia DEI, Luthero S. Ignatii Institutum et Ven. Petrum Canisium opponentis.

QUI CONTRA ECCLESIAM suam inferorum portas numquam praevalituras edixit Christus Dominus, quoties ad eam concutiendam ac turbandam perditi homines exorti sunt, strenuos continuo viros excitavit, qui sanctitate ac doctrina, duplici quasi muniti gladio, eorum audaciam frangerent, impetum viresque retardarent. Id certe, si saepe alias, funesta potissimum Lutheri aetate videre licuit, quum nimirum impius homo ac superbia elatus adversus Apostolicam Sedem, propugnaculum arcemque catholici nominis, rebellionis signum extulit, innumerosque disseminare coepit errores, quibus fidei integritatem in animarum perniciem contaminare niteretur. Neque enim sine providentis DEI consilio factum est, ut quo anno Ignatius Loyolaeus, Societatis IESU auctor et parens, in obsidione arcis Pampelonensis salutari vulnere prostratus iacuit, abiectisque militiae saecularis armis, ad praelianda praelia Domini se totum convertit, eodem ipso anno ederetur in lucem Ven. DEI famulus Petrus Canisius, qui olim in Ecclesiae castris, Ignatio auspice, contra novum hostium genus animose ac fortiter decertaret.

2 Aug. 1864

Petri ortus et vocatio ad Societatem IESU.

Hic enimvero Noviomagi in Belgio generosa stirpe ortus anno MDXXI, innocenter acta paternis in aedibus pueritia, Coloniam studiorum causa concessit, ibique, humanioribus litteris excultus, iuri civili, Lovanii postmodum sacris canonibus operam adiunxit, ac iam inde a prima aetate flagrare sic coepit ardore tuendae fidei, ut gloriosis certaminibus proludere quodammodo visus sit, quum verba e suggestu faciens haereticam pravitatem insectaretur. Quod quidem praeclarum studium ut facilius expleret, primus inter Germanos nuper fundatae Societati IESU nomen dedit, ab eoque proposito neque amplissimis paternae domus fortunis, neque honestissimis exhibitis nuptiis potuit vel minimum deterreri.

Primum Coloniae religionem tuetur.

Sacerdotio auctus, ad Ecclesiae defensionem vehementer exarsit, ac nihil sibi defugiendum duxit, quominus eidem laboranti succurrere, quacumque ratione posset, experiretur. A clero et populo Coloniensi, sincerae fidei retinentissimo, Legatus missus est ad Carolum V Imperatorem, itemque ad Georgium Austriacum Episcopum Leodiensem, ut ipsorum imploraret opem contra Hermannum

Ecclesiae Coloniensis Antistitem, qui, novarum opinionum captus illecebris, et haereticorum fraudibus irretitus, complures ex his Coloniam acciverat; nimirum in ovile Christi teterrimos lupos induxerat: remque Canisius ita prospere gessit, ut haud ita multo post ille, non pastor sed mercenarius, merito sit percussus anathemate, et a catholici gregis custodia deturbatus.

In Tridentino Concilio theologi munere fungitur.

Ac vix annum sextum supra vigesimum Petrus attigerat, cum a Cardinali Othone Truchsensi, Episcopo Augustano, qui viri scientiam virtutemque probe noverat, missus ad Concilium Tridentinum est, theologi nomine ac munere insignitus; in eoque frequentissimo catholicorum Patrum consessu nemini probata non est illius in disserendo doctrina, in explicandis quaestionibus consilii maturitas, in respondendo alacritas, in dicenda sententia gravitas et constantia. Exinde a S. Ignatio accersitus in Urbem, mox iussu illius politiores litteras publice docturus Messanam profectus est, idque munus, neque curis nec sollicitudine vacuum, summa cum laude in iuventutis commoditatem exercuit.

In Sicilia litteras docet.

In pluribus Germaniae partibus operam multiplicem impendit.

Elapso vix anno restitutus Germaniae fuit Ven. Petrus, ut ibi latissimo veluti in campo virtutem exerceret suam. Ingolstadium primo, Vindobonam deinde quum pervenisset, deplorare coactus est multa et gravia inflicta ab haereticis religioni vulnera; depravatos quippe offendit populi mores, collapsam ecclesiasticorum virorum disciplinam, neglectum templorum cultum, intermissum Sacramentorum usum, oppida pleraque suis orbata pastoribus. Quibus malis ut mederetur, tum voce, tum exemplo, cuius maxima esse solet ad persuadendum vis, plurimum laboravit. Maxime anxius ac sollicitus de studiorum ratione in lycaeis instauranda, pertinaci contentione hoc tandem est assecutus, ut, vocatis ad docendum probatae fidei magistris, sana iterum doctrina et scholastica theologia publice traderetur, a qua, utpote veritati catholicae explicandae opportunissima, Protestantes summopere abhorrebant. Per libellos erroribus refertos dispergi venenum cum cerneret, opportunum adhibere remedium cogitavit, Summam Catholicae Doctrinae conscribendo; idque operis tam enucleate, tam dilucide ac presse confecit, ut ad erudiendos catholica veritate populos in eaque confirmandos nihil eo libello accommodatius; isque proinde et probatus et exceptus ab Episcopis ac theologis fuit communi cum plausu, et in bonum animorum undequaque diffusus.

Iam vero strenuus hic vir, periculosissimo tempore Ecclesiae ad praesidium datus, quot et quam longa itinera susceperit per quinquaginta eoque amplius annos, quot aerumnas tulerit, quot molestias devoraverit, nemo facile cogitando assequi posset. Poloniam, Franconiam, Bavariam, Bohemiam, atque universam fere Germaniam religionis causa peragravit. Multis et civitatibus et provinciis saluti fuit; quarum alias ab imminenti contagione servavit immunes, alias ab inveterata errorum peste purgavit. In conventu Ratisbonensi, Petricoviensi et Augustano, catholicos Principes sacrosque Antistites excitavit, exacuit ad comprimendum haereticorum furorem, ad funestam flammam, quae in manifestum erumpebat incendium, restinguendam. In colloquio Wormatiensi, cum haereseos magistris in disputationis certamen palam ve-

PII IX

2 Aug. 1864

nit, tantamque exprompsit eruditionis copiam ac dicendi vim, ut eos, proiectae licet audaciae, ad silentium redegerit. Doctis ac laboriosis conscriptis voluminibus, Centuriatorum Magdeburgensium calumnias invicte refellit. Primus gubernandae Provinciae Germanicae a S. Ignatio praepositus, Collegia erudiendae iuventuti ubique excitavit, omnemque dedit operam, ut perpetuo constitueretur in Urbe Germanicum Collegium excipiendis eius nationis iuvenibus, qui, sub auspiciis Romanorum Pontificum bonis instituti moribus rectisque innutriti doctrinis, in patriam reversi, fortes tamquam Christi milites pervagantem haeresim debellarent. Quo vero advolare ipse nequibat, illuc ecclesiasticos mittebat viros, suae charitatis aemulatores, qui in purgando excolendoque agro Domini utiliter insudarent.

Legationes pro Rom. Pontifice gerit.

A Legatis Pontificiis revocatus in Concilium fuit, suam ut scientiam et operam, satis iam probatam et cognitam, in rei catholicae subsidium impenderet. Plures easque gravissimas a Romanis Pontificibus, decessoribus Nostris, legationes accepit, quippe qui summa apud eos florebat opinione doctrinae et sanctitatis. A Paulo IV missus in Poloniam est, ut religionem ibi in discrimen adductam erigeret, recrearet; a Pio IV creatus Legatus est ad Episcopos et Principes Germaniae, graviter apud illos acturus ut exciperentur ac promulgarentur Concilii Tridentini decreta, ad fulciendam fidem, ad emendandam morum disciplinam. Denique a Gregorio XIII in pluribus atque impeditissimis Ecclesiae negotiis adhibitus, omnia ex Pontificis sententia, multis superatis et difficultatibus et periculis, feliciter expediit; nullis enim neque conviciis, neque minis, neque ipsa capitis dimicatione prohiberi umquam potuit, quin ad religionem, quae perfidiosis Protestantium artibus maxime laboraret, sublevandam, omnes animi corporisque vires intenderet.

Virtutibus, praesertim humilitate, obedientia et castitate insignis,

Tam multis distractus curis, nihil ut otii, nulla ut reliqua illi foret particula subsecivi temporis, magnam noctis partem necessariae quieti subtrahens precationi dabat, atque in rerum coelestium meditatione defixus tantam capiebat iucunditatem, ut vim lacrymarum plerumque profunderet. Quamquam a Summis Pontificibus, atque a viris dignitate ac virtute conspicuis, in primisque a SS. Carolo Borromaeo et Philippo Nerio, magno in pretio haberetur, de se nihilominus tam demisse atque abiecte sentiebat, ut ultro delatum semel atque iterum Vindobonensem Episcopatum constanter detrectaverit, atque aegre admodum adductus sit, ut illius Ecclesiae procurationem apostolica auctoritate per anni spatium exerceret. Praecipuo quodam observantiae studio tenebatur erga Apostolicam Sedem, cui quidem omnia sua studia, contentiones, curas, omnes vitae rationes plane devoverat. Obedientiae virtutem tam sedulo excoluit, ut a suorum Praesidum voce nutuque penderet, ac nihil esset tam arduum ac difficile, quod non illorum auctoritate laetus atque alacer aggrederetur. Castitatem, cui servandae sese a primis annis voto obstrinxerat, ad extremum usque spiritum custodivit illaesam, idque potissimum assecutus est omni asperitatum genere corpus affligendo, atque ad exemplum Apostoli Pauli in servitutem redigendo, ne adversus spiritum reluctaretur atque insolesce-

Friburgi obiit anno 1597.

ret. Tandem Friburgum Helvetiorum ire iussus, quum ibidem pro gloria divini Nominis, pro salute animarum multa ac praeclara gessisset, non aetate magis quam diuturnis laboribus fractus, placidissime quievit in osculo Domini anno MDXCVII, aetatis suae septuagesimo septimo.

Pridem instituto in Helvetia et Urbe de eius virtutibus et miraculis iudicio,

Quae de Ven. Petri virtute praestanti atque eximia hominum animis opinio insederat, magis invaluit posteaquam ipse ex hac mortali statione recessit. Hinc annis MDCXXV et MDCXXX per sacros Antistites Lausanensem et Frisingensem curatum est, ut de illius vita rebusque gestis acta conficerentur; verum suborti bellorum tumultus, quominus absolvi illa possent, prohibuerunt. Quapropter anno MDCCXXX, peractis omnibus quae sunt ex Ecclesiae sanctionibus necessaria, ad Apostolicam Sedem delata causa fuit; cuius tamen cursus intercisus mansit, excitatis turbulentissimis rei sacrae ac publicae tempestatibus. Compositis tandem rebus, ad consilium venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus tuendis praepositorum, agitari coepit de virtutibus, quibus Ven. DEI famulus emicuisset; ac diligenti adhibita pervestigatione, heroicum illas culmen attigisse declaravit fel. mem. Gregorius XVI, praedecessor Noster, quinto kal. Februarii anni MDCCCXLIV. Postmodum institutum iudicium est de quatuor miraculis, quae, Ven. Petro deprecante, a DEO patrata dicebantur, omnique iudicii severitate adhibita, rebusque omnibus diu multumque perpensis, de illorum prodigiorum veritate constare decrevimus decimo quinto kal. Maii, anno vertente MDCCCLXIV.

Nihil proinde supererat, quam ut in eodem Cardinalium consilio disceptaretur, num Ven. Petro decerni tuto possent BB. Coelitum honores. In generali itaque conventu Vaticanis in aedibus coram Nobis habito octavo kal. Iulii vertentis anni, tum iidem Cardinales, tum quotquot aderant Consultores unanimi suffragio censuerunt, commemoratum Dei famulum tuto posse Beatum declarari cum omnibus indultis, donec illius canonizationis solemnia celebrentur. Nos vero, posteaquam a Patre luminum, ut Nobis in tanti momenti re propitius adesse vellet, iteratis precibus postulassemus, de Beatorum honoribus Ven. Petro deferendis sententiam protulimus decreto edito octavo kal. Iulii anni huius vertentis.

Beatorum fastis adscribitur.

Quamobrem, ut in tanta temporum iniquitate, qua impiorum armis Ecclesia DEI vehementer oppugnatur, habeant fideles in hoc acerrimo catholicae fidei vindice luculentum prae oculis exemplar, quod imitentur in custodiendo pretioso fidei thesauro, sine quo obtineri aeterna salus nequit, ac precibus Nos permoti omnium fere sacrorum Germaniae Antistitum, et universae Societatis IESU, de consilio et assensu venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium legitimis Ritibus cognoscendis praepositorum, auctoritate Nostra apostolica, tenore praesentium facultatem impertimur, ut memoratus Ven. DEI famulus Petrus Canisius Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus et lipsana seu reliquiae (non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae) publicae fidelium venerationi proponantur. Praeterea eadem auctoritate concedimus, ut de illo recitetur

Officii et Missae de eodem concessio.

Missa et officium de communi Con-

PII IX fessoris non Pontificis, cum orationibus propriis a Nobis approbatis, iuxta rubricas Missalis et Breviarii romani. Eiusmodi vero officii recitationem concedimus fieri dumtaxat in dioecesibus Ultraiectensi et Lausanensi, atque in templis ac Domibus ubi Societas Iesu instituta reperiatur, die vigesima septima Aprilis, ab omnibus Christi fidelibus tam saecularibus quam Regularibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et, quod ad Missas attinet, ab omnibus Sacerdotibus ad templa, in quibus festum agitur, confluentibus. Denique concedimus ut, anno a datis hisce litteris primo, solemnia beatificationis Ven. Servi Dei Petri Canisii in templis ante dictarum dioecesium et Societatis Iesu celebrentur cum officio et Missa duplicis maioris ritus; idque fieri praecipimus die per Ordinarios indicenda, et postquam eadem solemnia in basilica Vaticana celebrata sint. 2 Aug. 1864

Clausulae. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam typo impressis, dummodo manu Secretarii praedictae Congregationis Sacrorum Rituum subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce ostensis litteris, haberetur.

Datum ex Arce Gandulphi, sub annulo Piscatoris, die secundo mensis Augusti anni MDCCCLXIV, Pontificatus Nostri undevigesimo.

N. Card. Paracciani Clarelli.

CONGREGATIONUM B. MARIAE VIRGINIS EXEMPTIO

A CONSTITUTIONE CLEMENTINA.

PIO IX Pont. Max. *Cum a Sacra Congregatione Indulgentiarum, die 8 Ianuarii 1861, prodiisset decretum super institutionibus seu erectionibus et aggregationibus Confraternitatum seu Congregationum, quo commendatur et iniungitur observantia Constitutionis Clementinae incipientis Quaecumque a Sede Apostolica: non multo post Emus eiusdem Sacrae Congregationis Praefectus, Cardinalis Asquinius, privatim nos monuit, per hoc decretum neque infirmari, neque attingi privilegium aggregandi Sodalitates ad Primariam Urbis Congregationem, quod Societati Iesu confirmatum est atque ampliatum a Leone XII, litteris Apostolicis Cum multa in Urbe, die 17 Mai 1824, et rescripto dato die 7 Martii 1825.*

Et sane cum erectiones et aggregationes Sodalitatum gratis omnino a nobis fiant, cum aggregationis vel erectionis formula, qua utimur, iampridem recognita et approbata fuerit, cum nullae Sodalitates erigantur in locis Ordinario obnoxiis, sine praevio eiusdem Ordinarii permissu, cum denique sine ulla querela et magno cum animarum bono Sodalitates nostrae hactenus processerint, vix ullus poterat esse locus dubitandi de integritate privilegii nobis ab Apostolica Sede collati. 29 Aug. 1864

Attamen, ad omnem dubitationem excludendam, demisse rogat Orator ab Eminentiis vestris, ut authentico responso declarare dignemini: Utrum Sacrae Congregationis Indulgentiarum mens

PIO IX Pont. Max.

fuerit, per supra dictum decretum infirmandi privilegium a Leone XII sancitum, quo Societati IESU potestas facta est Sodalitates erigendi vel aggregandi ad primariam Urbis Congregationem B. MARIAE V. ab Angelo salutatae?

Die 29 Februarii 1864. Dilata, et afferantur decreta erectionis Primariae Urbis Congregationis, nec non litterae apostolicae Leonis Papae XII confirmantes privilegium.

Societatis IESU.

Per decretum huius Sacrae Congregationis Indulgentiarum latum die 8 Ianuarii 1861 super institutionibus et aggregationibus Confraternitatum seu Congregationum, iniungitur ac praescribitur observantia constitutionis Clementinae fel. rec. Papae VIII incipiens QUAECUMQUE, circa modum instituendi et aggregandi Confraternitates, omnino adhibendum ab Ordinibus Regularibus et Archiconfraternitatibus. Suborta hinc fuit dubitatio, num infirmari inde censeatur facultas instituendi et aggregandi, qua Congregatio Primaria B. MARIAE V. sub titulo Annuntiationis in Urbe fruitur. 29 Aug. 1864

Quapropter R. P. Praepositus Generalis Societatis IESU huic Sacrae Congregationi sequens dubium proponendum curavit: Utrum in praefato decreto 8 Ianuarii 1861 comprehendantur institutiones et aggregationes fieri solitae a Congregatione B. MARIAE V. ab Angelo salutatae in Collegio Romano erecta, nuncupata Prima Primaria, iuxta peculiarem et propriam formulam, qua, vi concessionum plurium Summorum Pontificum, illius Societatis Moderatores usi sunt et adhuc utuntur?

Sacra Congregatio, in generalibus comitiis habitis apud Vaticanum die 29 Augusti 1864, auditis Consultorum votis, et re mature perpensa, respondendum duxit: Non comprehendi.

A. M. Card. Panebianco Praef.
Ph. Cossa Substitutus.

CONCESSIO MISSAE DE B. IOANNE BERCHMANS

IN UNA DOMINICA NOVEMBRIS AD LIBITUM

COLLEGIIS, SEMINARIIS ET SCHOLIS SOCIETATIS IESU.

Societatis IESU.

PIO IX Pont. Max.

Quum R. P. Boero, Sacerdos Professus Societatis IESU, et causarum Servorum DEI eiusdem Societatis Postulator, Sanctissimo Domino nostro Pio Papae IX exposuerit, festum B. Ioannis Berchmans in memoratae Societatis Collegiis, Seminariis et scholis extra Italiam difficillime posse celebrari idibus Augusti; ab eodem Sanctissimo Domino postulavit, ut, salvo semper pro omnibus Societatis IESU Patribus die in brevi praefixo, liceat in praefatorum Collegiorum, Seminariorum et scholarum ecclesiis, oratoriis et Congregationibus ubi scholares, tum externi tum domestici, convenire de more solent, celebrare festum B. Ioannis cum Missa propria 23 Nov. 1865

PIO IX Pont. Max. a Sancta Sede pro Societate IESU approbata, illa mensis Novembris dominica quae magis libuerit.

Sanctitas porro Sua, ad relationem subscripti Sacrorum Rituum Congregationis Secretarii, pro gratia benigne annuere dignata est iuxta preces, dummodo non occurrat duplex primae vel secundae classis ac dominica prima sacri Adventus, servatisque rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. **23 Nov. 1865**

Die 23 Novembris 1865.

C. Epus Portuen et. S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.

D. Bartolini S. R. C. Secr.

PII IX

NOVAE SODALITATUM BONAE MORTIS INDULGENTIAE.

PIUS PAPA IX
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

PII IX AD AUGENDAM fidelium religionem animarumque salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis confratribus et consororibus nunc et pro tempore exsistentibus in Congregatione Primaria sub titulo Bonae Mortis canonice, ut praefertur, erecta in ecclesia a IESU nuncupata adnexa Domui Professae Clericorum Regularium Societatis IESU de Urbe, nec non sodalibus aliarum Congregationum sub eodem titulo praefatae Congregationi Primariae iam aggregatarum vel aggregandarum, qui vere poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti, respectivae Congregationis ecclesiam seu cappellam vel oratorium, Dominica tertia post Pascha Resurrectionis immediate sequenti, et Dominica tertia mensis Septembris, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad DEUM preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christi fidelium, quae DEO in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. **23 Ian. 1866**

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notari publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ahibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesima tertia Ianuarii MDCCCLXVI, Pontificatus Nostri anno vigesimo.

Pro D. Card. Paracciani Clarelli,
I. B. Brancaleoni Castellani Substit.

FORMULAE IN BENEDICENDA AQUA S. IGNATII USITATAE

APPROBATIO.

PIO IX Pont. Max.

30 Aug. 1866

* *Beatissimo Padre,*

Il P. Pietro Beckx, Preposito Generale della Compagnia di Gesù, prostrato ai piedi di V. S., espone umilmente, che fin da tempo immemorabile, hanno avuto in uso i Padri della Compagnia di distribuire agl'infermi e ad altre persone devote dell'acqua benedetta ad onore di S. Ignazio, la quale per divina misericordia ha prodotto in ogni tempo, massimamente in occasione di pestilenza, molti e salutari effetti.

Or la formola di questa benedizione trovasi fin da tempo remotissimo stampata in più luoghi, e qui pure in Roma, con licenza e facoltà degli Ordinarii: ma per quante ricerche si sieno fatte, non c'è stato dato finora di rinvenire la formale e speciale approvazione della medesima. Perciò a procedere con più sicurezza ed a rendere più autentica la detta formola e a fomentare maggiormente la fiducia nei fedeli, che ora e nel Belgio e nella Francia, ove mena strage il morbo asiatico, richieggono a grande istanza di quest'acqua benedetta, l'Oratore supplica la Santità Vostra a degnarsi di confermare con la sua autorità l'uso della formola qui annessa, e insieme di concedergli la facoltà di poterlo comunicare, previo l'assenso degli Ordinarii, ad altri Sacerdoti, nei luoghi ove non sieno case nè Padri della Compagnia.

E della grazia etc.

MODUS BENEDICENDI AQUAM S. IGNATII CONFESSORIS.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Sit nomen Domini benedictum,

℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

℣. Domine, exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui benedictionis tuae

---

* Beatissime Pater,

P. Petrus Beckx, Praepositus Generalis Societatis Iesu, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, demississime exponit, Patres Societatis inde ab immemorabili tempore suppeditare consuevisse tum aegrotis, tum piis aliis hominibus, aquam in honorem S. Ignatii benedictam, ex qua, ope divinae misericordiae, omni tempore, maxime vero saeviente peste, salutares effectus profluxere.

Iam vero huius benedictionis formula ab antiquissimis temporibus typis edita multis in locis reperitur, atque etiam hic Romae, bona cum Ordinariorum venia ac potestate; sed, quamvis diu multumque investigatum sit, nondum eiusdem propriam ac peculiarem approbationem invenire potuimus. Quare, et ad tutius agendum, et ad eius formulae augendam auctoritatem, maioremque ingerendam fiduciam Christi fidelibus, qui nunc et in Belgio, et in Gallia, ubi morbus asiaticus grassatur, hanc aquam enixe postulant; Orator supplex rogat Sanctitatem Tuam, ut auctoritate sua sancire velit usum formulae quam subiicimus, facta simul potestate eum, annuentibus Ordinariis, etiam aliis Sacerdotibus concedendi, ubi Domus et Patres Societatis non extiterint. Pro qua gratia etc.

gratiam aegris infundendo corporibus facturam tuam multiplici pietate custodis: ad invocationem nominis tui benignus assiste, ut, intercedente beato Ignatio Confessore tuo, famulos tuos, ab aegritudine liberatos et sanitate donatos, dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiae tuae sanctae cum omni prosperitate restituas. Per Dominum nostrum etc.

Immergitur aquae numisma seu reliquiarum S. Ignatii, et immersum tenetur usque ad finem huius orationis.

Bene✠dic, Domine, hanc aquam, ut sit remedium salutare generi humano, et per intercessionem beati Ignatii, cuius numisma (*vel* reliquiae) in eam immergitur (*vel* immerguntur) praesta; ut, quicumque ex ea sumpserint, corporis sanitatem et animae tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum.

Educitur ex aqua numisma reu reliquiarium.

OREMUS.

Deus, qui, ad maiorem tui nominis gloriam propagandam, novo per beatum Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti; concede, ut, eius auxilio et imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in coelis. Per Dominum nostrum etc.

Societatis IESU.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX, clementer deferens supplicibus votis Rmi Patris Petri Beckx, Praepositi Generalis Societatis IESU, a subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario relatis, supra scriptam formulam ad benedicendam aquam a S. Ignatio Confessore nuncupatam, a Sacra Rituum Congregatione diligenter revisam et correctam, uti in superiori exemplari prostat, suprema auctoritate sua approbavit, indulsitque ut eadem formula in benedictione praedictae aequae uti valeant Sacerdotes Alumni Societatis ipsius.

Quum autem memoratus Rmus Pater Praepositus Generalis exquisiverit etiam ab eodem Sanctissimo Domino Nostro, ut iis in locis, in quibus non exstant Domus Societatis suae, ad hanc benedictionem delegare valeat alios quoque Sacerdotes, de consensu tamen Ordinarii dioecesani, Sanctitas Sua clementer annuit, ut praefata benedictionis formula adhiberi possit in illis dioecesibus, quarum Ordinarii a Sacra Rituum Congregatione eiusdem extensionem petierint, et pro iis tantum locis, ubi non adsint Domus Societatis IESU. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

De 30 Augusti 1866.

C. Epus Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.

Pro R. P. D. Dominico Bartolini Secr.,

Iosephus Ciccolini Subst.

PII IX

BEATIFICATIO PLURIMORUM MARTYRUM IAPONENSIUM

E SOCIETATE IESU ET EX ALIIS RELIGIOSIS ORDINIBUS.

PIUS PAPA IX
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

7 Mai. 1867

PII IX

In Martyribus vincit Christus.

MARTYRUM RIGATA SANGUINE vel ab ipsis suis primordiis, Ecclesia exhibere postea numquam destitit miranda exempla fortitudinis; quippe dum ad labefactandam Christi militum firmitatem nova excogitarent tyranni suppliciorum genera, auxerunt ad sempiternum Ecclesiae decus fortissimorum heroum coronas et palmas. Id porro non sine providentissimo DEI consilio factum est: nimirum ut manifeste constaret durissimo certamini e coelis adfuisse Auctorem fidei nostrae Christum IESUM, qui, ut scripsit S. Cyprianus, praeliatores et assertores sui nominis in acie confirmavit, erexit; qui pugnavit et vicit in servis suis.

Iaponia saeculo XVII per 25 annos ferax martyrum fuit,

Iamvero ab anno MDCXVII usque ad annum MDCXXXII ferax martyrum Iaponia fuit, excitato dirissimae insectationis turbine adversus Christi religionem, quae faciliter illuc fuerat per Evangelii praecones invecta. Etenim, posteaquam Taicosama Iaponiae Imperator inaudito quodam furore exarsit ad exstinguendum ibi penitus christianum nomen, cumque anno MDXCVII viginti sex strenuos verae fidei defensores crucis supplicio interemisset, eius in imperio successores tantam immanitatem furoremque, nedum aemulati sunt, sed longe etiam superarunt. Edita quippe lex fuit, ne quis christianos et praesertim Sacerdotes iuvaret, exciperet; secus exilio, proscriptione bonorum atque ipsa poena capitis mulctaretur; cruces, arae, templa et quaelibet religionis sanctissimae monumenta, praeconis voce disiecta passim ac deleta; ad tentandam vero christianorum in fide constantiam exquisitissima quaeque tormenta adhibita, quae meminisse animus, nedum enarrare reformidat. Aliis enim in crucem actis transverberatum ferro latus fuit; alii inverso capite cruci affixi, plures foedissime dilaniati ac membratim caesi; plerique lento igne combusti; non pauci sulfureis vel gelidis demersi aquis, mortem obierunt poenarum diuturnitate acerbissimam; alii denique fame, siti, verberibus et squalore carceris afflicti, enecti, mortalem hanc vitam cum immortali ac beata commutarunt.

quorum constantia priscorum Ecclesiae temporum memoriam refert.

Tantam vero suppliciorum atrocitatem animo sic erecto atque alacri perpessi sunt, ut priscorum Ecclesiae martyrum robur ac firmitatem plane retulerint. Steterunt scilicet, ut S. Cypriani verbis utamur, torquentibus fortiores, et saevissima diu plaga repetita inexpugnabilem fidem expugnare non potuit. Neque Sacerdotes dumtaxat et evangelicae doctrinae

PII IX

7 Mai. 1867

praecones animosi ac firmi in agone manserunt; sed utriusque sexus et cuiuscumque conditionis, aetatis homines, scilicet Dynastae spectatissimi, et regio prognati sanguine viri, matronae nobiles, tenerae virgines, confecti aetate senes, adolescentes, et pueri ac puellae quatuor etiam annorum, sic ut tam inaudita virtus animique constantia referri prorsus accepta debeat gratiae coelestis auxilio.

De ducentis quinque,

Mille et amplius recensentur, qui in diuturno illo plurium annorum certamine christianam fidem fuso sanguine confirmarunt; sed tamen de omnibus inquiri minime potuit auctoritate apostolica. Etenim saeviente in Christi fideles tanto furoris aestu, Matriti solum in Hispania, Maniliae in insulis Philippinis, et Macai in Sinis inquisitionis tabulae confectae sunt. Nihilominus plerique idonei testes de more rogati ea protulerunt, ex quibus martyrii veritas bis centum et quinque heroum liquido constet.

quos inter aliqui ex Ordine S. Dominici,

In hoc glorioso martyrum agmine plures, partim Sacerdotes partim laici, spectant ad Religiosum Ordinem Fratrum Praedicatorum S. Dominici; interque eos eminent Alphonsus Navarrete, Aloisius Flores, Angelus Orsucci, Franciscus de Morales, Alphonsus de Mena, Dominicus Castellet;

S. Francisci,

non paucos suos esse gloriatur Religiosus Ordo Fratrum Minorum S. Francisci, quos inter illustriores sunt Petrus ab Assumptione, Petrus de Avila, Ricardus a S. Anna, Apollinaris Franco, Franciscus a S. Maria, Antonius a S. Bonaventura; plerosque ad se pertinere gaudet Religio-

Eremitarum S. Augustini,

sus Ordo Eremitarum S. Augustini, magisque conspicui inter eos sunt Ferdinandus a S. Iosepho, Petrus de Zuniga, Bartholomaeus Gutierrez, Vincentius Carvalho; tandem suorum etiam martyrum palmis decorata est Societas Iesu, atque in eis praestant Carolus Spinola, Franciscus Pacheco, Camillus Costanzo, Paulus Navarro, Hieronymus de Angelis et Michael Carvalho.

et Societatis Iesu,

Sequuntur saeculares homines in martyrio socii, Andreas Tocuan, Simon Quiota, et Magdalena eius uxor, Gaspar Cotenda cum Apollonia eius matertera, et Magdalena Kyota, qui ortum ducebant ab stirpe Regum Bungensium, Arimensium et Firandensium; Antonius Coray eiusque coniux Maria, Ioannes adolescens annorum duodecim, et Petrus trium annorum puer, illorum filii; Lucia Fleites octogenaria, et Dominicus Giorgi cum uxore Elisabetha Fernandez, et Ignatio filio puerulo annorum quatuor ad martyrii locum a lictoribus perducto; de quo puero illud in actis legitur prodigio simile, quod cum immotus, nullumque eiulatum edens, revulsum matris caput conspexisset, perinde ac si parenti suae in fidei confessione sociari gestiret, eadem qua parens alacritate, circumfusa obstupescente multitudine, cerviculam lictori praecidendam obtulerit. Reliquorum autem martyrum nomina adiectus hisce litteris catalogus exhibebit.

atque plurimi saeculares,

testimonia ad S. Sedem relata sunt.

Post pretiosam in conspectu Domini iustorum mortem, quae, ut idem S. Cyprianus scripsit, emit immortalitatem pretio sanguinis et accepit coronam de consummatione virtutis, statim coepta sunt exarari acta ad causae cognitionem necessaria, iisque in Congregatione Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum accurate perpensis, ad preces Hispaniae Regis et quatuor Ordinum Religiosorum, quos supra nominavimus, fel. rec.

Urbanus VIII, praecessor Noster, litteras manu sua signavit, quibus inquisitio committeretur apostolica auctoritate instituenda. Proinde, tum Maniliae in insulis Philippinis, tum semel et iterum Macai in Sinis, legitimae inquisitionis confectis tabulis, iisque ad Urbem transmissis, ex concessione Innocentii XI, praecessoris Nostri, decimo tertio kal. Aprilis, anno MDCLXXVII, habita est peculiaris Sacrorum Rituum Congregatio, in qua statutum fuit ut primum quaestio proponeretur: An constaret de martyrio ex parte tyranni; eademque agitata quaestio est in alio eiusdem peculiaris Congregationis conventu, octavo kal. Februarii anni MDCLXXXVII, ac decretum prodiit ab eodem praedecessore Nostro approbatum: Constare scilicet de martyrio ex parte tyranni in casu de quo agitur.

Soluta duplici quaestione de martyrio, et altera de miraculis,

Altera exinde quaestio agitanda supererat: An constaret de martyrio ex parte passorum. Quae tamen quaestio ratione temporum aliisque rerum adiunctis ad haec usque tempora intermissa mansit. Atque id opportune admodum dixerimus contigisse, scilicet ut quum, aetate hac nostra rei sacrae ac publicae luctuosa, a perditis hominibus catholica religio vehementius ac perfidius oppugnetur, tam insigni proposita christianorum heroum de tyranno victoria, novo tamquam gravique argumento religionis sanctissimae probetur divinitas, deque tantae virtutis portento iure laetetur ac triumphet Ecclesia; deinde ut clementissimus DEUS, regiones illas respiciens perfusas olim innocuo fidelium sanguine, obseptum tot annos illuc aditum Evangelii praeconibus recludat, ad miseras gentes salutari doctrina recreandas. Haec Nos animo reputantes, ac permoti precibus Ordinum praedictorum et Vicariorum apostolicorum regionum Iaponiae finitimarum, concessimus ut huiusmodi causae intermissa cognitio rursus institueretur; servataque priori iudicii forma, peculiarem Congregationem selegimus Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum, quae causam illam post accuratam disceptationem ad exitum perduceret. Quapropter proposita duplex quaestio fuit: An, stante approbatione martyrii ex parte tyranni, ita constet de martyrio ex parte passorum, ut procedi possit ad ulteriora; deinde: An et de quibus miraculis seu signis constet in casu. De utraque hac quaestione diligenter est disputatum; ac tum Cardinales, tum adstantes ex officio Praesules sententiam suam dixerunt. Illam tamen confirmare supremo Nostro iudicio distulimus, donec Patrem luminum impense precati essemus, ut in re tanti momenti mentem Nostram lucis suae radiis illustraret. Tandem feria tertia post dominicam Sexagesimae, in qua memoria recolitur cruciatuum, quos pro salute nostra passus est humani generis vindex Christus Dominus, decretum vulgari iussimus in haec verba: primum, ita constare de martyrio ex parte passorum, ut in casu de quo agitur procedi possit ad beatificationem; secundo, constare de signis quarto, decimo secundo, decimo tertio, decimo quarto.

de assensu Congregationis Sacrorum Rituum,

Illud supererat, ut Cardinales Sacris Ritibus praepositi de more interrogarentur, num censerent tuto procedi posse ad venerabiles DEI famulos Beatorum ordini accensendos. Qui, cum idibus Aprilis currentis anni apud Nos convenissent, de Consultorum etiam suffragio, affirmativam

sententiam protulerunt. Nos porro, prius quam mentem Nostram panderemus, exspectare adhuc voluimus, ad precandum bonorum omnium auctorem DEUM, ut Nobis in re gravissima volens propitius adesset; ac denique die sacra S. Catharinae Senensi, patronae secundariae almae Urbis, palam ediximus, tuto procedi posse ad solemnem horum Venerabilium Servorum DEI beatificationem.

Beatorum fastis adscribuntur.

Nos igitur, ad preces quatuor Ordinum Religiosorum quos supra memoravimus, nec non Vicariorum apostolicorum, qui christiano gregi advigilant in regionibus Iaponiae finitimis, de consilio venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium legitimis Ritibus praepositorum, auctoritate apostolica, per has litteras facultatem facimus, ut Venerabiles DEI famuli Alphonsus Navarrete, Aloisius Flores, Angelus Orsucci, Ordinis Praedicatorum; Petrus de Avila, Petrus ab Assumptione et Ricardus a S. Anna, Ordinis Minorum S. Francisci; Petrus de Zuniga, Ferdinandus a S. Iosepho, Bartholomaeus Gutierrez, Ordinis Eremitarum S. Augustini; Carolus Spinola, Franciscus Pacheco, Societatis IESU; Ioachimus Firayama seu Diaz, Lucia Fleites, aliique in martyrio socii, tam Religiosi Fratres ex memoratis Ordinibus quam etiam saeculares, Beati nomine in posterum appellentur, eorumque corpora et lipsana seu reliquiae (solemnibus supplicationibus exceptis) publicae venerationi fidelium proponantur.

Officium et Missa de ipsis recitari conceditur.

Insuper eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de illis recitetur quotannis die indicenda officium et Missa de communi plurimorum Martyrum, iuxta rubricas Missalis et Breviarii romani. Eiusdem vero officii recitationem fieri concedimus in Domibus ac templis quatuor Religiosorum Ordinum supra dictorum, ab omnibus Christi fidelibus tam saecularibus quam Regularibus, qui horas canonicas recitare teneantur; et, quod ad Missas attinet, etiam a Sacerdotibus, qui rem divinam facient in sacris templis, in quibus Beatorum festum celebretur. Denique concedimus ut anno ab hisce litteris datis primo solemnia beatificationis Venerabilium DEI famulorum in ecclesiis dictorum Ordinum peragantur, cum officio et Missis duplicis maioris ritus, idque fieri mandamus die ab Ordinariis sacris Praesidibus indicendo, et postea quam eadem solemnia in Vaticana Nostra basilica fuerint celebrata.

Clausulae.

Non obstantibus constitutionibus apostolicis, nec non decretis de non cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii dictae Congregationis subscripta et Praefecti sigillo munita sint, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce litteris ostensis, haberetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die septimo Maii, MDCCCLXVII, Pontificatus Nostri anno vigesimo primo.

N. Card. Paracciani Clarelli.

NOMINA MARTYRUM SOCIETATIS IESU

E CATALOGO CCV MARTYRUM IAPONENSIUM EXCERPTA.

Die 22 Maii 1617 martyrium fecit:

1. B. Ioannes Baptista Machado, Sac. Lusitanus.

Die 18 Novembris 1619.

2. B. Leonardus Chimura, Coad. temp. Iaponensis.

Die 7 Ianuarii 1620.

3. B. Ambrosius Fernandez, Coad. temp. Lusit.

Die 10 Augusti 1622.

4. B. Augustinus Ota, Iap.

Die 10 Septembris 1622.

5. B. Carolus Spinola, Sac. Italus.
6. B. Sebastianus Chimura, Sac. Iap.
7. B. Gonzalus Fusai, Schol. Iap.
8. B. Antonius Chiuni, Schol. Iap.
9. B. Petrus Sampò, Schol. Iap.
10. B. Michael Xumpò, Schol. Iap.
11. B. Ioannes Ciongocù, Schol. Iap.
12. B. Ioannes Acafoxi, Schol. Iap.
13. B. Ludovicus Cavara, Schol. Iap.

Die 15 Septembris 1622.

14. B. Camillus Costanzo, Sac. Ital.

Die 1 Novembris 1622.

15. B. Petrus Paulus Navarro, Sac. Ital.
16. B. Dionysius Fugiximu, Iap.
17. B. Petrus Onizuchi, Iap.

Die 4 Decembris 1623.

18. B. Hieronymus de Angelis, Sac. Siculus.
19. B. Simon Iempo, Iap.

Die 22 Februarii 1624.

20. B. Iacobus Carvalho, Sac. Lusit.

Die 25 Augusti 1624.

21. B. Michael Carvalho, Sac. Lusit.

Die 15 Novembris 1624.

22. B. Franciscus Pacheco, Sac. Lusit.
23. B. Balthasar de Torres, Sac. Hisp.
24. B. Ioannes Baptista Zola, Sac. Ital.
25. B. Petrus Rinscei, Iap.
26. B. Vincentius Caum, Corean.
27. B. Ioannes Chinsaco, Iap.
28. B. Paulus Scinsuche, Iap.
29. B. Michael Tozò, Iap.
30. B. Gaspar Sadamatzu, Coad. temp. Iap.

Die 7 Septembris 1627.

31. B. Thomas Tzugi, Sac. Iap.

Die 25 Decembris 1628.

32. B. Michael Nacascima, Iap.

Die 3 Septembris 1632.

33. B. Antonius Ixida, Sac. Iap.

QUAENAM CENSEANTUR ECCLESIAE SOCIETATIS IESU

AD LUCRANDAS INDULGENTIAS EISDEM ECCLESIIS CONCESSAS.

Societatis IESU.

PIO IX Pont. Max.

18 Aug. 1868

Sacrae Congregationi expositum fuit, quod inter ecclesias in quibus Patres Societatis IESU exercent sacrum ministerium, praesertim post politicas superioris huiusque saeculi perturbationes, aliquae olim ad Societatem ipsam pertinebant, eidemque denuo restitutae sunt, aliae tamen ad Societatem IESU numquam proprie pertinuerunt, sed earum cura eidem Societati concredita est, ut ibidem obeat sui Ordinis ministeria. Quaerebatur porro utrum in utriusque generis ecclesiis fideles lucrari possint indulgentias, quae a S. Sede Apostolica concessae sunt visitantibus ecclesias Societatis IESU, occasione quorumdam festorum, ex. gr. S. Ignatii, S. Aloisii etc.

Relate ad primam partem quaesiti nulla occurrebat difficultas; si enim illegitime ecclesiae sublatae fuerint, in casu restitutionis, non solum de iure, sed etiam de facto ad Societatem ipsam spectant. Si vero aliqua ecclesia a Societate canonice subtracta sit, et deinde canonice pariter restituta, ad pristinum statum rediisse minime ambigendum est.

Sed cum relate ad secundam quaesiti partem rescriptum fuisset ut clarius exponeretur, id factum est hisce verbis: * *È nato dubbio se queste indulgenze possano guadagnarsi dai fedeli, non solo in quelle chiese che sono in vero senso proprie della Compagnia, ma eziandio in quelle altre, che sono date solamente in uso alla Compagnia. A questa specie appartengono per esempiò quelle, la cui proprietà è realmente dei Vescovi rispettivi; ma che quanto all'uso stabile e totale sono affidate alla Compagnia e sogliono chiamarsi chiese de' Gesuiti.*

Pluries haec Sacra Congregatio resolutiones ediderat, quae ad propositum dubium aliquo modo referri possent. Et revera die 11 Ianuarii 1862 declaraverat " omnes et singulas capellas publicas FF. Ordinis S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum in Germania, Polonia, Hungaria etc. exsistentes gaudere, donec residentiam inibi praefati Fratres duxerint, omnibus et singulis indulgentiis et privilegiis, caeteris ecclesiis eiusdem Ordinis generaliter concessis, dummodo ad illas capellas Christi fideles ad sacrum audiendum et ad percipienda Ecclesiae Sacramenta confluant. „ Etiam antea, die nempe 27 Martii 1732, eadem haec Sacra Congregatio ad preces Procuratoris Generalis FF. Ord. Min. S. Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, censuerat " ecclesias, capellas et oratoria publica in residentiis et hospitiis missio-

* Dubitatum est, an fideles lucrari has indulgentias possint, non solum in ecclesiis quae pressius Societatis propriae sunt, sed in iis quoque quae eidem in usum dumtaxat conceduntur. Huiusmodi, verbi gratia, sunt, quae ad suos quidem Episcopos proprio iure pertinent, at Societati penitus constanterque sunt traditae, ut iis utatur, vocarique solent ecclesiae Iesuitarum.

PIO IX Pont. Max. 18 Aug. 1868

num praefati Ordinis gaudere indulgentiis generaliter concessis omnibus ecclesiis Ordinis eiusdem, dummodo tamen ecclesiae et oratoria sint publica et fixa, et ad quae confluant fideles ad sacrum audiendum, et ad recipienda Ecclesiae Sacramenta. „ In hisce autem casibus, vel agebatur de ecclesiis et capellis propriis illorum Ordinum, vel quaestio respiciebat qualitatem dumtaxat capellarum atque ecclesiarum.

At vero aliter se res habuit, quando actum fuit de ecclesiis saecularium, in quibus per Religiosos divina officia seu Sacramenta administrabantur; tunc enim minime declaratum est praedictas ecclesias indulgentiis gaudere, sed potius speciale indultum communicationis indulgentiarum concessum est. Ita inter caetera indultum fuit per litteras apostolicas datas die 25 Iunii 1765, ut Christi fideles aliquam ex ecclesiis saecularium visitantes, quae in Provinciis ultra montes a Fratribus Ord. Min. Cappuccinorum administrantur, eas indulgentias consequantur, quas consequerentur si aliquam ex ecclesiis Ordinis visitarent.

Non immerito igitur distinguendae erant ecclesiae, quae, saltem quoad usum, propriae Ordinis dici possunt, ab ecclesiis in quibus Religiosi divina officia et Sacramenta tantum administrant, quin ullo modo propriae Ordinis dici possint, prout sunt ecclesiae arcium, stationum militum, et aliae huiusmodi, quibus aliqui Religiosi in spiritualibus inserviunt; cum priores quidem indulgentiis gaudeant, non vero secundae, nisi speciale apostolicum indultum obtentum fuerit.

Rebus huc adductis, opportunum visum fuit in casu exquirere a Rmo. P. Praeposito Gen. Soc. Iesu, an circa propositum dubium aliquid addendum existimaret; qui reapse ad caeteras animadversiones addidit responsum sui praedecessoris P. Vincentii Caraffa, datum die 6 Maii 1647, quod sic se habet; " Quaestione hic super agitata, tandem iudicatum fuit: Templa aliena simpliciter concessa nostris usibus, adeo ut quoad usum censeri possint nostra, gaudere privilegiis et indulgentiis templorum Societatis, quamdiu in his tamquam suis exercet sua ministeria „.

Quare tota quaestio in quatuor sequentia dubia distributa fuit, quae Sacrae Congregationi solvenda proposita fuere:

1.° An Christi fideles indulgentias concessas a S. Sede visitantibus ecclesias Societatis Iesu, lucrari possint visitando ecclesias, quae olim ad Societatem ipsam pertinebant, eidemque denuo restitutae sunt?

2.° An quoad alias ecclesias, quae numquam proprie ad Societatem ipsam pertinuerunt, sed earum cura eidem Societati legitime concredita est, ut ibidem obeat sui Ordinis ministeria, approbandum sit responsum datum a P. Vincentio Caraffa die 6 Maii 1647?

Et quatenus affirmative:

3.° Quasnam conditiones habere debeat concessio usus, ut ecclesiae concreditae quoad usum ipsum, censeri possint nostrae, nempe ipsius Societatis?

Et quatenus negative:

4.° Quomodo secundo dubio respondendum sit?

Itaque EEmi PP. in generalibus comitiis habitis apud Vaticanas aedes die 20 Iulii 1868, auditis Con-

PIO IX Pont. Max. sultorum votis et rebus mature perpensis, rescribi mandarunt:

Ad 1.m, Affirmative.

Ad 2.m, Affirmative, dummodo penes ecclesias, de quibus agitur, Patres Soc. Iesu resideant, et ministeria propria inibi obeant.

Ad 3.m, Concessionem usus debere esse legitimam, et usum constantem ac plenum, et dummodo huiusmodi ecclesiae sint publicae.

Ad 4.m, Provisum in secundo. 18 Aug. 1868

Facta denique de his omnibus SSmo D. N. Pio Papae IX relatione ab infra scripto Card. Praefecto in audientia diei 18 Augusti eiusdem anni, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis resolutionem benigne approbavit et confirmavit.

A. Card. Bizzarri Praef.
A. Colombo Secret.

CONCESSIO FESTI SACRATISSIMI CORDIS IESU

SUB RITU DUPLICI PRIMAE CLASSIS CUM OCTAVA.

Societatis Iesu.

PIO IX Pont. Max. Alumni Societatis Iesu, iam inde a tempore quo B. Margarita Maria Alacoque, divinitus illustrata, investigabiles divitias Sacri Cordis amantissimi Redemptoris hominibus magnificare coepit, plurimum allaborarunt, qua scriptis, qua praedicatione, qua exemplo, ipsius Sacri Cordis devotionem promovere et cultum per Orbem propagare.

Ut autem in hoc ministerio exercendo, quod veluti sibi proprium praefatae Societatis Alumni reputant, ardentiori in dies zelo inflammentur, Rmus P. Petrus Beckx, eiusdem Societatis Praepositus Generalis, a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX supplicibus votis postulavit, ut in kalendario Societatis suae amodo festum Sacratissimi Cordis Iesu, feria VI post octavam Sanctissimi Corporis Christi occurrens, inscribi valeat sub ritu duplici primae classis cum octava. Sanctitas porro Sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, attentis expositis, de specialissima gratia precibus clementer annuere dignata est. 28 Apr. 1870

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 28 Aprilis 1870.

C. Card. Patrizi Epus Portuen. et S. Rufinae S. R. C. Praef.
D. Bartolini S. R. C. Secr.

CONFIRMATIO CULTUS PRAESTITI B. PETRO FABRO

SACERDOTI PROFESSO E SOCIETATE IESU ET SOCIO S. IGNATII DE LOYOLA.

PIO IX Pont. Max. — **5 Sept. 1872**

In Allobrogum oppido Villareto dioecesis olim Gebennensis, primas hausit vitae auras Petrus Faber, alter ex apostolicis viris, qui inclytae Societatis Iesu illustrarunt primordia. A prima aetate pascendis gregibus in patria addictus, fuit deinceps eorum Sociorum primus, qui Ignatio de Loyola, in Parisiensi academia, in perfectiori ineundo vitae genere sese adiunxere; primus qui, nutu Pauli III Summi Pontificis, in Germaniam profectus, intemerata catholicae fidei dogmata et divinam Ecclesiae auctoritatem, qua voce, qua scriptis, invicto pectoris robore propugnavit. Inde per fere omnes provincias Belgii, Hispaniae et Lusitaniae discurrens, uberrimos fructus in dominico excolendo agro atque ab infestantium errorum lue servando, ubique collegit. Cum denique, consummatus in brevi tempora multa explevisset, kal. Augusti, anno reparatae salutis 1546, aetatis quadragesimo iam expleto, pretiosa morte quievit Romae, quo, licet fractus laboribus et attrita valetudine, paulo antea obedientiae causa concesserat. Adeo vero firma post se reliquit sanctitatis vestigia, ut signis quoque seu miraculis, ceu memoriae proditum est, a Deo illustratus, in sua potissimum patria, populi devotione et ecclesiastica veneratione coeperit protinus decorari. Hinc Villareti, in loco ipsius aedis in qua Petrus Faber lucem aspexerat, paulo post felicem eius decessum, publicum sacellum canonice fuit erectum, ubi cultus haud dubiis significationibus primitus ei tributus, in suo semper vigore persistens, ad haec usque tempora dimanavit.

Accedebat ad ista, non solum loci Ordinariorum vel tolerantia vel consensus, sed etiam virorum sanctorum Francisci Xaverii et Francisci Borgiae testimonium et auctoritas, in primis autem S. Genevensis Antistitis Francisci Salesii, qui actis suis ac scriptis, nedum praeclaram de Petri Fabri sanctitate animo sibi alte defixam opinionem expressit, sed publicum quoque eius cultum apprime fovit.

De hisce, conquisitis undique idoneis et gravibus documentis, instante R. P. Iosepho Boero, Sacerdote Professo et Postulatore generali causarum beatificationis et canonizationis Servorum Dei e praefata Societate Iesu, peracta nuper est a Rmo D. Episcopo Anneciensi, cuius iuris dictioni modo subest Villareti oppidum, iuridica inquisitio, atque ex pluribus ibi recensitis titulis, rite pronuntiata sententia super casu a generalium decretorum praescriptione excepto.

Quare, omnibus ad Sacram Rituum Congregationem transmissis, ad instantiam tum praelaudati Rmi Episcopi et Cleri Anneciensis, tum eiusdem Postulatoris et Societatis Iesu

PIO IX Pont. Max.

5 Sept. 1872

universae, subscriptus Cardinalis ipsi Sacrae Congregationi Praefectus, et huius causae Relator, in ordinariis comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, sequens proposuit dubium, nimirum: " An sententia lata ab Episcopo Anneciensi super cultu eidem Servo DEI praestito, seu super casu excepto a decretis sanctae mem. Urbani VIII, sit confirmanda in casu, et ad effectum de quo agitur? „ EEmi porro ac RRmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus in causa deductis singillatim ac simul maturo examine perpensis et rite libratis, auditoque R. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotoris Coadiutore, rescribendum censuerunt: " Attentis omnibus, constare de casu excepto a decretis sanctae mem. Urbani Papae VIII. Die 31 Augusti 1872.

Super quibus omnibus facta postmodum, per infra scriptum Substitutum Secretariae Sacrorum Rituum Congregationis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX fideli relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit, confirmavitque cultum publicum et ecclesiasticum praestitum B. Petro Pabro Confessori. Die 5 Septembris, anno eodem.

C. Epus Ostien. et Veliternen. Card. Patrizi S. R. C. Praef.

Pro R. P. D. Dominico Bartolini Secr.,

Iosephus Ciccolini Subst.

FACULTAS MISSAM DE BEATIS NOSTRIS CELEBRANDI

IN ALIENIS ECCLESIIS ET ORATORIIS PUBLICIS.

PIO IX Pont. Max.

20 Nov. 1873

Beatissime Pater,

Quum, hoc praesertim tempore, Patres Societatis IESU, variis in locis dispersi, cogantur Missas quotidie celebrare in alienis ecclessiis et oratoriis publicis, ac proinde numquam possint, quum agitur de pluribus eorum Beatis, easdem Missas cum officio conformare; ideo R. P. Iosephus Boero, pedibus Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime supplicat, ut benigne dignetur extendere privilegium iam pro eorum ecclesiis et oratoriis concessum, ita ut licite possint, etiam in alienis ecclesiis et oratoriis publicis, Missas privatas celebrare cum orationibus propriis approbatis, in festo Beatorum eiusdem Societatis, quotiescumque concurrat idem color paramentorum, aut quotiescumque removeatur scandalum aut admiratio ex diversitate eorumdem, ut fieri solet in ecclesiis aut oratoriis in quibus una, vel in quibus una vel altera tantum Missa celebratur. Et de gratia etc.

Societatis IESU.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, de speciali gratia benigne annuit iuxta preces, durantibus tamen praesentibus circumstantiis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 20 Novembris 1873.

C. Epus Ostien. et Veliternen. Card. Patrizi S. R. C. Praef.

D. Bartolini S. R. C. Secr.

INDULGENTIAE

PRO MISSIONIBUS SOCIETATIS IESU ET CRUCIS ERECTIONE.

LEONE XIII Pont. Max.

22 Apr. 1882

Beatissime Pater,

Petrus Beckx, Praepositus Generalis Soc. IESU, *ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, quam humillime petit, ut Sanctitas Vestra gratias illas, quas sanctae mem. Leo Papa* XII, *petente Vice Provinciali Helvetiae, Belgii et Hollandiae, duobus rescriptis diei 12 Aprilis 1826 huic supplici libello subiectis benigne concessit, et quae multis aliis Congregationibus et singulis quoque Sacerdotibus saecularibus concessae sunt, expresse ad universam Societatem extendere dignetur. Rescripta vero sunt tenoris sequentis:*

Primum. SSmus D. N. Leo Papa XII omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui sacris missionibus a supra enuntiata IESU Societate peragendis devote quater saltem interfuerint, plenariam indulgentiam acquirendam una die uniuscuiusque arbitrio in posterum eligenda, in qua vere poenitentes, confessi sacraque communione refecti fuerint, et per aliquod temporis spatium iuxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, benigne concessit. Insuper eisdem Christi fidelibus ter Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam cum Gloria ante aliquam ex crucibus in fine praelaudatarum missionum erigendis, corde contrito ac devote in memoriam trium horarum agoniae D. N. IESU C. et iuxta mentem Sanctitatis Suae recitantibus, quinque annorum indulgentiam semel tantum singulis diebus lucrifaciendam, ac plenariam etiam indulgentiam una mensis Decembris die, dummodo per tres saltem vices in huiusmodi pio opere in quolibet mense iam sese exercuerint, et ipsa die rite ut supra dispositi, et pariter ut supra orent, clementer est elargitus. Praesentibus in perpetuum valituris, absque ulla brevis expeditione.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum, die 12 Aprilis 1826.

B. Card. Naro Pro Praef.
A. Archiep. Trapezunt. Secr.

Alterum. Smus D. N. Leo Papa XII clementer indulsit, ut omnes utriusque sexus Christi fideles, qui crucis erectioni a Societatis IESU confratribus in fine missionum peragendae interfuerint, plenariam indulgentiam, et ipsa die erectionis, et infra sex menses immediate sequentes alia die uniuscuiusque arbitrio eligenda, in quibus vere poenitentes, confessi sacraque communione refecti fuerint, et aliquam ecclesiam seu publicum oratorium devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium iuxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, consequantur. Praesenti valituro in perpetuum, absque ulla brevis expeditione.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum, die 12 Aprilis 1826.

B. Card. Naro Pro Praef.
A. Archiep. Trapezunt. Secr.

LEONE XIII Pont. Max. **22 Apr. 1882**

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, in audientia habita die 22 Aprilis 1882 ab infra scripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro extensione ad universam Societatem IESU exhibiti primi rescripti, servata in omnibus eiusdem forma et tenore.

Quoad vero alterum rescriptum, in quo agebatur de spiritualibus gratiis iis concessis, qui erectioni crucium in fine missionum adfuissent, idem Sanctissimus concessit tantum indulgentiam ter centum dierum omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui memoratae crucis erectioni in fine missionum a Sodalibus eiusdem Societatis IESU peragendae, corde saltem contrito et devote interfuerint. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 22 Aprilis 1882.

Al. Card. Oreglia a S. Stephano Praef.
Pius Delicati Secr.

DISPENSATIO SUPER LEGE DISTANTIAE

PRO CONGREGATIONIBUS BONAE MORTIS.

LEONE XIII Pont. Max. **16 Sept. 1882**

Beatissime Pater,

Petrus Beckx, Praepositus Generalis Societatis IESU, ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus, exponit, quod saepe saepius ob urbium magnitudinem omnino necessarium est, ut plus quam una Congregatio Bonae Mortis in una eademque civitate erigatur. Quare, ne fideles careant spiritualibus bonis, quae ex huius Sodalitatis erectione percipi compertum est, petit humillime dispensationem super lege distantiae pro erectionibus Congregationis Bonae Mortis. Et DEUS etc.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, in audientia habita die 16 Septembris 1882 ab infra scripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, attentis expositis benigne annuit pro gratia, iuxta petita, servatis in reliquis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 16 Septembris 1882.

A. Card. Bilius.
Franciscus della Volpe Secr.

FACULTAS

BENEDICENDI CORONAS A S. BIRGITTA NUNCUPATAS.

LEONE XIII Pont. Max.

17 Nov. 1883

Beatissime Pater,

Petrus Beckx, Praepositus Generalis Societatis IESU, *ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter exponit quae sequuntur:*

Sanctae mem. Leo Papa XII *brevi* PLURA INTER *d. d. 11 Iulii 1826, Societati nostrae concessit facultatem " benedicendi coronas, crucifixos, parvas statuas, numismata* (medaglie *vulgo nuncupata) et applicandi indulgentias huiusmodi benedictionibus a Nobis impertiri solitas Christi fidelibus, qui secum habentes vel apud se retinentes aliquod ex praefatis, pia opera praescripta adimplebunt, ad formam instructionis, quae per Sacram Congregationem de Propaganda Fide Missionariis, quibus haec facultas a Nobis conceditur, una cum concessae facultatis instrumento distribuitur.* "

Ex tenore huius concessionis, et occasione indultarum Provinciis Galliae (die 22 Martii 1823, 9 Decembris 1835 et 26 Iunii 1837) facultatum, a triginta annis et amplius plurimi optima fide deduxerunt, nos, benedicendo coronas, non solum indulgentias apostolicas, sed etiam a diva Birgitta nuncupatas, dictis obiectis devotionis applicare posse. Ex dispositione antecessoris mei, hac facultate ita usi sumus, ut, praeter Superiores locales et Patres ad missiones et Exercitia Spiritualia tradenda et alia sacri ministerii officia peragenda excurrentes, etiam unus alterve Sacerdos singularum Domorum eadem potiretur. Ex aliquo tamen tempore sunt qui negent nos posse etiam indulgentias divae Birgittae applicare.

Quare, ne fideles indulgentiis frustrentur, humiliter et enixe peto, ut Sanctitas Vestra nobis dictam facultatem, ad cautelam vel maiorem securitatem, benigne concedere, et quod hucusque fortasse indebite factum est, gratia et misericordia apostolica sanare dignetur. Et DEUS *etc.*

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, in audientia habita die 17 Novembris 1883 ab infra scripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, praevia sanatione quoad praeteritum, benigne annuit pro gratia, iuxta petita. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 17 Novembris 1883.

Al. Card. Oreglia a S. Stephano Praef.

Franciscus della Volpe Secr.

APPROBATIO FORMULAE

ERECTIONIS ET AGGREGATIONIS CONGREGATIONUM BONAE MORTIS.

LEONE XIII Pont. Max.

21 Mar. 1885

Beatissime Pater,

Antonius Maria Anderledy, Vicarius Generalis Societatis Iesu, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, demississime exponit, Praepositos Generales Soc. Iesu in erigendis piis Congregationibus Bonae Mortis, iisdemque Primariae Congregationi eiusdem nominis aggregandis, hucusque peculiari quadam formula usos esse. Quum autem hoc ultimo tempore dubium exortum sit, utrum eiusmodi formula, post decretum Sacrae Congregationis Indulgentiarum d. d. 8 Ianuarii 1861, quo observantia Constitutionis Quaecumque fel. rec. Clementis Papa viii d. d. 7 Decembris 1604, circa modum instituendi atque aggregandi Confraternitates ac Congregationes praescribitur, adhuc retineri potuerit, diligenter in archivio Societatis nostrae inquisitum est, utrum aliquod documentum inveniri posset, quo vel illa formula speciatim approbata, vel dispensatio data esset eamdem, licet diversam a communiter praescripta, etiamnum adhibendi. Eiusmodi tamen documentum reperiri non potuit, etiamsi, qui olim Secretarius Societatis fuit, certo affirmavit dispensationem hac in re nobis datam fuisse; id quod et ipse diuturnus antiquae formulae usus non improbabile reddit. Quum autem eo fere tempore quo decretum supra dictum est editum, Secretarii munus in Societate nostra alteri demandatum, ac Societatis tabularium in hac temporum iniquitate in plures partes distrahendum et huc atque illuc esset deportandum, maxime autem quum is, qui tunc Secretarii munere fungebatur, aliique plures Patres harum rerum conscii, iam mortui essent, nihil certi hac de re erui potuit. Atque Societatis Praepositos bona fide ea hucusque formula usos esse, ac ea qua par est diligenti cura Constitutionem Clementinam observare voluisse, manifesto inde etiam apparet, quod R. P. Petrus Beckx, die 16 Septembris 1882, a Sanctitate Tua pro iisdem Congregationibus Bonae Mortis dispensationem petiit et obtinuit, circa distantiam a Constitutione praedicta requisitam inter diversas Confraternitates.

Ne igitur fideles hisce Congregationibus ubique terrarum adscripti indulgentiis concessis priventur, dictus Vicarius Generalis dimississime rogat, ut Sanctitas Tua erectiones et aggregationes omnes eiusmodi Congregationum, hucusque secundum peculiarem illam formulam vel cum aliquo quocumque defectu peractas, quatenus opus sit, benigne validas declarare, atque pro tempore futuro etiam permittere dignetur, ut ipse eiusque successores eadem formula licite et valide uti possint, non obstante decreto Sacrae Congregationis d. d. 8 Ianuarii 1861.

Pro qua gratia etc.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa xiii, in audientia habita die 21 Martii 1885 ab infra scripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgen-

LEONE XIII Pont. Max.

21 Mar. 1885

tiis Sacrisque Reliquiis praepositae, praevia sanatione omnium sive erectionum, sive aggregationum ex quocumque defectu et hucusque indebite peractarum, praesertim vero ob adhibitam peculiarem formulam non undequaque consonam illi, quae ex decreto eiusdem Sacrae Congregationis, sub die 8 Ianuarii 1861, praescripta fuit in erigendis aut aggregandis Confraternitatibus, benigne indulsit, ut Orator eiusque successores eadem formula uti valeant etiam in posterum, cum emendationibus tamen in exemplari his precibus adnexo introductis et recognitis. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 21 Martii 1885.

Al. Card. Oreglia a S. Stefano Praef.
Franciscus della Volpe Secr.

FACULTAS ERIGENDI EXTERNAS CONGREGATIONES B. M. V.

EARUMQUE EXEMPTIO A CONSTITUTIONE CLEMENTINA.

LEONE XIII Pont. Max.

23 Iun. 1885

Beatissime Pater,

Antonius Maria Anderledy, Vicarius Generalis Societatis Iesu, *ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, demississime exponit, plures Summos Pontifices amplas iampridem Praepositis huius Societatis Generalibus concessisse facultates, pro erigendis et aggregandis piis Congregationibus, tum B.* Mariae *Virgini sacris, tum a Bona Morte nuncupatis, atque in earumdem sodales indulgentias plurimas et privilegia, magna benevolentia, contulisse. Quibus beneficiis spiritualibus, eo quidem tempore, multi Christi fideles facile participes esse poterant, quo Societas plurimum per omnes terras propagata, licet tunc facultates erigendi et aggregandi praedictas Congregationes, Praepositis Generalibus concessae, ad ecclesias Domosque sub Societatis cura constitutas essent restrictae.*

Post tristes vero praecedentis et huius saeculi ineuntis vicissitudines, numerus illarum Congregationum, quae ab ipsa Societate dirigebantur, valde fuit imminutus. Quare permultae Congregationes externae a Societate Iesu *non dependentes, ut Primariis respectivis Congregationibus Romanis aggregarentur, flagitabant. Quibus desideriis ut pro viribus satis faceret, P. Aloysius Fortis tunc Praepositus Generalis, supplicavit fel. rec. Leoni Papae* xii, *ut facultates olim concessas opportune augeret atque extenderet. Summus Pontifex, his precibus benigne annuens, pro* Congregationibus a Bona Morte *dictis potestatem, tum erigendi, tum aggregandi, ut petebatur, ad Congregationes etiam extra Societatis ecclesias constitutas extendit.*

Quod autem ad Congregationes B. Mariae Virginis *spectat, malo fato accidit, ut in supplici libello, quo facultas* aggregandi *ad Primam Primariam collegii Romani externas quascumque*

Congregationes petebatur, de erigendi *potestate mentio non esset facta. Quae tamen erigendi etiam facultas ad rite exsequendam aggregationem vix non videtur esse necessaria. Permultae enim, maxime hisce ultimis temporibus, eiusmodi Congregationes B. Mariae Virgini sacrae, magno cum animarum fructu ubique terrarum extra Societatis Domos sunt institutae et Primariae Collegii Romani aggregatae; saepissime etiam nunc, et hoc praesertim iubilaei anno, aggregationes petuntur fere quotidie. Attamen, experentia teste, ex ignorantia legum vel inadvertentia nimis facile fit, ut inter erectionem canonicam praerequisitam et aggregationem vix distinguatur, ita ut ex petitionibus Praeposito Societatis oblatis difficilius constare possit de certa erectione ab Ordinario loci facta. Quare vel longiore molestave inquisitione res protrahuntur, vel timendum est, ne aggregationes a Societatis Praeposito expeditae fundamento necessario careant, neve indulgentiarum communicatio reddatur dubia aut nulla. Ideo praedictus Orator Sanctitatem Tuam enixe rogat, ut ad complendas illas facultates, sibi et successoribus suis potestatem quoque* erigendi *(exserendam semper, ut patet, cum respectivi Ordinarii consensu) quascumque B. Mariae Virginis Congregationes etiam extra Societatis Domos seu ecclesias benigne concedere dignetur.*

Et quoniam iampridem Summi Pontifices, imprimis bonae mem. Benedictus Papa xiv in bulla Aurea Gloriosae Dominae d. d. 27 Septembris 1748, tum re ipsa tum verbis explicitis et amplissimis, Primam Primariam Collegii Romani et Congregationes omnes et aggregatas a Constitutione Quaecumque fel. rec. Clementis viii, super modo et forma Confraternitates erigendi et aggregandi edita, eo consilio exemerant, ut latius faciliusque propagarentur, pluresque fideles gratiarum illis concessarum possent esse participes, Sanctitas Tua ad praescindenda dubia et difficultates, eamdem exemptionem ad externas *quoque Congregationes B. Mariae Virginis iam erectas et ad quascumque Societates, Confraternitates seu Congregationes Primariae aggregatas, sive cum consensu Ordinarii erigendas et aggregandas, eodem modo velit extendere, quo antea pro Congregationibus vel Confraternitatibus, constitutis in Societatis ecclesiis et Domibus vel eiusdem curae commissis, fuerat concessa.*

Ut deinde alius quoque defectuum fons in posterum occludatur, Sanctitas Tua omnibus ubique Praesidibus tum B. Mariae Virginis, tum Bonae Mortis Congregationum, gratiose velit permittere, ut ex rationabili causa alium sibi Sacerdotem, qui v. g. maioris solemnitatis causa invitetur, substituere possint ad recipiendos fideles, qui adscribi desiderant, ad benedicenda numismata, et alia Praesidum munia exercenda.

Et haec quidem, ut in posterum harum Congregationum saluti provideatur. Quo vero certius, quae hucusque minus recte acta sunt, ea omnia nunc corrigantur, idem humillimus Orator enixe petit, ut Sanctitas Tua omnes quarumcumque Congregationum sive B. Mariae Virginis sive Bonae Mortis erectiones, et adscriptiones fidelium ad singula Sodalitia, nec non aggregationes quascumque ad Primarias hasce Congregationes Romanas hucusque cum quolibet defectu peractas, ita benigne sanare dignetur, ut fideles iis non obstantibus indulgentias gratiasque concessas lucrari possint.

Pro qua gratia etc.

LEONE XIII Pont. Max.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, in audientia habita die 23 Iunii 1885 ab infra scripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, praevia petita sanatione, benigne annuit pro gratia in omnibus, iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. 23 Iun. 1885

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Congregationis, die 23 Iunii 1885.

I. B. Card. Franzelin Praef.
Franciscus della Volpe Secr.

INDULGENTIAE ET GRATIAE

CONGREGATIONIBUS B. MARIAE V. CONCESSAE.

Beatissime Pater,

LEONE XIII Pont. Max.

Antonius Maria Anderledy, Societatis Iesu Vicarius Generalis, ad pedes Sanctitatis Tuae humiliter provolutus, Summarium indulgentiarum et privilegiorum Congregationi Primae Primariae sub titulo B. Mariae Virginis Annuntiatae in Collegio Romano Societatis Iesu erectae concessorum, denuo approbandum proponit, atque demisse rogat, ut in eo sequentes additiones seu modificationes opportunae benigne concedantur, nimirum:

1.° Ut ad festa in quibus sodales etc. indulgentiam plenariam lucrari possunt, etiam festum Purificationis B. Mariae Virginis adiungatur;

2.° Ut pro indulgentia in festo Annuntiationis B. Mariae Virginis, vel alio titulari B. Mariae Virginis festo, a sodalibus et omnibus Christi fidelibus lucranda, ad verba: Qui ecclesiam (Sodalitatis.... visitaverint) *addatur:* vel oratorium seu cappellam *etc.*

3.° Et indulgentiae omnes plenariae et partiales declarentur applicabiles defunctis, id quod saltem non pro omnibus erui potest ex documentis concessionis;

4.° Sanctitas Tua permittat, ut in locis ubi iustis ex causis vel iniuria temporum Praesides Congregationum B. Mariae Virginis non possunt esse Presbyteri Societatis Iesu, Praepositus Generalis seu Vicarius, vel Superior illius loci, possit delegare alium Sacerdotem ad id muneris, qui tunc omnibus facultatibus privilegiisque gaudeat, quae Praesidibus e Societate sunt concessa. 23 Iun. 1885

Pro qua gratia etc.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, in audientia habita die 23 Iunii 1885 ab infra scripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus, iuxta preces, servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 23 Iunii 1885.

I. B. Card. Franzelin Praef.
Franciscus della Volpe Secr.

SUMMARIUM INDULGENTIARUM ET PRIVILEGIORUM

QUAE SUMMI PONTIFICES CONCESSERUNT

CONGREGATIONI PRIMAE PRIMARIAE SUB TITULO ANNUNTIATIONIS B. MARIAE V.

IN COLLEGIO ROMANO SOCIETATIS IESU ERECTAE

CAETERISQUE CONGREGATIONIBUS EIDEM AGGREGATIS VEL AGGREGANDIS.

I. — INDULGENTIAE PRO SODALIBUS ET SODALITIORUM MINISTRIS SEU INSERVIENTIBUS, DONEC HUIUSMODI CONGREGATIONUM SERVITIIS ADDICTI FUERINT.

A. — INDULGENTIAE PLENARIAE.

LEONE XIII Pont. Max.

1. Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, quo die in Sodalitatem recipiuntur, si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum eo die sumpserint in ecclesia Sodalitatis aut ubicumque potuerint. (Gregor. XIII bulla OMNIPOTENTIS DEI, 5 Decembris 1584.)

2. Sodalibus et Sodalitiorum ministris seu inservientibus, in mortis articulo constitutis, si vere poenitentes, confessi ac sacra communione refecti, vel saltem contriti, sanctissimum IESU nomen corde, si ore nequiverint, devote invocaverint. (Idem loc. cit. et Bened. XIV bulla GLORIOSAE DOMINAE, 27 Septembris 1748.)

3. Iisdem vere poenitentibus et confessis, qui 1. Nativitatis et 2. Ascensionis D. N. IESU C., 3. Immaculatae Conceptionis, 4. Nativitatis, 5. Annuntiationis, 6. Purificationis et 7. Assumptionis B. MARIAE V. festis diebus SSmum Eucharistiae Sacramentum in ecclesia Sodalitatis aut alibi acceperint. (Iidem locis cit. et Leo XIII rescript. Sacr. Congr. Indulg. 23 Iunii 1885.) 23 Iun. 1885

4. Iisdem semel in hebdomada iis diebus, quibus, iuxta Primae Primariae sive aliarum Sodalitatum statuta ac regulas seu consuetudines, Sodalitii conventus haberi solent, et vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti ecclesiam sive cappellam, oratorium seu locum uniuscuiusque Congregationis visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione et S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad DEUM preces effuderint. (Bened. XIV brevi PRAECLARIS ROMANORUM PONTIFICUM, 24 Aprilis 1748, et bulla GLORIOSAE DOMINAE, 27 Septembris 1748.)

Quod si pluries in hebdomada ad pia et consueta exercitia congregentur, praedicta indulgentia pro eo die valet, qui ad sumendam SSmam Eucharistiam aliaque iniuncta opera adimplenda cuiuslibet eorum arbitrio eligetur, dummodo tamen die electo, sive matutinis sive vespertinis horis, sive etiam praecedenti vespere, sodalium conventus in consueto oratorio seu ecclesia aut loco habeatur. (Be-

ned. XIV bulla GLORIOSAE DOMINAE, 27 Septembris 1748.)

Iidem, qui semel aut bis in anno vere poenitentes generalem confessionem de peccatis, vel ab ultima generali confessione vel a primo rationis usu admissis, expleverint, praefatam indulgentiam plenariam consequi possunt, quamvis non in propria ipsorum Sodalitii, sed in alia ecclesia, oratorio, sacello eucharisticum panem percipiant, ibique praescriptas DEO preces offerant. (Idem loc. cit.)

5. Omnibus Congregationum Moderatoribus, qui ipsarum Congregationum sodales aut ministros infirmos visitaverint, eosque spiritualibus monitis, sive ad morborum incommoda patienter toleranda, sive ad mortem de manu Domini libenter acceptandam, adiuverint, et coram aliqua crucifixi Salvatoris nostri imagine ter saltem Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam, iuxta Summi Pontificis et S. Matris Ecclesiae mentem, ab ipsis recitari curaverint, apostolica auctoritate delegata conceditur, ut quo die iidem infirmi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, ipsis indulgentiam plenariam, etiam in suffragium defunctorum applicandam, impertiri possint et valeant. (Idem loc. cit.)

6. Sodales et Sodalitiorum ministri seu inservientes consequuntur omnes indulgentias Stationum ecclesiarum Urbis, sive intra sive extra muros illius, si diebus Quadragesimae et aliis anni temporibus ac diebus huiusmodi Stationum, ecclesiam Societatis IESU, si ibi fuerit, alioquin aliam ecclesiam seu cappellam in locis, ubi eos pro tempore esse contigerit, devote visitaverint, et ibi septies Orationem Dominicam et septies Angelicam Salutationem recitaverint. (Bened. XIV brevi PRAECLARIS ROMANORUM PONTIFICUM, 24 Aprilis 1748, et bulla GLORIOSAE DOMINAE, 27 Septembris 1748.)

B. — INDULGENTIA SEPTEM ANNORUM ET TOTIDEM QUADRAGENARUM.

(Bened. XIV brevi PRAECLARIS ROMANORUM PONTIFICUM, 24 Aprilis 1748, et bulla GLORIOSAE DOMINAE, 27 Septembris 1748.)

1. Iis, qui corpora sodalium vel aliorum Christi fidelium ad ecclesiasticam sepulturam prosecuti fuerint.

2. Iis qui, quum infirmi sint aut impediti, audito signo campanae genu flexi, si per infirmitatem licebit, Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam pro salute animae defuncti vel corporis infirmi recitaverint.

3. Iis, qui coetibus tum publicis tum privatis, seu divinis officiis, vel spiritualibus colloquiis et exhortationibus, aut piis officiis tam in sodalium quam aliorum christianorum defunctorum suffragium, per ipsam Congregationem ordinandis et ab eiusdem Moderatore approbandis, interfuerint:

4. Iis, qui sacrosanto Missae sacrificio diebus feriatis interfuerint.

5. Iis, qui conscientiam suam diligenter examinaverint vespere, ante quam cubitum eant.

6. Iis, qui pauperes infirmos, tam sodales quam alios, in hospitalibus vel privatis domibus visitaverint.

7. Iis, qui carcere detentos visitaverint.

8. Iis, qui pacem inter inimicos conciliaverint.

LEONE XIII
Pont. Max.

28 Iun. 1885

II. — INDULGENTIAE PLENARIAE, QUAE IN SODALITIORUM ECCLESIIS, ORATORIIS ETC. AB ALIIS ETIAM CHRISTI FIDELIBUS LUCRARI POSSUNT.

1. Sodalibus, Sodalitiorum ministris seu inservientibus, atque omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis sacraque communione refectis, qui ecclesiam, oratorium seu cappellam Sodalitatis, die festo Annuntiationis B. MARIAE V. a primis vesperis usque ad occasum solis ipsius festivitatis, devote visitaverint, et inibi pro rei publicae christianae conservatione et augmento, haeresum exstirpatione, Principumque christianorum mutua et universali pace, ac Romani Pontificis prosperitate, vel alias preces, prout unicuique suggeret devotio, ad Deum devote effuderint. (Gregor. XIII bulla OMNIPOTENTIS DEI, 5 Decembris 1584, et Bened. XIV bulla GLORIOSAE DOMINAE, 27 Septembris 1748.)

Si Congregationes aggregatae vel aggregandae alterius festivitatis aut mysterii B. V. MARIAE titulo insignitae fuerint, praedicta indulgentia acquiri potest eo die quo huiusmodi festivitas seu mysterium celebratur. (Bened. XIV bulla GLORIOSAE DOMINAE, 27 Septembris 1748.)

2. Iisdem pariter vere poenitentibus et confessis ac eucharistici panis communione refectis, qui ecclesiam, oratorium aut sacellum et locum Congregationum, die festo alterius Patroni a primis vesperis usque ad occasum solis, vel, si huiusmodi Patronus et titulus non adsit, uno alio die in singulos annos a cuiuslibet Moderatore, de consensu Ordinarii (vel Superioris proprii, si Moderator Presbyter Regularis sit) designando, a primis vesperis ad occasum solis, visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, et S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint. (Idem loc. cit.

Quod si ob aliquam causam locus sive ecclesia etc. ad Sodalitii conventus destinata varietur, aut sive in perpetuum sive ad tempus immutetur, vel etiam pro maiori populi commoditate et solemniori festivitatis celebritate, tam tituli principalis quam Patroni et tituli minus principalis festum in alia ecclesia seu templo, de consensu Moderatoris, celebrari contingat, nihilominus eadem indulgentia iisdem aliam ecclesiam seu templum aut oratorium rite visitantibus aeque suffragatur. (Idem loc. cit.)

Similiter, si unum aut alterum titulare festum seu etiam utrumque ab aliqua ex Congregationibus proprio die non satis opportune aut solemniter celebrari possit, liceat Congregationis Moderatori, de consensu Ordinarii (vel Superioris proprii, si Moderator Presbyter Regularis fuerit) aliam diem, seu dominicam infra octavam, sive diem octavam ipsius festi, sive aliam diem infra annum, pro huiusmodi festivitatum celebratione et concessae indulgentiae acquisitione designare. (Idem loc. cit.)

Quod si dies electa impedita fuerit festo duplici, una Missa votiva solemnis de huiusmodi translato festo celebrari poterit. (Idem loc. cit.)

3. Iidem, qui expositioni Sanctissimi Sacramenti in oratoriis Congregationum spatio continui tridui faciendae per aliquod temporis spatium interfuerint ibique oraverint, ac caetera iniuncta opera praestiterint, indulgentias consequuntur, quae con-

LEONE XIII Pont. Max. — 28 Iun. 1885

cessae sunt visitantibus ecclesias, in quibus expositio SSmi Sacramenti per quadraginta continuas horas fieri solet. (Bened. XIV loc. cit. atque brevi QUEMADMODUM PRESBYTERI, 15 Iulii 1749.)

III. — PRIVILEGIA.

1. Omnes superius relatae indulgentiae applicari possunt per modum suffragii animabus fidelium defunctorum. (Leo XIII rescripto Sacr. Congr. Indulg. 23 Iunii 1885.)

2. Sodales ubivis locorum commorantes omnes praedictas indulgentias consequi possunt, si apud ecclesiam eorumdem locorum aut alibi, ut poterunt, opera praestabunt, quae sunt servanda ad indulgentias huiusmodi consequendas. (Bened. XIV brevi PRAECLARIS ROMANORUM PONTIFICUM, 25 Aprilis 1748.)

3. Omnibus Regibus, Principibus, Ducibus et Comitibus supremam potestatem habentibus, eorumque consanguineis et affinibus primi et secundi gradus dumtaxat, qui Congregationibus adscribi petierint, etsi absentibus, eadem tamen pietatis opera exercentibus et aliquam ecclesiam visitantibus, eaedem, ut supra, indulgentiae conceduntur. (Bened. XIV brevi QUEMADMODUM PRESBYTERI, 15 Iulii 1749.)

4. Missae a Sacerdote sive saeculari sive Regulari ad altare Congregationis, sive a sodalibus ipsis Sacerdotibus, pro suis sodalibus aut Congregationum ministris seu inservientibus ad quodlibet altare celebratae, perinde ipsorum animabus suffragentur, ac si ad altare privilegiatum fuissent celebratae. (Bened. XIV brevi PRAECLARIS ROMANORUM PONTIFICUM, 25 Aprilis 1748 et bulla GLORIOSAE DOMINAE, 27 Septembris 1748.)

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, facto verbo cum Sanctissimo in audientia habita die 23 Iunii 1885 ab infra scripto Secretario eiusdem Sacrae Congregationis, praefatum Summarium, nunc primum ex diversis concessionibus excerptum, imprimi et publicari posse permittit.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 23 Iunii 1885.

I. B. Card. Franzelin Praef.
Franciscus della Volpe Secr.

CONCESSIO FESTI TRANSLATIONIS ALMAE DOMUS LAURETANAE,

SUB RITU DUPLICI MAIORI PRO UNIVERSA SOCIETATE.

LEONE XIII Pont. Max. — 11 Aug. 1885

Societatis IESU.

Quum singulari atque impensissimo cultu Beatissimam Virginem MARIAM Deiparam, ab Angelo salutatam, universa Societas IESU omni tempore coluerit, nec minorem erga almam Domum Lauretanam professa sit venerationem; hinc Rmus P. Antonius Maria Anderledy, hodiernus ipsius Societatis Vicarius Generalis, piis omnium Alumnorum suorum votis obsecundans, Sanctissimum Dominum nostrum Leonem Papam XIII humil-

LEONE XIII Pont. Max.

11 Aug. 1885

limis precibus rogavit, ut festum Translationis almae Domus Lauretanae, quod ex apostolica concessione ab Alumnis ipsius Societatis, in ditionibus Ecclesiastica, Veneta atque Hispanica degentibus, iam pridem die 12 Decembris quotannis recolitur, amodo sub eodem ritu ac die ad universam IESU Societatem extendere dignaretur.

Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino nostro tributis, petitam festi extensionem benigne indulsit; servatis rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 11 Augusti 1885.

Pro Emo et Rmo Dno Card. D. Bartolini S. R. C. Praef.,
A. Card. Serafini.
Laurentius Salviati Secr.

LEONIS XIII

INDULGENTIA PLENARIA PRO COMMUNIONE GENERALI

CURANTIBUS PATRIBUS SOCIETATIS IESU PERAGENDA.

LEO PAPA XIII
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

LEONIS XIII

8 Ian. 1886

Operi communionis generalis, quod Societas IESU olim instituit,

NIHIL ADEO christianam plebem ad Sacramentorum usum solet excitare, quam plurimorum solemne et conspicuum in ea re exemplum. Iure idcirco Sodales Societatis IESU, tot nominibus bene de re catholica meriti, Romae, ineunte saeculo decimo septimo, opus communionis generalis instituerunt, quo coelestis mensa pie ac splendide frequentaretur. Singulis enim mensibus, modo in uno, modo in altero Urbis templo, per conciones dominicas ad convivium divinum praeparabantur et alliciebantur Christi fideles: constituta die, templo magnificentia plus quam solita ornato, plures Sacerdotes, immo saepe et Purpurati Patres, coelestem distribuebant panem.

Sodalitates B. M. V. propagarunt,

Insigne huius operis adiumentum fuerunt Beatissimae MARIAE Virginis Sodalitates, christianae pietatis praeclarae scholae, tutissimaque iuvenilis innocentiae praesidia; illarum enim sodales, secundum proprias regulas, ad sacram communionem singulis mensibus accedendo, caeteros quoque fideles ad hoc paulatim impellebant; quin etiam, data opera, frugiferum hoc et salutare communionis institutum fovere et propagare enixe studebant.

Paulus V pro Urbe indulgentia ditavit,

Cuius rei certior factus fel. rec. Paulus Papa V, praedecessor Noster, menstruae synaxeos solemnitatem non modo laudavit, sed et suis litteris apostolicis, AETERNI PASTORIS, die vigesimo secundo Augusti MDCXIII, omnibus Christi fidelibus, qui, sacramentali confessione abluti, sacra de altari libavissent, plenariam omnium peccatorum remissionem et indulgentiam duodecies in anno concessit in perpetuum.

dein per orbem Societas

Mox per totam fere Italiam alias-

LEONIS XIII

8 Ian. 1886

magno fructu promovit,

que Orbis regiones saluberrima haec pietatis institutio propagata est, eo successu, ut Sacramentorum receptio et frequentatio in illis etiam regionibus reviviscere coeperit, ubi impii pseudo reformatores divina mysteria sacrosque Ecclesiae ritus despectui tradiderant. Quum vero imprimis in templis Societatis Iesu a centenis aliquot ad plura millia communicantium numerus accrevisset, pluries petita passim est plenaria indulgentia, et pluries a praedecessoribus Nostris concessa est et prorogata.

petente Antonio Maria Anderledy, Vicario Gener. Societatis Iesu, conceditur in perpetuum in singulos menses indulgentia plenaria.

Modo autem dilectus filius Antonius Maria Anderledy, eiusdem Societatis Vicarius Generalis, supplex Nos rogat, ut eamdem gratiam universis cuiuslibet regionis fidelibus in perpetuum concedere velimus. Nos, piis eiusmodi votis obsecundare volentes, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui aliquam Societatis Iesu vel quamcumque aliam saecularem ecclesiam ubique locorum existentem, una ex dominicis cuiusvis mensis, qua communio generalis, cura dilectorum filiorum Clericorum Regularium Societatis praedictae, et quoad saeculares ecclesias, de cuiusque Ordinarii licentia deque Rectorum earumdem consensu, ibidem agetur, devote visitaverint, iisdemque dominicis in aliqua ex praedictis ecclesiis Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christi fidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, hoc futurisque temporibus perpetuum in modum concedimus.

Clausulae.

In contrarium facientibus, licet speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die octavo Ianuarii MDCCCLXXXVI, Pontificatus Nostri anno octavo.

M. Card. Ledochowski.

LEONIS XIII

INDULGENTIARUM ET GRATIARUM CONCESSIO.

LEO PAPA XIII
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

LEONIS XIII

Petente Antonio Maria Anderledy Vicario Gener. Societatis IESU.

EXPOSITUM NOBIS est a dilecto filio Antonio Maria Anderledy, Vicario Generali Societatis IESU, non omnia, in Summario indulgentiarum Societatis IESU, per litteras apostolicas fel. rec. Gregorii XVI, praedecessoris Nostri, diebus decimo quarto Ianuarii anni MDCCCXXXIII et decimo septimo Decembris MDCCCXXXVIII datas, approbato, cum authenticis documentis plane convenire: quaedam olim concessa nunc iam non pro tota Societate valere, aliaque non satis certo constare; ideoque necessarium visum esse novum conficere Summarium, recentioribus etiam adiectis concessionibus. Quare, ut satius huic rei sit consultum, utque dubia quae labente tempore oriri possent excludantur, ab eodem dilecto filio Antonio Maria Anderledy supplicatum est Nobis, ut privilegium et indulgentias, de quibus infra, denuo in perpetuum elargiri dignemur.

Nos, inclytam et bene meritam Societatem IESU omni benevolentia complecti volentes, supra dicti Vicarii Generalis supplicationibus annuendum libenti animo censuimus. Quare, de omnipotentis DEI misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui die festo SS. Martyrum Iaponensium, Pauli Michi, Ioannis de Goto et Iacobi Chisai Societatis IESU, nempe die quinto Februarii mensis, quamlibet Societatis IESU ecclesiam vel cappellam, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad DEUM preces effuderint, plenariam; nec non iisdem Christi fidelibus, item vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui duodecimo mensis Martii die, anniversario canonizationis SS. Ignatii Loyolae et Francisci Xaverii, similiter in quavis eiusdem Societatis IESU ecclesia vel cappella, quae superius dicta sunt pietatis opera praestiterint, etiam plenariam; denique eisdem fidelibus pariter vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui die festo Circumcisionis Domini nostri IESU Christi, aut uno ex septem praecedentibus, aut uno ex septem continuis immediate eamdem festivitatem subsequentibus diebus, cuiusque eorum arbitrio sibi eligendo die, itidem quamlibet memoratae Societatis ecclesiam vel cappellam singulis annis visitaverint, ibique ut supra oraverint, quo ex hisce die id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et

12 Ian. 1886

conceditur indulgentia plenaria die quinta Februarii,

die duodecima Martii,

et in festo Circumcisionis vel uno ex septem ante vel post diebus, in ecclesiis Societatis IESU lucranda;

LEONIS XIII

remissionem, quam etiam animabus Christi fidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

et indulgentia crucifixi in articulo mortis.

Tandem de apostolicae potestatis Nostrae plenitudine concedimus, ut quotiescumque Religiosi Societatis Iesu cuiusque propriam crucifixi Redemptoris nostri imaginem, quae semel electa nisi in eventu amissionis mutari nequit, ad quemcumque Christi fidelem in articulo mortis constitutum deferunt, hic, si vere poenitens et confessus ac sacra communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, corde saltem contritus, nomen Iesu ore, si potuerit, sin minus corde devote invocaverit, atque imaginem illam osculatus fuerit seu tetigerit, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem consequatur.

12 Ian. 1886

Clausulae.

Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die duodecimo Ianuarii MDCCCLXXXVI, Pontificatus Nostri anno octavo.

M. Card. Ledochowski.

SUMMARIUM INDULGENTIARUM ET PRIVILEGIORUM

SOCIETATI IESU A SUMMIS PONTIFICIBUS CONCESSORUM.

LEONE XIII Pont. Max.

20 Ian. 1886

Quum vetus indulgentiarum Societatis Iesu concessarum Summarium, a fel. rec. Gregorio Papa XVI annis 1832 et 1838 ultimo approbatum, imcompletum esset atque in duas partes non cohaerentes discerptum, quibus anno 1882 appendix quaedam, a Sacra Congregatione Indulgentiarum approbata, adiuncta fuit, visum est novum Summarium, omnino integrum, melius digestum gratiisque a SS. D. N. Leone XIII nuper concessis auctum, eidem Sacrae Congregationi itidem approbandum proponere.

Porro, secundum hodiernam Sacrae Congregationis praxim, eae tantum indulgentiae praesenti Summario inseri potuerunt, quae Societatis Iesu personis, ecclesiis vel ministeriis propriae, et directe ipsis concessae, inveniuntur. Ideo plures indulgentiae olim Societati concessae, sed, postea ad omnes fideles seu ecclesias extensae, omittendae fuerunt: cuiusmodi sunt illae in festo S. Stanislai, S. Aloisii, in Dominica Quinquagesimae vel uno duorum sequentium dierum etc.

LEONE XIII Pont. Max. — 20 Ian. 1886

Iuvat novo Summario praemittere rescriptum, quod in exordio veteris legebatur: unde citra omne dubium constet, omnia illa documenta, quibus olim indulgentiae concessae sunt Societati, ad plenum vigorem, quantum ad easdem pertinet, fuisse restituta.

SSmus D. N. Gregorius Papa XVI, praevia ad infra scriptum effectum derogatione litterarum apostolicarum sub annulo Piscatoris Clementis XIV, sui praedecessoris, incipientium DOMINUS AC REDEMPTOR, diei 21 Iulii 1773, et attentis litteris apostolicis a Summo Pontifice Pio Papa VII sub plumbo datis septimo idus Augusti, anno Incarnationis Dominicae 1814, quarum initium SOLLICITUDO OMNIUM ECCLESIARUM, benigne concessit ac confirmavit toti familiae Societatis IESU ubique terrarum in praesens et in posterum exsistentis, eiusdemque ecclesiis seu oratoriis, ad maiorem DEI gloriam, omnes et singulas indulgentias in adnexo Summario uti authentico a Sacra Congregatione recognito recensitas, servatis servandis in singulis concessionibus praescriptis; non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus, speciali quoque mentione dignis. Praesentibus valituris, absque ulla brevis expeditione.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum, die 22 Decembris 1832.

A. Card. Frosini Praef.
A. Piatti Archiep. Trapezunt. Secr.

PRIMA PARS.

INDULGENTIAE ET PRIVILEGIA IPSIS RELIGIOSIS CONCESSA.

INDULGENTIAE PLENARIAE.

1. — Omnibus Christi fidelibus, qui habitum Ordinis a legitimis Superioribus, causa profitendi in illo, susceperint, *die primo eorum ingressus in ipsam Religionem,* si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum susceperint. (Paulus V Const. ROMANUS PONTIFEX, 23 Maii 1606.)

2. — Cuilibet Novitio, qui, poenitens et confessus ac sacra communione refectus, post completum Probationis biennium, *simplicia vota emiserit.* (Idem loc. cit.)

3. — *In cuiuslibet mortis articulo,* si pariter vere poenitens et confessus ac sacra communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus, nomen IESU, ore si potuerit, sin autem corde devote invocaverit. (Idem loc. cit.)

4. — Religiosis, qui ad presbyteratus ordinem canonice promoti et confessi *primam Missam celebrabunt,* nec non etiam iis Religiosis, qui pariter confessi ac sacra communione refecti eidem Missae interfuerint, aut ipso die Missam similiter celebraverint. (Idem loc. cit.)

5. — Quotiescumque Religiosi, de licentia Summi Pontificis aut suorum Superiorum, in ditiones ac terras infidelium aut haereticorum, ad concionandum aut catholicos docendos, vel infideles et haereticos ipsos ad fidem catholicam convertendum et Ecclesiae gremio reducendum, missi fuerint, si poenitentes et confessi ac sacra communione refecti fuerint, vel Missam celebraverint, ut melius ad huiusmodi opus sese parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet *quando*

itineri sese accingent, et quando ad provinciam, ubi praedicta opera exercenda erunt, ingressi fuerint, plenaria omnium peccatorum suorum indulgentia perfruuntur. (Idem loc. cit.)

6. — *In visitationibus Domorum* vel Collegiorum, quae secundum Constitutiones Societatis in singulis Provinciis fieri solent, Religiosis uniuscuiusque Domus, qui, vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti, iuxta mentem Summi Pontificis, nec non pro necessitatibus Societatis universae et respectivae Domus speciatim devote oraverint. (Gregor. XVI rescripto autographo 2 Aprilis 1832.)

7. — Omnibus Religiosis Societatis vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui quamlibet Societatis ecclesiam *die festo S. Ioannis Nepomuceni Mart.*, a primis vesperis usque ad occasum solis, devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad DEUM preces effuderint, ac praeterea eiusdem Sancti protectionem patrociniumque Ordini suo imploraverint. (Clemens XII brevi COMMISSAE NOBIS, 22 Augusti 1731.)

8. — Universis Societatis IESU Religiosis, qui, vere poenitentes et confessi ac Sanctissimo Eucharistiae Sacramento refecti, ecclesiam suae Domus sive Collegii, *die festo SS. Martyrum Cosmae et Damiani* (27 mensis Septembris, quo anniversaria Instituti Soc. IESU approbatio merito gratoque animo celebratur) devote visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, nec non Societatis progressu ac felici statu, pias ad DEUM preces effuderint. (Clemens XI brevi IN APOSTOLICAE DIGNITATIS, 17 Novembris 1717.)

9. — Omnibus Societatis Religiosis, qui, vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti, ecclesiam cuiuscumque Domus Societatis *die septima mensis Augusti* (anniversaria restitutionis Societatis IESU), a primis vesperis usque ad occasum solis, devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium, iuxta mentem Summi Pontificis, pias ad DEUM preces effuderint. (Pius VII rescripto Sacr. Congr. Indulg. 16 Iunii 1818.).

10. — Iidem Religiosi intra claustra viventes, qui suam ecclesiam devote visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, Romani Pontificis salute ac S. Matris Ecclesiae exaltatione oraverint, consequuntur easdem *indulgentias, quas visitantes ecclesias Urbis et extra eam diebus Stationum consequerentur* in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Urbis ecclesias personaliter visitaverint. (Paulus V Const. ROMANUS PONTIFEX, 23 Maii 1606.)

11. — Iidem Societatis Religiosi, qui, neque *Congregationibus Primae Primariae* dictis, vel eidem aggregatis seu pro tempore aggregandis fuerint adscripti, neque ipsarum Congregationum oratoria frequentaverint, neque visitaverint, sed eadem pietatis opera, quae sodales earumdem Congregationum praestare solent, exercuerint, ac sive proprias publicas ecclesias sive oratoria visitaverint, easdem indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes consequi possunt et valent, quas consequerentur, si, iisdem Congregationibus adscripti, ipsarum Congregationum oratoria visitaverint.

(Bened. XIV brevi QUEMADMODUM PRESBYTERI, 15 Iulii 1749.)

12. — Omnibus Societatis IESU personis conceditur, ut ante altare SSmi Eucharistiae Sacramenti in ipsius Societatis ecclesiis orationes ad DEUM pro S. Romanae Ecclesiae exaltatione, haeresum exstirpatione et inter Principes christianos fovenda pace, aut alias pro cuiusque peculiari devotione fundendo, omnes et singulas indulgentias etiam plenarias consequantur, quas scilicet consequerentur, si, indulgentiarum ipsarum diebus, ecclesias et loca pia iis decorata visitarent, in locis in quibus eosdem Religiosos moram trahere contigerit. (Gregor. XIII brevi CUM SICUT ACCEPIMUS, 23 Decembris 1579; confirmatum, et, quatenus opus fuit, denuo concessum a Gregorio XVI, rescripto Sacrae Congr. Indulg. 22 Decembris 1832.)

INDULGENTIAE PARTIALES.

1. — *Septem annorum totidemque quadragenarum*, omnibus Societatis Religiosis, qui, vere poenitentes, confessi ac sacra communione refecti, in qualibet *prima feria sexta cuiuslibet mensis,* propriam ecclesiam devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium ante SSmum Eucharistiae Sacramentum vel Servatoris nostri IESU imaginem iuxta mentem Summi Pontificis pias ad DEUM preces effuderint. (Clemens XIII rescripto Sacrae Congr. Indulg. 2 Iunii 1767.)

2. — *Quinque annorum totidemque quadragenarum* in qualibet die, iisdem Religiosis intra claustra viventibus, qui *quinquies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam* ante altare eorum ecclesiae dixerint. (Paulus V Const. ROMANUS PONTIFEX, 23 Maii 1606.)

3. — Item *quinque annorum totidemque quadragenarum,* Religiosis, qui, de suorum Superiorum licentia in itinere exsistentes, aut extra claustra degentes tamquam praedicatores et lectores, *quinquies eamdem Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam* ante quodlibet altare similiter dixerint. (Idem loc. cit.)

4. — *Sexaginta annorum totidemque quadragenarum,* iisdem Religiosis, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediae horae *orationem mentalem* fecerint, ac confessi et sacra communione ultima dominica mensis huiusmodi refecti fuerint. (Idem loc. cit.)

5. — *Trium annorum totidemque quadragenarum,* iisdem, qui vere contrito corde et poenitentes eorum culpas et peccata ac imperfectiones in *capitulis culparum* accusabunt, et spiritualiter communicabunt, et exercitium virtutum facient. (Idem loc. cit.)

6. — *Centum dierum,* Religiosis Societatis, quoties more illius solito in communi *Litanias Sanctorum* recitaverint. (Bened. XIV rescripto diei 2 Martii 1747; confirmatum, et, quatenus opus fuit, denuo concessum a Gregor. XVI, rescripto Sacrae Congr. Indulg. 22 Decembris 1832.)

PRIVILEGIA.

1. — Societas IESU, eiusque Domus et Collegia, Praepositus et personae uti et gaudere ubique possunt, iuxta Societatis huiusmodi Instituti rationem, Constitutiones et consuetudines, omnibus privilegiis, indultis, *indulgentiis*, remissionibus, gratiis et litteris *Fratrum et Sororum mendican-*

LEONE XIII Pont. Max. **20 Ian. 1886**

tium aliarumque Religionum Ordinibus, Congregationibus, conventibus, capitulis, monasteriis, domibus, ecclesiis, confraternitatibus, hospitalibus et aliis piis locis ac personis, tam saecularibus quam Regularibus ac Praeposito Societatique ipsi, nec non eius Domibus, Collegiis, locis et personis quomodolibet concessis et concedendis: ita tamen ut praedicta omnia Praeposito Generali pro tempore exsistenti concessa esse intelligantur, qui illa per se ipsum vel alium seu alios, ab eo vel eius commissione electos seu eligendos, quibuscumque locis et personis dictae Societatis sub eiusdem Societatis obedientia, emissis tribus votis etiam simplicibus, degentibus, communicare libere et licite valeat. (Pius v brevi Dum indefessae, 7 Iulii 1571; Gregor. xiii brevi Decet Romanum Pontificem, 3 Maii 1575; et Leo xii brevi Plura inter, 2 Iulii 1826.)

2. — Omnes Societatis *Missionarii* frui possunt indulgentiis quae conceduntur etiam cum clausula confessionis et communionis, si forte contingat ut eis Sacerdos desit, cui confiteri possent, ita ut solus tunc actus contritionis et celebratio Missae sufficiat. (Clemens xii rescripto 12 Martii 1738.)

3. — Religiosi Societatis residentes in Domibus quae adnexam non habent propriam ecclesiam, indulgentias concessas Domibus seu ecclesiis Societatis lucrari valent *in domesticis oratoriis* seu sacellis in quibus adservatur SSmum Eucharistiae Sacramentum. (Leo xiii rescripto Sacrae Congr. Indulg. 20 Septembris 1884.)

4. — Omnibus Religiosis Societatis Iesu conceditur, ut quotiescumque *propriam Crucifixi Redemptoris nostri imaginem,* quae semel electa nisi in eventu amissionis mutari nequit, ad quemcumque Christi fidelem *in articulo mortis* constitutum deferunt, hic, si vere poenitens et confessus ac sacra communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, corde saltem contritus nomen Iesu, ore si potuerit, sin minus corde devote invocaverit atque imaginem illam osculatus fuerit seu tetigerit, *plenariam indulgentiam* consequatur. (Leo xiii brevi Expositum Nobis, 12 Ian. 1886.)

5. — Omnes Societatis Religiosi applicare possunt *in suffragium animarum Purgatorii* omnes indulgentias, quas ipsi lucrari valent, plenarias et partiales, concessas et in futurum concedendas a Summis Pont. (Bened. xiii rescripto 25 Septembris 1728.)

SECUNDA PARS.

INDULGENTIAE CONCESSAE OMNIBUS CHRISTI FIDELIBUS ECCLESIAS SEU CAPPELLAS SOC. IESU VISITANTIBUS.

A. — INDULGENTIAE PLENARIAE.

I. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui die festo *Circumcisionis D. N. Iesu Christi, aut uno ex septem* continuis praecedentibus aut immediate subsequentibus *diebus,* cuiuscumque eorum arbitrio sibi eligendo die, quamlibet ecclesiam Societatis Iesu seu cappellam visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Leo xiii brevi Expositum Nobis, 12 Ianuarii 1886.)

LEONE XIII Pont. Max. — 20 Ian. 1886

II. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ecclesiam Societatis Iesu feria sexta immediate sequenti octavam solemnitatis Corporis Christi (qua *festum SSmi Cordis Iesu* celebratur), a primis vesperis usque ad occasum solis devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium ante SSmum Eucharistiae Sacramentum, vel ante Servatoris nostri Iesu imaginem, iuxta mentem Summi Pontificis, pias ad Deum preces effuderint. (Clemens xiii brevi Ad augendam fidelium religionem, 26 Maii 1766, et decreto Sacrae Congr. Indulg. 2 Iunii 1767.)

III. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ecclesiam Presbyterorum Societatis Iesu, *die festo S. Ignatii de Loyola*, a primis vesperis usque ad occasum solis, devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Gregor. xv brevi Splendor Paternae gloriae, 8 Iunii 1622.)

IV. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis Presbyterorum Societatis Iesu, *die festo S. Francisci Xaverii*, a primis vesperis usque ad occasum solis, devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Idem loc. cit.)

V. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui *duodecima mensis Martii* die, anniversaria canonizationis SS. Ignatii de Loyola et Francisci Xaverii, quamlibet Societatis Iesu ecclesiam vel cappellam devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Leo xiii brevi Expositum Nobis, 12 Ianuarii 1886.)

VI. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis Domorum vel Collegiorum Societatis Iesu, *die festo S. Francisci Borgiae*, a primis vesperis usque ad occasum solis, devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Clemens x brevi Redemptoris et Domimi, 3 Iulii 1671.)

VII. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis quarumcumque Domorum Clericorum Regularium Societatis Iesu, *die festo S. Ioannis Francisci de Regis*, a primis vesperis usque ad occasum solis, devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Clemens xii brevi Redemptoris Domini, 19 Aprilis 1738.)

VIII. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui quamlibet Societatis Iesu ecclesiam, *die festo S.*

Francisci de Hieronymo, a primis vesperis usque ad occasum solis, devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad DEUM preces effuderint. (Gregor. XVI brevi CUM INCLYTA, 17 Martii 1840.)

IX. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui *die festo SS. Martyrum Iaponensium* Pauli Michi, Ioannes de Goto et Iacobi Chisai Societatis IESU (5 Februarii) quamlibet Societatis IESU ecclesiam vel cappellam a primis vesperis usque ad occasum solis devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad DEUM preces effuderint. (Leo XIII brevi EXPOSITUM NOBIS, 12 Ianuarii 1886.)

X. — *In qualibet ex decem dominicis* diebus immediate praecedentibus festum *S. Ignatii de Loyola*, sive alias per annum, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui dictis diebus dominicis, continue tamen celebrandis, vere poenitentes et confessi sacraque communione refecti, piis meditationibus aut orationibus aliisve christianae pietatis operibus, ad eiusdem Sancti honorem ac DEI gloriam, vacando sanctificaverint, et aliquam ecclesiam Societatis IESU devote visitaverint. (Clemens XIII, 27 Ianuarii 1767.)

In iis locis ubi Societas IESU non exsistit, Christi fideles lucrari valent dictas indulgentias, visitando respectivam parochialem ecclesiam, ibique per aliquod temporis spatium iuxta consuetos fines orando. (Gregor. XVI rescripto Sacrae Congr. Indulg. 10 Decembris 1841.)

XI. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis Societatis IESU, *in una ex decem feriis sextis, vel diebus dominicis aliisve infra hebdomadam diebus S. Francisci Xaverii* festum immediate praecedentibus vel subsequentibus, ad libitum eligenda, devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione et S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad DEUM preces effuderint. (Bened. XIV brevi APOSTOLICAE PROCURATIONIS, 6 Octobris 1753, et brevi DEDERAMUS SANE, 12 Ianuarii 1754.)

XII. — Omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis Presbyterorum Societatis IESU *die festo* illius *invocationis seu tituli*, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad DEUM preces effuderint. (Paulus V brevi SPLENDOR PATERNAE GLORIAE, 16 Decembris 1611, et Leo XII brevi PLURA INTER, 11 Iulii 1826.)

B. — INDULGENTIAE PARTIALES.

1. — *Septem annorum totidemque quadragenarum,* Christi fidelibus qui in festivitatibus *Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae D. N. IESU Christi et Corporis Christi,* nec non *feriis sextis, dominicis* et *quadragesimalibus* diebus singulorum annorum usque octavam

LEONE XIII Pont. Max. Paschatis, ecclesias et pia loca Societatis IESU, corde saltem contrito et devote visitaverint, et inibi Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitaverint, et verbum DEI, si in illis praedicetur, devote audierint. (Paulus III bulla LICET DEBITUM, XV kal. Novembris 1549.)

2. — *Unius anni et quadraginta dierum,* omnibus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui die festo *S. Ignatii de Loyola,* ad *sepulcrum,* in quo eius corpus requiescit, visitandum accesserint; iis vero qui in eiusdem festi octava, quadraginta dierum. (Urbanus VIII in bulla canonizationis, VIII idus Augusti 1623.)

3. — *Unius anni et unius quadragenae,* Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui die festo *S. Francisci Xaverii,* ad *sepulcrum,* in quo eius corpus requiescit, visitandum accesserint; iis vero qui in eiusdem festi octava, quadraginta dierum. (Idem loc. cit.)

4. — *Septem annorum totidemque quadragenarum,* in singulis *decem feriis sextis,* vel diebus *dominicis aliisve* infra hebdomadam *diebus S. Francisci Xaverii* festum immediate praecedentibus vel subsequentibus (excepta illa pro qua indulgentia plenaria concessa est, de qua supra n. XI), Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis Societatis IESU devote visitaverint et ibidem oraverint. (Bened. XIV brevi APOSTOLICAE PROCURATIONIS, 6 Octobris 1753, et brevi DEDERAMUS SANE, 12 Ianuarii 1754.)

5. — *Septem annorum et totidem quadragenarum,* Christi fidelibus qui die festo *S. Francisci Borgiae sepulcrum* et corpus eius devote visitaverint; infra vero octavam, quadraginta dierum. (Bened. XIII in bulla canonizationis, pridie nonas Iunias 1724.) 20 Ian. 1886

— 6. *Unius anni et unius quadragenae,* Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui solemni die *S. Stanislai Kostkae* ad eius *exuvias* venerandas accesserint; iis vero qui in octava eiusdem diei festi, quadraginta dierum. (Bened. XIII in bulla canonizationis, pridie kal. Ianuarias 1726.)

7. — *Unius anni et unius quadragenae,* Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui solemni die *S. Aloisii Gonzagae,* ad sacras eius *exuvias* venerandas accesserint; iis qui in octava eiusdem diei festi, quadraginta dierum. (Bened. XIII in bulla canonizationis, pridie kal. Ianuarias 1726.)

8. — *Septem annorum totidemque quadragenarum,* Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui die festo *S. Ioannis Francisci de Regis ad sepulcrum,* in quo eius corpus requiescit, visitandum accesserint. (Clemens XII in bulla canonizationis XVI kal. Iulii 1737.)

9. — *Septem annorum totidemque quadragenarum,* Christi fidelibus qui die festo *S. Francisci de Hieronymo,* illius *tumulum* corde saltem contrito ac devote venerati fuerint. (Gregorius XVI in bulla canonizationis, VII kal. Iunii 1839).

10. — *Septem annorum totidemque quadragenarum,* iis qui anniversaria die (5 Februarii) festi *SS. Martyrum Iaponensium* S. I. Pauli Michi, Ioannis de Goto et Iacobi Chisai, ipsorum *exuvias* corde saltem contrito ac devote venerati fuerint. (Pius IX in bulla canonizationis, VI idus Iulias 1862.

PRIVILEGIUM.

In omnibus et singulis ecclesiis Societatis IESU, tam erectis quam in posterum erigendis, unum indulgetur altare privilegiatum pro quocumque Sacerdote sive saeculari sive Regulari, dummodo nullum aliud privilegiatum adsit, per uniuscuiusque Domus sive Collegii aut Tirocinii Seminariique Rectorem designandum, et aliud alteri, quoties ita opportunum iudicaverit, subrogandum. (Bened. XIV brevi QUEMADMODUM, 15 Iulii 1749.)

TERTIA PARS.

INDULGENTIAE PRO SOCIETATIS IESU MINISTERIIS CONCESSAE.

A. — PRO DOCTRINA CHRISTIANA.

(Indulgentiae concessae a Gregorio XV, per breve PIETATIS ET CHRISTIANAE CHARITATIS, diei 27 Septembris 1622.)

INDULGENTIAE PLENARIAE.

1. — Omnibus Societatis IESU Clericis, ac aliis universi Christi fidelibus cum iisdem Clericis in infra scriptis cooperantibus, qui, de Superiorum suorum licentia respective, ac de consensu Ordinariorum locorum, pueros et adultos quoscumque doctrinam christianam, iuxta decreta S. Concilii Tridentini docere, aut eidem dum docetur interesse consueverint, si vere poenitentes et confessi SSmo Eucharistiae Sacramento, *die festo ab iisdem Ordinariis in ecclesiis, in quibus doctrina christiana docetur, semel in anno designando,* refecti fuerint.

2. — Nec non ipsis, qui, vere etiam poenitentes et confessi, SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, aut, id facere non valentes, animo contrito nomen IESU, saltem corde, *in mortis articulo* invocaverint.

3. — Et qui *diebus Stationum Urbis* hanc doctrinam in ecclesiis aut oratoriis de Ordinariorum licentia docuerint, ac etiam illi qui ad eamdem discendam accesserint, easdem indulgentias consequuntur, quas consequerentur, si ecclesias Stationum Urbis personaliter visitarent; easdem etiam indulgentias, visitatores scholarum doctrinae huiusmodi, qui ex commisso sibi officio visitabunt illas scholas, quas illo die visitare poterunt, consequuntur, si, peccata sua confessi, SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint.

INDULGENTIAE PARTIALES.

1. — *Septem annorum totidemque quadragenarum,* semel quolibet mense, supra dictis, cum Societatis Clericis tum aliis Christi fidelibus, quo die vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint.

2. — *Ducentorum dierum,* iisdem quoties operam dederint ut pueri, famuli aut quaevis aliae personae ad doctrinam christianam eant.

3. — *Centum dierum,* iisdem qui diebus ferialibus hanc doctrinam christianam aut publice aut privatim, ut praemittitur, explanaverint.

4. — *Septem annorum,* omnibus praeceptoribus, qui diebus festis discipulos suos ad doctrinam christianam duxerint, eosque illam docuerint.

5. — *Centum dierum,* iisdem qui diebus ferialibus in propriis scholis eamdem doctrinam explicaverint.

LEONE XIII Pont. Max. 20 Ian. 1886

6. — *Septem annorum,* praedictis Clericis qui in ecclesiis seu oratoriis, ubi doctrina christiana docetur, verbum Dei praedicaverint aut collationes fecerint, licet illo die non intervenerint in aliqua schola docendi causa.

7. — *Septem annorum,* iis qui per civitates, terras et alia loca, viros, mulieres aut pueros ad discendam eamdem doctrinam christianam, ducendi causa, circumierint.

8. — *Decem annorum,* iis qui extra civitates, ad illam ut praefertur docendam, per castra et villas exierint.

9. — *Centum dierum,* omnibus Christi fidelibus qui per mediam horam doctrinae praedictae aut docendi causa studuerint, aut eidem doctrinae interfuerint.

10. — *Ducentorum dierum,* iisdem qui doctrinam praedictam docere solent, si infirmos visitaverint, quoties id fecerint.

B. — PRO EXERCITIIS SPIRITUALIBUS.

Ii omnes qui in aliquo Collegio, Domo aut spirituali Secessu (Domo Exercitiorum dicto), vel in publica etiam ecclesia seu cappella Societatis Iesu, *Spiritualia Exercitia* a S. Ignatio Societatis fundatore instituta, *per quodcumque dierum spatium,* semel aut pluries in anno, vel per unum etiam diem semel in mense, pro exercitio quod appellant *Praeparationis ad mortem,* peregerint, et vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti ecclesiam sive oratorium eiusdem Collegii vel Domus vel Secessus visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, qualibet vice *indulgentiam plenariam* consequuntur. (Alexander VII brevi Cum sicut Nobis, 12 Octobris 1657; Bened. XIV brevi Quantum Secessus, 29 Martii 1753, et Idem alio brevi Dedimus sane, 16 Maii 1753.)

Quam indulgentiam omnes Christi fideles lucrari possunt, quoties Societatis Religiosi ubique locorum, sive Missionarii in actu missionum quarumcumque, sive in quibusvis tam publicis quam privatis ecclesiis et oratoriis et piis locis et aedibus vel saecularibus vel regularibus, de Superiorum licentia, Spiritualia huiusmodi Exercitia vel diem quem appellant *Praeparationis ad mortem,* tradiderint. (Bened. XIV brevi Dedimus sane, 16 Maii 1753.)

C. — PRO SACRIS MISSIONIBUS.

INDULGENTIAE PLENARIAE.

I. — Tempore missionum, tam Religiosis Societatis Iesu a Superioribus ad missiones peragendas missis, quam omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, *qui missionibus* ipsis, per Religiosos eiusdem Societatis Iesu peragendis, *quinque vicibus* pro qualibet missione rite adstiterint, ac interea temporis vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint ac pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Gregor. XVI brevi Exponendum Nobis, 20 Decembris 1839.)

Quoad praedictam indulgentiam, indultum est:

A. Ut extendatur etiam *ad infirmos,* dummodo alia pia opera a respe-

LEONE XIII Pont. Max. — 20 Ian. 1886

ctivis Confessariis iniuncta exsequantur. (Gregor. XVI rescripto Sacrae Congr. Indulg. 17 Martii 1841.)

B. Ut tempore missionis, Confessarii cum iis qui a longe ad missionem venerunt, et quinquies assistere nequiverunt, *dispensare valeant in obligatione quinquies missioni assistendi,* et eius loco praescribere eis aliud pium opus. (Pius IX rescripto diei 29 Martii 1855.)

C. Ut tempore missionis, confessarii *dispensare possint a sacra communione eos infantes,* qui ad primam communionem nondum potuerunt admitti, praescribendo eis aliud pium opus. (Idem loc. cit.)

II. — Omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui *benedictionem, Summi Pontificis nomine, in fine missionum* cum imagine D. N. IESU Christi elargiendam per Sodales Societatis IESU receperint, dummodo in decursu missionum, vere poenitentes, confessi ac sacra communione refecti fuerint, et per aliquod temporis spatium iuxta mentem Summi Pontificis pie oraverint. (Pius IX rescripto autographo diei 19 Ianuarii 1851.)

III. — Omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui post peracta missionis aut etiam recessus spiritualis exercitia a Clericis Regularibus Societatis IESU tradita in ecclesiis, oratoriis, plateis aut campis, pias *preces per quadraginta dies,* incipiendo a die quam designabit exercitii aut missionis praeses, ad obtinendam perseverantiam recitaverint, ac interea temporis vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint. (Gregor. XVI brevi INIUNCTI NOBIS, 7 Iulii 1843.)

IV. — *Die anniversario erectionis crucis missionum,* vel dominica immediate sequenti, si contigerit diem anniversariam cadere in diem ferialem, nec non *in festivitate Inventionis et Exaltationis S. Crucis,* omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui, vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti, aliquam ecclesiam vel publicum oratorium devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium, iuxta mentem Summi Pontificis pie oraverint. (Pius IX, die 19 Decembris 1875.)

V. — *Una mensis Decembris die,* omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra communione refectis, qui ante aliquam ex crucibus in fine missionis erigendis, tribus saltem vicibus in quolibet mense, ter Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam cum Gloria Patri, in memoriam trium horarum agoniae D. N. IESU Christi, et iuxta mentem Summi Pontificis devote oraverint. (Leo XIII rescripto Sacrae Congr. Indulg. 22 Aprilis 1882.)

INDULGENTIAE PARTIALES.

1. — *Indulgentia bis centum dierum,* in quocumque ex quadraginta diebus, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui post peracta missionis aut etiam recessus spiritualis exercitia a Clericis Regularibus Societatis IESU tradita in ecclesiis, oratoriis, plateis aut campis, pias preces per quadraginta dies, incipiendo a die quam designabit exercitii aut missionis praeses, ab obtinendam perseverantiam, corde saltem contrito ac devote persolverint. (Gregor. XVI brevi INIUNCTI NOBIS, 7 Iulii 1843.)

2. — Indulgentia *tercentum dierum,* omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui crucis erectioni in fine

LEONE XIII Pont. Max. **20 Ian. 1886**

missionum a Sodalibus Societatis Iesu peragendae, corde saltem contrito ac devote interfuerint. (Leo xiii rescripto Sacrae Congr. Indulg. 22 Aprilis 1882.)

3. — Indulgentia *quinque annorum*, semel in die lucranda ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui corde saltem contrito ante aliquam ex crucibus in fine missionis a Patribus Societatis Iesu erigendis, ter Pater, Ave, Gloria in memoriam trium horarum agoniae D. N. Iesu Christi et iuxta mentem Summi Pontificis devote recitaverint. (Leo xiii loc. cit.)

PRIVILEGIUM.

Omnes utriusque sexus Christi fideles, qui, tempore sacrarum missionum a Sodalibus Societatis Iesu habendarum, ad Sacramentum Poenitentiae semel accesserint, omnes et singulas plenarias indulgentias acquirere valent, quae intra idem tempus occurrent, caeteris servatis conditionibus ad eas lucrandas iniunctis. (Leo xiii rescripto Sacrae Congr. Indulg. 15 Martii 1884.)

D. — PRO COMMUNIONE GENERALI.

Indulgentia plenaria omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui aliquam Societatis Iesu vel quamcumque aliam saecularem ecclesiam ubique locorum in *una ex dominicis cuiusvis mensis*, qua communio generalis cura Clericorum Regularium Societatis Iesu, et quoad saeculares ecclesias de cuiusque Ordinarii licentia deque Rectorum earumdem consensu, ibidem agetur, devote visitaverint, iisdemque dominicis in aliqua ex praedictis ecclesiis SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, ibique pro christianorum Principum concordia haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Leo xiii brevi Nihil adeo, 8 Ianuarii 1886.)

Quemadmodum indulgentiae primae partis, ita etiam omnes indulgentiae secundae et tertiae partis huius Summarii animabus quoque defunctorum per modum suffragii sunt applicabiles.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, facto verbo cum Sanctissimo in audientia habita die 21 Novembris 1885 ab infra scripto Secretario eiusdem Sacrae Congregationis, praefatum Summarium, nunc primum ex diversis concessionibus excerptum, imprimi et publicari posse permisit.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 20 Ianuarii 1886.

I. B. Card. Franzelin Praef.
Fr. della Volpe Secr.

LEONIS XIII

NOVA INSTITUTI ET PRIVILEGIORUM CONFIRMATIO.

LEO PAPA XIII

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

LEONIS XIII

Commendatio Ordinum regularium,

Dolemus inter alia, quibus cor nostrum in tanta rerum perturbatione angitur, iniurias et damna illata religiosis Regularium Ordinum familiis, quae a sanctissimis institutae viris, magno usui et ornamento, tum Catholicae Ecclesiae, tum civili etiam societati commodo et utilitati sunt, quaeque omni tempore de religione ac bonis artibus deque animarum salute optime meruerunt. Propterea Nobis est gratum, oblata occasione, laudem, quae iisdem religiosis familiis iure meritoque debetur, tribuere, et benevolentiam qua eas, uti et praedecessores Nostri, complectimur, publice et palam testari.

et Societatis Iesu, cuius Institutum denuo editur.

Iamvero, quum noverimus pluribus abhinc annis novam inchoatam esse editionem operis, cui titulus " Institutum Societatis Iesu „ eamque a dilecto filio Antonio Maria Anderledy, Vicario Generali eiusdem Societatis Iesu, assiduo studio absolvendam curari, eiusdemque operis adhuc desiderari librum, in quo apostolicae litterae praefatae Societati eiusque Institutori S. Ignatio de Loyola, aliisque Praepositis Generalibus datae habentur, hanc arripiendam censuimus occasionem exhibendi Nostrae erga Societatem Iesu, egregie de re catholica et civili meritam, voluntatis testimonium. Quare incoeptam operis praedicti editionem, in decus utilitatemque eiusdem Societatis cessuram, probamus, laudamus, eamque continuari et ad finem perduci cupimus. Utque vel magis Nostra in Societatem Iesu voluntas perspecta sit, omnes et singulas litteras apostolicas, quae respiciunt erectionem, institutiouem et confirmationem Societatis Iesu, per praedecessores Nostros Romanos Pontifices a fel. rec. Paulo III ad haec usque tempora datas, tam sub plumbo quam in forma brevis confectas, et in iis contenta atque inde secuta quaecumque, nec non omnia et singula vel directe vel per communicationem cum aliis Ordinibus Regularibus eidem Societati impertita, quae tamen dictae Societati non adversentur, neque a Tridentina Synodo aut ab aliis Apostolicae Sedis constitutionibus in parte vel in toto abrogata sint et revocata, privilegia, immunitates, exemptiones, indulta, hisce litteris confirmamus et apostolicae auctoritatis robore munimus, iterumque concedimus.

13 Iul. 1886

Litterarum apostolicarum et privilegiorum Societati concessorum confirmatio.

Contrariorum derogatio.

Idcirco decernimus has litteras Nostras firmas, validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, et iis ad quos spectat et spectare poterit plenissime suffragari. Non obstantibus apostolicis litteris Clementis Papae XIV incipientibus Dominus ac Redemptor, in forma brevis die vigesimo primo Iulii, anno MDCCLXXIII expeditis, aliisque quibuscumque, licet speciali et individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus; quibus omnibus ac singulis, ad praemissorum effectum tantum, specialiter et expresse derogamus.

LEONIS XIII — 13 Iul. 1886

Sum. Pontificis amor erga Societatem et adhortatio.

Sint hae litterae Nostrae testes amoris, quo iugiter prosecuti sumus et prosequimur inclytam Societatem Iesu, praedecessoribus Nostris ac Nobis ipsis devotissimam, fecundam tum sanctimoniae tum sapientiae laude praestantium virorum nutricem, solidae sanaeque altricem doctrinae; quae graves licet propter iustitiam persecutiones perpessa, numquam in excolenda vinea Domini alacri invictoque animo adlaborare desistit. Pergat igitur bene merita Societas Iesu, ab ipso Concilio Tridentino commendata et a praedecessoribus Nostris praeconio laudum cumulata; pergat, in tanta hominum perversitate contra Iesu Christi Ecclesiam, suum persequi institutum ad maiorem Dei gloriam sempiternamque animarum salutem; pergat suo ministerio in sacris expeditionibus infideles et haereticos ad veritatis lucem traducere et revocare, iuventutem christianis virtutibus bonisque artibus imbuere, philosophicas ac theologicas disciplinas ad mentem Angelici Doctoris tradere. Interea dilectissimam Nobis Societatem Iesu peramanter complectentes, Societatis eiusdem Praeposito Generali et eius Vicario singulisque Alumnis apostolicam impertimus benedictionem.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decimo tertio Iulii MDCCCLXXXVI, Pontificatus Nostri anno nono.

M. Card. Ledochowski.

CONFIRMATIO CULTUS BB. EDMUNDI CAMPION ET SOCIORUM

E SOCIETATE IESU, ALIORUMQUE MARTYRUM ANGLORUM.

LEONE XIII Pont. Max. — 29 Dec. 1886

Anglia Sanctorum insula ac Deiparae Virginis dos olim appellata, quemadmodum a primis usque Ecclesiae saeculis plurimorum Martyrum passionibus illustrata fuerat, ita etiam, cum diro schismate a Romanae Sedis obedientia et communione saeculo XVI avulsa est, eorum testimonio non caruit, qui " pro huius Sedis dignitate et orthodoxae fidei veritate vitas suas cum sanguine ponere non dubitarunt. " (Gregorius XIII Constit. Quoniam divinae bonitati, kal. Maii 1579). Huic praeclarissimae catervae nihil penitus deest quod eam tum compleat, tum ornet: non purpurae romanae maiestas, non venerabilis Episcoporum honor, non Cleri utriusque fortitudo, non sexus infirmioris inexpugnabilis firmitas. Hos inter eminet Ioannes Fischer, Episcopus Roffensis, et S. R. E. Cardinalis, quem in suis litteris Paulus III appellat " sanctitate conspicuum, doctrina celebrem, aetate venerabilem, illius regni ac totius ubique Cleri decus et ornamentum. " A quo seiungi nequit vir saecularis Thomas More, Angliae Cancellarius, quem idem Pontifex meritis extollit laudibus, utpote " doctrina litterarum sacrarum excellentem, et veritatem adserere ausum. " Idcirco praeclarissimi quique rerum ecclesiasticarum scriptores unanimi censent calculo eos omnes pro tuenda, restituenda, et conservanda catholica fide sanguinem fudisse. Quin etiam Gregorius XIII plura in eorum honorem indulsit, quae ad publicum ecclesiasticumque cultum

LEO XIII Pont. Max. 29 Dec. 1886

pertinent: atque illud praecipuum, ut potestatem fecerit horum lipsana in consecrandis altaribus adhibendi, quando illa veterum Sanctorum Martyrum non suppeterent. Praeterea, postquam in templo S. Stephani ad Coelium montem Christi Martyrum passiones per Nicolaum Circinianum udo tectorio pingi fecisset; permisit etiam, ut in templo Sanctissimae Trinitatis Anglorum de Urbe, ab eodem auctore eademque ratione, Anglicanae Ecclesiae Martyres antiqui recentiorisque aevi pariter exhiberentur, quos inter illi etiam qui ab anno 1535 ad 1583, sub Henrico Rege et Elisabetha, pro catholica fide ac Romani Pontificis primatu mortem obierant. Quae martyriorum repraesentationes eo in templo depictae, videntibus ac probantibus Romanis Pontificibus Gregorii successoribus, ad duo saecula permanserunt, donec nefariorum hominum iniuria sub finem elapsi saeculi perierunt. Mansere tamen illarum ectypa, quae anno 1584 Romae cum privilegio eiusdem Gregorii XIII aere cusa fuerant, hoc apposito titulo: " Sanctorum Martyrum, qui pro Christo catholicaeque fidei veritate adserenda antiquo recentiorique persecutionum tempore mortem in Anglia subierunt, passiones. " Ex quo monumento, sive ob subiectum elogium, sive ob alia indubia indicia, plures eiusmodi Martyres suo nomine comperti sunt, nempe quinquaginta quatuor. Sunt autem.

Passi sub Henrico Rege: Ioannes Fisher, Episcopus Roffensis, S. R. E. Cardinalis - Thomas More, Angliae Cancellarius - Margarita Pole, Comitissa Salisburiensis, Cardinalis Poli mater - Ricardus Reynolds, Ordinis S. Birgittae - Ioannes Haile, Sacerdos: Octodecim Carthusiani, nimirum: Ioannes Houghton - Augustinus Webster - Robertus Laurence - Guglielmus Exmew - Humphredus Middlemore - Sebastianus Newdigate - Ioannes Rochester - Iacobus Walworth - Guglielmus Greenwood - Ioannes Davy - Robertus Salt - Gualterus Pierson - Thomas Green - Thomas Scryven - Thomas Redyng - Thomas Johnson - Ricardus Bere, et Gulielmus Horne - Ioannes Forest, Sacerdos Ordinis S. Francisci - Ioannes Stone, Ordinis S. Augustini: Quatuor Sacerdotes saeculares, Thomas Abel - Eduardus Powel - Ricardus Fetherston Ioannes Larke, et Germanus Gardiner, laicus:

Sub Elisabetha vero, Sacerdotes Cuthbertus Mayne - ***Ioannes Nelson*** - Everardus Hanse - Rodulphus Sherwin - Ioannes Payne - Thomas Ford - Ioannes Shert - Robertus Johnson - Gulielmus Fylby - Lucas Kirby - Laurentius Richardson - Gulielmus Lacy - Ricardus Kirkman - Iacobus Hudson, seu Tompson - Gulielmus Hart - Ricardus Thirkeld - ***Thomas Woodhouse***, et Plumtree. Item tres Sacerdotes e Societate IESU, ***Edmundus Campion - Alexander Briant***, et ***Thomas Cottam***. Denique Ioannes Storey, Iuris utriusque Doctor - Ioannes Felton, et Thomas Sherwood, laici.

Horum tamen Martyrum causa ad haec usque tempora numquam agitari coeperat. Olim quidem, anno 1860, clarae mem. Cardinalis Nicolaus Wiseman, Archiepiscopus Westmonasteriensis, aliique Angliae Episcopi sanctae mem. Pio IX Pontifici Maximo preces obtulerant, ut per totam Angliam festum institueretur in honorem omnium Sanctorum Martyrum, nempe illorum etiam, " qui licet nondum vindicati, recentioribus tempo-

LEONE XIII Pont. Max. 29 Dec. 1886

ribus pro catholica religione tuenda, et praesertim pro auctoritate Sedis Apostolicae adserenda, per nefariorum hominum manus occubuerunt, et ad sanguinem usque restiterunt. „ Verumtamen cum iuxta vigentem Sacrorum Rituum Congregationis praxim, festum nonnisi de illis DEI famulis institui possit, quibus ecclesiasticus cultus a Sede Apostolica iam delatus, et rite recognitus fuerit; preces illae nullum effectum sortitae sunt. Quapropter postremis hisce annis novae preces per Emum ac Rmum Dnum Cardinalem Henricum Manning, hodiernum Archiepiscopum Westmonasteriensem, et alios Angliae Episcopos ad Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem XIII Pontificem Maximum delatae sunt, una cum ordinario processu in Anglia confecto, aliisque authenticis documentis, in quibus tum probationes Martyrii pro iis qui ab anno 1535 ad 1583 passi sunt, tum etiam praedicta indulta Romanorum Pontificum pro prioribus illis nuper memoratis continentur.

Placuit Sanctissimo Domino Nostro totius negotii cognitionem peculiari coetui aliquot S. R. E. Cardinalium, et Officialium Sacrorum Rituum Congregationis committere, praevia exegesi per R. P. D. Augustinum Caprara, S. Fidei Promotorem, conficienda. Qua in particulari congregatione die 4 Decembris labentis anni ad Vaticanum coadunata, infra scriptus Cardinalis Dominicus Bartolini eidem Sacrae Congregationi Praefectus, et causae Relator, sequens proposuit dubium: " An, propter peculiaria Romanorum Pontificum indulta, relate ad antiquiores Angliae Martyres, qui ab anno 1535 ad 1583, pro fide catholica et pro Romani Pontificis in Ecclesia primatu mortem obierunt, et quorum passiones, auctoritate Gregorii XIII Pont. Max., in templo SSmae Trinitatis Anglorum de Urbe olim depictae, et Romae anno 1584, cum privilegio eiusdem Pontificis, aere cusae sunt, constet de indulto publico ecclesiastico cultu, sive de casu excepto a decretis sanctae mem. Urbani Papae VIII, in casu et ad effectum de quo agitur? „ Emi porro ac Rmi Patres, et Praelati Officiales, audito scripto et voce praefato S. Fidei Promotore, reque mature discussa quoad recensitos quinquaginta quatuor Martyres, respondendum censuerunt: "Affirmative, seu constare de casu excepto. „

Super quibus omnibus facta Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per me subscriptum Secretarium fideli relatione, idem Sanctissimus Dominus Noster sententiam Sacrae Congregationis particularis approbare dignatus est die 9 decembris 1886.

Praesens autem decretum expeditum fuit hac die 29 Decembris, sacra Thomae Episcopo Cantuariensi Martyri, cuius fidem et constantiam hi Beati Martyres tam strenue imitati sunt.

D. Card. Bartolinius S. R. C. Praef.
Laurentius Salviati S. R. C. Secr.

N. B. Dimisso Patrum Cardinalium coetu, in quo sententia Promotoris Fidei de hoc decreto aequipollentis Beatificationis condendo probata est, non licuit eorumdem Patrum Cardinalium examini subiicere documenta quae efficiunt, Beatos Thomam Woodhouse et Ioannem Nelson inter Sodales Societatis IESU esse censendos. Id tamen factum est paulo postea per occasionem approbationis Officii Beatorum Edmundi Campion et Soc. Martyrum e Soc. IESU, uti patet ex historicis eiusdem Officii lectionibus a Sacra Rituum Congregatione approbatis die 30 Aprilis 1887.

EXTENSIO INDULGENTIAE PLENARIAE

CONVENIENTIBUS SODALIBUS B. MARIAE V. CONCESSAE.

LEONE XIII Pont. Max.

27 Apr. 1887

Beatissime Pater,

Antonius Maria Anderledy, Praepositus Generalis Societatis Iesu, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, demisse exponit rec. mem. Benedictum Papam XIV, brevi PRAECLARIS ROMANORUM PONTIFICUM d. d. 24 *Aprilis* 1748 *et bulla GLORIOSAE DOMINAE d. d.* 27 *Septembris* 1748, *sodalibus Congregationum B. MARIAE V. earumque Sodalitatum ministris seu inservientibus inter alias concessisse indulgentiam plenariam semel in hebdomada iis diebus, quibus, secundum Primae Primariae sive aliarum Sodalitatum statuta ac regulas seu consuetudines, Sodalitii conventus haberi solent, et vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti ecclesiam sive cappellam, oratorium seu locum uniuscuiusquc Congregationis visitaverint, et ibi consuetas ad DEUM preces secundum mentem Summi Pontificis effuderint.*

Verum in aliquibus regionibus usus atque experientia docet conventus illos hebdomadarios sodalium diebus ferialibus utilius haberi. Iis tamen diebus sodales, quominus ad sacramenta poenitentiae et Eucharistiae accedant, laboribus impediuntur. Quare praedictus Orator Sanctitatem Tuam enixe rogat, ut decernere dignetur in omnibus regionibus, ubi eadem et alia rationabilis causa obtinet, ad eam indulgentiam lucrandam sufficere, ut sodales aliquo intra hebdomadam die, praecedenti vel eodem die peccata confessi, ad sacram communionem accedant, atque in cappella Sodalitatis preces praescriptas persolvant. Et DEUS etc.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, in audientia habita die 27 Aprilis 1887 ab infra scripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia, iuxta preces; servata in reliquis forma et tenore praefatarum concessionum. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 27 Aprilis 1887.

Fr. Thomas M. Card. Zigliara Praef.
Alexander Episcopus Oensis Secr.

ASSIGNANTUR PRO TEMPORIS DIVERSITATE

LECTIONES II ET III NOCTURNI

IN OFFICIIS VOTIVIS SS. ALOISII GONZAGAE, FRANCISCI BORGIAE ET FRANCISCI XAVERII.

LEONE XIII Pont. Max.

14 Mai. 1887

Quum Redactor Kalendarii pro divino Officio persolvendo Sacroque celebrando ab Alumnis Societatis IESU, a Rmo P. Praeposito Generali eiusdem Societatis mandatum acceperit novam editionem curandi Officiorum propriorum in usum ipsius Societatis IESU, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII humillimis precibus efflagitavit, ut in Officiis votivis S. Aloi-

LEONE XIII Pont. Max. **14 Mai. 1887**

sii Gonzagae et S. Francisci Borgiae, iam ab Apostolica Sede eidem Societati concessis, loco adsignandi Lectiones II et III Nocturni iuxta partitionem trimestrium, adsignentur pro temporis diversitate, prout reperitur in Officio votivo Immaculatae Conceptionis; ita ut tempore hyemali legantur Lectiones adsignatae mensibus Ianuario, Februario et Martio: tempore verno quae mensibus Aprili, Maio et Iunio, et ita porro. Insuper, ut uniformitas servetur etiam in Officio votivo S. Francisci Xaverii, in quo non habentur nisi Lectiones de die festo, de tertia die infra octavam, et de die octava, quae non sufficiunt pro praedictis quatuor anni temporibus, expetivit ut tempore verno in II Nocturno legantur Lectiones de Communi Confessoris non Pontificis primo loco, et in III Nocturno Lectiones de homilia S. Ambrosii Episcopi quae leguntur in Breviario feria quinta infra octavam Pentecostes; Lectiones vero de die festo legantur tempore hyemali, Lectiones de tertia die infra octavam, tempore aestivo, et Lectiones de die octava tempore autumnali. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, attento commendationis officio Rmi Patris Antonii Mariae Anderledy, hodierni Praepositi Generalis Societatis Iesu, benigne annuit in omnibus, iuxta preces: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 Maii 1887.

D. Card. Bartolinius S. R. C. Praef.

Pro R. P. D. Laurentio Salvati Secr.,

Ioannes Ponzi Substitutus.

DECRETUM DE CONFRATERNITATIBUS.

Societatis Iesu.

LEONE XIII Pont. Max. **16 Iul. 1887**

Tres quaestiones huic Sacrae Congregationi Indulgentiarum et Sanctarum Reliquiarum dirimendas proposuit Procurator Generalis Societatis Iesu, quarum unaquaeque plura complectitur dubia. Prima quaestio proposita est de facultate Episcoporum quoad designationem Rectorum Confraternitatum seu Sodalitatum, quarum statuta generatim ferunt, ut singulis annis, sicut caeterorum officialium, ita et Moderatorum fiat electio. Quamvis vero haec Sacra Congregatio, edito generali decreto sub die 8 Ianuarii 1861, declaraverit impertitam esse facultatem Ordinariis, ut libere designare possent, si ita in Domino expedire iudicaverint, Parochos pro tempore in Rectores, Moderatores Confraternitatum seu Sodalitatum, dubitatum tamen est a nonnullis, an facultas nominandi Parochos pro tempore ita sit intelligenda, ut, defuncto actuali Parocho, vel etiam, amoto, qui Moderator erat alicuius Confraternitatis vel Sodalitatis in sua parochiali ecclesia erectae, novus Parochus iterum indigeat Episcopi nominatione, ut Rector Sodalitatis eligatur, vel non.

Altera quaestio respicit generale decretum editum a Clemente Papa XIII sub die 2 Augusti 1760, quo benigne concesserat, ut confratres et con-

LEONE XIII Pont. Max. sorores uniuscuiusque Confraternitatis seu Sodalitatis aut Congregationis ubique locorum exsistentis canonice erectae, aliqua corporis infirmitate laborantes, aut carceribus detenti, eisdem omnibus et singulis indulgentiis, quibus caeteri gaudent confratres et consorores, gaudere valerent, dummodo loco visitationis ecclesiae, fere semper praescriptae, alia pia opera iniuncta peregerint, quae pro viribus praestare poterunt; simulque indulgebatur hanc gratiam suffragari in perpetuum et ad preces cuiuscumque Sodalitii, Confraternitatis seu Congregationis concedi. Iam vero quum a Sacra Congregatione Indulgentiarum quaesitum fuerit anno 1877: Utrum confratres et consorores cuiuscumque Confraternitatis tunc exsistentis facultate in decreto (Clementino) concessa gaudere possint et valeant sine recursu ad Sanctam Sedem, vel ad hoc dictus recursus sit necessarius ex verbis sequentibus decreti, " voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam... ad preces cuiuscumque Sodalitii concedi? „ et Sacra Congregatio respondisset: negative ad primam partem, affirmative ad secundam, et ad mentem; mens est supplicandum SSmo, ut per decretum generale extendatur ad omnes confratres cuiuscumque Confraternitatis aut Sodalitii indultum lucrandi singulas indulgentias, exercendo opera quae pro viribus peragere poterunt; pariter dubitatum est an illud generale decretum, quod ab hac Sacra Congregatione evulgandum postulabatur, et adhuc vulgatum non exsistit, necessario adhuc requiratur, quum aliunde ex decreto diei 26 Februarii 1877 (quod inter authentica reperitur in editione recenti Ratisbonensi) certo constet Summum Pontificem expetitam gratiam concessisse. 16 Iul. 1887

Postrema demum quaestio mota est de necessitate inscribendi nomina confratrum in libro Confraternitatis seu Sodalitii, praesertim si agatur de Sodalitiis seu Confraternitatibus in quibus, etsi ritus adhibeatur in receptione confratrum et consororum, earumdem tamen statuta inscriptionem minime requirunt, saltem explicite, uti conditionem absolutam pro lucrandis indulgentiis. Quare dubia solvenda haec sunt, quae sequuntur:

1.ᵐ An stante decreto diei 8 Ianuarii 1861, quo Episcopis speciales concessae sunt facultates nominandi Parochos pro tempore in Rectores Sodalitatum, defuncto actuali Parocho vel amoto, qui alicui Sodalitati praeerat, novus Parochus nova iterum indigeat Episcopi nominatione ad hoc ut Rector Sodalitatis eligatur?

2.ᵐ Quum in decreto diei 25 Februarii 1887 in responsione ad 1.ᵐ sermo sit de generali decreto vulgando in favorem omnium confratrum cuiuscumque Confraternitatis, quumque decretum huiusmodi vulgatum non fuerit, quaeritur — 1.°) an haec concessio nunc reapse valeat pro omnibus Confraternitatibus seu Sodalitiis aut Congregationibus sine speciali recursu cuiusque Confraternitatis seu Sodalitii ad Sanctam Sedem, qui antea requirebatur? Et quatenus affirmative, — 2.°) utrum valeat tantum pro confratribus infirmis, vel carceribus detentis, de quibus solis primaeva concessio Clementis Papae XIII loquebatur? — an 3.°) etiam extensa sit ad confratres gravi alia ex causa legitime impeditos? Et quatenus negative ad tertiam partem, — 4.°) humiliter ea extensio nunc petitur.

LEONE XIII Pont. Max.

3.^{m} Utrum — 1.°) concessio supra dicta valeat tantum pro iis confratribus, qui impediti sunt quominus praescriptam ecclesiae visitationem peragere possint — 2.°) an vero etiam pro illis qui prohibentur quominus aliquam aliam conditionem ad lucrandas indulgentias praescriptam impleant?

4.^{m} Utrum in iis Sodalitiis, quae solemnem aliquem receptionis ritum adhibent (ut Congregationes B. MARIAE Virginis), confratres hoc solemni modo a legitimo Sodalitatis Praeside recepti lucrari possint indulgentias, licet in libro Sodalitatis non inscribantur?

5.^{m} Utrum generatim inscriptio sit omnino necessaria ad lucrandas indulgentias, etiam si statuta Confraternitatis, Congregationis vel piae Unionis non explicite requirant inscriptionem tamquam conditionem essentialem?

Et Emi ac Rmi Patres rescripserunt in generalibus Comitiis ad Vaticanum coadunatis die 25 Iunii 1887:

Ad 1.^{m}, Negative.

Ad 2.^{m}, ad primam partem, Affirmative, et supplicandum Sanctissimo pro promulgatione decreti iuxta resolutionem Sacrae Congregationis diei 25 Februarii 1877.

Ad secundam partem, Affirmative. 16 Iul. 1887

Ad tertiam, Negative.

Ad quartam, supplicandum SSmo pro benigna extensione ad alia legitima impedimenta iudicio discreti Confessarii dignoscenda, commutato tamen ab eodem Confessario opere iniuncto visitationis ecclesiae in aliud pium opus.

Ad 3.^{m}, Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.

Ad 4.^{m}, Negative, si agatur de Confraternitatibus proprie dictis.

Ad 5.^{m}, Provisum in praecedenti.

De quibus omnibus facta per infra scriptum Sacrae Congregationis Secretarium relatione die 16 Iulii 1887, Sanctitas Sua responsiones Emorum Patrum confirmavit, simulque mandavit expediri decretum de quo in prima parte dubii secundi, et benigne concessit petitam extensionem, iuxta modum expressum in responsione ad quartam partem eiusdem dubii secundi.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 16 Iulii 1887.

Fr. Thomas M. Card. Zigliara Praef.
Alexander Episcopus Oensis Secr.

AGGREGATIO CONGREGATIONUM B. V. M. ET BONAE MORTIS

AD PRIMARIAS ROMANAS RESERVATUR PRAEPOSITO GENERALI SOC. IESU.

Beatissime Pater,

LEONE XIII Pont. Max.

Antonius Maria Anderledy, Praepositus Generalis Societatis IESU, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus demisse exponit, olim Congregationes B. MARIAE Virginis et Bonae Mortis, ut in ecclesiis Societatis ortum habuerunt, ita, etsi ab aliis erigerentur, indulgentias a Sede Apostolica illis concessas consequi non potuisse, nisi a Praeposito Generali Societatis IESU, cui ad id ampla facultas 17 Sept. 1887

LEONE XIII Pont. Max. 17 Sept. 1887

a pluribus Romanis Pontificibns concessa et saepius confirmata est, Primariis Congregationibus eiusdem tituli in Collegio Romano sive in ecclesia SSmi Nominis Iesu canonice erectis rite aggregarentur. Ex qua quidem benigna Sanctae Sedis dispositione inter alias haec imprimis utilitas promanabat, quod omnes illae Congregationes, etsi per totum orbem erant diffusae, iisdem tamen regerentur legibus et usibus, et, communi quodam vinculo colligatae, sancta inter se aemulatione ad bona quaeque opera stimulos sibi iniicerent, atque plurimos ad Dei gloriam et animarum salutem proferrent ubique fructus insignes.

Verum ab aliquo tempore dictae Congregationes B. Mariae Virginis et Bonae Mortis ab aliis quoque non tantum (ut iam pridem in usu fuerat) eriguntur, verum etiam indulgentiis ab hac Sancta Sede ipsis concessis ditantur ita, ut nullatenus ad Primarias illas Congregationes Romanas aggregentur, sed singulae earum per orbem sparsae, nullo vinculo inter se, nec ullo communi centro coniunctae remaneant.

Quare praedictus Orator enixe et humiliter rogat, ut Sanctitas Tua, si ita expedire ad maiorem earum Congregationum profectum videatur, benigne statuat, Congregationes B. Mariae Virginis et Bonae Mortis, etsi ab aliis sint erectae, nihilominus indulgentias eis a Romanis Pontificibus concessas non posse consequi in posterum, nisi, ut iampridem usus ferebat, a Societatis Iesu Praeposito Generali, obtento utique Ordinarii loci consensu, ad Primarias Congregationes Romanas fuerint aggregatae. Et Deus etc.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, in audientia habita die 17 Septembris 1887 ab infra scripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia, iuxta preces. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 17 Septembris 1887.

Pro Dno. Cardinali Zigliara Praef.,
M. Card. Ledochowski.
Alexander Episcopus Oensis Secr.

LEONIS XIII

BULLA CANONIZATIONIS B. PETRI CLAVER.

22 Ian. 1888

LEO EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

LEONIS XIII § 1. Proemium.

Divinum Domini Nostri Iesu Christi opus, Ecclesia, ineffabili Spiritus Sancti virtute informatur atque alitur; de qua Apostolus: " Divisiones vero gratiarum sunt.... Et divisiones ministrationum.... Et divisiones operationum.... Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus. Nam posuit Deus in Ecclesia primum apo-

LEONIS XIII 22 Ian. 1888

stolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum „.

Etsi autem Apostolatus honor reliquas gratias, ministrationes atque operationes suo iure sibi vindicet, primo proinde loco positus, et ad eos maxime pertineat qui plantaverunt Ecclesiam sanguine suo; tamen iis etiam merito defertur, qui, eorumdem opus prosequuti, per singulas aetates, doctrinae exemplo, atque etiam morte praeclare obita, vel divinum lumen attulerunt miseris qui in tenebris et umbra mortis iacent, vel Ecclesiae iura et libertatem contra christiani nominis osores fortiter defenderunt.

§ 2. S. Petrus Claver ortus est in oppido Verdunensi in Catalaunia anno 1580.

Quos inter, amplissimo dignitatis loco, proximus S. Francisco Xaverio sodali suo, eminet Petrus Claver, qui dona a Spiritu Sancto accepta, catholicae religionis incremento et gloriae summa charitate profudit, his honorem abundantiorem circumdans qui putabantur ignobiliora membra esse corporis. Natus est autem in oppido Verdunensi in Catalaunia, et baptizatus die vicesima sexta Iunii, anno MDLXXX. Parentes habuit Petrum, et Annam Corberó, religione potissimum ac morum integritate spectatissimos. Hi puerum singulari cura educarunt, ex quo praesertim non dubiis post exactum infantiae tempus argumentis intellexerunt sanctum a se educari. Id enim optima ac suavissima indoles, id summa verecundia ac morum gravitas, id praecipue in res coelestes mira ac procul dubio divinitus indita propensio portendebant.

§ 3. Clericali militiae tonsura initiatur anno 1595, et Societatem Iesu anno 1602 ingreditur.

Adolescentulus a patruo, cathedralis Celsonensis ecclesiae Canonico, grammaticae notionibus instructus, clericali tonsura a Vicensi Episcopo insignitus fuit die octava Decembris, anno MDXCV. Inde coepit impensius vel innocua mundi vitare solatia, ut ea tantum quaereret quae Dei sunt, et orationi liberius instaret. Postea Barcinonem a patre missus ut litteris operam daret, ibi earum curriculum cum singulari ingenii laude emensus est, christianarumque virtutum, sub disciplina Patrum Societatis Iesu, multa et prorsus praeclara edidit specimina. Ipsam autem Iesu Societatem, quam a puero optaverat, iniit die septima Augusti, anno MDCII.

Qualem se in Tirocinio Petrus praebuerit, universa causae acta testantur; nimirum non ad discendam, sed ad docendam regularum observantiam venisse, cunctis, etiam provectioribus, sanctus adolescens visus est. Quam ob rem ad eius exemplum se reliquos Tirones conformare ipsi iubebant Praesides, in hoc unice intenti, ne ille, nimio fervore abreptus, precatione plus aequo producta, aut ieiuniis et cruentis verberationibus, noceret valetudini. Biennio Tirocinii exacto, simplicia vota nuncupavit anno MDCIV: deinceps, postquam Gerundae aliquot mensibus moratus esset, philosophiae operam daturus Maioricam petiit.

§ 4. S. Alphonsum Rodriguez sodalem nactus Claverius, illius consortio fruitur, et, illo divinitus hortante, ad Neogranatense regnum destinatur anno 1610.

Ibi B. Alphonsum Rodriguez sodalem nactus, non sine divino instinctu ab Antistite petiit, ut eius congressu et colloquio sibi frui liceret; ex quo eos pietatis fructus hausit Petrus, qui apprime cohaererent supernae habitae ab Alphonso revelationi: nam Claverium, discipulum suum, praecipuam in coelis ac splendidissimam occupaturum esse sedem, extra se raptus, cernere sibi visus est. Cum autem a Patre luminum postulasset quaenam tantae mercedis tantaque

LEONIS XIII 22 Ian. 1888

esset causa gloriae, hoc obtinuit responsum: nimirum illud sibi Claverium meruisse praemium, tum virtutibus hactenus ad exemplum exercitis, tum illis quas in Americae regionibus, maximo infelicissimorum hominum, illuc per summum nefas deportatorum, bono exerciturus fuisset.

Hac accepta visione, Alphonsus totus in id viribus incubuit, ut Petro iter ad eas regiones suaderet, quod tamen iste ad annum MDCX differre debuit, cum P. Claudius Aquaviva, supremus universi Ordinis moderator, inter egregios milites ad Neogranatense regnum profecturos Petrum censuit, etsi nondum sacerdotio initiatum.

Quanta animi laetitia nuntium hoc ille acceperit, quisque ex vehementissimo eius desiderio animos Christo lucrifaciendi facile coniicere potest. Quam ob rem Sodalibus suis, atque in primis Praeposito non sine lacrymis salutato, in viam se dedit mense Aprili, anno praedicto, ac post longam navigationem Carthagenam seu Carthaginem novam, ad oram maris Atlantici, appulit eodem anno.

Urbs haec inter principes Americae meridionalis civitates floret, opportunissimo succincta portu, quo Indiarum (quas occidentales hodieque vocant) mercatores confluebant, suas vendituri merces, ac praesertim Nigritas ex Africa abductos, qui minimo empti, ac plurimo venditi, ad durissima quaeque opera, sive sub terra fodinis sive ad fervidi solis aestum campis, nulla nedum christianae charitatis, sed neque humanitatis ratione habita, addicebantur.

§ 5. Sex et quadraginta annos Carthagenae usque ad obitum mansit:

Miserrimos istos homines, plerumque animi ac corporis pravitate horribiles, ingentique contra tortores suos odio affectos, Claverius noster, decessorum suorum longe praetergressus exempla, tanta charitate complexus est, ut illorum Apostolus ac parens merito praedicetur. Apostolicum autem munus triennio post aggressus est cum, Carthagenam rediit ex urbe quam a Sancta Fide vocant, ubi, expleto theologiae curriculo, Sacerdotio auctus est die decima nona Martii, anno MDCXVI. Carthagenae autem, postquam eo rediit, usque ad obitum, nempe sex et quadraginta annos mansit, Nigritis convertendis atque in catholica fide excolendis praecipue intentus. Qua in re quantum virtute atque incredibili rerum gestarum tum arduitate, tum amplitudine praestiterit, vix dici potest. Illud adnotasse sufficiat, hominum eius generis ter centum millia eoque amplius sua manu sacro baptismate abluisse, ac deinceps tum exemplo, tum concionibus, tum assidua atque accurata Sacramentorum administratione non modo eos retinuisse in fide, sed ad eam diligendam suavissime impulisse. Nec interdum, ut opus erat, minis atque poenis pepercit, Apostolum secutus, qui in prima ad Corinthios inquit: " In virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis? " et ad Titum: " Increpa illos dure ". Quod faciendum esse tum doctrinis tum perpetuis exemplis confirmavit Ecclesia contra haereticos et tenebriones, qui licentia atque impunitate hominum mores corrumpere, et religionem, ideoque societatem, delere nituntur.

merito Nigritarum Apostolus appellatur.

Quo factum est ut Nigritis Petri severitas perinde profuerit atque amabilitas, eumque utroque ex capite illi dilexerint ac venerati sint. Accedebat ad viri auctoritatem augendam non modo virtutum omnium cumulus,

 sed etiam tanta supernorum charismatum copia, quanta paucis etiam Sanctis obtigit. Quis enim inclyti viri miracula numeret? quis vaticinia, raptus, et supernum corpori saepissime circumfusum lumen, sive Sacrum offerret, sive concionaretur, sive denique purulenta Nigritarum vulnera delingeret? Huc enim usque sanctissimum virum, Christi ac proximorum charitas, nec non mirabile poenitentiae studium, non semel atque iterum, quod in vitis Sanctorum miramur, sed saepissime impulerunt.

Etsi autem praecipuam Nigritarum curam gereret, Carthagenenses adeo non neglexit, ut illorum etiam Apostolus merito nuncupetur. Innumera ac magna eis a Petro collata beneficia longum satis esset persequi: illa breviter complectemur asserendo, quod caeteroquin ex actis causae luculentissime ostenditur, tantum de Carthagenensibus illum meruisse, quantum de Romanis meruerat Philippus Nerius.

Nec minus meruit de haereticis ac mahumetanis, qui Carthagenam, frequentissimum, uti diximus, portum, vel commercii causa appellebant, vel captivi transportabantur. Istorum hominum, etiam inter primarios, plurimos Christo lucrifecit, nec semel illorum obstinationem sola praesentia vicit.

§ 6. Viro insigni S. Francisco Xaverio sodali suo, iure comparatur.

Quae cum ita sint, Nobis non immerito videmur insignem istum virum cum Francisco Xaverio, rerum gestarum tum amplitudine tum arduitate, comparasse. Nec longo ab eo distat intervallo, sive rigidissima poenitentia, sive intima cum Deo iugiter servata unione. Cibo enim fere abstinuit, itemque somno: nam solidas fere noctes, cruentis etiam verberationibus adhibitis, inter orandum extrahere, ac summo mane apostolicos labores non sine miraculo integer alacrisque repetere consuevit.

§ 7. Virtutes, atque sui abnegatio, vitaeque innocentia laudantur.

Vitae autem innocentia perfectissimaque regularum sui Ordinis observantia, Petrum cum S. Ioanne Berchmans comparare quis dubitaverit, qui sciat illum ideo tam rigide afflixisse corpus, ut pravarum cupiditatum impetus non modo retunderet, sed etiam extingueret? qui sciat nullum ex tot gloriosissimis operibus eumdem suscepisse, nisi antea detecto capite ac devotissime eorum obeundorum veniam a Superioribus exorasset? Quod facere etiam perseveravit senior, cum cuncti qui Carthagenam frequentabant, proceres, cives, incolae atque etiam barbari, illum veluti sapientiae oraculum, et quoddam quasi virtutis domicilium suspicerent atque admirarentur.

Sed iam postremum vitae stadium gloriosus heros ingreditur. Anno MDCL, qui ob iubilaeum indictum sacer fuit, Petrus, nihil fractis viribus, nihil pestilentia quae late grassabatur commotus, non modo apostolicis laboribus sese impensius dedidit, sed etiam poenitentiae, ut coelestem deprecaretur iram. Correptus peste, ea minime consumptus est, sed ita mulctatus, ut quatuor per annos plumis atrocissimisque morbis obnoxius fuerit.

Quos summa patientia toleravit in desertissima solitudine. Cuncti enim, calamitosissimo eo tempore, vel aegrotabant, vel sibi suisque cavebant: sodales autem, si qui morbum non contraxerant, aegrotantibus aderant. Quam ob rem Nigritae cuiusdam, hominis pessimi atque atrocissimi, curae relictus, non modo inediam passus

 est, sed etiam iniurias, contumelias ac percussiones.

Passus est autem libentissime, Christum crucifixum ac Deiparam perdolentem intuens, sibique gratulans, quod eis similis effectus certissimum coelestis gloriae pignus possideret.

Interim, cum Sacrum prae virium debilitate facere non posset, saepissime coelesti se dape reficiebat: quotidie autem uberrimis cum lacrymis conscientiam expiabat. Quoad autem potuit, in ecclesiam transportatus, fidelium confessiones excepit, et Nigritarum saluti procurandae operam navavit.

Quam ob rem cum accepisset horum plurimos omnis fere humanitatis ac religionis expertes, quibus nomen erat Ararai, Carthagenam appulisse, dolorum suorum fere oblitus ac laetitia plenus, ad eos se deducendum curavit. Qui cum adspexissent hominem, divino instinctu flexis genibus illum venerati sunt.

Paulo post, nempe die vigesima secunda Augusti, anno MDCLIV, ab Hispania Carthagenam advectus est P. Didacus Ramirez apostolico in munere Petro successurus, qui, cum eius adventum novit, laetitia gestiit. Nigritis enim, quorum se servum profitebatur, quosque praecipua charitate diligebat, optime tanti viri industria consultum iri existimabat: ex successoris autem adventu coniectavit proxime gloriosam illam sedem in coelo se adepturum, quam olim S. Alphonsus praeviderat, illustres ob triumphos in Indiis ad maiorem DEI gloriam de infidelibus atque haereticis feliciter reportandos.

§ 8. Die Nativitatis B. MARIAE V. 8 Sept. 1654

Quoniam vero magni istius viri mentio iterum incidit, haud inopportunum est notare, divina bonitate factum esse, ut eius vita typis impressa cum simillima effigie ad Petrum, paulo antequam moreretur, pervenerit. Quam ut ille adspexit, obortis lacrymis suaviter exclamavit, nihil sibi amplius superesse quod in terris optaret, iam ad coelum recta tendendum esse. Coelum autem ingressus est, iuxta quae praedixerat, die octava Septembris, Beatissimae Virginis Nativitati sacra, anno MDCLIV.

praenuntiata, sanctissime obiit.

Quantum tali obitu, non modo Carthagena, sed etiam urbes finitimae, et Hispaniae regiones, quum eo funestum nuntium pervenit, commotae fuerint, vix dici potest. Ad cadaver adspectu pulcherrimum, tractabile ac iucundissime olens, miri civium ex omni ordine concursus: accitique milites, ut turbae, ad tumultum nimio studio pronae, coercerentur.

§ 9. Tanto benefactori quasi regia pompa persolvunt iusta funebria tum Praefectus Urbis, tum Ordines cuncti civium, et Nigritarum universitas.

Porro, cum Collegii Rector modestis, ut fert Societatis IESU mos, exequiis Petrum honorare statuisset, ei vehementissime obstiterunt, tum Praefectus Urbis cum Consiliariis, tum proceres universi, quibus Sancti viri funus prope regia pompa celebrare aequum visum est. Adstiterunt autem Praefectus atque aulici pullis induti vestibus: senatorius Ordo, Clerus, religiosi Ordines, Inquisitores. Nec suo defuit officio Nigritarum universitas, quae solemni pompa ac magno sumptu tanto benefactori iusta funebria solvit.

§ 10. De virtutum ac miraculorum fama processus ordinaria auctoritate eduntur, a Sede Apostolica probantur, atque de illis constare decernitur.

Deinceps de virtutum ac miraculorum fama conditi sunt Carthagenae processus Ordinarii; cunctisque absolutis, quae causae introducendae, iure sacro iubente, praecedere debent, die prima Augusti, anno MDCXCIV, in Sacra rituum Congregatione, discusso dubio super admissione et signatura Commissionis introductionis causae, eadem

LEONIS XIII Congregatio affirmative respondit "si Sanctissimo placuerit." Sequenti autem die vicesima prima praedecessor Noster Innocentius XII propria manu Commissionem signavit. Ac die tertia Octobris, anno MDCXCVIII, datae sunt ad Episcopum Carthagenensem litterae remissoriales ad processus apostolica auctoritate instituendos, quibus rite probatis, ac scriptis examinatis, tandem de heroico virtutum gradu disceptari potuit. Legitimo eorum examine confecto, praedecessor Noster Benedictus XIV die vicesima quarta Septembris, anno MDCCXLVII, post celebratum Sacrum, et consecrationis Episcopalis munus Cardinali delle Lanze solemniter collatum, Secretario Sacrae Rituum Congregationis hoc manu sua subscriptum tradidit decretum: Constare videlicet de virtutibus theologalibus, fide, spe et charitate erga DEUM et proximum, et de cardinalibus, prudentia, iustitia, fortitudine, et temperantia earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Longum post temporis intervallum, de miraculis agi coeptum est; super quibus generalis Sacra Rituum Congregatio a Cardinali Constantino Patrizi, causae Relatore, rogata est undecimo kal. Septembris, anno MDCCCXLVIII: an de iis, ad effectum de quo agebatur, in casu constaret? Cui dubio tum Patres Cardinales, tum Consultores affirmative respondendum censuerunt.

Quam ob rem gloriosae mem. praedecessor Noster Pius IX, eodem mense, Dominica IX post Pentecostem, Sacro peracto in templo S. Pantaleonis Martyris, ubi S. Iosephi Calasanctii festum celebrabatur, adstantibus Cardinalibus Aloisio Lambruschini, Sacrae Rituum Congregationi **22 Ian. 1888** Praefecto, et Constantino Patrizi, causae Relatore, nec non Andrea Maria Frattini, S. Fidei Promotore, et Gaspare Fatati, Sacrae Rituum Congregationis Secretario, solemniter pronuntiavit constare de duobus miraculis tertii generis a DEO patratis, invocato Ven. Petri Claver auxilio: scilicet de primo: Subitae perfectaeque sanationis puellae Mariae de Torres ab inveterato aneurysmate a laesa dexteri brachii in mittendo sanguine arteria ad magnum tumorem distento: de altero: Instantaneae perfectaeque sanationis Michaelae Garzia de Saavedra, tertio gestationis mense ad extremum perductae a metritite, seu uteri inflammatione, lethalibus stipata symptomatibus. Decretum eiusmodi, publici iuris factum est sexto kal. Septembris, eodem anno.

Tristissimis rerum publicarum vicibus accidit ut generalia Sacrae Congregationis Comitia ad agitandum dubium: an tuto procedi posset ad Ven. Petri Claver beatificationem, non nisi biennio post cogi potuerint, nimirum anno MDCCCL. Quibus Summus Pontifex Pius IX praefuit, auditisque tum Cardinalibus tum Consultoribus, affirmativam sententiam libentissime proferentibus, tandem, divini consilii lumine implorato, Dominica Sanctissimae Trinitatis recurrente, in Sacello Maximo, quod a Sixto Papa IV nuncupatur, solemniter decrevit: Tuto procedi posse ad Ven. Petri Claver supra dicti beatificationem, litterasque apostolicas in forma brevis, de beatificatione in Vaticana basilica suo tempore peragenda, edi mandavit. Quod decretum in acta Sacrae Congregationis relatum est septimo kal. Iunii, praedicto anno.

LEONIS XIII

22 Ian. 1888

§ 11. Inter Beatos adnumerat Petrum Claver Soc. IESU Summus Pont. Pius IX.

Porro, beatificationis solemniis magnifica pompa in Vaticano templo celebratis die vicesima prima Septembris, anno MDCCCLI, novorum miraculorum B. Petri intercessione patratorum fama nuntiata est. Quam ob rem pridie kal. Octobris, anno proxime secuto, causae reassumptio, ad effectum canonizationis, apostolica auctoritate decreta est, et data facultas Metropolitanis Philadelphiensi et Milwaukiensi legitimos super duobus miraculis processus instituendi.

Quibus confectis ac probatis, causa siluit usque ad annum MDCCCLXXXV, quo tempore, cunctis quae iure peragenda erant rite confectis, et aliquot, quae ad celeriorem rei progressum necessaria visa sunt, apostolica Nostra auctoritate concessis, propositorum miraculorum felici disceptationi parata fuit via.

§ 12. Duo miracula afferuntur approbata, ad effectum canonizationis eiusdem Beati.

Horum miraculorum primum obtigit cuidam Barbarae Dressen, quae ex Germania, quam patriam nacta erat, Milwaukiam in America septentrionali, meliorem quaesitura sortem, perrexerat. Ibi usque ad annum MDCCCL, aetatis suae septuagesimum, optima valetudine usa erat, cum in dextera maxilla verruca quaedam apparuit, teterrimum mox secuturi morbi non dubium indicium. Cancrum enim inde proventurum medici iudicarunt, quam coniecturam tum acerrimi ex verruca statim creati dolores, tum eiusdem horribilis exulceratio confirmarunt. Cum autem medici nullum humanum remedium ei morbo adhiberi posse confirmarent, Barbara ad B. Petrum Claver, miraculorum celebritate etiam eo loci insignem, confugit. Nec frustra: nam, Petri tacta reliquiis, levamen aliquod experta est.

Verum tamen paulo post morbus ita saeviit, ut Barbarae cuncti misererentur, qui tetrum ac fere penitus vastatae maxillae adspectum, et noxiam foetidamque graveolentiam, ferre vix poterant.

Barbara autem animo non despondit, ac Patrono suo sese usque commendabat, certa fiducia nixa, fore ut, illo intercessore, sanitatem tandem aliquando obtineret. Nec fiduciam fefellit eventus: nam, anno MDCCCLXI, post incoeptum morbum decimo, iterum, B. Petri reliquiis tacta, omnino convaluit, ac dextera maxilla, antea saucia ac immani depascente vulnere deformis, cunctis mirantibus, extemplo non modo sana, sed supra mulieris aetatem integra ac florida apparuit.

Perinde autem, ac fortasse magis, mirari debemus Ignatii Streker sanationem. Iste, etiam natione Germanus, in Americam migraverat, ut victum labore suo sibi compararet. Qui, anno MDCCCLXI, cum saponarius esset in urbe cui nomen est a Sancto Ludovico, dum artificio suo operam daret, in ferrum ita pectore impegit, ut brevi, ex percussione illa, sternum laesum esse apparuerit. E sterno malum ad costas propagatum est; deinde ad pulmones, quod tussis violenta aliaque indicia apertissima innuebant. Hinc alta et diffusa sterni carie ac pulmonum vitio cuncti qui illum inviserunt medici, affectum existimarunt, de eius salute desperantes.

Interim uxor Ignatium, ut sese B. Petro commendaret, vehementer, tum precibus tum exemplis mirabilium ac recentium eventuum, hortata est. Quod cum aegrotus libenter exsecutus esset, ac, conclamata iam valetudine et gradiendi fere impos, sese contulisset in templum, quo aegroti

 atque afflicti, adhibitis B. Petri reliquiis, uberrimo cum fructu confluebant, illico earumdem reliquiarum attactu ita recreari sibi visus est, ut omnino sanus gravissimos labores statim ulla sine molestia obiverit, in iisque plures per annos optima valetudine alacrisque perseveraverit.

His de miraculis semel atque iterum disputatum est apud Sacrae Rituum Congregationis Consultores, audientibus de more in coetu praeparatorio Cardinalibus eidem Congregationi praepositis: deinde in Comitiis generalibus coactis coram Nobis quinto Idus Augusti, anno MDCCCLXXXVII, ubi tum Cardinales tum Consultores sua edidere suffragia. Quibus studioso animo attentis, Nos illud restare ediximus, ut humillimae Deo funderentur preces ad definitivam sententiam praeparandam. Tandem kal. Novembris, praedicto anno, die Sanctorum Omnium memoriae sacro, oblata prius salutari Hostia, in nobiliore pontificiae aedis Vaticanae aula, adstantibus dilectis filiis Nostris Cardinalibus Angelo Bianchi, Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, et Miecislao Ledochowski, causae Relatore, una cum dilectis filiis Augustino Caprara, S. Fidei Promotore, et Laurentio Salvati, Sacrae eiusdem Congregationis a Secretis, pronuntiavimus: Constare de duobus miraculis intercessore B. Petro Claver a Deo patratis: scilicet de primo: Instantaneae perfectaeque sanationis Barbarae Dressen, mulieris octogenariae, ab inveterato cancro epitheliali in dextera maxilla: ac de secundo: Subitae perfectaeque sanationis Ignatii Streker a carie sterni et costarum thoracis sinistri gravissimo pulmonum vitio coniuncta. Quod decretum eadem die editum est.

Porro, quod ex praescripto sacri iuris agendum supererat, decimo septimo kal. Decembris, eodem anno, coacta iterum sunt generalia Sacrae Rituum Congregationis Comitia, in quibus, cum praedictus Cardinalis Miecislaus Ledochowski dubium proposuisset: An stante approbatione duorum miraculorum post indultam venerationem, tuto procedi possit ad solemnem B. Petri Claver canonizationem, quotquot aderant, tum Cardinales tum Consultores, audientibus Nobis, uno ore responderunt: Tuto procedi posse.

Quam ob rem, re mature expensa, atque iterum coelesti lumine implorato, quinto kal. praedicti mensis, prima Dominica sacri Adventus, post oblatum Sacrum, in eadem pontificia aula, praefatis Cardinalibus ac Sacrae Congregationis Officialibus adstantibus, ediximus: Tuto procedi posse ad solemnem B. Petri Claver canonizationem.

§ 13. Consistoria, secretum, publicum et semipublicum, habita.

Dein, nonis Decembris, eodem anno MDCCCLXXXVII, S. R. E. Cardinales in secretum Consistorium collegimus, ibique dilectus filius Noster Cardinalis Angelus Bianchi, Sacrae Rituum Congregationi Praefectus, novensilium Sanctorum gesta singillatim ac perspicue exposuit, magnoque omnes studio incendit, ut tantorum heroum memoria summis honoribus consecraretur.

Paulo post, nempe x kal. Ianuarii, eodem anno MDCCCLXXXVII, publicum Consistorium habitum fuit, in quo Cardinales, audito prius, uti mos est, dilecto filio Philippo Gioazzini, Consistorialis aulae Advocato, unanimiter placere sibi declararunt, ut invicto Apostolo Sanctorum coronam imponeremus.

Amplissimi Senatus scito, catho-

LEONIS XIII — 22 Ian. 1888

lici orbis Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi quam plurimi, una cum Cardinalium Collegio a Nobis convocati, in Consistorium quod vocat semipublicum, habitum quinto Idus Ianuarii, currente anno MDCCCLXXXVIII, plaudentes accesserunt, causa plene cognita, tum ex iis quae gesta fuerant in memorato Consistorio publico, tum ex monumentis Sacri Consilii Ritibus tuendis praepositi, quorum exemplar unicuique eorum exhiberi iussimus. Huius rei instrumenta, a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis confecta, in tabulario S. Romanae Ecclesiae asservari mandavimus. Deinde, praefinita canonizationis celebrandae die, nempe decima quinta mensis Ianuarii, currente anno MDCCCLXXXVIII, sancto et terribili nomini IESU Salvatoris Nostri sacra, fideles cunctos hortati sumus ut ieiunio ac precibus sese ad illam compararent, atque Ecclesias designavimus in quibus copia erat indulgentias lucrandi.

Christi fideles ad publicas preces cum indulgentiis lucrandis excitantur.

§ 14. Die 15 Ianuarii 1888 Sum. Pontifex Leo XIII solemni ritu canonizationem B. Petri Claver, Nigritarum Apostoli, et Sacrum peragit in aula basilicae Vaticanae pronao superstructa.

Cum autem faustissima dies illuxit, Romanae Curiae Praesulibus, Officialibus, ac Proceribus et amplissimo Cardinalium Senatu, cum Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis solemni supplicationis ritu comitantibus, Nos aulam basilicae Vaticanae pronao superstructam, ad instar templi munificenter ornatam, ingressi sumus. Tunc dilectus filius Noster Cardinalis Angelus Bianchi, Sacrae Rituum Congregationi Praefectus, et canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto filio Philippo Gioazzini, S. Consistorialis aulae Advocato, Nobis vota detulit Virorum principum, Sacrorum Antistitum, universaeque Societatis IESU, ut B. Petrum Claver, Sacerdotem Professum dictae Societatis, virum gestis, virtutibus ac miraculis insignem, Sanctorum Coelitum numero accenseremus, una cum Septem Beatis Fundatoribus Ordinis Servorum B. MARIAE Virginis, nec non BB. Ioanne Berchmans Scholastico et Alphonso Rodriguez Coadiutore formato praedictae Societatis. Cumque iisdem precibus iterum ac tertio idem Cardinalis per memoratum S. Consistorialis aulae Advocatum Nos exorasset ut optatam faustamque certo futuram sententiam ederemus, implorato prius Spiritus Paracliti lumine, deinceps B. Virginis Immaculatae, coelestium Spirituum, ac Sanctorum omnium praesidio invocato, ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad catholicae fidei incrementum et decus, auctoritate Domini nostri IESU Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, matura deliberatione et venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum consilio, praedictum B. Petrum Claver, Nigritarum Apostolum, una cum supra memoratis septem BB. Fundatoribus Ordinis Servorum Beatae MARIAE Virginis, nec non BB. Ioanne Berchmans Scholastico, et Alphonso Rodriguez Coadiutore formato praefatae Societatis, inter Sanctos censeri iussimus. Decrevimus porro S. Petri Claver memoriam quotannis die nono Septembris celebrandam esse, et in romanum Martyrologium referendam; ac omnibus Christi fidelibus, qui illius exuvias eo die venerati fuerint, indulgentiam septem annorum, totidemque quadragenarum in perpetuum largiti fuimus.

Gratiis deinde omnipotenti DEO actis, ad aram accessimus incruentum Sacrificium oblaturi, ac, peracta Evangelii lectione, quotquot aderant allo-

LEONIS XIII cuti sumus, eosdem hortantes ut de tanta solemnitate gauderent in Domino, fructusque quam uberrimos caperent. Denique apostolicam benedictionem et plenariam admissorum indulgentiam peramanter in Domino impertivimus, litterasque apostolicas sub plumbo expediri mandavimus.

§ 15. Fideles adhortatur Sum. Pontifex ut sanctissimi Herois exemplo exardescant in suis cordibus amore Iesu Christi.

Praeclara sanctissimi Herois memoria, his litteris consecrata, vigeat in animis vestris, fideles, eamque colite ut Iesu Christi amor exardescat in vestris cordibus; " et exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem eius qui creavit illum: ubi non est Gentilis et Iudaeus, circumcisio et praeputium, Barbarus et Scytha, servus et liber; sed omnia et in omnibus Christus. „

Hoc divinae charitatis praeceptum, unde vera libertas proficuusque ad vitam aeternam progressus dimanat, Apostoli Martyresque secuti, Domini nostri Iesu Christi regnum propagarunt, " qui redemit nos Deo in sanguine suo ex omni tribu et lingua et populo et natione, et datus est in foedus populi, in lucem gentium; ut aperiret oculos caecorum, et educeret de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. „

Etsi autem pauci apostolicam vocationem sortiantur, ad cunctos tamen hoc divinae charitatis praeceptum pertinet. Cuncti enim, vel precibus vel opibus vel auctoritate, christianae fidei propagandae studere debent, ideoque ea instituta, societates atque opera promovere, quae vel Apostolicae Sedis providentia vel devota pietate fidelium invecta eo spectant, ut infidelibus ac caecis lumen veritatis et gratiae praesidium afferatur.

Diligite ergo, charissimi, diligite, praesertim Romani qui hoc nomine ab Apostolo commendati estis, fidem vestram, et S. Petrum apud Deum interponite, ut intestini christiani nominis hostes, qui, inter alia sua impia facinora, mirabile illud praedecessorum Nostrorum opus de Propaganda Fide nuncupatum, suo arbitrio ac libidini obnoxium facere ausi sunt, humilientur sub potenti manu Dei, et convertantur. **22 Ian. 1888**

§ 16. Universae Ecclesiae denuntiatio, et fides transsumptis habenda.

Praemissa omnia iterum auctoritate Nostra confirmamus ac roboramus, mandantes ut praesentium litterarum transsumptis sive exemplis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur ab omnibus, quae hisce ipsis Nostris litteris haberetur, si exhibitae atque ostensae forent.

§ 17. Sanctio poenalis.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrae definitionis, decreti, mandati, relaxationis ac voluntatis infringere; si quis autem temerario ausu contraire praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et SS. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCCCLXXXVII, * undecimo kal. Februarii, Pontificatus Nostri anno decimo.

* Anno civili 1888.

✠ EGO LEO CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

✠ Ego C. Episcopus Ostiensis et Veliternus Card. Sacconi Sac. Collegii Decanus Pro Datarius.

✠ Ego Ioan. Bapt. Episcopus Portuensis et S. Rufinae Card. Pitra O. S. B.

✠ Ego R. Episcopus Albanensis

Card. Monaco La Valletta maior Poenitentiarius.

✠ Ego A. Episcopus Praenestinus Card. Oreglia S. R. E. Camerarius.

✠ Ego A. Episcopus Sabinensis Card. Serafini.

✠ Ego G. tit. S. Callixti Protopresbyter Card. Hohenlohe.

✠ Ego L. tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Bonaparte.

✠ Ego M. tit. S. Mariae in Ara-Coeli Presb. Card. Ledochowski.

✠ Ego Ioan. tit. S. Petri in Vinculis Presb. Card. Simeoni.

✠ Ego L. tit. S. Crucis in Ierusalem Presb. Card. Parocchi.

✠ Ego C. tit. S. Anastasiae Presb. Card. Laurenzi.

✠ Ego A. tit. S. Praxedis Presb. Card. Bianchi.

✠ Ego G. tit. S. Clementis Presb. Card. Sanfelice. O. S. B.

✠ Ego Fr. G. tit. SS. Vitalis, Gervasii et Protasii Presb. Card. Massaia Ord. Cap.

✠ Ego P. tit. S. Stephani in Monte Coelio Presb. Card. Melchers.

✠ Ego Plac. M. tit. SS. Ioannis et Pauli Presb. Card. Schiaffino.

✠ Ego S. tit. S. Sabinae Presb. Card. Vannutelli.

✠ Ego C. tit. S. Thomae in Parione Presb. Card. Aloisi Masella.

✠ Ego M. tit. S. Caeciliae Presb. Card. Rampolla del Tindaro.

✠ Ego Th. S. Laurentii in Damaso Protodiaconus Card. Mertel Vice Cancellarius.

✠ Ego Ios. S. Agathae ad Suburram Diac. Card. Pecci.

✠ Ego Ios. S. Nicolai in Carcere Diac. Card. Hergenroether.

✠ Ego Fr. Th. SS. Cosmae et Damiani Diac. Card. Zigliara O. P.

✠ Ego F. S. Mariae in Porticu Diac. Card. Ricci Paracciani.

✠ Ego I. S. Caesarei Diac. Card. Masotti.

✠ Ego I. S. Angeli in Foro Piscium Diac. Card. Verga.

✠ Ego C. SS. Viti et Modesti Diac. Card. Cristofori.

✠ Ego A. S. Mariae de Scala Card. Theodoli.

✠ Ego C. S. Adriani Diac. Card. Mazzella S. I.

✠ Ego A. S. Mariae ad Martyres Diac. Card. Pallotti.

✠ Ego Fr. Aug. S. Mariae in Domnica Diac. Card. Bausa O. P.

C. Card. Sacconi Pro Dat.
M. Card. Ledochowski.
Visa de Curia.
I. de Aquila e Vicecomitibus.
Registrata in Secretaria Brevium.

I. Cugnonius.

LEONIS XIII

BULLA CANONIZATIONIS B. IOANNIS BERCHMANS.

LEO EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI,
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

LEONIS XIII

§ 1. Prooemium.

ANGELORUM ET SANCTORUM mansiones ac munia dum mirifice describit Ioannes in Apocalypsi, ibi dulcissima animos suavitate perfundit, ubi, " supra montem Sion videt Agnum, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, et nomen Patris eius scriptum in frontibus suis... Et cantabant quasi canticum novum... et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocumque ierit... Hi empti sunt ex hominibus primitiae Deo et Agno. Et in ore eorum non est inventum mendacium: sine macula enim sunt ante thronum DEI. "

Eiusmodi inter primitias Ecclesia consecrare iam gaudet Ioannem Berchmans, qui Aloisium Gonzagam et Stanislaum Kostkam tam feliciter aemulatus est, ut merito dubites quonam ex tribus praestantissimis alumnis inclyta IESU Societas gaudeat magis, ac sibi gratulari debeat. Illud autem certum est, Ioannem imitabiliori modo illorum in se ipso reddidisse virtutes: quam ob rem nihil specie tenus extraordinarium aggressus, summam perfectionem attigit. Quo exemplo homines, non modo ad sanctitatem colendam, sed etiam ad eam assequendam mirifice excitavit.

22 Ian. 1888

§ 2. S. Ioannis Berchmans ortus et pueritia.

Ioannes autem Diestemii in Brabantia natus est die decima tertia Maii, anno MDXCIX. Parentes nactus est Ioannem et Elisabeth Van den Hove, rei familiaris tenuitate aliquantulum pressos, at non modo bene moratos, sed etiam insigniter pios; dignos idcirco quibus tantum coelestis benevolentiae pignus obveniret.

Primo rationis diluculo talem se praebuit, quales esse solent, quibus DEUS Opt. Max. in tenera aetate maturae sanctitatis gratiam largitur. Nihil in eo notatum est quod incompositae illius ac petulantis aetatulae inscitiam temeritatemque redoleret. Vix septennis summo mane surgebat ut ecclesiam peteret, ibique duobus vel tribus sacris intererat, et plerumque, quod maxime optabat, Sacerdoti rem divinam peragenti ministrabat. Sacerdotes autem adeo verebatur, ut numquam operto capite illos adiverit ac sit allocutus.

In scholam admissus ut grammaticam addisceret, usque adeo profecit, ut ipsi praeceptori admirationi fuerit, non modo virtutum exemplo, sed etiam ingenii celeritate. Quam ob rem cum alii in disciplinam traditus est puer, optimus ille magister praecipuum sibi vitae solatium ac scholae decus ereptum querebatur.

Traditus est autem a patre, Petro Emmerico, Canonico regulari Prae-

LEONIS XIII 22 Ian. 1888

monstratensi et Parocho S. MARIAE Diestemii, apud quem tres annos moratus est, in ephebeo quod ille instituerat. Huc undecimo aetatis anno ingressus, inferioris litteraturae curriculum magna cum laude emensus est: magister vero sic eum diligebat, quemadmodum parentes filium. Interim tempus instabat, ut Ioannes Sancta de altari libaret: quod, teste institutore, tam pie ac devote ille peregit, ut omnes uno ore fassi sint, angelum potius quam hominem Christo vesci visum esse. Quod toties accidit, quoties deinceps, idque haud infrequenter, tanto Sacramento ille usus est.

Haec de Ioanne adhuc puero. Adolescentulus, uti par erat, easdem virtutes perfectius exercuit. Deiparam, quam a teneris unguiculis sibi tamquam matrem elegerat, impensius coluit, atque in eius honorem quotidie rosarium et psalterium S. Bonaventurae recitare solitus fuit; orabat et meditabatur assidue, ac, vesperascente coelo, ne internosceretur, viam Crucis nudis pedibus obibat. Somni cibique parcissimus, haud raro, ut meditationi operam daret, vigilabat; sextis quibusque feriis ieiunabat; solatia, congressus, familiaritates aversatus est. Modestia plus quam virginali usque ad miraculum spectabatur; quodque magis mirere, eum non modo lethalis, sed etiam deliberatae venialis culpae, per totum vitae cursum expertem fuisse gravissimi testati sunt viri, apud quos conscientiam suam expiaverat.

Precationibus ac meditationibus lectionem spiritualem, quam vocant, libenter adiunxit Ioannes verae sapientiae cupidissimus. Et sane mirum erat, adolescentem vix puberem Sacram Scripturam, Patrum scripta ac Sanctorum historias assidue pervolutare atque acerrime meditari, ut recte ac feliciter vivere disceret. Hinc merito de Ioanne nostro praedicari posset: " Cum adhuc iunior essem, prius quam oberrarem, quaesivi sapientian palam in oratione mea... Possedi cum ipsa cor ab initio: propter hoc non derelinquar. "

§ 3. Ioannes Societatis IESU inter Sodales a Praeside Provinciae Flandrobelgicae die 24 Sept. 1616 adscribitur, et post biennium Romam mittitur.

Narrant porro beatum adolescentem iis ex lectionibus uberrimos percepisse fructus. Cum epistolas S. Hieronymi meditatus est, mundi eiusque illecebrarum contemptum didicit: cum S. Aloisii vitam, magno Societatis IESU ineundae desiderio flagrare coepit. At ille vocationem hanc divinam ut exploraret probaretque, orationis, ieiunii ac sacramentorum usum adauxit: quibus factum est, ut sibi penitus persuaserit divini consilii dono ad eam se Societatem vocari. Hinc nulla mora Mechliniam cum socio contendit, ibique laetitia plenus a Provinciae Praeside inter eius Societatis Sodales adscriptus est die vicesima quarta Septembris, anno MDCXVI, aetatis suae septimo decimo.

Biennio Tirocinii ad exemplum ibidem peracto, die vicesima quinta Septembris, anno MDCXVIII, simplicia vota nuncupavit: deinde Romam missus est, ut philosophiae operam daret. Qualia et quanta ibi praebuerit virtutum specimina, litteris consignatum est. " Romam venerat (ita Historia Societatis, P. VI lib. VI pag. 289) ex Provincia Flandrobelgica. Centum cum eo vixerunt Novitii in Tirocinio Mechliniensi. Multo maior numerus Sociorum erat in Collegio Romano. Omnes pariter testabantur, nihil sibi notatum umquam fuisse, quod reprehendi posset, nihil mancum aut mutilum, nihil iam ad verae solidaeque virtu-

LEONIS XIII

22 Ian. 1888

tis normam non exactum; non supervacaneam aut parum consideratam vocem, non impetum animi, aut affectum repentinum, quales rationi vulgo praecurrunt, nihil demum quod vel minimum a virtute deflecteret.... Tantam eius virtutem mira quaedam dulcedo indolis et nativa oris venustas non imitabili modo condiebat. Quam ob rem diiudicari haud facile poterat, utrum Sociis venerabilior esset, an charior. „ Haec Beati nostri sanctitatis typum belle exprimunt.

§ 4. Immaculati adolescentis mors pretiosissima in Collegio Romano die 13 Augusti 1622.

Obiit autem ille idibus Augusti in Collegio Romano, annum decurrens aetatis vicesimum tertium. Paulo ante quam moreretur, cum esset iam sacro perunctus oleo, sigillum Christi crucifixi rosario implicuit. Mox utrumque libello regularum Ordinis imponens: " Haec tria, inquit, sunt mihi charissima: cum his libenter morior. „ Ita demum obiit, ut omnes pro certo sumpserint, immaculatum iuvenem ad sedes Beatorum, cum iis fortasse aliquando venerandum, evolasse.

§ 5. Percrebescente fama sanctitatis, processus Ordinarii conficiuntur et probantur.

Quae animi inductio non modo Sodales suos pervasit, sed etiam externos, brevique factum est ut virtutum ac miraculorum angelici adolescentis fama precrebresceret, ac longe lateque pervagaretur. Ideo cura et studio venerabilis Societatis IESU, paulo post Ioannis interitum, super illius vita ac gestis Romae atque Antuerpiae, in regione ubi ortus est, testimonia collecta fuerunt, et processus ordinaria auctoritate constructi. Non brevi deinde interiecta mora, apostolici confecti sunt processus, quibus rite absolutis, decimo tertio kal. Decembris, anno MDCCCXXXIX, agitari coepta est quaestio de virtutibus theologalibus et cardinalibus Ven. Ioannis, quae in antepraeparatorio et praeparatorio Sacrae Congregationis conventu rite discussa, tandem decimo kal. Decembris, anno MDCCCXLII, in generalibus eiusdem Sacrae Congregationis comitiis proposita est coram Gregorio XVI, praedecessore Nostro, tum Consultoribus tum Cardinalibus in affirmativam sententiam euntibus.

Quam eidem praedecessori Nostro solemni decreto confirmare placuit feria secunda Pentecostes, IX Iunii, insequente anno MDCCCXLIII, cum solemniter definivit: Virtutes theologales et cardinales earumque adnexas in gradu heroico Ven. Servi DEI Ioannis Berchmans Societatis IESU ita probari, ut tuto procedi possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem quatuor miraculorum.

§ 6. Approbatis tribus miraculis ad eiusdem Servi DEI invocationem a DEO patratis, eum Sum. Pontifex Pius IX dixit Beatum die 1 Iunii 1865.

Haec de miraculis quaestio octodecim post annos institui coepit, eaque proposita sunt in generalibus Sacrae Congregationis comitiis habitis coram praedecessore Nostro Pio IX idibus Ianuarii, anno MDCCCLXIV. Idem autem Pontifex Sacrae Congregationis scitum solemni decreto confirmavit tertio kal. Martii, anno MDCCCLXV, feria secunda post Dominicam Quinquagesimae. Qua die, salutari primum Hostia piissime oblata in privato sacello, cum ad ecclesiam sanctissimo Nomini IESU dicatam, augustissimum altaris Sacramentum solemniter expositum adoraturus, accessisset, ibi, in ecclesiae eiusdem sacrario, accitis ad se Cardinalibus Constantino Patrizi, Episcopo Portuensi et S. Rufinae, Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, et Carolo Augusto de Reisach, causae Relatore, una cum Petro Minetti, S. Fidei Promotore, nec non Dominico Bartolini tunc Sacrae Rituum Congregationis a Secretis, rite decrevit: Constare de tribus mira-

LEONIS XIII culis, Ven. Ioanne Berchmans interveniente, a DEO patratis; scilicet de primo: instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Angelae Gilivel a congenita humorum discrasia, et scorbuto, cum ossium deformatione et articulorum attractione; de altero: instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Angelae a Sanctissima Trinitate, Novitiae in asceterio Roncilionis, Ordinis S. Francisci, a complicata mortali gastritide; de tertio: instantaneae perfectaeque sanationis Sororis Mariae Crucifixae Ancaiani religiosae Professae in venerabili monasterio S. Francisci Salesii Urbis, a febre hectica, et a tumore canceroso; simulque ab onere propositionis et approbationis quarti miraculi Postulatores absolvit.

Quae cum ita essent, illud tantum supererat, ut penes eamdem Sacrorum Rituum Congregationem proponeretur dubium: An, stante approbatione virtutum et trium miraculorum, deveniendum esset ad beatificationem? Quo favorabiliter resoluto, recurrente die secunda Maii S. Athanasio praestantissimo Ecclesiae Doctori sacra, idem decessor Noster Pius IX Collegii Graecorum templum ipsi S. Doctori dicatum adivit, ibique decrevit: Tuto procedi posse ad solemnem Ven. Servi DEI Ioannis Berchmans beatificationem.

Solemnia autem beatificationis magno sumptu ac splendere celebrata sunt in templo Vaticano kal. Iunii, anno MDCCCLXV. Subinde fama vulgari coepit de novis miraculis ad intercessionem B. Ioannis patratis. Quam ob rem supplices preces Sedi Apostolicae porrectae sunt pro causae reassumptione, ad effectum canonizationis, ac Pius IX Summus Pontifex octavo Idus Martii, anno MDCCCLXVI, reassumptionem ipsam sua manu signavit. 22 Ian. 1888

Paulo post data fuit Archiepiscopo Mechliniensi et Episcopo Gandavensi facultas condendi processus apostolicos super miraculis, quorum alterum Bruxellis, B. Ioanne intercessore, evenisse dicebatur, alterum Gandavi, litteris remissorialibus ad utrumque expeditis die decima tertia Iulii, eodem anno. Confecto autem utroque processu, eorum est a Sacra Congregatione probata validitas die decima quinta Februarii, anno MDCCCLXXIII; eiusdemque responsum ratum habuit Pontifex die decima septima eiusdem mensis.

Verum, quod Gandavi ferebatur evenisse miraculum, cum minus commode defendi posse videretur, de alio prodigio cogitatum est, quod prope urbem Americae, quam Novam Aureliam vocant, acciderat, deque eo iussa est Curia Neo Aurelianensis inquirere, iuxta instructionem a S. Fidei Promotore exarandam, quae vicem litterarum remissorialium obtineret. Qui processus cum rite confectus Romam pervenisset, multaeque ad causam expediendam Nostris rescriptis apertae fuissent viae, iam de duobus miraculis, ad effectum canonizationis, utiliter disceptari poterat.

§ 7. Afferuntur bina miracula ad effectum canonizationis B. Ioannis ab Apostolica Sede approbata.

Eorum primum eiusmodi est. Maria Wilson Londini in Canada ex haereticis parentibus orta, et non sine speciali providentia catholicam religionem amplexa, huius praecepta et consilia tanto studio executa est, ut brevi monasticae vitae amore teneri coeperit. Itaque die decimo Iunii, anno MDCCCLXVI, cum ex urbe S. Ludovici in domum virginum a SS. Corde IESU ad S. Michaelis contenderet, in iti-

 nere primis morbi symptomatibus tentata est, nimirum crebris ad vomendum conatibus, ac sinistri lateris dolore. Monasterium ingressa, etsi medicina adhibita ei fuerit accuratissime, illa tum lateris dolore, tum nausea vehementius cruciata est, atque etiam nonnihil cruoris excreare coepit. Hinc, iubentibus medicis, in oppidum, cui nomen Grand Coteau, missa est, ut salubriori aere valetudo recrearetur.

At, contra quam illi opinabantur, evenit. Eo enim cum Maria pervenisset, stomachi dolor acrior atque intolerabilior evasit; febris ardens accessit, ac, qui nullo remedio cohiberi potuit, tum ingesti cibi, tum sanguinis vomitus. Quam ob rem de ulcere stomachum peredente, minime dubitari posse decreverunt medici. E stomacho in esophagum, uti fit, et pharingem et linguam erupit morbus, ac gengivas ita corrupit, ut foetidissima ex eis scateret sanies; vires autem adeo collapsae, ut tantum frigidissimus sudor ac pectoris anhelitus Mariam adhuc vivere demonstrarent.

Tunc coeleste auxilium a Sororibus invocatum, atque interpositum patrocinium B. Ioannis Berchmans: qui, postremo novendialium supplicationum die, Mariae, quae paulo antea sacro Viatico munita fuerat, apparuit, eamque bene valere iussit. Ita autem ea convaluit, ut non modo morbus, sed etiam illius effecta illico evanuerint. Nullum enim neque in faucibus, neque in lingua, neque in ore, cunctis ac praecipue medicis stupentibus, notatum est.

Nec minorem admirationem ciet, quae affertur secundo loco sanatio, Sororis Mariae Dionysiae Lyon, religiosae Professae in monasterio Bruxellensi S. Clarae. Ea enim, cum prospera valetudine uteretur, asceterium ingressa anno aetatis suae vicesimo secundo, ac saeculi nostri quinquagesimo tertio, ideo gravioribus laboribus addicta est, quia corporis robore caeteris praestabat. Nihilominus stomacho identidem laboravit, quin medici, quin Sorores suspicarentur funestos inde secuturos effectus. Verum anno MDCCCLXI, post graves assiduosque labores, vigiliasque Sororibus aegrotis curandis impensas, Dionysiae morbus ea exhibuit symptomata, unde medici tum stomachi, tum nervei systematis laesionem merito coniectarent. Rabida enim atque inexpleta ciborum aviditas atque ingestio sine ulla virium refectione, bulimiam, quam vocant, apertissime indicabant. Spinae autem dorsi vehementes acutissimique dolores, atque in dies progrediens inferiorum praecipue artuum debilitas, paralysi haud absimilis, evidentissime eidem spinae magnum inesse vitium ostendebant.

Id medicorum iudicio comprobatum est, qui, cum morbum in dies progredi cernerent, Dionysiam ad valetudinarium deduci iusserunt, ubi, ab iisdem conclamata, pluribus mensibus in lecto iacuit. Cum autem supremum iam obitura diem videretur, novendiales preces in honorem B. Ioannis iussit Antistita, quibus expletis, cum Dionysia ad templum deducta, ibi, coelesti dape refecta, ferventiori prece tum DEI tum Beati intercessoris opem, fiducia plena, implorasset, extemplo valetudinem ita recuperavit, ut eodem die et communibus interesse precibus, et communi uti victu potuerit.

Quae miracula, cum de iis ad severos Iuris Pontificii tramites facta fuisset contentio, tandem in genera-

libus Sacri Ordinis comitiis habitis coram Nobis undecimo kal. Iulii, proxime superiori anno MDCCCLXXXVII, tum Consultorum, tum Cardinalium suffragiis probata sunt. Ea Nos, divini consilii lumine implorato, apostolica auctoritate confirmavimus kal. Novembris, eodem anno, die solemni omnium Sanctorum memoriae sacro, rite decernentes: Constare de duobus miraculis, B. Ioanne Berchmans intercessore, a Deo patratis; nimirum de primo: instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Wilson in Tirocinio virginum a Sacratissimo Corde IESU oppidi Grand Coteau Archidioecesis Neo Aurelianensis, a lethali ulcere chronico stomachi, accedente acuta phlogosi, cui prope moriturae B. Ioannes Berchmans apparens illico perfectam valetudinem restituit; ac de altero: instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Dionysiae Lyon, monialis Professae in Bruxellensi monasterio Clarissarum, a gastrite chronica, ulcere stomachi peredente, et gravissima spinae laesione.

Deinceps, quod ex iuris praescripto reliquum erat, cum in generalibus Sacri Ordinis comitiis habitis decimo septimo kal. Decembris, praedicto anno, tum Consultores, tum Cardinales, coram Nobis unanimi sententia respondissent, stante approbatione duorum miraculorum, post indultam a Sede Apostolica B. Ioanni Berchmans venerationem, procedi posse ad eius canonizationem, Nos, prima sacri Adventus Dominica proxime secuta, salutari Hostia litata, in nobiliore Vaticani palatii aula, adstantibus dilecto filio Nostro Cardinali Angelo Bianchi, Sacrae Rituum Congregationi Praefecto et causae Relatore, una cum dilectis filiis Augustino Caprara, S. Fidei Promotore, et Laurentio Salvati, eiusdem Congregationis a Secretis, solemniter pronuntiavimus: Tuto procedi posse ad solemnem B. Ioannis Berchmans canonizationem. Quod decretum in acta Sacrae Congregationis relatum est quinto kal. Decembris MDCCCLXXXVII.

§ 8. Consistoria secretum, publicum ac semipublicum, ante canonizationem habita.

Quibus peractis, iam tempus advenerat solita consistoria indicendi ut S. R. E. Cardinales tanta de re certiores fierent, Nobisque sententiam suam aperirent. Quam ob rem nonis Decembris, eodem anno, secretum consistorium cogi iussimus, in quo dilectus filius Noster Cardinalis Angelus Bianchi, Sacrae Rituum Congregationi Praefectus, tum Septem Beatorum Fundatorum Ordinis Servorum B. MARIAE Virginis, tum B. Petri Claver Sacerdotis Professi e Societate IESU, Nigritarum Apostoli, tum B. Ioannis Berchmans Scholastici, et B. Alphonsi Rodriguez Coadiutoris formati eiusdem Societatis, acta singillatim exposuit. Cuncti vero qui aderant Cardinales sibi omnino in votis esse edixerunt, ut tum B. Ioannem Berchmans, tum alios recensitos Beatos ad Sanctorum Coelitum honores definitivo decreto extolleremus.

Paulo post, nimirum decimo kal. Ianuarii, eodem anno MDCCCLXXXVII, consistorium publicum celebratum est, in quo Cardinales et alii omnes praesentes libentissime aures praebuerunt iis quae praeclara oratione de beato adolescente disseruit dilectus filius Guido Marucchi, alter e consistorialis Nostrae aulae Advocatis.

Denique in consistorio, quod semipublicum vocant, habito quinto idus Ianuarii, hoc anno, convocatis de more tum Cardinalibus, tum Patriarchis, Archiepiscopis atque Episcopis, quorum plurimi in Urbem convenerant,

 cum plebe christiana, quinquagesimum ab inito Sacerdotio annum redeuntem Nobis gratulaturi; omnes, re penitus explorata, tum ex iis quae in memorato consistorio publico peracta fuerant, tum ex actis Sacrae Rituum Congregationis, quorum exemplar unicuique tradi iussimus, in eamdem sententiam, de canonizatione hac quamprimum celebranda, unanimiter ac gestientes convenerunt. Cuius rei instrumenta a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis exarata in tabularium S. R. E. perferri mandavimus.

Precibus populo indictis, dies et locus solemnis ritus praefiniuntur.

Solemnem autem canonizationem celebrari iussimus die decima quinta Ianuarii, vertente hoc anno, secunda post Epiphaniam Dominica, qua sanctissimum Redemptoris nostri nomen devota solemnitate recolitur. Interim fideles hortati sumus ut ieiunio atque oratione novensilium Coelitum gratiam sibi conciliarent, indicatis ecclesiis, in quibus supplicatio ad animae labes expiandas satisfactionis instar esset.

§ 9. Solemnis celebratio canonizationis die 15 Ianuar. 1888 in aula basilicae Vaticanae pronao insistente, peragitur.

Cum autem praefinita dies advenit, Nos, cunctis Romanae Curiae Praesulibus, Proceribus, atque Officialibus comitantibus, in maxima PP. Cardinalium atque Episcoporum frequentia, solemni supplicantium ritu basilicae Vaticanae aulam supra porticum, ad modum templi magnificenter ornatam, ingressi sumus. Tunc dilectus filius Noster Cardinalis Angelus Bianchi, Sacrae Rituum Congregationi Praefectus, atque huic canonizationi procurandae praepositus, perorante dilecto filio Philippo Gioazzini, consistorialis aulae Advocato, a Nobis enixe postulavit nomine virorum principum, sacrorum Antistitum, atque universae Societatis IESU, ut B. Ioannem Berchmans Scholasticum eiusdem Societatis, una cum Septem BB. Fundatoribus Ordinis Servorum B. MARIAE Virginis, nec non B. Petro Claver Sacerdote Professo, et Alphonso Rodriguez Coadiutore formato praedictae Societatis, Sanctorum numero adscriberemus. Cum autem iterum ac tertio memoratus Cardinalis per dictum Advocatum S. Consistorii Nos obsecrasset, ut sententiam, christiano orbi laetissimam futuram, tandem pronuntiaremus, Nos, Paracliti Spiritus lumine implorato, et Immaculatae Virginis, Angelorum ac Sanctorum omnium patrocinio confisi, ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad Catholicae Ecclesiae incrementum et decus, auctoritate Domini nostri IESU Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli et Nostra, matura deliberatione, et venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum consilio, praedictum B. Ioannem Berchmans Scholasticum e Societate IESU, una cum memoratis Septem BB. Fundatoribus, et Petro Claver, et Alphonso Rodriguez, inter Sanctos solemni ritu adnumeravimus. Decrevimus insuper S. Ioannis memoriam quotannis celebrari idibus Augusti, natalemque eius diem in Martyrologium referri, et Christi fidelibus qui illius exuvias ea die venerati fuerint, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum in perpetuum concessimus. Denique, actis omnipotenti DEO pro tanto beneficio gratiis, sacrosanctam Hostiam litaturi ad aram accessimus, et Evangelii lectione peracta, omnes, qui aderant, hortati sumus ut tantos advocatos apud Dominum nostrum IESUM Christum, pro Ecclesia, religiosis Ordinibus, ac chri-

LEONIS XIII stiana republica, tam diris agitata tempestatibus, fiducia pleni interponerent. Post haec apostolicam benedictionem et plenariam admissorum indulgentiam omnibus peramanter in Domino impertivimus, litterasque apostolicas sub plumbo de iis omnibus publicari mandavimus.

§ 10. Hortantur Christi fideles ut virtutibus et exemplo angelici adolescentis suae santificationis satagant, eiusque praesidium cultu demereant.

Felici nuntio cor vestrum exultet, filii charissimi, et S. Matri Ecclesiae gratulamini, quae divini Spiritus munere foecunda, tantum filium ad Domini nostri Iesu Christi gloriam, ad vestram sanctificationem atque praesidium extulerit. Humilitatem, obedientiam, castitatem, sinceram constantemque officiorum professionem et observantiam cuncti colite; colat praesertim iuventus, ea inprimis quae Nostro ductu auspicioque in spem Ecclesiae et civilis societatis succrescit, ut, bonarum artium et scientiarum praesidio et ornamento probe instructa, manifestam faciat insipientiam eorum, qui semper discunt, numquam ad scientiam veritatis pervenientes. Sunt enim hi, ut docet Apostolus: " seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi.... sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, et voluptatem amatores magis quam Dei; habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. „

Hos devitate, ut iubet Apostolus, et angelici adolescentis imitati virtutes, doctrinae sanae, praesertim sancti Doctoris Aquinatis, totis viribus incumbite, ut vobis honori, et Ecclesiae emolumento esse possitis.

§ 11. Denuntiatio universae Ecclesiae. Transsumptis fides habenda.

Praedicta omnia ad universalis Ecclesiae notitiam deduci, praesentesque litteras ad perpetuam rei memoriam dare voluimus, mandantes ut eorumdem transsumptis sive exemplis etiam impressis, et manu alicuius Notarii subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae praesentibus haberetur, si exhibitae atque ostensae forent. 22 Ian. 1888

§ 12. Sanctio poenalis.

Nulli ergo liceat paginam hanc Nostrae definitionis, decreti, mandati relaxationis ac voluntatis infringere; si quis autem temerario ausu contraire praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac SS. Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCCCLXXXVII, * undecimo kal. Februarii, Pontificatus Nostri anno decimo.

Anno civili 1888.

✠ EGO LEO CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

✠ Ego C. Episcopus Ostiensis et Veliternus Card. Sacconi Sac. Collegii Decanus Pro Datarius.

✠ Ego Ioan. Bapt. Episcopus Portuensis et S. Rufinae Card. Pitra O. S. B.

✠ Ego R. Episcopus Albanensis Card. Monaco La Valletta maior Poenitentiarius.

✠ Ego A. Episcopus Praenestinus Card. Oreglia S. R. E. Camerarius.

✠ Ego A. Episcopus Sabinensis Card. Serafini.

✠ Ego G. tit. S. Callixti Protopresbyter Card. Hohenlohe.

✠ Ego L. tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Bonaparte.

✠ Ego M. tit. S. Mariae in Ara-Coeli Presb. Card. Ledochowski.

✠ Ego Ioan. tit. S. Petri in Vinculis Presb. Card. Simeoni.

✠ Ego L. tit. S. Crucis in Ierusalem Presb. Card. Parocchi.

✠ Ego C. tit. S. Anastasiae Presb. Card. Laurenzi.

LEONIS XIII

22 Ian. 1888

✠ Ego A. tit. S. Praxedis Presb. Card. Bianchi.

✠ Ego G. tit S. Clementis Presb. Card. Sanfelice O. S. B.

✠ Ego Fr. G. tit. SS. Vitalis, Gervasii et Protasii Presb. Card. Massaia Ord. Cap.

✠ Ego P. tit. S. Stephani in Monte Caelio Presb. Card. Melchers.

✠ Ego Plac. M. tit. SS. Ioannis et Pauli Presb. Card. Schiaffino.

✠ Ego S. tit. S. Sabinae Presb. Card. Vannutelli.

✠ Ego C. tit. S. Thomae in Parione Presb. Card. Aloisi Masella.

✠ Ego M. tit. S. Caeciliae Presb. Card. Rampolla del Tindaro.

✠ Ego Th. S. Laurentii in Damaso Protodiaconus Card. Mertel Vice Cancellarius.

✠ Ego Ios. S. Agathae ad Suburram Diac. Card. Pecci.

✠ Ego Ios. S. Nicolai in Carcere Diac. Card. Hergenroether.

✠ Ego Fr. Th. SS. Cosmae et Damiani Diac. Card. Zigliara. O. P.

✠ Ego F. S. Mariae in Porticu Diac. Card. Ricci Paracciani.

✠ Ego I. S. Caesarei Diac. Card. Masotti.

✠ Ego I. S. Angeli in foro Piscium Diac. Card. Verga.

✠ Ego C. SS. Viti et Modesti Diac. Card. Cristofori.

✠ Ego A. S. Mariae de Scala Card. Theodoli.

✠ Ego C. S. Adriani Diac. Card. Mazzella S. I.

✠ Ego A. S. Mariae ad Martyres Diac. Card. Pallotti.

✠ Ego Fr. Aug. S. Mariae in Domnica Diac. Card. Bausa O. P.

C. Card. Sacconi Pro Dat.
M. Card. Ledochowski.
Visa de Curia.
I. de Aquila e Vicecomitibus.
Registrata in Secretaria Brevium.

I. Cugnonius.

LEONIS XIII

BULLA CANONIZATIONIS B. ALPHONSI RODRIGUEZ.

LEO EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI,
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

LEONIS XIII

22 Ian. 1888

§ 1. Prooemium.

Cum vitam ac vices intuemur hominum qui sanctitate claruerunt, divinae sapientiae lege fieri videmus, ut, qui impensius humilitatem coluerint, eos et uberiori gratiae suae copia Deus augeat, et gloriae magnitudine apud homines etiam illustret. " Nam quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia... ut non glorietur omnis caro in conspectu eius... ut, quemadmodum scriptum est, qui gloriatur, in Domino glorietur. " In quo ut hi magis proficiant, sapientissimo Deus consilio aerumnis eos adversisque rebus affligi sinit, quibus omne elatioris spiritus periculum absit, et christiana humilitas altiores radices agat.

§ 2. B. Alphonsi virtutes commendantur

Atque haec quidem in B. Alphon-

LEONIS XIII so Rodriguez perfecta fuisse comperimus, sive inopinatam studiorum eius abruptionem, sive adversam deinde in mercatura fortunam, sive gravissimas quas usque pertulit tentationes, sive permolestas, quibus fuit obnoxius, corporis infirmitates recolamus. Quo factum est, ut, qui ad suam gloriam cuncta creavit, humillimo ac fidelissimo Servo admirabilem virtutum praestantiam, coelestium charismatum splendore fulgentium, contulerit, qua cum Sanctorum principibus merito comparetur.

Nec sua tantum laude Alphonsus insignis est, sed etiam aliorum, quibus aeternae salutis iter ostendit. Inter quos S. Petrus Claver primo loco censendus, cui ille olim adolescenti sanctimoniae sublimioris alacriter aggrediendae, capessendique ad Indias occidentales apostolatus auctor fuit. Quam ob rem non sine manifesto Dei placito evenit, ut et magnus Nigritarum Apostolus, et humilis ianitor Collegii Palmensis, communi gloria inclyti, eodem die Sanctorum laurea donarentur.

§ 3. Ortus Segoviae die 15 Iulii 1531: pueritia describitur.

Itaque Alphonsus, magnum Hispaniae et Societatis Iesu ornamentum futurus, Segoviae natus est die vicesima quinta Iulii, anno MDXXXI, ex Didaco et Maria Gomez, honestis mercatoribus et catholicae religioni ad exemplum addictis.

Adhuc puerulus eximie se pium exhibuit, praesertim erga Deiparam, quam ita coluit dilexitque, ut ab ea non modo singulares gratias, sed etiam colloquia meruerit amantissima. Fertur enim Alphonsus, cum amoris aestu abreptus ita candide allocutus esset Virginem: " Te diligo Domina, utinam tu tantopere diligeres me, „ hoc ab ea accepisse responsum: " Non ita, fili, plus enim ego diligo te. „ Quod benignissima Sanctorum Regina clientulo suo praestitit; nam mirum in modum, ut virtutis metam assequeretur, illum adiuvit, ac contra inferni draconis fraudes iniuriasque defendit. 22 Ian. 1888

Deinceps Complutum ad litteras addiscendas missus, haud multo post, ob patris obitum revocatus a matre, ut illi in mercatura exercenda succederet, hortatu eiusdem honestissimam puellam duxit uxorem.

§ 4. Inito matrimonio et uxore amissa, perfectioris vitae statum animo agitat.

At paulo post, cum coniugem amisisset, et commercium minus prospere cederet, animo agitare coepit quodnam vitae genus sibi instituendum esset, ut illam, quam a puero adamaverat virtutis perfectionem, Deo favente, consequeretur. Quam ob rem, mercatura relicta, ut nullum divinae vocationi inferret obstaculum, domesticis rebus summa erga propinquos charitate compositis, totum sese sanctiori atque austeriori vitae libentissime addixit. Itaque, generali admissorum confessione apud P. Martinez Societatis Iesu magna animi contritione ac uberrimis lacrymis, quarum fons numquam exhaustus est, peracta, singulis hebdomadis tum Poenitentiae, tum Eucharistiae sacramenta frequentare perrexit, quibus iugem precationem eamque ferventissimam, ieiunia atque acerbissimas cruentasque flagellationes adiecit. Narrant autem, Christum ipsum amantissimo famulo, nocte quadam dum hic vehementes inter gemitus illum quaerebat, ei magno illustrium Sanctorum choro stipatum, inter quos beatus Franciscus Asisiensis eminebat, adstitisse; ab eoque Franciscum quaesivisse, cur tantam lacrymarum vim effunderet. Cui Alphonsus: " Qui possum, inquit, tenere lacrymas, conscius Dei mei

toties a me graviter offensi, cum etiam leves in eum noxae, ne producto quidem ad obitum luctu, satis expientur? -

§ 5. Divinitus admonitus Societatem Iesu ingreditur die 31 Ianuarii 1571, aetatis suae XL et inter fratres Coadiutores adnumeratur.

Praeclara ac santo viro prorsus digna sententia, quam Christus benignissimo in eum obtutu probavit. Hac coelesti visione ita recreatus est Alphonsus, tamque ad sublimiora spiritualis vitae mysteria erectus exstitit, ut deinceps nihil in eo animadversum fuerit, quod terreni quidpiam saperet. Omnia in ipso composita et moderata in affectibus animi et cupiditatibus; nihil gravius in moribus, nihil sanctius et cum Deo coniunctius in omni officio pietatis; nihil in salutis cura et rerum aeternarum studio attentius. Quas virtutes supernorum charismatum cumulo Deus ornavit. Compertum est enim Alphonsum pluries rerum futurarum praedixisse eventus, eidemque Deum ipsum, quod tantopere optaverat, novae vitae ineundae viam aperte demonstrasse. Etsi enim Alphonsus, qui Societatem Iesu a puero apprime noverat, eam summo prosequeretur amore; nihilominus illud Sodalitium tum ingredi deliberavit, cum per noctem quamdam sibi obiecta species id divinitus monere visa est. Nimirum illi in somnis pulcherrima obversata est imago columbae, cuius in pectore nomen Iesu fulgidissimis ex argento notis sculptum cernebatur. Ea nigrarum avium densissimas turmas, quae tumultu ac stridore horrendo aerem turbabant, impetu facto dissipare ac perdere satagebat. Illae autem acerrime resistebant, et quamquam tenuatae ac perculsae, iterum ac tertio certamen molitae fuerunt, donec columbae vi discerpta sunt earum corpora, atque ad terram allisa.

Quid visio eiusmodi portenderet, P. Ioannes Baptista Martinez, quo Alphonsus a confessionibus utebatur, diserte huic explanavit: nimirum proximum eius in Iesu Societatem ingressum, atque insignes, quas sub nomine ac tutela sanctissimi Iesu Nominis victorias de Satana relaturus esset.

Quare, nullo iam coelestem vocationem praepediente officio, (obierant enim post uxorem etiam suscepti ex ea liberi) soli Deo vacare statuit in Societate Iesu, cui adscriptus est Valentiae pridie kal. Februarii, anno MDLXXI, aetatis suae quadragesimo. Cum autem iam provectae esset aetatis, adeoque studiis aggrediendis impar, inter fratres Coadiutores locum obtinuit. Id Alphonso, qui humillimus erat, mirifice placuit. Quare Deo maximas egit gratias, quod tandem aliquando, post saeculi aerumnas ac discrimina, tutissimum portum tenere potuerat. Ibi autem tanta edidit omnium virtutum, ac praesertim humilitatis, obedientiae et poenitentiae, specimina, ut novum attonitis ac mirantibus Sodalibus spectaculum praebuerit. Quo factum est, ut breve post Tirocinum in Maioricam missus sit, ubi unanimi Patrum consensu vota simplicia nuncupavit die quinta Aprilis, anno MDLXXIII, in Collegio Societatis Iesu paulo ante instituto, quod nomen nactum erat a sanctissima Virgine Montis Sion. Ibidem eadem die, anno MDLXXXV, ultima emisit vota, ac totum vitae curriculum ianitoris officio, quoad potuit, functus explevit.

Qui hactenus in perfectionis semita tam strenue progressus erat, et matura propemodum vitae sanctitate inclytae Societati nomen dederat, in illa religiosa palaestra vix quidpiam novi notandum exhibuit, nisi quod

LEONIS XIII 22 Ian. 1888

virtutes altis iam innixae radicibus, accedente gratia divinae vocationis, luculentiores fructus ferre coeperunt.

Humilitas, castitas, paupertas, poenitentiae et orationis studium, divinarum veritatum contemplatio, tenerrimus erga Deiparam amor, iugis ac penitissima Domini nostri IESU Christi passionis meditatio (unde charitas illa ferventissima erga proximum, unde singularis ille mundi contemptus, atque implacabile odium sui, quod Antistitum prudentia saepe coerceri debuit) adeo in illo eminuerunt, ut paucos, fortasse etiam inter Sanctos, pares habuerit.

Cum paucis etiam comparari potest insignis supernorum charismatum copia, quibus tanti viri humilitatem nobilitavit DEUS, eumque simul roborare ac recreare dignatus est in diuturnis illis teterrimisque insectationibus, quibus identidem a potestatibus tenebrarum vix credibilem in modum vexatus est. Quarum postrema quae paulo ante eius obitum accidit, etsi mitior specie tenus videri possit (Diabolus enim Alphonsi corpori, quod alias ad necem afflixerat, pepercit) eiusmodi tamen fuit, quae illius animum funditus profligare, eumque, bonis longe pretiosissimis ereptis, ad salutis desperationem adigere potuisset.

Nimirum sanctissimo seni visum est sibi iam instare periculum divinam amittendi amicitiam, ex quo nullo pacto evadere posset; id praeteritis peccatis se meruisse, nec hominem tam indignum, tot tantisque abusum donis, DEUM et Deiparam erepturos. Hinc DEUM et Deiparam, ut sui misererentur, lacrymarum plenus, dies noctesque ille inclamabat, et solitas fundere preces conabatur. At frustra; nam ipsius Dominicae Orationis, inferna fraude, oblitus erat, praeterita tantum peccata obversabantur animo, et sempiternus a DEO ad tartarum detrudente discessus. Unicum ei solatium, rogitare Sodales, ut preces, quarum ipse oblitus erat, coram se recitarent.

§ 6. Ad coelestem sedem evolat die 31 Octobris 1617, aetatis suae LXXXVII.

Quinque mensium spatio Alphonsi animum haec peredit anxietas, cum tandem Christus et Sancta eius Genitrix aegerrimo apparuere seni, eumque divinae charitatis dulcedine recreatum placidissima quiete donarunt. Nec semel aut iterum eorum conspectu atque colloquio gavisus est Alphonsus cum morbus ad interitum vergeret, sed saepissime, ut vere dici possit illum inebriatum esse ab ubertate domus DEI, ante quam in eam receptus esset. Evolavit autem ad coelestium sedem pridie kal. Novembris, ineunte pervigilio solemnitatis Sanctorum omnium anno MDCXVII, aetatis suae agens octogesimum septimum, postquam, defixo in Crucifixum obtutu, dulcissima IESU et MARIAE nomina magna voce inclamaverat.

Vix sancti viri obitus per insulam innotuit, mirus ad venerandum cadaver ex omni ordine concursus civium. Clerus, religiosi coetus, nobiliores, magistratus, plebs, ad ecclesiam, ubi illud visebatur, frequentissimi et devoti confluxerunt, cunctique expleri videndo non poterant, et pia manibus oscula figebant, seque divino amore inflammari, vel ipso eius aspectu, praedicabant.

§ 7. De eius fama sanctitatis et miraculis Ordinarii processus construuntur, virtutes in gradu heroico declarantur

Mox plurimum magnorumque miraculorum fama vulgata est. Quam ob rem Maioricae et Segoviae processus, quos Ordinarios vocant, confecti sunt, iisque, decreto praedecessoris Nostri Urbani VIII die vigesima secunda Martii, anno MDCXXVIII, probatis, idem Pon-

die 5 Maii 1760. Miracula probantur die 24 Iulii 1829.

tifex causae commissionem signavit die vigesima Decembris, eodem anno. Decreta autem paulo post ab eodem Pontifice lata effecerunt, ut causam differre necesse fuerit, cui iterum opera data est exeunte anno MDCLXVII. Haud brevem vero eidem intulere moram, tum necessarium scriptorum examen, tum alia quae ad tramites iuris peragi oportuit.

Tandem, cunctis feliciter expletis, ac de virtutum gradu facto periculo, praedecessor Noster Clemens XIII solemni decreto eas heroicas fuisse sanxit die quinta Mai, anno MDCCLX.

Successit de miraculis quaestio, de quibus cum apud Sacram Rituum Congregationem fausto exitu quaesitum esset, antecessor Noster Leo XII ea solemni decreto probavit edito pridie kal. Augusti, anno MDCCCXXIV.

Miracula porro eiusmodi fuerunt: primum, sanatio Antoniae Blanquera ab enormi uteri haemorrhagia, gravissimis stipata symptomatibus cum ocissima virium restitutione; alterum, instantaneae admirabilisque emissionis foetus mortui, ita transversim in utero positi puerperae Margaritae Compagn, ut, uno exerto brachio, naturaliter educi omnino non posset.

§ 8. Inter Beatos Alphonsum accensuit Summ. Pont. Leo XII in templo Vaticano, die 12 Iunii 1825.

Quibus positis, tuto Beatorum honoribus Alphonsum decorari posse Sacrae Congregationi visum est; quod iudicium idem Pontifex ratum habuit eodem anno, die S. Michaeli Archangelo sacra. Beatificatio autem peracta est splendidissime in templo Vaticano pridie idus Iunii, anno MDCCCXXV.

Brevi interiecto spatio, cum nova miracula nuntiarentur B. Alphonsi intercessione patrata, de canonizatione eiusdem cogitari coeptum est; cumque dubium reassumptionis causae ad hunc effectum propositum esset, praedecessor Noster Gregorius XVI, die decima octava Novembris, anno MDCCCXXXI, propria manu reassumptionis commissionem signavit, eodemque die facultatem impertivit condendi processum apostolicum super miraculo, quod in dioecesi Maioricensi per invocationem eiusdem Beati contigisse dicebatur, litteraeque remissoriales ad hunc effectum datae sunt.

Qui processus cum confectus esset, et rite resignatus, tandem auctoritate apostolica probatus est die secunda Martii, anno MDCCCXXXIX. Usque ad annum MDCCCLXVI causa siluit. At die prima Februarii, eodem anno, aliae litterae remissoriales datae sunt, ut processus institueretur super novo asserto miraculo, quod Bruxellis in dioecesi Mechliniensi fama ferebat evenisse. Cunctis autem rite peractis, huius processus validitas probata est die quarta Februarii, anno MDCCCLXXI.

Itaque cum insequenti tempore multum sollerterque laboratum fuerit quo facilior atque expeditior miraculorum disceptationi sterneretur via, ut de iis deliberaretur iusta indicta sunt comitia.

§ 9. Duo miracula afferuntur ad effectum canonizationis B. Alphonsi a Sede Apostolica probata die 1 Nov. 1887.

Primum autem miraculum in Maiorica accidit Dominae Ioachimae Roca y Rayó, quae ad septimum decimum aetatis annum florenti usa valetudine, dein variis morbis tentari coepit, quorum indoles medicis suspecta visa est. Neque eos fefellit opinio: nam anno MDCCCXXIX lienis obstructionis atque inflammationis manifesta sese prodidere symptomata. Tumor, ingravescente morbo, deprehensus est, isque duritie et magnitudine insignis. Nondum autem valetudinis spes abiecta.

At mense Iulio, anno MDCCCXXX, cum ad potiora viscera sese diffudis-

LEONIS XIII 22 Ian. 1888

set morbus, et vomitus cum febri ardenti, nec non insomnia cum delirio accessissent, medici censuerunt de sanatione desperandum. Inter haec cum Ioachima, susceptis Ecclesiae sacramentis, proxime moritura erat, visa sibi est videre ab effigie, quam manu tenebat, B. Alphonsum monentem et hortantem ut suos cineres in iusculo hauriret, inde sanitatem recuperatura. Hausit commodissime, retinuitque Ioachima, quae extemplo non modo convaluit, sed etiam validior, quam antea fuerat, cunctis apparuit.

Nec minus memorabile est, quod Sorori Mariae Alphonsae Gallis obtigit, Moniali professae in Antuerpiensi monasterio S. Coletae. Illa usque a pueritia non modo incommodae, sed etiam pravae valetudinis indicia praebuit. Monasterium ingressa, aliquot annis se melius habuit: at sensim sine sensu morbus, qui intimis visceribus latebat, erupit, eumque stomachi cancrum medici iudicarunt usque ab anno MDCCCLVIII. Hoc iudicium ex symptomatibus satis probatum, certius ex eo evadebat quod patrem monialis idem interemerat morbus.

Interim, etsi validiores adhiberentur medicinae, summa corporis macies, vires non modo debilitatae, sed etiam absumptae atque exhaustae, continuae cibi potusque vomitiones supremum iam instare diem praenuntiabant. Quod ut averteretur, summa pietate tum Alphonsa tum Sorores novendialibus precibus Beati nostri patrocinium implorarunt, atque exauditae sunt. Nam die octava Decembris, anno MDCCCLXIII, quae dies memoratae novendialis supplicationis postrema fuit, conclamata Soror, postquam sacrosanctum Christi Corpus recepisset, ita bene se valere sensit, ut e lecto prosiliens, suisque se induens vestibus, monasterium, mirantibus Sororibus, celeri gradu percucurrerit, magna voce miraculum quod sibi evenerat inclamans, quod hodieque durat: nam eamdem Sororem recte adhuc valere paulo ante Sacrae Congregationi relatum est.

De iis itaque miraculis cum feliciter disputatum esset apud Sacrorum Rituum Consultores sexto idus Februarii, anno MDCCCLXXXVII, quarto idus Iulii, eodem anno; coacta fuere coram Nobis, praefato anno, octavo idus Septembris, comitia generalia, in quibus quotquot aderant tum Consultores tum Cardinales sententiam super praedictis miraculis tulerunt.

Quae cum a Nobis, iuvante divini Spiritus auxilio, multum diuque perpensa esset, tandem kal. Novembris, eodem anno, adstantibus dilectis filiis Nostris Cardinalibus Angelo Bianchi, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, et Carolo Laurenzi, causae Relatore, una cum dilectis filiis Augustino Caprara, S. Fidei Promotore, et Laurentio Salvati, eiusdem Sacrae Congregationis a Secretis, solemniter pronuntiavimus, constare de duobus miraculis ad invocationem B. Alphonsi Rodriguez patratis; nimirum primo: instantaneae perfectaeque sanationis Ioachimae Rocha y Rayò a splenite, quam gastritis ac diffusa peritonitis subsequutae sunt; et de secundo: subitae ac perfectae sanationis Sororis Mariae Alphonsae Gallis, Monialis professae in Antuerpiensi monasterio S. Coletae, ab haereditario atque inveterato cancro stomachi.

Quod decretum eodem die in acta Sacrae Congregationis relatum est.

Porro, cum decimo septimo kal. Decembris, eodem anno, iterum ex

LEONIS XIII praescripto iuris generalia S. Ordinis comitia indicta essent, et disceptaretur dubium, an, stante approbatione duorum miraculorum post indultam venerationem, tuto procedi possit ad solemnem B. Alphonsi canonizationem, quotquot aderant tum Consultores tum Cardinales tuto procedi posse responderunt.

Quae eorumdem suffragia, et libentissimo accepimus animo, et suprema auctoritate Nostra confirmanda censuimus, paucos post dies, nempe quinto kal. eiusdem mensis.

Quocirca, post oblatum Sacrificium, in Nostri Pontificii Palatii aula, praesentibus dilectis filiis Nostris Cardinalibus Angelo Bianchi, Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, et Carolo Laurenzi, causae Relatore, una cum dilectis filiis Augustino Caprara, S. Fidei Promotore, et Laurentio Salvati, eiusdem Sacrae Congregationis a Secretis, solemniter pronuntiavimus, tuto procedi posse ad solemnem B. Alphonsi canonizationem.

§ 10. Consistoria, secretum, publicum et semipublicum, ante canonizationem habita. Preces publicae indictae. Dies et locus canonizationis praefiniuntur.

Deinceps, cum iam maturaret tempus humilem Dei Servum supremis Coelitum honoribus decorandi, praedecessorum Nostrorum exemplis inhaerentes, consistoria indiximus. Secretum coactum est nonis Decembris, proxime superiori anno MDCCCLXXXVII, ibique dilectus filius Noster Card. Angelus Bianchi, Sacrae Rituum Congregationi Praefectus, novensilium Sanctorum acta et miracula singillatim ac diserte coram Nobis et Cardinalibus exposuit.

Alterum consistorium, nempe publicum, celebratum est decimo kal. Ianuarii, eodem anno MDCCCLXXXVIII, in quod cum magna frequentia convenissent Cardinales, audito prius dilecto filio Philippo Gioazzini, consistorialis aulae Advocato, solemni B. Alphonsi canonizationi nullam interponendam esse moram censuerunt. Adeo eius tum virtutes, tum miracula fulgebant. 22 Ian. 1888

Paucos post dies, nempe quinto idus Ianuarii, vertente anno MDCCCLXXXVIII, semipublicum consistorium habitum est, in quod non modo S. R. E. Cardinales, sed etiam Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi ad hoc de mandato Nostro vocati per litteras Sacrae Concilii Congregationis, Nobis adfuerunt, qui tum ex iis quae in consistorio publico gesta fuerant, tum ex authenticis documentis Sacri Consilii Ritibus cognoscendis praepositi, quorum exemplar typis editum unicuique eorum exhiberi iussimus, singuli unanimiter votis iam prolatis in publico consistorio accesserunt. Cuius rei instrumenta a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis confecta in tabulario S. Romanae Ecclesiae asservari mandavimus.

Ad solemnem autem canonizationem celebrandam praestituimus diem decimam quintam mensis Ianuarii, hoc anno MDCCCLXXXVIII, nempe Dominicam a festo Epiphaniae secundam, quae est Domini nostri Iesu Christi Nomini sacra, locum autem aulam super Vaticanae basilicae pronao magnificenter extructam.

Interim fideles omnes hortati sumus ut ieiunio assiduaque prece ad tantam solemnitatem devote compararent animos, eisque ecclesias designavimus in quibus indulgentiarum thesauros lucrari possent.

§ 11. Canonizatio solemniter celebratur in aula basilicae Vaticanae

Cum autem faustissima dies illuxit, Nos cum magno tum Praesulum, tum omnium Romanae Curiae Procerum atque Officialium comitatu, subsequentibus Episcopis, Archiepi-

super pronao extructa. Benedictio apostolica cum indulgentiis a Summo Pontifice largitur.

scopis, Patriarchis ac S. R. E. Cardinalibus, praedictam aulam cultu ornatuque illustrem, ac pictis tabulis novensilium Coelitum imagines et miracula referentibus insignem, solemnis supplicationis ritu ingressi sumus. Ibi enim dilectus filius Noster Cardinalis Angelus Bianchi, canonizationi huic procurandae praepositus, per dilectum filium Philippum Gioazzini, consistorialis aulae Advocatum, tum virorum dignitate insignium, tum universae Societatis Iesu vota ad Nos detulit, ut tandem praeclarissimi huius Beati memoria solemniori religionis ritu consecraretur. Quod cum iterum ac tertio ab ipso postulatum esset, Nos Paracliti Spiritus lumine, et B. Mariae Virginis, et Angelorum et Sanctorum omnium patrocinio implorato, ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem catholicae fidei, et christiani nominis incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, BB. Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita, venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium atque Episcoporum in Urbe exsistentium suffragio, B. Alphonsum Rodriguez Coadiutorem temporalem formatum Societatis Iesu, una cum Septem BB. Fundatoribus Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, nec non BB. Petro Claver Nigritarum Apostolo Sacerdote professo et B. Ioanne Berchmans Scholastico praedictae Societatis, Sanctorum numero adscripsimus, statuentes S. Alphonsi memoriam, quolibet anno, die trigesima Octobris esse recolendam.

Deinde solitas indulgentias largiti, non modo venerabiles fratres Nostros, sed etiam frequentissimos fideles allocuti sumus, eos hortantes in Domino ut tantum gaudium Nobiscum participarent, ac novensilium Coelitum exempla imitati, cum iis tandem, Deo iuvante, perpetua beatitate fruerentur in coelis. Denique de hisce omnibus litteras apostolicas sub plumbo expediri mandavimus.

§ 12. Christi fideles hortantur ut exemplo S. Alphonsi excitati Iesum Christum fide et charitatis affectu vehementiori imitentur.

Quae cum vobis nuntiata fuerint, fideles, primum Deo Opt. Max. gratias agite, qui mirabilis est in Sanctis suis; deinde, tanti viri exemplo excitati atque erecti, vividiore fidei luce ac vehementiori charitatis affectu novensilem Sanctum in Domini nostri Iesu Christi imitatione aemulari satagite. Utinam, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illucescat in cordibus vestris, quemadmodum illuxit in S. Alphonso, et cuncti, abdicantes occulta dedecoris, non ambulemus in astutiis, neque adulteremus verbum Dei, sed in simplicitate cordis et in charitate, non in sapientia carnali, conversemur in hoc mundo, ut divinae consortes naturae per Dominum nostrum Iesum Christum effici mereamur.

§ 13. Denuntiatio Ecclesiae universae. Fides transsumptis habenda.

Omnibus itaque quae inspicienda erant, bene perpensis, ex certa scientia et apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine, omnia et singula praedicta confirmamus, roboramus, atque iterum statuimus, decernimus, universae Ecclesiae Catholicae denuntiamus, mandantes ut earumdem praesentium transsumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce Nostris litteris praesentibus haberetur, si exhibitae atque ostensae essent.

§ 14. Sanctio poenalis.

Si quis autem paginam hanc Nostrae definitionis, decreti, mandati, relaxationis et voluntatis infringere,

LEONIS XIII vel ei temerario ausu contraire aut attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis DEI et SS. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCCCLXXXVII * undecimo kal. Februarii, Pontificatus Nostri anno decimo.

* Anno civili 1888.

✠ EGO LEO CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

✠ Ego C. Episcopus Ostiensis et Veliternus Card. Sacconi Sac. Collegii Decanus Pro Datarius.

✠ Ego Ioan. Bapt. Episcopus Portuensis et S. Rufinae Card. Pitra O. S. B.

✠ Ego R. Episcopus Albanensis Card. Monaco La Valletta maior Poenitentiarius.

✠ Ego A. Episcopus Praenestinus Card. Oreglia S. R. E. Camerarius.

✠ Ego A. Episcopus Sabinensis Card. Serafini.

✠ Ego G. tit. S. Callixti Protopresbyter Card. Hohenlohe.

✠ Ego L. tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Bonaparte.

✠ Ego M. tit. S. MARIAE in Ara-Coeli Presb. Card. Ledochowski.

✠ Ego Ioan. tit. S. Petri in Vinculis Presb. Card. Simeoni.

✠ Ego L. tit. S. Crucis in Ierusalem Presb. Card. Parocchi.

✠ Ego C. tit. S. Anastasiae Presb. Card. Laurenzi.

✠ Ego A. tit. S. Praxedis Presb. Card. Bianchi.

✠ Ego G. tit. S. Clementis Presb. Card. Sanfelice O. S. B.

✠ Ego Fr. G. tit. SS. Vitalis, Gervasii et Protasii Presb. Card. Massaia Ord. Cap.

✠ Ego P. tit. S. Stephani in Monte Caelio Presb. Card. Melchers. 22 Ian. 1888

✠ Ego Plac. M. tit. SS. Ioannis et Pauli Presb. Card. Schiaffino.

✠ Ego S. tit. S. Sabinae Presb. Card. Vannutelli.

✠ Ego C. tit. S. Thomae in Parione Presb. Card. Aloisi Masella.

✠ Ego M. tit. S. Caeciliae Presb. Card. Rampolla del Tindaro.

✠ Ego Th. S. Laurenti in Damaso Protodiac. Card. Mertel Vice Cancel.

✠ Ego Ios. S. Agathae ad Suburram Diac. Card. Pecci.

✠ Ego Ios. S. Nicolai in Carcere Diac. Card. Hergenroether.

✠ Ego Fr. Th. SS. Cosmae et Damiani Diac. Card. Zigliara O. P.

✠ Ego F. S. MARIAE in Porticu Diac. Card. Ricci Paracciani.

✠ Ego I. S. Caesarei Diac. Card. Masotti.

✠ Ego I. S. Angeli in foro Piscium Diac. Card. Verga.

✠ Ego C. SS. Viti et Modesti Diac. Card. Cristofori.

✠ Ego A. S. MARIAE de Scala Card. Theodoli.

✠ Ego C. S. Adriani Diac. Card. Mazzella S. I.

✠ Ego A. S. MARIAE ad Martyres Diac. Card. Pallotti.

✠ Ego Fr. Aug. S. MARIAE in Domnica Diac. Card. Bausa O. P.

C. Card. Sacconi Pro Dat.

M. Card. Ledochowski.

Visa de Curia.

I. de Aquila e Vicecomitibus.

Registrata in Secretaria Brevium.

I. Cugnonius.

CONCESSIO FESTI B. MARIAE V. A BONO CONSILIO

SUB RITU DUPLICI MAIORI IN DIEM XXVI APRILIS.

Societatis IESU.

LEONE XIII Pont. Max. — 11 Iul. 1888

Quum Alumni Societatis IESU peculiari devotione Deiparam a Bono Consilio iampridem prosequantur; Rmus Pater Antonius Anderledy, hodiernus Praepositus Generalis eiusdem Societatis, ut inter tot tantasque temporum calamitates praesentissimum Bmae Virginis Matris Consilium ipse atque Alumni sibi subiecti magis atque magis promereantur, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII supplicibus votis exoravit, ut in Kalendario ac Proprio in usum universae ipsius Societatis IESU amodo sub ritu duplici maiori affigi valeat diei 26 Aprilis festum Deiparae sub enuntiato titulo, cum officio ac Missa nuper approbatis pro Ordine Eremitarum S. Augustini. Sanctitas porro Sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, benigne annuere dignata est, iuxta preces; servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 11 Iulii 1888.

A Card. Bianchi S. R. C. Praef.
Laurentius Salvati S. R. C. Secr.

ELEVATIO AD RITUM DUPLICEM MAIOREM

FESTI S. IOANNIS NEPOMUCENI PRO UNIVERSA SOCIETATE,

B. IOANNIS BOBOLAE PRO PROVINCIA GALICIANA,

ET B. PETRI CANISII PRO ASSISTENTIA GERMANIAE.

Societatis IESU.

LEONE XIII Pont. Max. — 11 Iul. 1888

Rmus Pater Antonius Anderledy, hodiernus Praepositus Generalis Societatis IESU, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII, humillimis datis precibus, efflagitavit, ut festum S. Ioannis Nepomuceni Martyris, quem universa Societas sibi Patronum adscivit, in posterum ab Alumnis sibi subiectis recoli valeat sub ritu duplici maiori. Insuper ut sub eodem ritu amodo celebrari queant ab Alumnis eiusdem Societatis Provinciae Galicianae festum B. Andreae Bobolae Martyris, et Provinciarum * Germaniae festum B. Petri Canisii Confessoris. Sanctitas porro Sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, benigne annuit pro gratia, iuxta preces: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

* Assistentiae

Die 11 Iulii 1888.

A. Card. Bianchi S. R. C. Praef.
Laurentius Salvati S. R. C. Secr.

LEONIS XIII

INDULGENTIA PLENARIA IN FESTIS SS. PETRI CLAVER,

IOANNIS BERCHMANS ET ALPHONSI RODRIGUEZ.

LEO PAPA XIII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

LEONIS XIII **24 Iul. 1888**

Ad augendam fidelium religionem animarumque salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui quamlibet Societatis Iesu ecclesiam vel cappellam publicam, diebus quibus festum SS. Petri Claver, Ioannis Berchmans et Alphonsi Rodriguez celebrabitur, a primis vesperis ad occasum solis dierum huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christi fidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transsumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesimo quarto Iulii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

M. Card. Ledochowski.

APPROBATIO OFFICII CUM MISSA B. MARIAE V. DE STRATA

DOMINICA SECUNDA IUNII A NOSTRIS RECOLENDI

SUB RITU DUPLICI SECUNDAE CLASSIS.

Societatis Iesu.

LEONE XIII Pont. Max. **19 Ian. 1890**

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, referente me infra scripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, ad enixas preces Rmi Patris Antonii Anderledy, Praepositi Generalis Societatis Iesu, offi-

LEONE XIII Pont. Max. cium cum Missa in honorem B. Virginis de Strata nuncupatae ab eo propositum, atque antea a R. P. D. Augustino Caprara, S. Fidei Promotore, revisum atque emendatum, prout huic praeiacet decreto approbavit, et Alumnis universae praefatae Societatis in festo ipsius Deiparae, dominica secunda Iunii, sub ritu duplici secundae classis quotannis recolendo, recitare benigne concessit: servatis rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 19 Ianuarii 1890. 19 Ian. 1890

Cai. Card. Aloisi Masella S. R. C. Praef.
Vinc. Nussi Secr.

CONCESSIO INDULGENTIAE PLENARIAE

PRO QUINQUE DOMINICIS DIEBUS

FESTUM S. IOANNIS BERCHMANS PRAECEDENTIBUS.

Beatissime Pater,

LEONE XIII Pont. Max. *Ad cultum promovendum S. Ioannis Berchmans, Antonius Maria Anderledy, Praepositus Generalis Societatis Iesu, ad pedes Sanctitatis Vestrae prostratus, humillime petit ut in memoriam quinque annorum, quos in Societate Iesu Angelicus Iuvenis transegit, indulgentiam plenariam, pro quinque dominicis diebus festum eius praecedentibus, benigne concedere Sanctitas Vestra dignetur, quo fiat ut vel ex hoc capite Sancti Iuvenis eluceat similitudo cum SS. Aloisio et Stanislao, qui simili privilegio distincti sunt. Et Deus.....*

SSmus D. N. Leo Papa XIII, in audientia habita die 17 Maii 1890 ab infra scripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui, in singulis quinque diebus dominicis continuis immediate praecedentibus festum S. Ioannis Berchmans, piis meditationibus aut orationibus aliisque christianae pietatis operibus in honorem eiusdem Sancti vacaverint, simulque vere poenitentes, confessi ac sacra communione refecti aliquam ecclesiam seu publicum oratorium devote visitaverint, ibique aliquo temporis spatio ad mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, quatuor praefatis dominicis indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum, in postrema vero plenariam benigne concessit; declaravitque utramque indulgentiam defunctis quoque applicabilem. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. 17 Mai. 1890

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 17 Maii 1890.

C. Cristofori Praefectus.
A. Archiep. Nicopolitanus Secr.

CONCEDITUR UT PER OCTAVAM SS. CORDIS D. N. I. C.

ADHIBEANTUR LECTIONES DESUMPTAE E NOVISSIMO SUPPLEMENTO AD OCTAVARIUM ROMANUM.

Societatis Iesu.

LEONE XIII Pont. Max. **30 Iul. 1890**

Quum inde ab anno MDCCCLXX festum sacratissimi Cordis Domini Nostri Iesu Christi sub ritu duplici primae classis cum octava ab universa Societate Iesu recolatur; hinc Rmus P. Antonius Anderledy, Praepositus Generalis eidem Societati, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII supplex rogavit ut per eamdem octavam ab Alumnis ipsius Societatis adhiberi valeant lectiones desumptae e novissimo Supplemento ad Octavarium romanum. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, benigne annuit pro gratia, iuxta preces. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 30 Iulii 1890.

R. Card. Monaco.
Vinc. Nussi Secr.

CONCESSIO OFFICII ET MISSAE

B. IULIANAE CORNELIONENSIS SUB RITU DUPLICI MINORI PRO SOCIETATE.

Societatis Iesu.

LEONE XIII Pont. Max. **15 Sept. 1890**

Ad humillimas enixasque preces Rmi P. Antonii Mariae Anderledy, Praepositi Generalis Societatis Iesu, Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII tributis, benigne concessit, ut, in Kalendario et Proprio Societatis eiusdem, festum B. Iulianae Virginis Cornelionensis affigi valeat diei 6 Aprilis sub ritu duplici minori et cum officio et Missa, uti in Appendice Breviarii et Missalis romani pro aliquibus locis: servatis rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 15 Septembris 1890.

Cai. Card. Aloisi Masella Praef.
Pro R. P. D. Vincentio Nussi Secr.,
Ioannes Ponsi Substitutus.

SACERDOTES OMNES IN ECCLESIIS NOSTRIS

MISSAS CELEBRARE POSSUNT DE BEATIS E SOCIETATE, QUORUM CULTUS RITE CONFIRMATUS EST.

6 Iun. 1891

LEONE XIII Pont. Max.

Societatis Iesu.

Ex apostolico indulto, omnes Sacerdotes in ecclesiis et oratoriis Societatis Iesu Sacrum facturi, Missas, nedum Sanctorum eiusdem Societatis verum etiam Beatorum, celebrare possunt. Hinc hodiernus Societatis ipsius Procurator Generalis, humillimis datis precibus, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa xiii expetivit, ut idem privilegium valeat etiam pro iis coelitibus, quorum cultu immemoriali a Sancta Sede rite confirmato, eorum officia et Missae approbata et concessa fuerunt. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, benigne annuit, iuxta preces. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 6 Iunii 1891.

Cai. Card. Aloisi Masella Praef.
Vinc. Nussi Secr.

LEONIS XIII

FACULTATIS AQUAM S. IGNATII BENEDICENDI

COMMUNICATIO PROROGATA.

28 Iul. 1891

LEONIS XIII

LEO PAPA XIII
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Exponendum nobis curavit dilectus filius Antonius Anderledy, hodiernus Praepositus Generalis Societatis Iesu, iam inde a die 11 mensis Augusti anni mdccclxxxi fuisse ab hac Sancta Sede Apostolica facultatem ad decennium factam Praeposito Generali pro tempore eiusdem Societatis, concedendi quibuscumque idoneis viris ecclesiasticis, singillatim tamen petentibus, veniam peragendi benedictionem aquae S. Ignatii Confessoris, iuxta formulam iamdiu a Nostra Sacrorum Rituum Congregatione approbatam. Sed cum fidelis populi pietas, erga S. Ignatium devotio, simulque in aquam hanc benedictam fiducia magis magisque in dies, Deo adiuvante, augeatur, cumque perdifficile fidelibus evadat Sacerdotem invenire, qui polleat facultate aquam hanc benedicendi, propterea quod singillatim tantum petentes ab uno Praeposito Generali Societatis Iesu eam consequi valeant; quo spirituali

LEONIS XIII fidelium bono satius consultum sit, enixas Nobis supra dictus hodiernus Praepositus Generalis preces humiliter adhibuit, ut, cum praefinitum prioris concessionis spatium modo ad finem vertat, et ipsam in aliud temporis spatium proferre velimus, et similiter sibi alios subdelegandi potestatem de Nostra indulgentia concedamus.

Nos autem, piis huiusmodi votis annuere volentes, et singulos atque universos, quibus hae litterae Nostrae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, de apostolica Nostra auctoritate, vi praesentium, facultatem proximum dumtaxat decennium duraturam impertimur, ex qua hodiernus vel pro tempore exsistens Praepositus Generalis Societatis Iesu, servatis omnibus conditionibus ac legibus priori concessioni adiectis, ecclesiasticis viris id petentibus, veniam tribuere valeat memoratam S. Ignatii Confessoris aquam, servatis servandis, benedicendi. Praeterea eidem Praeposito Generali apostolica similiter auctoritate Nostra indulgemus, ut ipse sibi subdelegare valeat, ad eiusmodi facultatem aliis tribuendam, solummodo Superiores Missionum pro respectivis locis. 28 Iul. 1891

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 28 Iulii MDCCCXCI, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

Pro Dno Card. Ledochowski,
I. Archiepus Seleucien. Subst.

RESCRITUM, QUO FACULTAS PER BREVE PRAECEDENS PROROGATA CONCESSA EST, ET IN QUO EIUSDUM USURPANDAE CONDITIONES EXPLICANTUR.

Societatis Iesu.

Ad humillimas preces Rmi Patris Petri Beckx, Praepositi Generalis Societatis Iesu, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, benigne indulgere dignatus est, ut idem Rmus Orator ad proximum decennium facultatem concedere valeat quibuscumque idoneis viris ecclesiasticis, singillatim tamen petentibus, peragendi benedictionem aquae S. Ignatii Confessoris, iuxta formulam iam ab eadem Sacra Rituum Congregatione approbatam, verum sub conditione ut nemini ipsorum ea uti umquam liceat, nisi de respective Rmi Ordinarii dioecesani consensu. Decreto diei 30 Augusti 1866, aliisque in contrarium disponentibus, minime obstantibus.

Die 11 Augusti 1881.

Pro Emo et Rmo Dno Card. Dom. Bartolini S. R. C. Pr.
Camillus Card. Di Pietro, Epus Ostien. et Velit.
Placidus Ralli S. R. C. Secr.

Kalendarium Perpetuum

AD USUM

SOCIETATIS IESU.

IANUARIUS.

1. Circumcisio D. N. Iesu Christi *dupl. 1 classis.*
2. Octava S. Stephani Protomart. *dupl.* com. Oct. S. Ioannis Apost. Ev. et SS. Innocentium Mm.
3. Octava S. Ioannis Apost. Ev. *dupl.* com. Oct. SS. Innocentium Mm.
4. Octava SS. Innocentium Mm. *dupl.*
5. Vigilia Epiphaniae *semid.* com. S. Telesphori Pap. Mart.
6. Epiphania Domini *dupl. 1 classis cum Octava.*
7. De Octava Epiph. *semid.*
8. De Octava *semid.*
9. De Octava *semid.*
10. De Octava *semid.*
11. De Octava *semid.* com. S. Hygini Pap. Mart.
12. De Octava vel de Dom. infra Oct. *semid.*
13. Octava Epiphaniae *dupl.*
14. S. Hilarii Episc. Conf. et Eccl. Doct. *dupl.* com. S. Felicis Presb. Mart.
15. S. Pauli primi Eremitae Conf. *dupl.* com. S. Mauri Abb.
16. S. Marcelli Pap. Mart. *semid.*
17. S. Antonii Abb. *dupl.*
18. Cathedra S. Petri Apost. Romae *dupl. maius* com. S. Pauli Apost. et S. Priscae Virg. Mart.
19. S. Canuti Regis Mart. *semid. ad libit.* com. SS. Marii et Soc. Mm.
20. SS. Fabiani Pap. et Sebastiani Mm. *dupl.*
21. S. Agnetis Virg. Mart. *dupl.*
22. SS. Vincentii et Anastasii Mm. *semid.*
23. Desponsatio B. Mariae V. *dupl. maius* com. S. Emerentianae Virg. Mart.
24. S. Timothei Episc. Mart. *dupl.*
25. Conversio S. Pauli Apost. *dupl. maius* com. S. Petri Apost.
26. S. Polycarpi Episc. Mart. *dupl.*
27. S. Ioannis Chrysostomi Episc. Conf. et Eccl. Doct. *dupl.*
28. — S. Agnetis secundo *simpl.*
29. S. Francisci Salesii Episc. Conf. et Eccl. Doct. *dupl.*
30. S. Martinae Virg. Mart. *semid.*
31. S. Petri Nolasco Conf. *dupl.*

FESTA MOBILIA.

Dom. ii post Epiph. — Smi Nominis Iesu *dupl. 2 class.* com. Dom.

Feria iii post Dom. Septuag. — Orationis D. N. Iesu Christi *dupl. maius.*

Feria iii post Dom. Sexag. — Commem. Passionis D. N. Iesu Christi *dupl. maius.*

FEBRUARIUS.

1. S. Ignatii Episc. Mart. *dupl.*
2. Purificatio B. Mariae V. *dupl. 2 class.*
3. — S. Blasii Episc. Mart. *simpl.*
4. S. Andreae Corsini Ep. Conf. *dupl.*
5. SS. Martyrum Iaponen. S. I. *dupl. 2 class.*
6. S. Titi Episc. Conf. *dupl.*
   S. Dorotheae Virg. Mart.
7. S. Romualdi Abb. *dupl.*
8. S. Ioannis de Matha Conf. *dupl.*
9. S. Cyrilli Episc. Alexandrini Conf. et Eccl. Doct. *dupl.* com. S. Apolloniae Virg. Mart.
10. S. Scholasticae Virg. *dupl.*
11. B. Ioannis de Britto Mart. S. I. *dupl.*
12. S. Agathae Virg. Mart. (dies assign. ex 5 huius) *dupl.*
13. S. Catharinae de Ricciis Virg. *dupl.*
14. — S. Valentini Presb. Mart. *simpl.*
15. BB. Ioannis Baptistae Machado S. I. et Soc. Mm. *dupl.* com. SS. Faustini et Iovitae Mm.
16. S. Raymundi de Pennafort Conf. (dies assign. ex 23 Ianuarii) *semid.*
17.
18. — S. Simeonis Episc. Mart. *simpl.*
19.
20.
21. B. Didaci Carvallii Mart. S. I. *dupl.*
22. Cathedra S. Petri Antiochiae *dupl. maius* com. S. Pauli Apost.
23. S. Petri Damiani Episc. Conf. et Eccl. Doct. *dupl.* com. Vigiliae.
24. S. Mathiae Ap. *dupl. 2 classis.*
25.
26.
27.
28.

In anno bissextili mensis Februarius est dierum *29*, et festum S. Mathiae celebratur die *25*, et bis dicitur *sexto kalendas*, id est die *24* et die *25*.

FESTA MOBILIA.

Feria vi post Cineres — Sacr. Spineae Coronae D. N. Iesu Christi *dupl. maius* com. feriae.

Feria vi post Dom. i Quadrag. — Sacr. Lanceae et Clavorum D. N. Iesu Christi *dupl. maius* com. feriae.

Feria vi post Dom. ii Quadrag. — S. Sindonis D. N. Iesu Christi *dupl. maius* com. feriae.

MARTIUS.

1. BB. Michaelis Carvallii S. I. et Soc. Mm. *dupl.*
2.
3.
4. S. Casimiri Conf. *semid.* com. S. Lucii i Pap. Mart.
5. BB. Pauli Navarri et Soc. Mm. S. I. *dupl.*
6.
7. S. Thomae de Aquino Conf. et Eccl. Doct. *dupl.* com. SS. Perpetuae et Felicitatis Mm.
8. S. Ioannis de Deo Conf. *dupl.*
9. S. Franciscae Rom. Vid. *dupl.*
10. SS. Quadraginta Mm. *semid.*
11.
12. S. Gregorii i Pap. Conf. et Eccl. Doct. *dupl.*
13.
14. BB. Leonardi Chimurae S. I. et Soc. Mm. *dupl.*
15.
16.

17. S. Patritii Episc. Conf. *dupl.*
18. S. Gabrielis Archang. *dupl. maius.*
19. S. Ioseph. Conf. Sponsi B. MARIAE V. *dupl. 1 class.*
20. S. Cyrilli Episc. Hierosolymitani Conf. et Eccl. Doct. (dies assign. ex 18 huius) *dupl.*
21. S. Benedicti Abb. *dupl. maius.*
22.
23.
24.
25. Annuntiatio B. MARIAE V. *dup. 2 classis.*
26.
27.
28.
29.
30.
31.

FESTA MOBILIA.

Feria VI post Dom. III Quadrag. — Sacr. Quinque Vulnerum D. N. IESU Christi *dupl. maius* com. feriae.

Feria VI post Dom. IV Quadrag. — Pretiosissimi Sanguinis D. N. IESU Christi *dupl. maius* com. feriae.

Feria VI post Dom. Passionis — Septem Dolorum B. MARIAE V. *dupl. maius* com. feriae.

APRILIS.

1.
2. S. Francisci de Paula Conf. *dupl.*
3.
4. S. Isidori Episc. Conf. et Eccl. Doct. *dupl.*
5. S. Vincentii Ferrerii Conf. *dupl.*
6.
7.
8.
9.
10.
11. S. Leonis I Pap. Conf. et Eccl. Doct. *dupl.*
12.
13. S. Hermenegildi Mart. *semid.*
14. S. Iustini Mart. *dupl.* com. SS. Tiburtii et Soc. Mm.
15.
16.
17. — S. Aniceti Pap. Mart. *simpl.*
18.
19.
20.
21. S. Anselmi Episc. Conf. et Eccl. Doct. *dupl.*
22. SS. Soteris et Caii Pont. Mm. *semid.*
23. S. Georgii Mart. *semid.*
24. S. Fidelis a Sigmaringa Mart. *dupl.*
25. S. Marci Evang. *dupl. 2 class.*
26. B. MARIAE V. de Bono Consilio *dupl. maius.*
27. B. Petri Canisii Conf. S. I. *dupl.*
28. S. Pauli a Cruce Conf. *dupl.* com. S. Vitalis Mart.
29. S. Petri Mart. *dupl.*
30. S. Catharinae Senen. Virg. *dupl.*

FESTA MOBILIA.

Dom. III post Pascha — Patrocinii S. Ioseph Conf. Sponsi B. MARIAE V. *dupl. 1 class. cum Octava* com. Dom.

Dom. IV post Pascha — Octava Patrocinii S. Ioseph Conf. Sponsi B. MARIAE V. *dupl.* com. Dom.

MAIUS.

1. SS. Philippi et Iacobi Apostolor. *dupl. 2 class.*
2. S. Athanasii Episc. Conf. et Eccl. Doct. *dupl.*
3. Inventio S. Crucis *dupl. 2 class.* com. SS. Alexandri Pap. et Soc. Mm. ac Iuvenalis Episc. Conf.

4. S. Monicae Vid. *dupl.*
5. S. Pii v Pap. Conf. *dupl.*
6. S. Ioannis ante Portam Latinam *dupl. maius.*
7. S. Stanislai Episc. Mart. *dupl.*
8. Apparitio S. Michaelis Archang. *dupl. maius.*
9. S. Gregorii Nazianzeni Episc. Conf. et Eccl. Doct. *dupl.*
10. S. Antonini Episc. Conf. *dupl.* com. SS. Gordiani et Epimachi Mm.
11. S. Francisci de Hieronymo Conf. S. I. *dupl. 2 class. cum Octava.*
12. SS. Nerei, Achillei, Domitillae Virg. atque Pancratii Mm. *semid.* com. Octavae.
13. SS. Cleti et Marcellini Pont. Mm. (dies assign. ex 26 Aprilis) *semid.* com. Octavae.
14. De Octava *semid.* com. S. Bonifacii Mart.
15. De Octava *semid.*
16. S. Ioannis Nepomuceni Mart. *dupl. maius* com. Octavae.
17. S. Paschalis Baylon Conf. *dupl.* com. Octavae.
18. Octava S. Francisci de Hieronymo Conf. *dupl.*
19. S. Petri Coelestini Pap. Conf. *dupl.* com. S. Pudentianae Virg.
20. S. Bernardini Senen. Conf. *semid.*
21.
22. S. Venantii Mart. (dies assign. ex 18 huius) *dupl.*
23. B. Andreae Bobola Mart. S. I. *dupl.*
24. B. Mariae V. tit. Auxilium Christianorum *dupl. maius.*
25. S. Gregorii vii Pap. Conf. *dupl.* com. S. Urbani i Pap. Mart.
26. S. Philippi Nerii Conf. *dupl.* com. S. Eleutherii Pap. Mart.
27. S. Mariae Magdalenae de Pazzis Virg. *dupl.* com. S. Ioannis Pap. Mart.
28. S. Augustini Episc. Conf. *dupl.*
29. S. Ubaldi Episc. Conf. (dies assign. ex 16 huius) *semid.*
30. — S. Felicis i Pap. Mart. *simpl.*
31. S. Angelae Mericiae Virg. *dupl.* com. S. Petronillae Virg.

FESTA MOBILIA.

Feria vi post Oct. Corporis Christi — Sacratissimi Cordis Iesu *dupl. 1 class. cum Octava.*

Feria vi infra hebd. iii post Pentecost. — Octava Sacr. Cordis Iesu *dupl.*

IUNIUS.

1.
2. B. Mariae Annae a Iesu de Paredes Virg. *dupl.* com. SS. Marcellini et Soc. Mm.
3.
4. S. Francisci Caracciolo Conf. *dupl.*
5. S. Bonifacii Episc. Mart. *dupl.*
6. S. Norberti Episc. Conf. *dupl.*
7.
8.
9. — SS. Primi et Feliciani Mm. *simpl.*
10. S. Margaritae Reg. Scot. Vid. *semid.*
11. S. Barnabae Apost. *dupl. mai.*
12. S. Ioannis a S. Facundo Conf. *dupl.* com. SS. Basilidis et Soc. Mm.
13. S. Antonii de Padua Conf. *dupl.*
14. S. Basilii Magni Episc. Conf. et Eccl. Doct. *dupl.*
15. — SS. Viti, Modesti atque Crescentiae Mm. *simpl.*
16. S. Ioannis Francisci Regis Conf. S. I. *dupl. 2 class. cum Octava.*
17. De Octava *semid.*
18. De Octava *semid.* com. SS. Marci et Marcelliani Mm.
19. S. Iulianae de Falconeriis Virg. *dupl.* com. Octavae et SS. Gervasii et Protasii Mm.

20. BB. Francisci Paceco et Soc. Mm. S. I. *dupl.* com. Octavae atque S. Silverii Pap. Mart.
21. S. Aloisii Gonzagae Conf. S. I. *dupl. 1 class. cum Octava.*
22. De Octava S. Aloisii Conf. *semid.* com. Oct. S. Ioannis Francisci Regis atque S. Paulini Episc. Conf.
23. Octava S. Ioannis Francisci Regis Conf. *dupl.* com. Oct. S. Aloisii et Vigiliae.
24. Nativitas S. Ioannis Baptistae *dupl. 1 class. cum Octava.*
25. S. Gulielmi Abb. *dupl.* com Octavar.
26. SS. Ioannis et Pauli Mm. *dupl.* com. Octavarum.
27. De Octava Nativ. S. Ioannis Bapt. *semid.* com. Octavae S. Aloisii.
28. Octava S. Aloisii Conf. *dupl.* com. Oct. Nativ. S. Ioannis et Vigiliae.
29. SS. Petri et Pauli Apostolor. *dupl. 1 class. cum Octava.*
30. Commemoratio S. Pauli Apost. *dupl. maius* com. S. Petri Apost. et Oct. Nativ. S. Ioannis.

IULIUS.

1. Octava S. Ioannis Bapt. *dupl.* com. Oct. SS. Apostolor.
2. Visitatio B. Mariae V. *dupl. 2 class.* com. SS. Processi et Martiniani Mm.
3. De Octava *semid.*
4. De Octava *semid.*
5. SS. Cyrilli et Methodii Pont. Conf. *dupl.* com. Octavae.
6. Octava SS. Apostolor. Petri et Pauli *dupl.*
7. S. Pulcheriae Virg. *dupl. maius.*
8. S. Elisabeth Reg. Portug. Vid. *sem.*
9.
10. SS. Septem Fratrum Mm. et SS. Rufinae ac Secundae Vv. Mm. *semid.*
11. S. Leonis II Pap. Conf. (dies assign. ex 28 Iunii) *semid.* com. S. Pii I Pap. Mart.
12. S. Ioannis Gualberti Abb. *dupl.* com. SS. Naboris et Felicis Mm.
13. S. Anacleti Pap. Mart. *semid.*
14. S. Bonaventurae Episc. Conf. et Eccl. Doct. *dupl.*
15. BB. Quadraginta Mm. S. I. *dupl.*
16. B. Mariae V. de Monte Carmelo *dupl.* maius.
17. S. Alexii Conf. *semid.*
18. S. Camilli de Lellis Conf. *dupl.* com. SS. Symphorosae et septem Filior. eius Mm.
19. S. Vincentii a Paulo Conf. *dupl.*
20. S. Hieronymi Aemiliani Conf. *dupl.* com. S. Margaritae Virg. Mart.
21. S. Henrici Imper. Conf. (dies assign. ex 15 huius) *semid.* com. S. Praxedis Virg.
22. S. Mariae Magdalenae Poenit. *dupl.*
23. S. Apollinaris Episc. Mart. *dupl.* com. S. Liborii Episc. Conf.
24. Vigilia com. S. Christinae Virg. Mart.
25. S. Iacobi Apost. *dupl. 2 class.* com. S. Christophori Mart.
26. S. Annae Matris B. Mariae V. *dupl. 2 class.*
27. — S. Pantaleonis Mart. *simpl.*
28. SS. Nazarii, Celsi, Victoris I Pap. Mm., ac Innocentii I Pap. Conf. *semid.*
29. S. Marthae Virg. *semid.* com. S. Felicis II Pap. et Soc. Mm.
30. — SS. Abdon et Sennen Mm. *simpl.*
31. S. Ignatii de Loyola Conf. Patris Nostri, *dupl. 1 class. cum Octava.*

FESTA MOBILIA.

Dominica I Iulii — Pretiosissimi Sanguinis D. N. Iesu Christi *dupl. 2 classis* com. Dom.

AUGUSTUS.

1. S. Petri ad vincula *dupl. maius* com. S. Pauli Apost., Octavae et SS. Machabaeorum Mart.
2. S. Alphonsi Mariae de Ligorio Episc. Conf. et Eccl. Doct. *dupl.* com. Octavae et S. Stephani I Pap. Mart.
3. Inventio S. Stephani Protomart. *semid.* com. Octavae.
4. S. Dominici Conf. *dupl. maius* com. Octavae.
5. Dedicatio S. MARIAE ad Nives *dupl. maius* com. Octavae.
6. Transfiguratio D. N. IESU Christi *dupl. maius* com. Octavae et SS. Xysti et Soc. Mm.
7. Octava S. Ignatii Conf. P. N. *dupl.* com. S. Donati Episc. Mart.
8. B. Petri Fabri Conf. S. I. *dupl.*
9. S. Caietani Conf. (dies assign. ex 7 huius) *dupl.* com. Vigiliae et Romani Mart.
10. S. Laurentii Mart. *dupl. 2 class. cum Octava.*
11. SS. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm. (dies assign. ex 8 huius) *semid.* com. Oct. et SS. Tiburtii et Soc. Mm.
12. S. Clarae Virg. *dupl.* com. Octavae.
13. S. Ioannis Berchmans Conf. S. I. *dupl. 2 classis* com. SS. Hippolyti et Soc. Mm.
14. De Octava *semid.* com. Vigil. et S. Eusebii Conf.
15. Assumptio B. MARIAE V. *dupl. 1 class. cum Octava.*
16. S. Hyacinthi Conf. *dupl.* com. Octavar. Assumptionis et S. Laurentii.
17. Octava S. Laurentii Mart. *dupl.* com. Oct. Assumptionis.
18. De Octava *semid.* com S. Agapiti Mart.
19. De Octava *semid.*
20. S. Bernardi Abb. et Eccl. Doct. *dupl.* com. Octavae.
21. S. Ioannae Franciscae Fremiot de Chantal Vid. *dupl.* com. Octavae.
22. Octava Assumptionis B. MARIAE V. *dupl.* com. SS. Timothei et Soc. Mm.
22. S. Philippi Benitii Conf. *dupl.* com. Vigil.
24. S. Bartholomaei Apost. *dupl. 2 class.* (Romae die 25).
25. S. Ludovici Regis. Conf. *semid.* (Romae die 26).
26. — S. Zephyrini Pap. Mart. *simpl.*
27. S. Iosephi Calasanctii Conf. *dupl.*
28. S. Augustini Episc. Conf. et Eccl. Doct. *dupl.* com. S. Hermetis Mart.
29. Decollatio S. Ioannis Baptistae *dupl. maius* com. S. Sabinae Mart.
30. S. Rosae Limanae Virg. *dupl.* com. SS. Felicis et Soc. Mm.
31. S. Raymundi Nonnati Conf. *dupl.*

FESTA MOBILIA.

Dom. infra Oct. Assumptionis B. MARIAE V. — S. Ioachim Conf. Patris B. MARIAE V. *dupl. 2 classis.* com. Dom.

Dom. post Oct. Assumptionis B. MARIAE V. — Puriss. Cordis eiusdem B. MARIAE V. *dupl. maius* com. Dom.

SEPTEMBER.

1. — S. Ægidii Abb. *simpl.* com. SS. Duodecim Fratrum Mm.
2. S. Stephani Hungar. Regis Conf. *semid.*

3. BB. Antonii Ixidae et Soc. Mm. S. I. *dupl.*
4.
5. S. Laurentii Iustiniani Episc. Conf. *semid.*
6.
7. BB. Thomae Tzugii, Michaelis Nacaxima S. I. et Soc. Mm. *dupl.*
8. Nativitatis B. MARIAE V. *dupl. 2 class. cum Octava* com. S. Adriani Mart.
9. S. Petri Claver Conf. S. I. *dupl. 2 class.* com. S. Gorgonii Mart.
10. S. Nicolai de Tolentino Conf. *dupl.* com. Oct.
11. BB. Caroli Spinulae et Soc. Mm. S. I. *dupl.* com. Oct. SS. Proti et Soc. Mm.
12. De Octava *semid.*
13. De Octava *semid.*
14. Exaltatio S. Crucis *dupl. maius* com. Oct.
15. Octava Nativitatis B. MARIAE V. *dupl.* com. S. Nicomedis Mart.
16. SS. Cornelii et Cypriani Pont. Mm. *semid.* com. SS. Euphemiae et Soc. Mm.
17. Impressio Sacrorum Stigmatum S. Francisci Conf. *dupl.*
18. S. Iosephi a Cupertino Conf. *dupl.*
19. SS. Ianuarii Ep. et Soc. Mm. *dupl.*
20. SS. Eustachii et Soc. Mm. *dupl.* com. Vigiliae.
21. S. Matthaei Apost. Evang. *dupl. 2 class.*
22. S. Thomae de Villanova Episc. Conf. *dupl.* com. SS. Mauritii et Soc. Mm.
23. S. Lini Pap. Mart. *semid.* com. S. Theclae Virg. Mart.
24. B. MARIAE V. de Mercede *dupl. maius.*
25.
26. — SS. Cypriani et Iustinae Virg. Mm. *simpl.*
27. SS. Cosmae et Damiani Mm. *dupl.*
28. S. Wenceslai Ducis Mart. *semid.*
29. Dedicatio S. Michaelis Archang. *dupl. 2 classis.*
30. S. Hieronymi Presb. Conf. et Eccl. Doct. *dupl.*

FESTA MOBILIA.

Dom. infra Oct. Nativit. B. MARIAE V. ✠— SS. Nominis MARIAE *dupl. maius* com. Dom.

Dom. III Septembris — Septem Dolorum B. MARIAE V. *dupl. maius* com. Dom.

OCTOBER.

1. S. Remigii Episc. Conf. *semid. ad libit. vel simpl. de praecepto.*
2. Ss. Angelorum Custodum *dupl. maius.*
3.
4. S. Francisci Conf. *dupl. maius.*
5. — SS. Placidi et Soc. Mm. *simpl.*
6. S. Brunonis Conf. *dupl.*
7. — S. Marci Pap. Conf. *simpl.* com. SS. Sergii et Soc. Mm.
8. S. Birgittae Vid. *dupl.*
9. SS. Dionysii Episc. et Soc. Mm. *semid.*
10. S. Francisci Borgiae Conf. S. I. *dupl. 2 class. cum Octava.*
11. De Octava *semid.*
12. BB. Camilli Constantii, Augustini Otae S. I. et Soc. Mm. *dupl.* com. Octavae.
13. S. Eduardi Regis Conf. *semid.* com. Oct.
14. S. Callisti I Pap. Mart. *dupl.* com. Oct.
15. S. Teresiae Virg. *dupl.* com. Oct.
16. De Octava *semid.*
17. Octava S. Francisci Borgiae Conf. *dupl.*

18. S. Lucae Evang. *dupl. 2 classis.*
19. S. Petri de Alcantara Conf. *dupl.*
20. S. Ioannis Cantii Conf. *dupl.*
21. SS. Ursulae et Soc. Vv. Mm. *dupl.* com. S. Hilarionis Abb.
22. S. Hedwigis Vid. (dies assign. ex 17 huius) *semid.*
23. Smi Redemptoris *dupl. maius.*
24. S. Raphaelis Archang. *dupl. maius.*
25. B. Margaritae Mariae Alacoque Virg. (dies assign. ex 17 huius) *dupl.* com. SS. Chrysanthi et Dariae Mm.
26. Comm. Sanctorum quorum Corpora seu Reliquiae in nostris ecclesiis asservantur *dupl. maius.* com. S. Evaristi Pap. Mart.
27. Vigilia.
28. SS. Simonis et Iudae Apostolor. *dupl. 2 classis.*
29.
30. S. Alphonsi Rodriguez Conf. S. I. *dupl. 2 classis.*
31. Vigilia.

FESTA MOBILIA.

Dom. I Octobris — Smi Rosarii B. MARIAE V. *dupl. 2 class.* com. Dom.

Dom. II Octobris — Maternitatis B. MARIAE V. *dupl. maius.* com. Dom.

Dom. III Octobris — Puritatis B. MARIAE V. *dupl. maius* com. Dom.

NOVEMBER.

1. Omnium Sanctorum *dupl. 1 class. cum Octava.*
2. De Octava *semid.* — Commem. Omnium Fidelium Defunctorum, *sub ritu dupl.*
3. De Octava *semid.*
4. S. Caroli Ep. Conf. *dupl.* com. Oct. et SS. Vitalis et Agricolae Mm.
5. De Octava *semid.*
6. De Octava *semid.*
7. De Octava *semid.*
8. Octava Omnium Sanctorum *dupl.* com. SS. Quatuor Coronatorum Mm.
9. Dedicatio Basilicae Smi Salvatoris *dupl.* com. S. Theodori Mart.
10. S. Andreae Avellini Conf. *dupl.* com. SS. Tryphonis et Soc. Mm.
11. S. Martini Ep. Conf. *dupl.* com. S. Mennae Mart.
12. S. Martini I Pap. Mart. *semid.*
13. S. Stanislai Kostkae Conf. S. I. *dupl. 2 class. cum Octava.*
14. S. Iosaphat Episc. Mart. *dupl.* com. Oct.
15. S. Gertrudis Vig. *dupl.* com. Oct.
16. S. Didaci Conf. (dies assign. ex 13 huius) *semid.* com. Oct.
17. S. Gregorii Thaumaturgi Episc. Conf. *semid.* com. Oct.
18. Dedicatio Basilicar. SS. Apostolor. Petri et Pauli *dupl.* com. Oct.
19. S. Elisabeth Vid. *dupl.* com. Oct. et S. Pontiani Pap. Mart.
20. Octava S. Stanislai Conf. *dupl.*
21. Praesentatio B. MARIAE V. *dupl. maius.*
22. S. Caeciliae Virg. Mart. *dupl.*
23. S. Clementis I Pap. Mart. *dupl.* com. S. Felicitatis Mart.
24. S. Ioannis a Cruce Conf. *dupl.* com. S. Chrysogoni Mart.
25. S. Catharinae Virg. Mart. *dupl.*
26. S. Felicis de Valois Conf. (dies assign. ex 20 huius) *dupl.* com. S. Petri Alexandrini Episc. Mart.
27.
28.
29. Vigilia et com. S. Saturnini Mart.
30. S. Andreae Apost. *dupl. 2 classis.*

FESTA MOBILIA.

Dom. III Novembris — Patrocinii B. MARIAE V. *dupl. maius* com. Dom.

DECEMBER.

1. BB. Edmundi Campion et Soc. Mm. S. I. *dupl.*
2. S. Bibianae Virg. Mart. *semid.*
3. S. Francisci Xaverii Conf. S. I. *dupl. 2 class. cum Octava.*
4. S. Petri Chrysologi Ep. Conf. et Eccl. Doct. *dupl.* com. Oct. et S. Barbarae Virg. Mart.
5. BB. Hieronymi de Angelis et Simonis Iempo Mm. S. I. *dupl.* com. Oct. et S. Sabbae Abb.
6. S. Nicolai Episc. Conf. *dupl.* com. Oct.
7. S. Ambrosii Episc. Conf. et. Eccl. Doct. *dupl.* com. Oct. — et Vigiliae in Missa.
8. Immaculata Conceptio B. MARIAE V. *dup. 1 class. cum Octava.*
9. De Octava Immac. Concep. *semid.* com. Oct. S. Francisci Xaverii.
10. Octava S. Francisci Xaverii Conf. *dupl.* com. Oct. Immac. Concept. et S. Melchiadis Pap. Mart.
11. S. Damasi I Pap. Conf. *semid.* com. Oct.
12. Translatio Almae Domus Lauretanae (dies assign. ex 10 huius) *dupl. maius.*
13. S. Luciae Virg. Mart. *dupl.* com. Oct.
14. De Octava *semid.*
15. Octava Immac. Concept. B. MARIAE V. *dupl.*
16. S. Eusebii Episc. Mart. *semid.*
17.
18. Exspectatio Partus B. MARIAE V. *dupl. maius.*
19.
20. Vigilia.
21. S. Thomae Apost. *dupl. 2 classis.*
22.
23.
24. Vigilia.
25. Nativitas D. N. IESU Christi *dupl. 1 class. cum Octava.*
26. S. Stephani Protomart. *dupl. 2 class. cum Octava* com. Oct. Nativit.
27. S. Ioannis Apost. et Evang. *dupl. 2 class. cum Octava* com. Octavarum.
28. SS. Innocentium Mm. *dupl. 2 class. cum Octava* com. Octavarum.
29. S. Thomae Cantuariensis Episc. Mart. *semid.* com. Octavarum.
30. De Dom. infra Oct. vel de Octava Nativ. *semid.* com. aliar. Octavarum.
31. S. Silvestri I Pap. Conf. *dupl.* com. Octavarum.

Officia votiva per annum diebus non impeditis.

SEMEL IN HEBDOMADA.

Fer. II. De S. P. Ignatio Conf. *semid.*
Fer. V. De Smo Eucharistiae Sacramento *semid.*
Sab. De Immaculata Conceptione B. MARIAE V. *semid.*

SEMEL IN MENSE.

De S. Francisco Xaverio Conf. *semid.*
De S. Aloisio Gonzaga Conf. *semid.*
De S. Francisco Borgia Conf. *semid.*

Societatis IESU.

Ut additiones et variationes, quae volventibus annis in Kalendario perpetuo Societatis IESU peractae fuerant, rubricis et Sanctae Sedis decretis apprime responderent, Rmus Pater Antonius Maria Anderledy, Praepositus Generalis praefatae Societatis, Kalendarium ipsum reformandum cu-

ravit; id quoque prae oculis habens, ut uniformitas, quoad fieri possit, in cunctis eiusdem Societatis Provinciis obtineretur: hoc autem Kalendarium sic reformatum supremae Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII sanctioni demisissime subiecit.

Accuratum porro examen eiusdem Kalendarii quum de mandato ipsius Sanctissimi Domini Nostri Sacra Rituum Congregatio, iuxta praefinitas regulas, instituerit; illud probari posse censuit, prouti in superiori exemplari prostat a se ordinatum. Quam Sacrae Congregationis sententiam ab infra scripto Secretario relatam, Sanctitas Sua ratam habens, concessit ut ab Alumnis Societatis IESU in recitatione divini officii ac sacrosancti Missae Sacrificii celebratione supra scriptum Kalendarium in posterum plane servetur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 6 Decembris 1888.

A. Card. Bianchi S. R. C. Praef.
Laurentius Salviati S. R. C. Secr.

ANIMADVERSIONES

PRAE OCULIS HABENDAE, PRAESERTIM A REDACTORIBUS KALENDARII DIVERSARUM PROVINCIARUM.

1. Hoc novissimum Kalendarium ad usum Societatis IESU est pro tota Societate. Propterea illo uti debent omnes Alumni eiusdem Societatis, qui ad horas canonicas tenentur; additis tamen festis, quae vi rubricarum ac decretorum generalium, vel vi specialium indultorum concessa sunt. Ex his omnibus efformantur Kalendaria particularia uniuscuiusque Provinciae, quae proinde in eo tantum differunt a Kalendario pro tota Societate, quod nimirum, retentis festis quae omnibus Alumnis eiusdem Societatis ex praecepto sunt communia, alia comprehendunt quae peculiariter pertinent ad singulas Assistentias, Provincias, Civitates ac Domus: quemadmodum sunt festa Dedicationis, Titularis, Patroni; ac caetera quae forte locum habent, vel ratione Reliquiarum insignium aut Dedicationis et Titularis propriae ecclesiae, vel ratione praecepti aut indulti apostolici; quae ab iis dumtaxat recitari possunt ac debent, quibus praecepta vel indulta sunt. Haec enim indulta minime censeri debent abrogata per approbationem huius novi Kalendarii, ut quispiam dubitavit, et manifestum est ex sequenti decreto Sacrae Rituum Congregationis diei 19 Dec. 1888.

Eminentissimi et Reverendissimi Patres.

Quum Kalendarium perpetuum Societatis IESU nuper a Sacra Rituum Congregatione approbatum sit; a nonnullis redactoribus Kalendarii diversarum Provinciarum Societatis ipsius proponitur dubium: " Utrum per illa verba decreti approbationis Kalendarii universalis *in posterum plane servetur,* intelligantur abolita esse privilegia huc usque ab Apostolica Sede Provinciis Societatis IESU concessa, seu quoad officia localia iam legitime indulta. "

Societatis Iesu.

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, respondit in casu: Negative.

Die 19 Decembris 1888.

A. Card. Bianchi S. R. C. Praef.

Laurentius Salvati S. R. C. Secr.

2. Suprema Sanctae Sedis approbatio tantam huic novo Kalendario tribuit auctoritatem, ut qui ad determinanda festa, ritus, sedes et alia in eodem descripta, vellet etiam ad decreta recurrere, quae de hisce rebus pro Societate Iesu universa hactenus lata sunt, rem prorsus inutilem perageret. — Insuper neminem movere debent discrepantiae inter hoc novum Kalendarium et antiquum: cum enim reformationes et immutationes inductae sint auctoritate apostolica, secundum preces admodum Rev. Patris Nostri, quibus Sanctae Sedis Apostolicae approbatio postulabatur, ea omnia quae in hoc Kalendario inscripta sunt in posterum erunt observanda.

3. Peculiares observationes, quae inferius notantur, desumptae sunt vel ex rubricis, vel ex decretis generalibus, vel ex indultis specialibus Societati Iesu concessis: quod indicatur ad vitandas iteratas et forsan inutiles citationes.

MENSE IANUARIO.

Die mensis 1. Circumcisio D. N. Iesu Christi *dupl. 1 classis* pro universa Societate.

23. In festo Desponsationis B. Mariae V. *dupl. maius* fit com. S. Ioseph (ante alias quascumque comm.) in utrisque Vesp., Laud. et Missa.

Fer. iii post Septuagesimam. Orationis D. N. Iesu Christi in Monte Olivarum *dupl. maius.* — Hoc officium, et aliud Commemorationis SS. Passionis D. N. Iesu Christi (fer. iii post Dom. Sexagesimae), item caetera omnia officia mysteriorum et instrumentorum Dominicae Passionis, quae recitantur fer. vi post Cineres, fer. vi post Dom. i, ii, iii et iv Quadragesimae, non possunt amandari ad aliam diem, et intra Quadragesimam tantum, nisi occurrente officio potioris ritus. — Officia autem Orationis et Commemorationis Passionis D. N. Iesu Christi possunt reponi etiam ante Quadragesimam, si adsit dies libera.

MENSE FEBRUARIO.

Dies mensis 5. SS. Mart. Iaponen. S. I. *dupl. 2 classis.* In Missa non dicitur *Credo.*

12. S. Agathae Virg. Mart. *dupl.* (fix. ex 5 huius). Haec dies est prima libera pro universa Societate; quod si in aliqua Provincia reponendum sit aliud festum maioris ritus, reponatur hac die, et festum S. Agathae amandetur ad insequentem diem liberam; et sic in similibus casibus.

14. SS. Septem Fundator. Ord. Servor. B. Mariae V. *dupl.* (fix. ex 11 huius).

MENSE MARTIO.

Dies mensis 12. S. Gregorii Papae, Conf. et Eccl. Doct. *dupl.* In Missa additur oratio pro gratiarum actione, post omnes orationes a rubrica praescriptas, et ante imperatas ab Episcopo; ob anniversarium canonizationis SS. Ignatii P. N., et Francisci Xaverii.

Item eadem oratio dicitur in Missa diei 7 Augusti, ob restitutam Socie-

tatem; et in Missa diei 27 Septembris, ob confirmationem eiusdem Societatis.

27. S. Ioannis Damasceni Conf. Doct. *dupl.* (Decr. univ. Sacrae Rituum Congregationis 19 Aug. 1890).

28. S. Ioannis a Capistrano Conf. *sem.* (Decr. univ. Sacrae Rituum Congregationis 19 Aug. 1890).

MENSE APRILI.

6. B. Iulianae Cornelionen. Virg. *dupl.* (Decr. Sacrae Rituum Congregationis pro S. I., 15 Sept. 1890).

Dom. III post Pascha. Patrocinii S. Ioseph Conf. Sponsi B. MARIAE V. *dupl. 1 classis cum Octava.* — Hoc festum celebratur hac die, etiam si occurrat cum festo Dedicationis ecclesiae propriae, Patroni, vel Titularis ecclesiae; quae amandantur ad primam diem non impeditam, iuxta rubricas.

MENSE IUNIO.

Dom. II mensis. B. MARIAE V. a Strata *dupl. 2 classis.* (Decr. Sacrae Rituum Congregationis, pro S. I., 19 Ian. 1890).

Fer. VI post Octavam Corporis Christi. Smi Cordis IESU, *dupl. 1 classis cum Octava.* — Occurrente festo Nativitatis S. Ioannis Baptistae, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Dedicationis ecclesiae propriae, Patroni, vel Titularis ecclesiae; festum Smi Cordis IESU transfertur in primam diem non impeditam, iuxta rubricas.

MENSE AUGUSTO.

Dom. infra Octavam Assumpt. B. MARIAE V. S. Ioachim Conf. Patris B. MARIAE V. *dupl. 2 classis.* Occurrente festo potioris ritus, vel maioris dignitatis, festum S. Ioachim transfertur in primam diem non impeditam, iuxta rubricas.

Dom. post Octavam Assumpt. B. MARIAE V. Purissimi Cordis eiusdem B. MARIAE V. *dupl. maius.* Occurrente festo potioris ritus aut maioris dignitatis, vel die Octava alicuius festi; festum Purissimi Cordis ponatur, iuxta rubricas, in prima die non impedita.

MENSE OCTOBRI.

Dom. I mensis. Solemn. Smi Rosarii B. MARIAE V. *dupl. 2 classis.* Occurrente festo potioris ritus, festum Smi Rosarii transfertur in primam diem liberam, iuxta rubricas.

Dom. II mensis. Maternitatis B. MARIAE V. *dupl. maius,* et

Dom. III mensis. Puritatis B. MARIAE V. *dupl. maius.* — Si in Dom. II et III Octob. occurrat festum altioris ritus, vel dies Octava alicuius festi; festa Maternitatis et Puritatis amandantur ad proximiores Dominicas a praedictis festis liberas, et non impeditas a festo aequalis ritus. Quod si usque ad Adventum nulla supersit Dominica libera, festa Maternitatis et Puritatis ponantur, iuxta rubricas, in prima die non impedita post Dominicam *(respective)* II et III Octobris.

MENSE NOVEMBRI.

Dies mensis 13. S. Stanislai Kostkae Conf. S. I. *dupl. 2 class. cum Octava.*

In Domibus Probationum *dup. 1 classis cum Octava.*

Dom. III mensis, (seu illa quae occurrat intra diem 15 et 21), Patrocinii B. MARIAE V. *dupl. maius.* Si in Dom. III Novemb. occurrat aliud festum sive B. MARIAE V., sive altioris ritus, vel dies Octava alicuius festi,

festum Patrocinii ponatur, iuxta rubricas, in prima die non impedita post Dom. III Novembris.

27 S. Silvestri, abb. *dupl.* (Decr. univ. Sacrae Rituum Congregationis 19 Aug. 1990) *(fix. ex heri).*

MENSE DECEMBRI.

Dies mensis 3. S. Francisci Xaverii Conf. S. I. *dupl. 2 class. cum Octava.* — Si hoc festum occurrat Dom. I Adventus, transfertur una cum Indulgentiis in feriam II seq.; festum vero occurrens eo die transfertur in proximam diem non impeditam.

Annotationes in Officia votiva.

Officium S. P. N. Ignatii Conf., recitandum est in Societate universa, sub ritu *semiduplici*, qualibet feria secunda non impedita festo novem lectionum, etiam translato; excepto Adventu, Quadragesima, vigiliis, ac etiam feria illa in qua secundum rubricas officium Dominicae anticipatae aliquando erit apponendum.

Officium de Smo Eucharistiae Sacramento pariter recitandum in Societate universa, sub ritu *semiduplici,* omnibus feriis quintis non impeditis festo novem lectionum, ut supra.

Officium de Immaculata B. MARIAE V. Conceptione similiter in universa Societate recitandum sub ritu *semiduplici,* quolibet Sabbato non impedito officio novem lectionum, vel Dominicae anticipatae; exceptis Adventus, Quatuor Temporum, vigiliarum, et Quadragesimae temporibus.

Haec officia sunt quidem votiva, sed non ad libitum; quapropter semper ac feria II, feria V, et Sabbatum non sunt impedita, ut supra, erunt in Kalendario notanda, et ab omnibus persolvenda. Ideoque non datur optio inter haec *officia votiva et officia ferialia:* neque inter haec eadem *officia votiva* et illa alia *votiva ad libitum* concessa per indultum generale die 5 Iulii 1881.

Item semel in mense officia S. Francisci Xaverii Conf., S. Aloisii Gonzagae Conf., et S. Francisci Borgiae Conf. recitanda in Societate universa sub ritu *semiduplici,* diebus non impeditis festo novem lectionum, ut supra, erunt similiter notanda in Kalendario, et ab omnibus persolvenda.

Demum datum est indultum generale (die 5 Iulii 1883) singulis de utroque Clero persolvendi officia votiva per annum, loco officiorum ferialium, praeterquam in feriis IV Cinerum, totius tempore Passionis, ac sacri Adventus a die 17 ad 24 Decembris inclusive, ad libitum singulorum. Haec quidem officia ad libitum persolvi nequeunt loco officiorum votivorum, quae universae Societati IESU sunt concessa; nam officia votiva Societatis, ut supra dictum est, semper sunt in Kalendario notanda, et ab omnibus persolvenda. Ideoque ab Alumnis Societati IESU *officia votiva ad libitum* solummodo persolvi poterunt tempore Adventus et Quadragesimae (cum exceptionibus in indulto generali indicatis), Quatuor Temporum, vigiliarum, et feriae in qua apponendum esset officium Dominicae anticipatae. In aliis vero temporibus, nonnisi postquam semel in hebdomada et semel in mense iam adsignata fuerint officia votiva Societati IESU concessa.

COMPENDIUM

PRIVILEGIORUM

SOCIETATIS IESU

PRAEFATIO.

1. Cum Societas nostra, Dei benignitate ac Summorum Pontificum liberalitate, multis ac magnis instructa et ornata sit gratiis et facultatibus, tam peculiariter ipsi concessis, quam etiam aliis, quarum per apostolicam communicationem amplissima accessio eidem facta est; operae pretium fore iudicavimus, si quae praecipuae, nostroque usui magis accommodatae sint, in compendium redigerentur. Quoniam vero secundum litteras apostolicas nullius privilegii seu gratiae hactenus concessae, vel in posterum concedendae, usus potest in Societate licitus esse, nisi per solius Praepositi Generalis communicationem; idcirco suis in locis annotatum est, quaenam gratiae, quibus, ac quatenus concessae aut limitatae vel etiam reservatae sint. Ubi vero nihil horum adscriptum fuerit, hoc ipso constare debet gratias huiusmodi, sicut sonant, concessas esse. Caeterum necessarium est, ut modus gratiis utendi, qui in plerisque communicationibus praescriptus est, diligentissime ab omnibus observetur.

2. Porro nullis aliis gratiis et privilegiis, quacumque etiam communicatione Societati nostrae illa competant, quae in hoc Compendio comprehensa non sint, ulli umquam uti licebit. Si tamen illorum usus alicubi necessarius fuerit, is a Praeposito Generali impetrandus erit: aut, si periculum in mora fuerit, censeatur Provincialibus et Visitatoribus eo dumtaxat in casu communicatus, dummodo Societatis Instituto non repugnet; qui nihilominus Praepositum Generalem de huiusmodi usu eiusque causa, quam primum poterunt, certiorem reddere tenebuntur. Quae facultas in simili morae periculo communicatur etiam Praepositis et Rectoribus localibus; qui pariter iubentur eumdem Praepositum Generalem, et Provincialem etiam, vel Visitatorem, de usurpato privilegio admonere.

3. Nomine autem Provincialium, Praepositorum et Rectorum, quorum non raro in Compendio fit mentio, subintelligendi quoque sunt Vice Provinciales, Vice Praepositi ac Vice Rectores, quando nimirum nullus est Provincialis, Praepositus aut Rector, vel adeo longe abest, ut pro rei exigentia consuli non satis commode possit; qui omnes etiam nomine Superiorum in hoc Compendio significantur. Nam reliquis Residentiarum et Missionum Superioribus eorum Superiores, a quibus mittuntur vel sub quorum cura et directione vivunt, eas ex sibi concessis facultates, secundum Constitutiones, communicare poterunt, quas pro ratione locorum, temporum et personarum communicandas iudicabunt.

4. Quoniam item in hoc Compendio saepe numero fit mentio de Professis, tum Societatis tum aliorum Ordinum, advertendum est, secundum diversa Societatis privilegia, quidquid de illis dicitur intelligi etiam debere de Nostris qui tria vota simplicia post biennium emiserint, nisi expressa fiat exceptio. Idque in praesenti confirmatur ex declaratione Sacrae Congregationis super Statu Regularium, 12 Iun. 1858. « Professi votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus Professi votorum solemnium utuntur, fruuntur et gaudent. » Quae declaratio pro ordine Praedicatorum facta est, et ad alios extensa.

5. Praeterea de omnibus huius Compendii facultatibus illud in universum intelligatur, ut, quemadmodum ad Superiores pertinet suis subditis facultates communicare, ita eorumdem fore semper illarum facultatum, quas ipsimet communicaverint, vel quas quivis alius, etiam Praepositus Generalis, sive generali sive alio quovis modo communicaverit, *usum* propriis subditis, cum expedire iudicaverint, vel limitare vel etiam omnino suspendere.

6. Novam hanc Compendii editionem iam pridem necessariam fecerant plures Romanorum Pontificum constitutiones, quibus post antiquum Compendium editis, aut nostra privilegia limitata sunt, aut alia de novo concessa. Quapropter, expunctis facultatibus quae posterioribus Pontificum constitutionibus revocatae sunt, vel quae temporis decursu in desuetudinem omnino abierunt, ea tantummodo privilegia hic exhibentur, quae *certis* documentis munita deprehensa sunt, quaeque legitime in usu sunt, vel esse possunt.

7. Apostolicae constitutiones quae in communi Bullario Romano reperiuntur, citantur in hoc Compendio, Bullario non indicato. Quae vero reperiuntur in Bullariis propriis singularum Religionum sive Congrega-

tionum, ex ipsis Bullariis, aut ex Compendiis Privilegiorum earumdem Religionum aut Congregationum, quorum tituli plene exprimuntur, desumptae sunt. Quae denique in Bullario communi Regularium, vel in Bullario proprio Societatis, inveniuntur, sequentibus abbreviationibus citantur:

Rod. — Emmanuel Rodericus. — *Nova Collectio et Compilatio Privilegiorum Apostolicorum Regularium Mendicantium et non Mendicantium edita a Fr. Emmanuele Roderico, Venetiis, 1611.*

Litt. Apost. — Litterae Apostolicae. — *Bullarium proprium Societatis praefixum huic Compendio.*

Ant. Comp. — Antiquum Compendium. — *Quod habetur in editione Pragensi nostri Instituti, 1757.*

P. Ro. — P. Roothaan. — *Communicationem significat ab Adm. R. P. Roothaan factam in catalogo facultatum a Leone XII, brevi PLURA INTER, Societati concessarum.*

tenus, ex ipsis Bullariis aut ex Compendiis Privilegiorum earundem Religionum aut Congregationum, quorum tituli pleno exprimuntur, sumpta sunt. Quae desunt in Bullario communi Regularium, vel in Bullario proprio Societatis inveniuntur, sequentibus siglis citantur:

Rod. — Emmanuel Rodericus. — *Nova Collectio et Compilatio Privilegiorum Apostolicorum Regularium Mendicantium et non Mendicantium edita a Fr. Emmanuele Roderico. Turnoni, 1613.*

Litt. Apost. — Litterae Apostolicae. — *Bullarium proprium Societatis prout habetur in Compendio.*

Ant. Comp. — Antiquum Compendium. — *Quod habetur in editione Pragensi Instituti, 1757.*

P. Ro. — P. Rodericus. — [illegible] *R. P. Emmanuele [illegible] in catalogo [illegible] a [illegible] [illegible].*

COMPENDIUM PRIVILEGIORUM
SOCIETATIS IESU.

ABSOLUTIO.

Facultas absolvendi quoscumque Christi fideles.

1. Presbyteris Societatis Iesu "*quorumcumque utriusque sexus Christi fidelium ad eos undecumque accedentium* confessiones audiendi, et, confessionibus diligenter auditis, ipsos et eorum singulos...absolvendi...facultatem... ad suum et Sedis Apostolicae beneplacitum concessit" Paulus III, Br. Cum inter, 3 Iun. 1545, Litt. Apost. pag. 10 col. 2. — Ant. Comp. § 1.

Communicatio et declaratio. 2. *Haec facultas pro poenitentibus non Regularibus, et pro his etiam, si facultatem habuerint confitendi extra suum Ordinem, communicatur omnibus Sacerdotibus ad excipiendas confessiones destinatis a Superioribus. Verum tum ut* licita, *tum ut* valida *sit absolutio saecularium poenitentium, contrariis omnibus privilegiis revocatis, necessaria est Approbatio Episcopi loci. Cfr. hunc tit. — Ant. Comp. § 1.*

Facultas absolvendi a casibus reservatis Summo Pontifici.

Antiquum privilegium abrogatum. 3. Antiquum privilegium, per plures pontificias constitutiones aliis religiosis Ordinibus, et Societati etiam directe concessum, absolvendi a peccatis et a censuris Summo Pontifici reservatis, recentioribus temporibus iterum Societati concessum est a Leone XII, Br. Plura inter, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 352 col. 1, sequenti tenore: "Eis liceat a casibus Sedi Apostolicae reservatis absolvere, exceptis iis, qui continentur in bulla Coenae Domini." Verum huiusmodi privilegium revocatum fuit quoad *censuras* per Const. Pii IX, Apostolicae sedis, IV idus Oct. 1869, *§§ A quibus*, et *Caeterum.* Eadem tamen constitutione Apostolicae sedis, art. 2 seriei 2, excipitur facultas absolvendi, *ex iure* vel *privilegio,* "violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in Clericos vel utriusque sexus monachos." Quare hoc privilegium, quod antea habebatur, adhuc perseverat. — Ant. Comp. §§ 1 et 5.

Dedit etiam Leo XII, eodem brevi Plura inter, Societati ad viginti annos facultatem "absolvendi in omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in bulla Coenae contentis;" ac praeterea "absolvendi ab haeresi, et apostasia a fide, et a schismate quoscumque etiam ecclesiasticos, tam saeculares quam Regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi S. Officium exercetur, nisi in locis missionum, in quibus impune grassantur haereses, deliquerint, nec illos, qui iudicialiter abiuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur haereses, et post iudicialem abiurationem illuc reversi in haeresim fuerint relapsi; et hos *in foro conscientiae tantum.*" Huiuscemodi autem facultatibus ad tempus certum concessis, per Const. Pii IX, Apostolicae sedis, derogatum non Facultas vicennalis non abrogata.

fuisse constat ex declaratione Sacrae Poenitentiariae, 5 Dec. 1873. Declaravit etiam Sacra Congregatio Sancti Officii, 4 Apr. 1871 " pro *casibus in bulla Coenae contentis* deinceps ponendum esse *speciali modo Summo Pontifici reservatis.* " Vicennales Leonis XII facultates subsecuti Pontifices prorogatas semper voluerunt.

Triplex casus excipitur.

Excipitur tamen ab eadem vicennaria facultate: 1.° — potestas absolvendi ab excommunicatione, speciali modo reservata Summo Pontifici, propter " absolutionem complicis in peccato turpi. " Const. cit. APOSTOLICAE SEDIS de censuris art. 10 seriei 1; 2.° — potestas absolvendi a falsa sollicitationis accusatione. Benedict. XIV, Const. SACRAMENTUM POENITENTIAE, § 3. Facultas absolvendi ab hoc utroque casu papali revocata fuit a Pio IX vivae vocis oraculo, 3 Iul. 1875, in privata audientia A. R. P. N. Petri Beckx. Cfr. eius epist. encyl., 5 Iul. 1875, 18 Iul. 1870; 3.° — Ab eodem Pio IX *revocatum* fuit quodlibet privilegium, et quaelibet facultas absolvendi reos perduellionis et invasionis in pontificiam ditionem, secundum apostolicas litteras CUM CATHOLICA ECCLESIA, 29 Mart. 1860. Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, 3 Iul. 1860, apud Bizzarri, Collectanea ed. 1885, pag. 672.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

4. *Pro simpliciter reservatis, communicatur cum omnibus Superioribus, et cum iis quibus ipsi indulserint: at pro speciali modo reservatis, Praepositi Provinciales, caeterique Superiores Provincialium potestate utentes, hanc facultatem cum suis subditis Sacerdotibus communicare poterunt, dummodo tamen de illorum doctrina et discretione ita constet, ut nullus abusus, nulla Ordinariorum offensio sit timenda. — P. Ro.*

Admoneantur poenitentes absolutionem a censuris, quam a Nostris obtinuerint, nihil sibi prodesse in foro exteriori. Clemens X, Const. SUPERNA, *XI kal. Iun. 1670, § 7. Intelligitur praecedens facultas de censuris* a iure, *minime vero de censuris etiam* ab homine. *Qui censura ligati fuerint* per sententiam specialem, *ad suos iudices, prout de iure, remittantur. — Ant. Comp. § 1.*

Facultas absolvendi a casibus reservatis episcopalibus.

5. Per cit. Const. APOSTOLICAE SEDIS, cfr. n. 3, derogatum non est facultati absolvendi a casibus reservatis quidem Episcopis, sed *a iure.* Cfr. S. Alph. lib. 7, n. 99. Quare haec facultas manet uti ante. Casus *a iure* Episcopis reservati eadem Const. APOSTOLICAE SEDIS continentur. Sine vero speciali facultate ab ipsis Episcopis obtenta, Regulares omnes absolvere nequeunt a casibus *ab Episcopo sibi reservatis.* Prop. 12 damn. per Alexandrum VII, 24 Sept. 1665. — Clemens X, Const. SUPERNA, XI kal. Iun. 1670, §§ 6 et 7. " Potest autem Regularis Confessor, in ea dioecesi in qua est approbatus, confluentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem poenitentes noverit *in fraudem* reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrare. " Clemens X, loc. cit. § 7.

6. *Communicatur cum omnibus, quibus datur facultas audiendi confessiones. — Ant. Comp. § 1.* COMMUNICATIO.

Facultas absolvendi peragentes apud Nos Exercitia Spiritualia, vel diem praeparationis ad mortem.

7. " Superioribus cuiusvis Collegii vel Domus vel Secessus „ (nimirum *Domus Exercitiorum)* " eiusdem Societatis... et uni vel pluribus dictae Societatis Sacerdotibus ad audiendas confessiones ab Episcopis Ordinariis locorum approbatis, prout unicuique Superiori magis expedire in Domino visum fuerit, *facultas concessa est absolvendi* quoscumque tam saeculares, quam cuiusvis Ordinis et Instituti Regulares, in quolibet Collegio, Domo aut Secessu vel publica etiam „ (eorumdem locorum) " ecclesia seu cappella, *Spiritualia Exercitia peragentes per quodcumque dierum spatium, semel aut pluries in anno;* vel *per unum* etiam *diem semel in mense* exercitium praeparationis ad mortem; eorum confessionibus diligenter auditis, a *quibuscumque* ipsorum peccatis, excessibus ac delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, et *cuicumque, etiam* Sedi Apostolicae, non tamen per litteras die Coenae Domini legi solitas reservatis, *in foro conscientiae tantum.* „ Benedictus XIV, Br. QUANTUM SECESSUS, 29 Mart. 1753, Litt. Apost. pag. 303 et 302. — Br. DEDIMUS SANE, 16 Maii 1753, Litt. Apost. pag. 305. — Cfr. n. 9. — Ant. Comp. §§ 6 et 7.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

8. *Communicationem et declarationem huius facultatis vide n. 10. De Nostris, cum Exercitia peragunt, absolvendis, cfr. n. 16. — Ant. Comp. § 8.*

Extensio praecedentis facultatis ad alia quaecumque loca.

9. Concessio relata praecedenti n. 7, atque ex addita declaratione comprehendens " peccatorum remissiones poenarumque relaxationes, nec non facultates absolvendi a quibuscumque peccatis et censuris cuicumque, etiam Sedi Apostolicae, non tamen per litteras die Coenae Domini legi solitas, reservatis, ampliata deinde est " ad omnes et singulos eiusdem Societatis Sacerdotes, ubique locorum, sive Missionarios in actu missionum quarumcumque, sive in quibusvis tam publicis quam privatis ecclesiis et oratoriis et piis locis et aedibus, vel saecularibus vel Regularibus, quorumcumque Ordinum, Institutorum, Collegiorum, Seminariorumque, nec non quarumcumque Congregationum et Sodalitatum et Monasteriorum monialium oblatarumque, et Conservatoriorum virginum ac mulierum, de Superiorum licentia, Spiritualia huiusmodi Exercitia, vel diem quem appellant praeparationis ad mortem tradentes, sacramentalesque confessiones tempore vel occasione eorumdem Exercitiorum excipientes, et ad Sacerdotes iisdem a Superioribus adiunctos Socios. „ Benedictus XIV, Br. DEDIMUS SANE, 16 Maii 1753, Litt. Apost. pag. 305. — Ant. Comp. § 8.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

10. *Praecedens facultas pro solo foro interno, et pro poenis ac censuris* a iure *tantum latis, ad externos, etiam Regulares, absolvendos, communicatur omnibus Superioribus et nostris Confessariis approbatis, quos ad suas confessiones excipiendas elegerint ipsi peragentes Exercitia, vel praeparationem ad mortem; ad absolvendas vero moniales aliasque feminas in Conservatoriis degentes, ipsis Directoribus Exercitiorum huiusmodi, eorumque Sociis, quos Superiores adiunxerint, dummodo, rite approbati, ad monialium confessiones audiendas ab earum Superioribus licentiam habeant. Cfr. n. 57.*

Ad absolvendas personas Societatis quod attinet, cfr. n. 16. De casibus Summo Pontifici reservatis, vide dicta n. 3, et communicationem n. 4. Quod vero ad casus pertinet episcopales proprie tales, et ad casus reservatos in Ordinibus religiosis, facultas haec revocata non est, eaque Nostri uti possunt, ut modo dictum est. — Ant. Comp. § 8.

Facultas absolvendi aliorum Ordinum Religiosos.

11. Facultas generatim absolvendi Regulares, etiam aliorum Ordinum, speciatim vero eos absolvendi a casibus, etiam in ipsorum Ordinibus reservatis, per amplissimam facultatem habetur Societati concessam a Paulo III, Br. CUM INTER, 3 Iun. 1545, Litt. Apost. pag. 10 col. 2, pag. 11 col. 1. — Ant. Comp. § 1.

COMMUNICATIO. 12. *Communicatur haec facultas uti supra n. 2, et cum eadem conditione (si facultatem habuerint confitendi extra suum Ordinem), etiam pro casibus reservatis in proprio Ordine. — Ant. Comp. § 1.*

Facultas absolvendi nostros familiares.

13. Superiores, et Confessarii ad Nostrorum confessiones audiendas deputati, possunt in nostris Collegiis et Domibus " audire confessiones illorum saecularium, qui inibi sunt vere de familia et continui commensales, non autem illorum qui tantum ipsis deserviunt. " Clemens X, Const. SUPERNA, XI kal. Iun. 1670, § 4. — Ant. Comp. § 3.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO. 14. *Praecedens facultas communicatur, ut sonat. Neque propterea prohibentur alii Confessarii ab Ordinario loci approbati quominus eorumdem familiarium confessiones excipere possint.*

Quinam autem proprie intelligendi sint nomine familiarium, constat tum ex ipsis verbis citatis Clementis X, tum ex sequentibus documentis. Illi quidem sunt, qui in Monasteriis seu Collegiis " actu serviunt, et intra eorum septa ac Domos resident, subque eorum obedientia vivunt. " Conc. Trid. sess. 24 cap. 11 de Regular. Qui in Monasteriis seu Domibus " sunt de illorum Monasteriorum seu locorum familia. " Conc. Trid. sess. 25 cap. 11 de Regular. " Qui ecclesiis aliisque locis actu serviunt, et intra eorum septa et Domos resident, ac sub eorum obedientia vivunt; quae omnia debere simul concurrere intelligantur. " Gregorius XIII, Br. CIRCUMSPECTA IN OMNIBUS, 25 Nov. 1580, § 2.

Facultas absolvendi nostros Religiosos.

15. Potest Praepositus Generalis Societatis " per se, vel alios ad id per eum pro tempore deputatos, omnes et singulos eiusdem Societatis Socios, et personas sub ipsius obedientia, disciplina et correctione pro tempore degentes " (etiam Novitios, et eos qui mox Societatem ingredi volunt) " absolvere ab omnibus et singulis eorum peccatis ante vel post ingressum in dictam Societatem commissis, nec non a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis et saecularibus sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quomodolibet latis et promulgatis et huiusmodi sententiis innodatos. " Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 15 col. 1. — Iulius III, Br. SACRAE RELIGIONIS, 22 Oct. 1552, Litt. Apost. pag. 28 col. 2. — Gregorius XIII, Br. DECET ROMANUM, 3 Maii 1575, Litt. Apost. pag. 57. — Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 352 col. 1, aliique Ro- Facultas amplissima.

mani Pontifices pro aliis Ordinibus, apud Ant. Comp. § 9, qui omnes, alii cum aliqua limitatione, alii generaliter et sine ulla exceptione, facultatem hanc concesserunt.

Volentes ingredi, si non ingrediantur, relabuntur in poenas.

" Volentes tamen Societati aggregari, et absoluti, ut praefertur, nisi mox Ordinem intrare, et, peractis experientiis secundum Constitutiones dictae Societatis, vota emittere parati sint, etiam si super hoc induciae eis a Praelatis dictae Societatis concedantur, eo ipso in pristinas sententias relabuntur. " Paulus III, loc. cit.

Facultas perpetua absolvendi a reservatis Papalibus, revocata.

Huic privilegio, quantum attinet ad facultatem absolvendi *a censuris latae sententiae iure communi Summo Pontifici reservatis*, per constitutionem Pii IX, APOSTOLICAE SEDIS, derogatum est; manet tamen facultas vicennalis Leonis XII, quae, cum generalis sit, ad Nostros etiam extenditur. Cfr. n. 3.

Manet vicennalis.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

16. *Communicatur praecedens facultas, quoad casus non reservatos, omnibus Confessariis Nostrorum; quoad casus vero reservatos, omnibus Superioribus, et iis quibus ipsi commiserint, ita tamen, ut, pro reservatis speciali modo Summo Pontifici, communicatio pro Nostris fiat eo modo, quo pro externis statutum est n. 4, et excipiantur haeresis atque apostasia ab Ecclesia, incursis post ingressum in Societatem, quae Praeposito Generali reservantur, exceptisque etiam iis, quae excepta referuntur tit.* Apostatae, *et in Catalogo Censurarum Societatis.*

Tempore renovationis et Exercitiorum.

" *Quo tempore autem sive votorum renovatio fit, sive Exercitia Spiritualia peraguntur, Confessariis Nostrorum, tum ordinariis tum extraordinariis, facultas communicatur absolvendi* a casibus reservatis. " *Epist. encycl. A. R. P. N. Antonii M. Anderledy, tum Vicarii Generalis, ad universae Societatis Superiores, 16 Maii 1884.*

In parvis Domibus.

Cum " in parvis Communitatibus Superiores omnino debeant deputare habitualiter unum Confessarium ex Religiosis proprii Ordinis, qui facultatem habeat absolvendi a casibus et censuris in Ordine reservatis, " (Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, 16 Aug. 1866, apud Bizzarri, Collectanea edit. 1885, pag. 866) Provincialium erit ex ordinariis Confessariis unum designare, qui hanc facultatem habeat. Catalogum Censurarum et Casuum reservatorum Societatis habes vol. II, post canones Congr. Gener., et in Epitome Inst. Soc. Prati, 1882, initio Appendicis. — Cfr. Lugo, Resp. Mor. lib. 1 dub. 27, de Poenit. disp. 20 sect. 5. — Tamburini, tract. de Cas. Reserv. cap. 7, 8 et 12. — Ant. Comp. § 9.

AEDIFICIA.

Facultas ubique aedificandi, etiam intra cannas prohibitas.

Facultas aedificandi ubique,

17. Concessa est Societati facultas aedificandi, et recipiendi Collegia, Domus, ecclesias et oratoria in quibuscumque mundi partibus; et inhibetur Ordinariis, et cuicumque potestati ecclesiasticae et saeculari, ne huiusmodi aedificiorum constructiones impediant; speciatim vero "in locis infidelium remotissimis quaecumque ecclesias, hospitalia et alia pia loca, prout expediens fuerit, erigendi, ac nunc et pro tempore erecta reformandi, sine alterius praeiudicio. " " Ipsaeque Domus, ecclesiae, Collegia, cellae, oratoria ubilibet per dictos Socios pro tempore constructa vel eis donata, eo ipso quod aedificata vel donata fuerint, apostolica auctoritate

erecta, approbata et confirmata sunt et censentur. „ Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 17 col. 2, pag. 18 col. 1, pag. 19 col. 2. — Pius IV, Br. ETSI EX DEBITO, 13 Apr. 1561, Litt. Apost. pag. 31 col. 2, pag. 32 col. 2. — Gregorius XIII, Br. SALVATORIS DOMINI, 30 Oct. 1576, Litt. Apost. pag. 65 col. 2. — Pius VII, Const. SOLLICITUDO OMNIUM ECCLESIARUM, VII idus Aug. 1814, Litt. Apost. pag. 339 col. 2.

etiam intra cannas.

Habet praeterea Societas potestatem aedificandi, atque aedificia iam constructa recipiendi, etiam intra 140 cannas ab aedificiis aliorum quorumcumque Ordinum Mendicantium, quorum privilegiis quoad hanc partem, in favorem Societatis tantum, expresse derogavit Pius IV, Br. ETSI EX DEBITO, 13 Apr. 1561, Litt. Apost. pag. 32 col. 2. — Gregorius XIII, Br. SALVATORIS DOMINI, 30 Oct. 1576, Litt. Apost. pag. 65 col. 2.

Observanda in novarum Domorum erectione.

Verum utraque haec facultas ita limitata est, ut novas Domos sive Collegia instituere non liceat, nisi duodecim religiosi, vel saltem sex, ut gaudeant privilegio exemptionis, in illis inhabitare et sustentari valeant; ac nisi obtenta prius, in singulis Domibus sive Collegiis instituendis, Ordinarii loci licentia, atque adeo Apostolicae Sedis, saltem in Missionibus Sacrae Congregationi de Propaganda Fide subiectis. Conc. Trid. sess. 25 cap. 3. de Regular. — Clemens VIII, Br. QUONIAM AD INSTITUTAM, 23 Iul. 1603, §§ 1 et 2. — Gregorius XV, Const. CUM ALIAS, 17 Aug. 1622, §§ 2, 3 et 4. — Urbanus VIII, Br. ROMANUS PONTIFEX, 28 Aug. 1624, §§ 1 et 2. — Innocentius X, Const. INSTAURANDAE, idibus Oct. 1652, § 5, pro Italia et insulis adiacentibus. — Leo XIII, Const. ROMANOS PONTIFICES, VIII idus Maii 1881, §§ *De hoc*, et *Quum res*, pro Anglia et Scotia, deinde extensa ad Indiam aliasque Missionum regiones. — Sacra Congregatio de Propaganda Fide, 19 Ian. 1886. — Cfr. n. 211. — Barbosa, Summ. Apostolicar. Decision. Collect. 169 n. 22. — Benedictus XIV, De Syn. l. 9 cap. 1 n. 9. — Lucidi, de Visitat. Sacror. Limin. cap. 4, § 3 n. 46 et seqq. — In hoc Comp. n. 90. — Ferraris, verbo *Conventus*, art. 1. — Schmalzgrueber, lib. 3 tit. 36. — Monacelli, part. 1 tit. 6, form. 19 n. 3. — Ant. Comp. §§ 1 et 2, et tit. *Bona Societatis* § 2.

18. *Domus et Collegia non possunt erigi sine speciali licentia Praepositi Generalis, cui talis facultas reservatur.* COMMUNICATIO.

ALIENATIO.

Alienationis contractus sine tractatu capitulari.

19. Quoslibet alienationis contractus Societas potest celebrare sine tractatu capitulari, sed ex licentia Praepositi Generalis, qua iisdem contractibus, si alia adsint, accedit omnimoda firmitas, et quicumque contrahentes tuti sunt. " Omnisque facultas celebrandi contractus, ex iisdem Constitutionibus, penes Praepositum praefatum residet. „ Ad dimittendas vero Domos et Collegia iam erecta facultas Praepositi Generalis simul cum Congregatione Generali accedat necesse est. Iulius III, Const. EXPOSCIT DEBITUM, XII kal. Aug. 1550, Litt. Apost. pag. 24 col. 1. — Pius V, Const. INNUMERABILES FRUCTUS, III kal. Maii 1568, Litt. Apost. pag. 42 col. 2. — Gregorius XIII, Br. APOSTOLICAE SEDIS, 18 Dec. 1576, Litt. Apost. pag. 68 col. 2, pag. 69. — Cfr. Const. part. 4 cap. 2 n. 3 et A.

— Ant. Comp. § 1, et tit. *Contractus* § 1.

Facultas alienandi bona immobilia exigui valoris, sine licentia Episcopi.

20. Possunt Generalis, et Superiores quibus ipse commiserit, alienare mobilia non pretiosa, et etiam immobilia exigui valoris, aestimandi secundum praxim locorum et Curiae Romanae, si adsit necessitas, vel sint *minus utilia,* ut habetur in Can. *Terrulas* 53 q. 2. caus. 12. Ita ex concessione, quae revocata non est, absoluta et generatim facta alienandi " absque alia a Sede Apostolica vel ipsius de Latere Legatis, seu Nuntiis, aut etiam locorum Ordinariis petenda vel obtida licentia seu confirmatione. „ Gregorius XIII, Br. APOSTOLICAE SEDIS, 18 Dec. 1576, Litt. Apost. pag. 69 col. 2. Quare, licet vi praedicti canonis *Terrulas,* ex interpretatione Sacrae Congregationis, cfr. n. 21, exigatur Episcopi consensus, eum tamen requirere non tenetur Societas, ex speciali privilegio. — Ant. Comp. § 2.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO. 21. *Conceditur omnibus Superioribus posse alienare mobilia non pretiosa: si autem illa pertineant ad ecclesias, aut bibliothecas, nonnisi in ecclesiae ipsius et bibliothecarum utilitatem, pretium impendere possint. Pro immobilibus vero alienandis iuxta Can.* Terrulas, *nempe quae non excedant valorem 25 scutatorum aureorum de Camera; mittant intra Europam informationem ad Generalem, vel cui commiserit, eiusque facultatem exspectent; extra Europam vero, auditis Consultoribus, et impetrata a Praeposito Provinciae vel Superiore Missionis facultate, possint alienare.*

Quaenam sint *mobilia* non pretiosa. *Porro mobilia non pretiosa censentur, quae aut usu consumuntur, aut ultra triennium durare non solent, aut non excedunt 25 scutata aurea de Camera, (Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, 1 Maii 1840) videlicet circiter 225 libellas italicas, quae, ob immutatum pecuniae valorem, augeri in praesenti possunt proportionata ratione, et usque ad 500 libellas circiter ascendere possunt pro Italia aliisque fere omnibus Europae regionibus. Caute autem procedendum est, etiam in his exiguis alienationibus, propter contraria decreta Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, Ordinarii loci veniam exigentia. Cfr. Bizzarri, Collectan. Romae, 1885, pag. 298 et 299. — Benedictus* XIV, *Inst. Eccles. 69. — Ferraris, verbo* Alienatio *a. 4 n. 34. — Bucceroni et D'Annibale, Comment. in Const.* APOSTOLICAE SEDIS, *§* III *3.*[ae] *Seriei. — Ant. Comp. § 4.*

Facultas alienandi alia etiam bona, eiusque revocatio.

22. Alienandi facultas concessa est Societati generaliter congregatae, eiusque Praeposito Generali, quoad bona etiam stabilia et mobilia pretiosa, nulla requisita Sedis Apostolicae aut alterius licentia. Gregorius XIII, Br. APOSTOLICAE SEDIS, 18 Dec. 1576, Litt. Apost. pag. 69 et 70, Const. Ex DEBITO PASTORALIS, nonis Aug. 1582, Litt. Apost. pag. 82 et 83. Duravit haec concessio usque ad annum 1624, quo illam revocavit Urbanus VIII *intra fines Europae,* decreto Sacrae Congregationis Concilii, 7 Sept. 1624, et 21 Mart. 1626. Quare extra Europam integra permanserunt hac in re privilegia Gregorii XIII. Verum haec privilegia recentissime revocata sunt per Const. APOSTOLICAE SEDIS Pii IX de censuris,

exigentem " beneplacitum apostolicum ad forman Extrav. AMBITIOSAE, *de rebus Eccl. non alienandis*, " uti constat ex plena derogatione privilegiorum, quae in eadem Const. habetur, et ex declaratione Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis, fer. IV d. 22 Dec. 1880, manere scilicet privilegia *specialia et personalia,* non vero *generalia,* quae revocata sunt. Cfr. Ferraris, verbo *Alienatio,* art. 4 n. 28 et seqq. — Bucceroni et D'Annibale, ubi supra, et in hoc Comp. n. 88. — Ant. Comp. § 3 et 4.

Facultas restitutionis et translationis bonorum, quando dissolvuntur Collegia.

Facultas restituendi et transferendi bona.

23. Si contingat Domus et Collegia aliqua Societatis dissolvi, dimitti aut transferri, potest Generalis, nulla alterius requisita licentia, eorum mobilia quaecumque, et bona stabilia, reditus, ac proventus, fundatoribus, et iis qui donarunt, si id sibi reservaverint, libere restituere; aut, si bona libera sint Societati, transferre aut applicare, cum oneribus tamen annexis, aliis Collegiis et Domibus, secundum Constitutiones P. 4 c. 2 n. 3, et P. 9 c. 3 nn. 5, 6 et 17, specifice in hac parte confirmatas a Iulio III, concedente huiusmodi alienationem et dimissionem Collegiorum, Const. EXPOSCIT DEBITUM, XII kal. Aug. 1550, Litt. Apost. pag. 24 col. 1, et, post decreta anni 1624 prohibentia alienationem, cfr. n. 22, ab Alexandro VII, Br. EXPONI NOBIS, 7 Aug. 1662, Litt. Apost. pag. 185 col. 1, approbante et confirmante facultatem relinquendi et alienandi ac suspendendi Collegia.

Transferendi Domos cum bonis.

Sixtus V autem, Const. INIUNCTUM NOBIS, kal. Dec. 1587, § 7, concessit Benedictinis facultatem Monasteria alio transferendi, et Monasteriorum fructus, reditus, proventus aliis Monasteriis magis indigentibus applicandi, " Ordinariorum locorum, vel cuiusvis alterius licentia minime requisita. " Et iterum id concessit, post decreta anni 1624 prohibentia alienationem, Urbanus VIII Generali Minimorum, Const. QUUM SICUT NOBIS, 23 Iun. 1633, et Generali Minorum Conventualium, Const. QUUM SICUT DILECTUS, 3 Oct. 1635, apud Laurentium de Peyrinis " Privilegia Regularibus, praesertim Minimis, etc. concessa " edit. 3.ª Venetiis, 1649, tom. 3 Additamenta pag. 426.

24. *Facultas haec, quatenus complectitur alienationes prohibitas per Extrav. AMBITIOSAE,* de rebus Ecclesiae non alienandis, *revocata in praesenti est. Cfr. n. 22. Quatenus ad alienationes alias non prohibitas per praedictam Extrav., et ad meram bonorum translationem de Domo in Domum, de Collegio in Collegium, vel ad Domuum et Collegiorum suspensionem, vel etiam ad meram propriis dominis restitutionem limitatur, revocata non est, et adhuc subsistit. Quatenus tandem ad translationem Domuum et Collegiorum refertur de loco in locum, attendenda in praesenti est, saltem in locis Missionum ubi viget, Const. Leonis XIII, ROMANOS PONTIFICES, VIII idus Maii 1881,* § Fieri solet, *requirens expressam licentiam Sedis Apostolicae et Ordinarii loci. Cfr. n. 17. — Ant. Comp. § 6.* DECLARATIO.

Facultas commutandi ultimas voluntates.

25. Possunt Praepositus Generalis ac Provinciales pro emergentibus necessitatibus, et evidentibus utilitatibus Domorum, Collegiorum et locorum Societatis, vendere, alienare, ac permu-

tare quaelibet bona immobilia, ac etiam ultra triennium locare, ultimis testatorum voluntatibus non obstantibus, dummodo id in praedictorum utilitatem cedere dignoscatur, habita diligenti informatione a duobus vel tribus bonis viris locorum in quibus bona consistunt: super quo, non modo eorum, sed Praepositi Generalis ac Provincialium prudentia requiritur, et conscientia oneratur. Concessit Leo x Minoribus, Br. Cum saepe numero, 27 Nov. 1519, Rod. Br. 26.

Communicatio et declaratio.

26. *Praecedens facultas, quatenus comprehendit* alienationes prohibitas *per Extrav.* Ambitiosae, *revocata est. Cfr. n. 22. Quatenus vero continet alienationes praedicta Extrav. non comprehensas, vel quatenus mera* commutatione *ultimarum voluntatum coarctatur, revocata non est, et adhuc subsistit. Ea vero, si de* alienationibus *agitur, communicatur ut n. 21 ; si de* commutationibus *ultimarum voluntatum, reservatur Praeposito Generali, qui rarissime ea utetur. Congr. Gen. 8 decr. 41. Quod si facultas haec aliquando adhibeatur, attendatur etiam ad Conc. Trid. sess. 22 cap. 6, de reform., quod praescribit commutationes ultimarum voluntatum* non nisi iusta et necessaria causa *fieri debere. Cfr. n. 119. — Ant. Comp. § 5.*

ALTARE.

Usus altaris portatilis ubique gentium, in Missionibus.

Privilegium ubique erigendi altaris portatilis revocatum.

27. Paulus iii, Const. Licet debitum, xv kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 16 col. 1, concessit Societati facultatem " in quocumque honesto ac congruenti loco, in altari portatili, cum debitis reverentia et honore, „ sanctum Missae Sacrificium celebrandi. Privilegium hoc universim revocatum fuit a Conc. Trid. sess. 22, decreto de observandis et evitandis in celebratione Missae. Clemens xi, decreto 15 Dec. 1703, inserto et confirmato a Benedicto xiv, epist. encycl., *Magno cum animi*, 2 Iun. 1751, §§ 29, 30 et 33, et post § 34. — Ant. Comp. § 2.

Licet *inter Missiones*,

Verum Gregorius xiii, Br. Usum altaris, 1 Oct. 1579, Litt. Apost. pag. 78, eamdem facultatem Societati " eatenus restituit, ut *inter Missiones* quae a Superioribus fiunt, Presbyteri nostri, servata alias forma concessionis Pauli iii (videlicet cum debita reverentia et honore) Missae sacrificium licite valeant celebrare super huiusmodi altari ubique gentium, etiam in castris militum; modo loca, etsi communia et profana, tuta et honesta sint, et Generalis, aut per eum Provinciales Praepositi, eo tunc utendum fore iudicaverint. Itidemque possint ibi Presbyteri ipsi SS. Eucharistiae Sacramentum ministrare fidelibus ad illud sumendum debite praeparatis „ — Ant. Comp. § 1.

et in domibus etiam privatis tempore Missionis.

Praeterea facultatem habemus erigendi altaria in domibus privatis, ubi Missionarii nostri tempore Missionis habitant, ad celebrandum ibidem Missae sacrificium; unum nempe altare pro qualibet domo, certioratis tamen de praefata facultate respectivis locorum Ordinariis, caeterisque servatis servandis. Congregationi SS. Redemptoris concessit Clemens xiv, rescr. 19 Iun. 1773.

Communicatio.

28. *Poterunt Provinciales usum altaris portatilis nostris Missionariis, quibus expediens iudicaverint, permittere, eoque ipsi Missionarii, et alii Sacerdotes, dummodo sint Societatis, non tamen externi, moderate uti in actu Missionis. — Ant. Comp. § 1.*

Usus altaris portatilis in locis haereticorum et infidelium.

In locis haereticorum in Polonia.

29. Post Conc. Trid. PP. Praedicatoribus Gregorius XIII, anno 1580, indulsit pro regno Poloniae, ut ex facultate sui Provincialis celebrare possint per se ipsos, in casibus necessitatis tantum, in domibus nobilium, civium et incolarum eorum locorum, " in quibus vel ecclesiae desunt, vel tanta est haereticorum potentia et impietas, ut impune opprimant, " in locis tamen " ad hoc congruentibus et honestis ...... in praesentia personarum catholicarum. " Bullar. Ord. Praed. tom. 7 pag. 192. — Epist. encycl. Benedicti XIV, *Magno cum animi*, 2 Iun. 1751, § 32.

In omnibus locis infidelium.

Id ipsum pro locis Africae dumtaxat " in dictorum captivorum et aliorum fidelium in dictis locis degentium praesentia, " sine alia limitatione concessit Fratribus Discalceatis Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Urbanus VIII, Br. CUM SICUT, 20 Ian. 1626, § 1, quod confirmans Clemens XI, Br. ALIAS FELICIS RECORDATIONIS, 21 Nov. 1703, § 2, ad alia generaliter loca, infidelium tantum, extendit. — Ant. Comp. § 2.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

30. *Poterunt Provinciales praecedentem facultatem concedere iis ex Nostris, quibus expediens iudicaverint, pro locis praedictis. Clausula,* ut impune opprimant, *in privilegio Gregorii XIII, n. 29, ut apparet ex verbis supplicationis, et ex oppositione alterius membri:* vel ecclesiae desunt; *significat, tantam esse haereticorum potentiam, ut, etsi ecclesiae non desint, catholicis tamen in eisdem* Missas audire tuto non liceat. — *Ant. Comp. § 2.*

Ampliatio praecedentis facultatis.

31. Praepositus Generalis potestatem facere potest celebrandi " in altari portatili, sine ministro, sub diu et sub terra, in loco tamen decenti, etiam si altare sit fractum, vel sine reliquiis Sanctorum, et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, dummodo minister non sit haereticus aut excommunicatus, ac aliter celebrari non possit. " Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, inter facultates vicennales, Litt. Apost. pag. 354 col. 1.

32. *Praecedentem facultatem Nostri usurpare possunt in iis dumtaxat locis, ubi similis a Sacra Congregatione de Propaganda Fide Sacerdotibus tribui solet. Ea vero communicatur in huiusmodi locis Superioribus, et iis quibus Superiores indulserint. — P. Ro.* COMMUNICATIO.

Usus altaris portatilis pro infirmis.

33. Nostri quibusvis infirmitatibus pro tempore detenti, " quibus .... per medicum aut Superiorem suum e cubiculis exire prohibitum fuerit, durantibus ipsis infirmitatibus tantum, Missam in proprio cubiculo, super altari portatili, in loco tamen decenti et honesto, per aliquem Presbyterum per eos iuxta suum libitum eligendum, celebrari facere, illique interesse, et eam etiam in ipsorum cubiculis iacentes audire, sacrosanctumque Eucharistiae Sacramentum confessi et contriti libere et licite suscipere possunt, Ordinariorum locorum, seu quorumvis aliorum licentia desuper minime requisita... Ipsique, ac Presbyter sic per eos eligendus, Missam respective audire ac celebrare " possunt. Concessit

Canonicis Regularibus S. Salvatoris Pius IV, Br. EXPONI, 18 Maii 1565, adeoque biennio post confirmationem Concilii Tridentini, et postquam kal. Martii 1565 suppressa omnia privilegia Tridentinis Constitutionibus adversa idem Pius IV declaraverat. Verum privilegium hoc revocatum est Br. APOSTOLICI MINISTERII, Innocenti XIII, 23 Maii 1723, §§ 24 et 31, pro Hispania et regionibus tunc ei subiectis, confirmato a Benedicto XIII, Br. IN SUPREMO MILITANTIS, 23 Sept. 1724, et a Benedicto XIV, epist. encycl. *Magno cum animi,* 2 Iun. 1751, § 7. Revocatum item est per decretum Concilii Romani anni 1725, pro dioecesibus quas idem Concilium complectitur. Cfr. tamen de utraque hac revocatione Gatticum, *de usu altaris portatilis*, cap. 13 § 16. Idem autem privilegium concessum deinde est Piis Operariis, hac conditione, ut non ipsi infirmi, sed alii Sacerdotes in eorum cubiculis Missam celebrent, et ut hoc non nisi propter morbum diuturniorem, et non paucos tantum dies durantem, fiat. Benedictus XIII, brevi 9 Dec. 1729. — Benedictus XIV, vivae vocis oraculo. — S. Alphonsus, epist., 4 Apr. 1770. — Elenchus cit. facultatum, etc. Congr. SSmi Redempt. pag. 130 et seqq. — Ant. Comp. § 3.

COMMUNICATIO. 34. *Solius Praepositi Generalis erit usum huius facultatis concedere. — Ant. Comp. § 3.*

Altare privilegiatum in nostris ecclesiis.

35. In omnibus et singulis ecclesiis Societatis, tam erectis quam erigendis, unum altare privilegiatum pro quovis Sacerdote, sive Regulari sive saeculari, dummodo nullum aliud adsit, per uniuscuiusque Domus, sive Collegii, aut Tirocinii, Seminariique Rectorem designandum, et aliud alteri, quoties ita opportunum iudicaverit, subrogandum, concessit Benedictus XIV, Br. QUEMADMODUM PRESBYTERI, 15 Iul. 1749, Litt. Apost. pag. 294 col. 2, pag. 295 col. 1.

36. *Uti poterunt hac facultate, designandi scilicet altare privilegiatum, Superiores omnes, secundum formam concessionis. Et ne eadem facultas inutilis permaneat, Superiores actu altare designent; non enim ipso iure est designatum; et signo sensibili id manifestent, uti fit in aliis ecclesiis, inscripto in ipso altari, vel in appensa ei tabella:* Altare privilegiatum. COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

APOSTATAE.

Ad saeculum recedentes sine Superioris licentia, incidunt in excommunicationem reservatam.

37. Si quis, post emissa vota secundum Societatis Constitutiones, ab ea ad saeculum recesserit, etiam praetextu cuiusvis indulti concessi aut concedendi, absque expressa sui Superioris licentia ad id ab eo specialiter obtenta, ipso facto est excommunicatus; et absolvi nequit, nisi a Romano Pontifice vel Superiore Societatis. Pius V, Const. AEQUUM REPUTAMUS, XVI kal. Febr. 1565, Litt. Apost. pag. 39 col. 2, pag. 40 col. 1. — Gregorius XIII, Const. ASCENDENTE DOMINO, VIII kal. Iun. 1584, Litt. Apost. pag. 93 col. 1 et 2. — Cfr. etiam Const. Pauli IV, POSTQUAM DIVINA, XIII kal. Aug. 1558. — Ant. Comp. § 1.

38. *Praecedens excommunicatio, cum pertineat* ad internum Religionis regimen, *post Const. etiam Pii IX, APOSTOLICAE SEDIS, de censuris,* § Quae vero, *in suo permanet robore. Facultas ab* COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

illa absolvendi communicatur ut infra n. 40. — Ant. Comp. § 3.

Excommunicationis reservatae poena in apostatas, nisi, post mandatum, intra octo dies redierint.

39. Per privilegium concessum Eremitanis S. Augustini, Nostri ab Ordine recedentes, nisi, post mandatum cuiusvis Superioris eisdem factum, intra octo dies proximos ad obedientiam redierint, excommunicationis latae sententiae poenam incurrunt soli Summo Pontifici reservatam; eidemque sententiae subiacent omnes, qui iis auxilium, consilium vel favorem praestiterint. Iulius II, Br. UT RELIGIONI TUAE, 7 Oct. 1507, Rod. Br. 21. — Ant. Comp. § 3.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

40. *Conceditur Provincialibus facultas absolvendi, per se vel per alios, eos, qui sine licentia discessissent, postquam redierint. Excommunicatio in ipsos apostatas, et in auxilium, consilium, vel favorem praestantes, si et ipsi eiusdem Ordinis Religiosi sint, perseverat adhuc. Cfr. n. 38. Si vero vel saeculares sint, vel alterius Ordinis Religiosi, qui auxilium, consilium, vel favorem praestiterint, consulant propriae conscientiae, et recurrant ad Sacram Congregationem Sancti Officii pro declaratione, vel ad Sacram Poenitentiariam. — Ant. Comp. § 3.*

Poenae deficientium a Societate post tria vota.

41. Deficientes a Societate post tria vota, etsi simplicia, elapso biennio Probationis emissa, tamquam veros apostatas posse puniri, et excommunicationis latae sententiae, ac aliis apostatarum poenis, Sedi Apostolicae, vel Generali Praeposito Societatis reservatis subiacere, nec ante absolutionem, et a Societate dimissionem, matrimonium contrahere posse, et aliter contractum nullum et irritum esse; habetur ex Gregorii XIII Const. ASCENDENTE DOMINO, VIII kal. Iun. 1584, Litt. Apost. pag. 93 et 94. — Ant. Comp. § 2.

Facultas excommunicandi Professos e Societate recedentes.

42. Potest Praepositus Generalis, per communicationem privilegii concessi Ministris et Custodibus Minorum, Professos a Societate discedentes excommunicare; eosque sic excommunicatione notatos tenentur Praelati, ab eodem requisiti, pro excommunicatis publice denuntiari curare. Innocentius IV, Const. FRATRUM MINORUM, VIII kal. Maii, Pontificatus anno IV, Rod. Bul. 10. — Ant. Comp. § 8.

43. *Haec facultas communicatur Provincialibus. Ea circumspecte, et habita ratione aedificationis, utantur. — Ant. Comp. § 8.* COMMUNICATIO.

In apostatas Societatis potest Generalis animadvertere.

44. Si quis animo indurato, post emissa vota, sive Professorum, sive Coadiutorum, sive Scholarium, absque Superioris licentia exierit, et in saeculo, vel etiam in alio regulari loco degere praesumpserit; licebit Praeposito Generali, aliisque Superioribus Societatis, illum excommunicare, et tamquam apostatam, etiam per auxilii brachii saecularis invocationem, summarie et sine figura iudicii, ad Societatem revocare, capere et incarcerare, ac debitae poenitentiae subiicere. Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal.

Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 15 col 2. — Pius v, Const. Aequum reputamus, xvi kal. Febr. 1565, Litt. Apost. pag. 40. — Ant. Comp. § 5.

Communicatio et declaratio.

45. *Contra vagantes in saeculo transfugas omnibus Superioribus conceditur haec facultas; sed contra commorantes in aliqua alia Religione, solis Provincialibus, quibus etiam reservata manet excommunicandi facultas, ut n. 43. Utrique circumspecte, et habita ratione aedificationis, ea utantur. In praesenti habenda est quoque ratio immutatae praxis fori ecclesiastici, et civilium legum, quae capiendi, incarcerandi aliasve corporeas poenas inferendi potestatem Superioribus Regularibus non agnoscunt. Cfr. Io. Antonium Novarium, Summa Bullar. part. 2 comment. viii et ix. — Ant. Comp. § 5 et tit.* Correctio *§ 2.*

Possunt apostatae excommunicari, capi et incarcerari, etiam in Romana Curia.

46. Praepositus Generalis, aliique inferiores Praepositi, per se vel per alios, possunt sententiam excommunicationis in Societatis apostatas promulgare. Paulus iii, Const. Licet debitum, xv kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 15 col. 2. et 16 col. 1. Potestque hoc idem Praepositus Generalis, per se vel per alios a se deputatos, si tales apostatae sint Professi, etiam si in Romana Curia inveniantur, ex privilegio Carmelitis concesso a Sixto iv, Const. Dum attenta, iv kal. Dec. 1476, §§ 92 et 93, Rod. Bul. 37. Potest Praepositus Generalis, per se vel alios a se deputatos, Professos apostatas, etiam si in Romana Curia inveniantur, capere, incarcerare, et alias suae disciplinae submittere, ex privilegio Carmelitis concesso a Sixto iv, loc. cit. — Ant. Comp. §§ 6 et 7.

47. *Facultas haec conceditur Provincialibus. Ea, uti supra nn. 43 et 45, utantur. — Ant. Comp. § 7.* Communicatio et declaratio.

Qui retinent Nostros sine facultate recedentes, ipso facto excommunicantur.

48. Per privilegium concessum Minoribus ab Innocentio iv, qui retinent Nostros sine licentia recedentes, ipso facto sunt excommunicati. Alphonsus de Casarubios, "Compendium Privilegiorum Fratrum Minorum, et aliorum Mendicantium et non Mendicantium, quinto editum, etc. per Hieronymum a Sorbo, etc. Venetiis, 1617." tit. *Apostatae ab Ordine*, nn. 3, 20 et 21. — Ioann. Bapt. De Lezana, Summa Quaest. Regular. vol. 1 par. 1. cap. 16 n. 15. — Ferraris, verbo *Apostasia*, n. 56. — Ant. Comp. § 4.

49. *Manet quidem prohibitio apostatas retinendi, et quidem sub gravi. An vero et quatenus permaneat etiam excommunicatio, cfr. nn. 38 et 40.* Declaratio.

Apostatae declarantur qui ab Ordine recedunt sub praetextu professionis invalidae.

50. Si quis, absque legitima dimissione, a Societate recesserit, aut eius habitum sponte dimiserit, non solum non admittitur ad allegandam quamcumque causam nullitatis suae professionis, et ad Religionem prius redire cogitur, iuxta Conc. Trid. sess. 25 cap. 19 de Regular., sed praeterea apostatarum poenis subiicitur, si, introducta causa de nullitate suae professionis coram Societatis Superiore et loci Episcopo, post unicam sententiam in favorem nullitatis pronuntiatam in hac prima instantia, sive pendente sive omissa culpabiliter ap-

pellatione, (quam semper interponere tenetur deputatus defensor professionis) a Religione discedere, aut habitum regularem abiicere praesumpserit: nulli enim Professo liberum iam est a Religione migrare, nisi duas saltem, unam in prima, alteram in secunda instantia, conformes sententias obtinuerit super professionis nullitate, secundum formam agendi in similibus causis praescriptam a Benedicto XIV, Const. SI DATAM HOMINIBUS, IV nonas Mart. 1748. — Ant. Comp. § 14.

Professi e Societate egressi causa, etiam in Romana Curia, ad Papam avocatur.

51. Facultate Canonicis S. Salvatoris et Eremitis S. Augustini concessa, si quis Professus, a Societate egressus sine debita licentia, causam super ea re in Curia Romana committi obtinuerit, ubi ad inhibendum, aut alia huiusmodi agendum itum fuerit, causa huiusmodi ad ipsum Summum Pontificem avocatur, omninoque exstinguitur. Iulius II, Br. ETSI AD BENE MERENDUM, 17 Iun. 1508, § 5. Ex Const. autem Sixti V, IMMENSA, XI kal. Febr. 1587, *§ Quinque alios,* huiusmodi causae pertinent ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium. — Ant. Comp. § 13. — Cfr. n. 161 et 163.

APPELLATIO.

Non licet appellare a correctione Societatis.

52. Non licet a correctione Regulae Societatis, secundum ordinationem eius factae, appellare; et appellatio per nullum Iudicem admitti potest. Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 14 col. 2. " Ab animadversione e Societatis legum praescripto irrogata, nefas sit extra Societatem provocare. „ Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 352 col. 1. — Ant. Comp. § 1.

Non licet appellare ab ordinationibus Societatis, etiam ad Pontificem, sine eiusdem licentia.

Interdicuntur Nostris appellationes,

53. Privilegio concesso Canonicis S. Salvatoris, nulli de Societate ab institutis, ordinationibus, correctionibus et mandatis Congregationis Generalis, aut aliorum Superiorum, ad quemcumque, etiam ad Summum Pontificem et Sedem Apostolicam, nisi de speciali Summi Pontificis licentia, appellare licet; appellationesque desuper pro tempore interpositae, et inde secuta, irrita habentur. Plures Pontifices pluribus constitutionibus concesserunt: Benedictinis S. Iustinae, Eugenius IV, Const. REGULAREM VITAM, pridie kal. Iul. 1436, § 1, Rod. Bul. 9. — Gregorius XIII, Br. NIHIL IN UNAQUAQUE, 17 Apr. 1574, §. 6. — Canonicis S. Salvatoris, Iulius II, Const. INTER CAETEROS, 2 Apr. 1512, § 12. — Olivetanis, idem Iulius II, Const. ETSI AD UNIVERSOS, 4 Iun. 1507, § 8. — Camaldulensibus, Leo X, Const. ETSI A SUMMO, 4 Iul 1513, § 10.

sub poena excommunicationis.

Per aliud privilegium Cisterciensibus in Lusitania concessum a Clemente VIII, quod habetur in libro privilegiorum eius Congregationis, Nostris, sub excommunicatione ipso facto, interdicitur appellatio, nisi a Praelatis Ordinariis ad Generalem Praepositum, et ab hoc ad Congregationem Generalem; a qua, non nisi

in casu iniuriae, ad solam Sedem Apostolicam appellare licet.

Interdicitur Iudicibus acceptatio appellationum.

Per privilegium concessum Ordini Praedicatorum a Iulio II, Const. A FIDE DIGNIS, 18 Mart. 1505, Nostri nequeunt appellare a mandatis et ordinationibus Superiorum Societatis. Iudices vero districte prohibiti sunt appellationes huiusmodi recipere aut illas cognoscere, sub poena excommunicationis; et quidquid secus attentari contigerit, irritum est atque inane. Compendium Privileg. Fratr. Minor., verbo *Appellare* n. 3. — Summarium Privileg. Ordinis Praedicator. Romae impressum, 1670, pag. 84. — Ant. Comp. § 2.

DECLARATIO.

54. *Praecedenti privilegio, licet prohibita sit appellatio, tamen prohibita non est querela, supplicatio, vel simplex recursus ad Superiorem maiorem; quia per querelam, supplicationem, vel simplicem recursum, nullo modo laeditur ius Superioris inferioris, cum neque hic impediatur in exsecutione suae sententiae, neque causa ad Superiorem maiorem devolvatur. Licita item est aliquando etiam appellatio, ubi manifesta et gravis sit Superioris inferioris iniuria. Licitus autem omnino est simplex recursus ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium, ex hodierna praxi et legitima consuetudine, et ex Const. IMMENSA, Sixti V, XI kal. Febr. 1587,* § Quinque alios. *De addita excommunicatione cfr. nn. 38 et 40. — Cfr. etiam Suarez, de Relig. tom. 4 tr. 8 lib. 2 cap. 11. — Castropalao, tom. 3 tr. 16 disp. 4 puncto 15. — Ferraris, verbo* Appellatio, *art. 3 n. 23 et seqq., art. 5. — Io. Bapt. de Lezana, Summ. Quaest. Regul. vol. 2 verbo* Appellare *n. 3 et seqq. — Io. Antonius Novarius, Summa Bullar. par. 2, comment. XI.*

Appellatio contra sententiam nullitatis professionis interponenda.

55. Appellatio a sententia pro nullitate professionis prolata coram Iudice Ordinario in prima instantia, semper in favorem Religionis interponenda et prosequenda est a defensore professionis; et quamvis culpabiliter omissa fuerit, exsecutio tamen suspensa intelligitur. Benedictus XIV, Const. SI DATAM, IV nonas Maii 1748. — Cfr. n. 50. — Ant. Comp. § 3.

Appellatio ab interpretatione quam Episcopi ederint synodalium decretorum.

56. " Fas est Regularibus appellare *in devolutivo* tantum, quoad interpretationem decretorum, quae de iure communi, sive ordinario sive delegato, Regulares etiam afficiunt; quoad vero interpretationem aliorum decretorum, etiam *in suspensivo*. " Ad primam classem pertinent ea decreta, " quae ad curam animarum et Sacramentorum administrationem referuntur, caeterisque in rebus, in quibus eos Episcoporum iurisdictioni subesse canonica praecipiunt instituta. " Leo XIII, Const. ROMANOS PONTIFICES, VIII idus Maii 1881, *§ Proxima est.*

APPROBATIO.

Approbatio Ordinarii loci ad audiendas confessiones.

57. " Religiosi, ab Episcopo ad confessiones saecularium in sua dioecesi audiendas (approbandi sunt, et) approbati, non possunt in alia dioecesi eas, absque Episcopi dioecesani approbatione, audire, quamvis poenitentes

Approbatio est necessaria.

subditi sint eius Episcopi, a quo ipsi Religiosi iam fuerant approbati. „

Pro confessionibus monialium qualis approbatio requiritur.

“ Approbati pro audiendis confessionibus unius Monasterii, minime possunt audire Monialium alterius Monasterii. Itidemque Confessores extraordinarii semel deputati atque approbati ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud possunt, expleta deputatione, in vim approbationis huiusmodi, illarum confessiones audire; sed toties ab Episcopo sunt approbandi, quoties casus deputationis contigerit. „

Qualiter ab Ordinariis approbandi.

“..... Illi autem Religiosi, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopo generaliter quoque et indistincte, absque aliqua limitatione temporis certorumque locorum aut generis personarum in dioecesi propria, sunt admittendi; quoad caeteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare et admittere. „

Approbati possunt omnium, quovis anni tempore, confessiones audire.

“ Semel autem simpliciter approbati, possunt in dioecesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam paschali, et quorumcumque, etiam infirmorum, confessiones audire, absque ulla Parochorum vel ipsius Episcopi licentia: de qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorumdem infirmorum Parochum illico certiorem reddere. Et hoc potest illis ab Episcopo, sub poena suspensionis a facultate audiendi confessiones, praecipi: sufficit tamen, ut certioratio huiusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam. „

Quatenus ab Episcopis approbatio revocari possit.

“ .... Regulares vero ad eiusmodi confessiones audiendas, praevio examine simpliciter et absque ulla temporis praefinitione, ab ipsomet Episcopo (secus autem si ab eius Vicario, aut ab antecessoribus Episcopis) approbati, non possunt ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quae ipsas confessiones concernat: de qua tamen haud necessarium est ut in actis constet, nec eam tenetur Episcopus ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicae dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit. „ – “ .... Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, nullatenus potest. „

Clemens x, Const. Superna, xi kal. Iul. 1670, §§ 4, 5 et 6, revocans in hac ultima re Br. Innocentii x, Cum sicut, 14 Maii 1653. Dub. 1.um 2.ae seriei, *§ An Episcopi.* — Cfr. Conc. Trid. sess. 23 cap. 15 de reform. — Innocent. xiii, Br. Apostolici ministerii, 23 Maii 1723, §§ 19 et 20. — Benedictus xiv, Const. Apostolica indulta, nonis Aug. 1744. Antiqua omnia privilegia, utpote anteriora hisce decretis et constitutionibus, revocata sunt. — Ant. Comp. tit. *Absolutio* § 2 et 4.

BENEDICERE.

Benedictio sacrarum vestium et benedictio ac reconciliatio ecclesiarum.

In terris infidelium remotissimis.

58. Praepositus Generalis, “ cum aliquos ex Fratribus seu Sociis Societatis in saracenorum et paganorum aliorumque infidelium terras et provincias alias remotissimas, a quibus non potest adiri Sedes Apostolica, miserit, possit eis auctoritate Nostra

facultatem concedere, ut...... vestes sacerdotales, pallas, corporalia, calices, altaria, coemeteria, si Episcopus, qui ea faciat, catholicus inibi non adsit, benedicere, ac profanatas ecclesias reconciliare possint. „ Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 19. col. 2.

Ampliatio ad nostras ecclesias ubique benedicendas et reconciliandas.

Per concessionem factam Minimis " Provinciales, eorumque Vicesgerentes, omnes et singulas nostras ecclesias, coemeteria et oratoria ubicumque receptas seu recepta, et recipiendas seu recipienda, solemni benedictione benedicere; ac etiam illas seu illa et earum quamlibet, sanguinis sive seminis effusione polluta, quoties opus foret, *aqua tamen prius per aliquem catholicum Antistitem, ut moris est, benedicta,* reconciliare. „ Iulius II, Const. DUDUM AD SACRUM, V kal. Aug. 1506, § 22.

Eadem facultas datur Praepositis et Rectoribus.

Reconciliandi ecclesias facultas extensa est ad omnes Praepositos et Rectores, eamque exercere possunt circa nostras ecclesias, utendo etiam aqua per se ipsos benedicta, praesertim si Episcopus pro ea benedicenda ultra duas dietas, hoc est quadraginta milliaria, adeundus esset. Concessit Minoribus de Observantia Leo X, Br. RELIGIONIS HONESTAS, 3 Febr. 1514, Rod. Br. 6. Vicennalis vero facultas Societati concessa est " reconciliandi ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, et in casu necessitatis etiam aqua non benedicta ab Episcopo. „ Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 353 col. 2. — Cfr. n. 187. — Ant. Comp. § 1, et tit. *Ecclesia* § 2.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

59. *Praecedenti facultate benedictionis et reconciliationis ecclesiarum ac oratoriorum uti possunt omnes Superiores, non tamen publice, nec nisi quum Ordinarii abessent, aut id gravate facerent. Aqua ab Episcopo benedicta non requiritur pro reconciliatione, nisi ecclesia fuerit consecrata. Si ecclesia est simpliciter benedicta, sufficit aqua simpliciter benedicta. Cfr. Benedict.* XIV, *de Synod. lib. 13 cap. 15 n. 2. Facultas vero benedicendi sacras vestes conceditur omnibus Missionariis, in locis Missionum, secundum tenorem constitutionis Pauli* III. *— Ant. Comp. § 1.*

Benedictio corporalium et sacrarum vestium pro nostris ecclesiis ubique.

Facultas Praepositi Generalis,

60. Potest Praepositus Generalis benedicere vestes, indumenta et corporalia necessaria et opportuna divino cultui, pro ipsa Societate tantum. Concessit Iulius II Generali Eremitarum S. Augustini, Const. DUM FRUCTUS UBERES, 7 Iul. 1507, Rod. Br. 19.

extensa ad omnes alios Superiores.

Concessio haec ab eodem Pontifice extensa est ad Generalis Vicarios, Br. ETSI AD BENE MERENDUM, 17 Iun 1508, § 3; et ad Visitatores ab Innocentio VIII, Const. VACANTIBUS, XVII kal. Dec. 1486, § 2. " Bullarium Ord. Eremitar. S. August. Laurentii Empoli, Romae, 1628 „ Const. III; ad Provinciales etiam eorumque Vicarios a Iulio II pro Patribus Minimis, Const. DUDUM AD SACRUM, V kal. Aug. 1506, § 19; ac denique ad quoscumque Praepositos ac Rectores Domorum a Leone X pro Minoribus, Br. RELIGIONIS HONESTAS, et a Gregorio XIII pro Praelatis Ordinis SS. Trinitatis, Br. EXPOSCIT PASTORALIS, 7 Oct. 1575, § 2, in quo indulget, " casulas, tunicas, albas, zonas, mappas, corporalia, et alia quaecumque ornamenta ac vasa ecclesiastica, illis tamen exceptis quibus sanctum chrisma applicandum est, benedicere. „

Facultas vicennalis.

Generatim et absolute omnino, ut pluries etiam antea, et non cum restrictione ad nostras ecclesias, quemadmodum in citatis constitutionibus videre est, concessa est etiam per facultates vicennales potestas " benedicendi paramenta et alia utensilia ad sacrificium Missae necessaria, ubi non intervenit sacra unctio. „ Leo xii, Br. Plura inter, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 353 col. 2. Attamen pluries antea declaratum est per Sacram Rituum Congregationem hanc facultatem non valere, nisi pro servitio propriarum ecclesiarum. Comprehenduntur autem praedicta facultate etiam imagines et cruces, quas tamen quilibet Sacerdos private benedicere potest. Sacra Rituum Congregatio, 12 Iul. 1704. — Cavalieri, Comment. tom. 4 pag. 113 decr. 188. — Wolfgangus Mühlbauer, Decreta Authent., tit. *Benedictio* 45, tit. *Supellectilia sacra* 1. — Lezana, Summ. Quaest. Regul. vol. 2 verbo *Benedictio* n. 8-12. — Ferraris, tit. *Benedicere* art. 1 n. 19-21., art. 5 n. 23 et 24, tit. *Regulares* art. 2 n. 69. — Ant. Comp. §§ 2 et 3.

Communicatio et declaratio.

61. *Haec facultas, pro usu suarum ecclesiarum et oratoriorum, conceditur omnibus Superioribus; eam tamen, vi concessionis generalis et perpetuae, aliis delegare non possunt, ex declaratione Sacrae Congregationis, 14 Nov. 1615. — Ant. Comp. § 2. — Mühlbauer, loc. cit. — Barbosa, Summ. Apostolicarum Decisionum Collect. 59 n. 13. Attamen Praepositus Generalis aliis etiam quam Superioribus eam communicare potest; et vicennalem facultatem, quae cum omnibus quoque Superioribus communicatur, ipsi, ex Br. citato Leonis xii, ad alios delegare possunt. Litt. Apost. pag. 353 col. 2. Adhibendae autem sunt formulae Missalis aut Ritualis Romani, minime vero Pontificalis. Cfr. Lugo, Resp. Mor. lib. 4 dub. 39. — Ant. Comp. §§ 2 et 3. — P. Ro.*

Facultas consecrandi calices, patenas, altaria portatilia.

62. Conceditur Praeposito Generali, et illis quibus ipse communicaverit, vicennalis facultas "consecrandi calices, patenas et altaria portatilia, cum oleis ab Episcopo benedictis, ubi non erunt Episcopi, vel distent duas dietas, vel Sedes vacet. „ Leo xii, Br. Plura inter, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 355 col. 1.

63. *Communicatur praecedens facultas Superioribus in iis dumtaxat locis, ubi similis facultas a Sacra Congregatione de Propaganda Fide Sacerdotibus tribui solet. — P. Ro.* Communicatio.

Benedictio eorum quae non sunt de iure parochiali.

64. In nostris ecclesiis possumus benedicere, servatis solemnitatibus consuetis, palmas, candelas, cineres, comestibiles, aliaque quae non sunt iuris parochialis, eaque, ubi opus fuerit, aliis distribuere. Concessit Bonifacius ix pro Ordine Praedicatorum, in Const. Sacrae Religionis, v kal. Maii, Pontificatus anno 13, apud Confettium, " Privilegiorum Sacrorum Ordinum Fratr. Mendicantium et non Mendicantium Collectio, etc. Venetiis, 1603 „ pag. 26. Idem declaravit Sacra Rituum Congregatio, 8 Apr. 1702, in una Faventina, in favorem Ordinis Minorum Conventualium, apud Gardellini, edit. 3 n. 3626, ad 1-3. Dein decreto generali Urbis et Orbis d. 12 Ian. 1704, apud Gardellini, ibid. n. 3670, etiam quoad benedi-

ctionem puerperarum, " salvis tamen indultis, constitutionibus synodalibus et provincialibus, et consuetudinibus immemorabilibus, saltem centenariis." Similiter Sacra Congregatio Concilii, 7 Dec. 1720, in una Derthonensi, et 31 Mart. 1759. — Ant. Comp. § 4.

COMMUNICATIO. 65. *Communicatur omnibus nostris Sacerdotibus; sed, quod spectat ad benedictionem mulierum post partum, si in locis sit consuetudo in contrarium, aut prohibeatur statutis synodalibus, ab illa abstineant. — Ant. Comp. § 4.*

Benedictio rosariorum, statuarum, etc.

66. Vicennalis facultas conceditur " benedicendi coronas, rosaria, cruces, crucifixos, parvas statuas, numismata, *medaglie* vulgo nuncupata, et applicandi indulgentias huiusmodi a Nobis impertiri solitas, Christi fidelibus, qui secum habentes, vel apud se retinentes, aliquod ex praefatis, pia opera praescripta adimplebunt ad formam instructionis, quae per Sacram Congregationem de Propaganda Fide Missionariis, quibus haec facultas a Nobis conceditur, una cum concessae facultatis instrumento, distribuitur." Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 354 col. 2. Perpetua praeterea conceditur facultas " benedicendo coronas, non solum indulgentias apostolicas, sed etiam a diva Birgitta nuncupatas, dictis obiectis applicandi." Sacra Congregatio Indulgentiarum, ex gratia Leonis XIII, 17 Nov. 1883, Litt. Apost. pag. 428.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO. 67. *Communicatur praecedens facultas Praepositis Provincialibus et Superioribus, ac per hos cum iis Patribus, qui ad sacras Missiones, aut Exercitia, aut ad verbum DEI praedicandum excurrunt, item cum uno alterove Sacerdote in unaquaque Domo. — P. Ro.*

Ad applicandas praedictas indulgentias rosariis, crucibus etc., sufficit simplex signum crucis, neque alius ritus requiritur. Sacra Congregatio Indulgentiarum, 11 Apr. 1840, 7 Ian. 1843. Unica autem benedictione, seu unico crucis signo, plures diversae indulgentiae uni eidemque obiecto, vel pluribus obiectis, sive eiusdem sive diversae speciei, indulgentiae singulis propriae applicari possunt.

De benedictione aquae S. Ignatii.

68. " Pius Papa IX.... formulam ad benedicendam aquam a S. Ignatio Confessore nuncupatam...... suprema auctoritate sua approbavit, indulsitque, ut eadem formula in benedictione praedictae aquae uti valeant Sacerdotes alumni Societatis." Sacra Rituum Congregatio, 30 Aug. 1866, Litt. Apost. pag. 415, ibique praedictam habes formulam. Facultas benedicendi.

Leo autem XIII indulsit, ut A. R. P. Generalis " ad proximum decennium facultatem concedere valeat quibuscumque idoneis viris ecclesiasticis, singillatim tamen petentibus, peragendi benedictionem aquae S. Ignatii Confessoris, secundum formulam iam ab eadem Sacra Rituum Congregatione approbatam, verum sub conditione, ut nemini ipsorum ea uti umquam liceat, nisi de respectivi Rmi Ordinarii dioecesani consensu." Sacra Rituum Congregatio, 11 Aug. 1881, Litt. Apost. pag. 493. Idem Leo XIII, Br. EXPONENDUM NOBIS, 28 Iul. 1891, Litt. Apost. pag. 493 col. 2, hanc facultatem in alterum decennium prorogavit, ac " praeterea Praeposito Generali in- Facultas subdelegandi.

dulsit, ut ipse subdelegare valeat ad eiusmodi facultatem aliis tribuendam solummodo Superiores Missionum pro respectivis locis. „ Ex supplicatione Summo Pontifici oblata, et totius brevis contextu, plane liquet *Superiores Missionum* intelligi, non eos tantum qui de Societate sunt, sed omnes omnino, sive Regulares sint sive saeculares.

Communicatio. 69. *Communicatur omnibus nostris Sacerdotibus facultas benedicendi aquam S. Ignatii, et Superioribus nostrarum Missionum facultas eamdem communicandi.*

Facultas benedicendi et erigendi cruces secus vias tempore Missionis.

70. " Missionarii Societatis, in fine vel decursu sacrarum Missionum quae ab ipsis peraguntur, benedicere et erigere valent secus vias cruces erigi solitas.... dummodo in benedictione harum crucium adhibeatur formula, vel in Rituali praescripta, vel a S. Sede apposite approbata. „ Sacra Rituum Congregatio, speciali SSmi facultate, 14 Martii 1864, Litt. Apost. pag. 405.

Communicatio. 71. *Communicatur praecedens facultas omnibus nostris Missionariis.*

Facultas pro Missionariis dandi benedictionem apostolicam, eamdemque facultatem aliis delegandi.

72. In fine Missionis dari potest a nostris Missionariis *benedictio papalis,* quasi nempe fidelibus illis a Papa missa, et " detur cum imagine D. N. Iesu Christi „ nempe cum Crucifixo. Haec facultas a Missionariis delegari potest digniori de Clero Saeculari praesenti. Rescript. Pii ix, 19 Ian. 1851, 4 Maii 1851, Litt. Apost. pag. 381, 382.

73. *Communicatur haec facultas omnibus Missionariis nostrae Societatis. Unico crucis ductu uti debent nostri Sacerdotes, dum ex indulto apostolico, in Missionibus, aut alias solemniter nomine Pontificis benedicunt populo cum indulgentia plenaria, ut praescribitur a Benedicto xiv, epist. encycl.,* Exemplis, *19 Mart. 1748. Precibus in eadem epist. encycl. praescriptis uti possunt. — Ant. Comp. § 6.* Communicatio et declaratio.

Facultas impertiendi benedictionem in articulo mortis cum indulgentia plenaria pro Nostris.

74. Ex concessione Pii vii per Sacram Congregationem Indulgentiarum, 6 Febr. 1821, Litt. Apost. pag. 343. Praepositus Generalis facultatem habet " impertiendi benedictionem, sive per se sive per alios Societatis Sacerdotes ab ipso subdelegandos, omnibus dictae Societatis Religiosis in mortis articulo constitutis, riteque dispositis, vel sanctissimum Iesu nomen corde, si ore nequiverint, devote invocantibus, una cum indulgentia plenaria, servata forma in Rituali Romano descripta, „ formula nempe praescripta a Benedicto xiv, Const. Pia mater.

75. *Subdelegatur praesens facultas omnibus Provincialibus et Superioribus quarumcumque Domorum Nostrae Societatis, et Praefectis spiritus; atque, hisce absentibvs, cuilibet Societatis Sacerdoti, qui moribundo adsit.* Communicatio et declaratio.

Caeterum possunt nostri Sacerdotes ab Episcopis subdelegari ad ferendam benedictionem nomine Pontificis, cum indulgentia plenaria in articulo mortis, cuicumque infirmo, in suis civita- Possunt Nostri ab Episcopis subdelegari ad ferendam benedictionem

tibus et dioecesibus, ex concessione Benedicti XIV, *Const.* PIA MATER, *nonis Apr. 1747, § 9, et subdelegatio non exspirat, aut morte Pontificis aut Episcopi subdelegantis, sed durat ad arbitrium successoris Episcopi: verum, in benedictione impertienda, uti debent ritu et orationibus in eadem constitutione praescriptis, et omnibus notis.*

Facultas quasdam benedictionum formulas adhibendi.

76. Facultas conceditur, " ubi opus fuerit, adhibendi formulas, quae, etsi in Rituali Romano non reperiantur, attamen a Sacra Rituum Congregatione pro particularibus locis rite approbatae fuerunt, ipsa non exclusa formula, qua benedicitur cingulum in honorem S. Iosephi, Sponsi B. MARIAE V.... dummodo indubie constet de earumdem benedictionum formularum approbatione. " Sacra Rituum Congregatio, ex speciali SSmi facultate, 14 Mart. 1864, Litt. Apost. pag. 405.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

77. *Praecedens facultas communicatur omnibus Societatis Sacerdotibus. Notandum autem est, ex Sacra Rituum Congregatione, 12 Aug. 1854, in benedictionibus, pro quibus Rituale non dat formulam, " producendum signum crucis super re benedicenda, cum formula:* In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen: *deinde rem ipsam, absque cereo accenso, cum aqua benedicta aspergendam. " Sed nova suppetit benedictionis formula a quovis Sacerdote impertienda pro omnibus illis rebus, quae specialem formulam non habent, approbata a Sacra Rituum Congregatione, et inserta in Rituali Romano, in appendice editionis anni 1874.*

BONA SOCIETATIS.

Potestas admittendi ecclesias et Domos ac cuiusvis generis bona.

Facultas accipiendi Domos et ecclesias cum earum bonis.

78. Potest Praepositus Generalis Domos, ecclesias, et Collegia a quovis constructa, seu testamento mandata, vel quovis modo oblata, cum omnibus ad id necessariis et opportunis, ac locum pro huiusmodi constructione nobis oblatum, recipere. Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 17 et 18. Recipere autem libere possumus quaecumque loca, Domos, nec non ecclesias, etiam parochiales, eremitoria et monasteria, cuiusvis ordinis sint et conditionis, cum eorum bonis mobilibus et immobilibus, bona etiam feudalia et emphyteutica, de consensu dominorum eorumdem locorum, et dummodo non intercedat prohibita alienatio. Iulius II, Br. ETSI AD BENE MERENDUM, 17 Iun. 1508, § 1, pro Eremitis S. Augustini, Rod. Br. 20. — Clemens VII, Const. RELIGIOSUS ZELUS, 3 Iul. 1528, § 8, pro Eremitis Ordin. Minorum, etc. — Cfr. Ant. Comp. §§ 1, 3, 4 et 6.

Bona accepta censentur eo ipso apostolica auctoritate applicata.

Quaecumque bona, nisi ad Apostolicae Sedis collationem pertineant, pro Collegiorum dote, seu scholarium ibi commorantium sustentatione donata, relicta et legata, eo ipso apostolica auctoritate perpetuo applicata et appropriata sunt, ac censentur. Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 18 col. 1.— Cfr. n. 91. — Ant. Comp. §. 2.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

79. *Solius Congregationis Generalis, et Generalis Praepositi, est acceptare Domos et Collegia, ac bona etiam, quae obligationem aliquam adiunctam, vel conditionem gravantem habent. Eccle-*

sias, etiam parochiales, accipiendi facultas conceditur, quoad aedificia tantum, non quoad reditus vel curam animarum, et servata modo dicta limitatione. Facultas recipiendi bona feudalia erit penes Praepositum Generalem; recipiendi vero emphyteutica absque conditionibus gravantibus, communicatur Provincialibus. — Ant. Comp. §§ 2, 3 et 6. Caeterum hic de iure proprietatis capiendo agitur; nam ad instituendas Domos quaenam conditiones sint servandae, cfr. n. 17.

Facultas bona secum transferendi, et aedificia vendendi, praeter ecclesias.

80. Possunt Nostri, cum de prioribus locis suis ad alia loca se transferunt, tam aedificia, seu omnem aedificiorum materiam, locorum quae dimittunt, dedicatis ecclesiis dumtaxat exceptis, quam libros, calices, et paramenta, secum ad alia loca transferre; ac aedificia ipsa cum solo, et aliis ad eadem loca pertinentibus, praeter ecclesias, vendere, ipsorum pretium in aliorum locorum, ad quae Nostri se transferunt, aedificationem, seu alias in eorum utilitatem convertere. Concessum Minoribus a Clemente IV, per Const. VIRTUTE CONSPICUOS, XII kal. Aug. 1265, § 27, et a Sixto IV, per Const. REGIMINI UNIVERSALIS, pridie kal. Sept. 1474, § 35, Rod. Bul. 14, et ab Alexandro IV, per Const. EX PARTE VESTRA, XII kal. Nov., Pontificatus anno primo, Rod. Bul. 6, et a Gregorio XI pro Dominicanis, litteris insertis Const. Sixti IV, REGIMINI UNIVERSALIS, § 33. Curandum tamen est in eiusmodi translatione Collegiorum et venditione bonorum, ut omnia fiant secundum constitutiones Gregorii XV, Urbani VIII, Innocentii X, Leonis XIII, de quibus supra n. 17, et infra n. 90, et ne quid interveniat alienationis prohibitae. Cfr. n. 22. — Ant. Comp. § 7.

De dominio bonorum Congregationum B. Mariae V.

81. Congregationes seu Sodalitates in Domibus seu Collegiis et ecclesiis Societatis erectae, tamquam iis Domibus seu Collegiis coniunctae, nihil per se possidere possunt. Quare neque licet ipsis bona immobilia, aut certos reditus admittere. Praeterea " Congregationes praefatae iam erectae, et quandocumque deinceps erigendae, ita dictis Collegiis et Domibus, in quibus erectae exsistunt, unitae et incorporatae sint et esse debeant et intelligantur, ut earumdem Congregationum congregati seu confratres nullum ius, nullumque dominium, nullamque actionem supra aedes, vasa, mobilia, ornamenta et supellectilia quaecumque, tam sacra quam profana, ad easdem Congregationes nunc et pro tempore quandocumque spectantia et pertinentia, ac pro illorum usu et ornatu empta et emenda, habeant, nec habere possint, minusque claves armariorum, in quibus mobilia ac supellectilia, aliaque praemissa asservantur et custodiuntur, nullo modo, nullave ratione et causa, penes se habere et retinere ac praetendere queant, sed dumtaxat eas claves retinere valeant, quae a Directoribus earumdem Congregationum, a Praeposito Generali ipsius Societatis pro tempore deputatis et deputandis, sponte et ad tempus ipsis Directoribus bene visum, tradantur et consignentur. " Benedictus XIV, Br. LAUDABILE ROMANORUM, 15 Feb. 1758, Litt. Apost. pag. 305-309.

Bona Sodalitatum in casu dissolutionis revertuntur ad Societatem.

82. Quum per concessionem Sixti v, Const. Superna dispositione, nonis Ian. 1586, Litt. Apost. pag. 111 col. 2, Praepositus Generalis possit dissolvere quaslibet Congregationes externorum erectas vel erigendas sub cura et directione Societatis; atque Societas pluries declaraverit, ex suo more illas erigendi et retinendi confirmato litteris apostolicis Gregorii xiii, Sixti v, Gregorii xv et Benedicti xiv in Bulla aurea Gloriosae Dominae, v kal. Oct. 1748, Litt. Apost. pag. 283 et seqq., praedictas Congregationes possidere bona non posse, Ordinarii locorum non possunt se ingerere in visitatione earumdem, sub praetextu bonorum, quae ex pia donatione et largitione eleemosynarum in illarum usum obveniant. Bona vero, supellectiles, et mobilia omnia, in eventu dissolutionis, revertuntur ad plenum dominium Societatis et Collegiorum, nisi aliter constet de voluntate donantium, ut inhaerendo citatis litteris apostolicis definivit Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium in una *Asculana*, 16 Mart. 1713, et in *Firmana*, 2 Dec. 1740, et approbavit atque sancivit Benedictus xiv, Br. Laudabile Romanorum, 15 Febr. 1758, Litt. Apost. pag. 305-309. — Ant. Comp. § 10.

Translati ad dignitates et alios Ordines, bona quaecumque secum asportare non possunt.

Promoti ad dignitates.

83. Quaecumque bona mobilia seu immobilia, quae occasione nostrorum Professorum ad aliquas nostras Domus vel Collegia pervenerunt, vel pervenire potuerunt, illis ad quascumque dignitates extra Ordinem promotis, aut ad aliam Religionem transeuntibus, in prioribus domiciliis, unde transeunt, aut quibus de iure competunt, secundum Societatis Institutum, remanere debent; nec ita promoti et transeuntes quidquam secum, praeter propria scripta et Breviarium, asportare possunt. Ita de promotis ad dignitates statuit Benedictus xiii, Const. Postulat humilitati, iv nonas Mart. 1725, Litt. Apost. pag. 222, col. 2, sub poena reservata Pontifici suspensionis a divinis ipso facto incurrendae, tam in ipsos promotos contra facientes, quam in Superiores, si iisdem indulgeant, " etiam ad tempus, usum extra Ordinem librorum, aliorumque bonorum, quae tempore suae promotionis habebant. "

Transeuntes ad aliam Religionem.

Quumque § 4 declaret hanc suam constitutionem inniti naturae ipsius voti solemnis paupertatis, eadem prohibitione afficiuntur, quamvis non sub iisdem poenis, Professi transeuntes ad aliam Religionem, ut expresse iam declaraverat, pro Ordine S. Hieronymi in Hispania, Eugenius iv, 20 Sept. 1437, ut in Compendio Ordinis Romae impresso 1551. — Ant. Comp. § 8.

Communicatio et declaratio.

84. *Superiorum erit his facultatibus uti, debita cum prudentia et moderatione, quoad recuperanda bona Societatis; quoad urgendam vero declarationem censurarum, nihil agant inconsulto Generali. Quid vero hac in re permittere possint promotis, et quid transeuntibus post sola vota simplicia, consulant Institutum — Ant. Comp. § 8.*

CASUS CONSCIENTIAE.

De collatione casuum conscientiae.

Generatim non tenentur interesse, nisi Parochi sint.

85. In regionibus, in quibus ius tantum commune viget, " Regulares, nisi sint Parochi, nullatenus cogi possunt ad interessendum lectioni seu conferentiae casuum conscientiae. „ — Sacra Congregatio Concilii *in Forosempron.*, 3 Sept. 1630, *in Urbinatensi*, 10 Mart. 1663, Sacra Congregatio super Statu Regularium, apud Ferraris, verbo *Canonicatus,* art. 9 n. 36 et 37. — " Permissum non est Episcopo concedenti Sacerdotibus Regularibus facultatem audiendi confessiones saecularium, iniungere, ut intersint congregationibus casuum conscientiae. „ — Sacra Congregatio Concilii *in una Aquipendii,* 12 Mart. 1718. Alias Sacrae Congregationis Concilii responsiones et decreta de hac re habes apud Ferraris, verbo *Regulares,* art. 2 n. 123 et 124.

Tenentur plures in Missionibus.

In Anglia, et ubi viget constitutio Leonis XIII, ROMANOS PONTIFICES, " omnes Missionum Rectores Cleri collationibus adesse ex officio debent, iisdemque interesse tenentur Vicarii quoque, aliique Religiosi viri Missionariis facultatibus concedi solitis instructi, qui hospitia parvasque Missionum Domos incolunt. „ Leo XIII, Const. ROMANOS PONTIFICES, VIII idus Maii 1881. — Cfr. n. 17 in fine.

CAUSA.

De nostris causis summarie decidendis.

86. Concessum est Congregationi Canonicorum Regularium Lateranensium, ac illius Canonicis, ut ipsis " in quibuscumque casibus seu causis, tam ecclesiasticis quam profanis,... sine expensis, summarie et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, auctoritate apostolica, ministrent iustitiam „ quilibet Iudices, ac cum quibusvis personis causa agatur. Sixtus IV, Const. DUM AD UNIVERSOS, X kal. Sept. 1476, pro Congregatione praedicta Canonicorum Regularium Lateranensium, § 40. Idem privilegium, iisdem fere verbis, et ab eodem Sixto IV impertitum antea fuerat Ordinibus Minorum et Praedicatorum, Const. REGIMINI UNIVERSALIS, pridie kal. Sept. 1474, data pro Fratribus Minoribus Conventualibus Ordinis S. Francisci, §§ 16 et 18. Ut praeterea legitur in Ant. Comp. hoc tit., § un., idem habetur inter privilegia Montis Oliveti, et concessum est Abbati et Conventui S. Pauli extra muros Urbis, Ordinis S. Benedicti.

De causis pertinentibus ad tribunal S. Inquisitionis.

87. Nulla exemptione gaudent Regulares in causis haeresis, aliisque ad tribunal S. Inquisitionis pertinentibus, quas consequenter Superiores Regulares cognoscere et iudicare non possunt. Paulus V, Const. ROMANUS PONTIFEX, kal. Sept. 1606. — Gregorius XV, Br. UNIVERSI DOMINICI, 30 Aug. 1622. — Urbanus VIII, decreto *Sanctissimus Dominus Noster,* 5 Ian. 1634. — Alexander VII, decreto *Licet alias,* 8 Iul. 1660. " P. Mutius scriptum reliquit sua manu P. Claudium supplicasse Paulo V, ut dignaretur iubere seu declarare, quid ipse agere deberet admonitus secreto de aliqua sollicita-

tione. Respondit Pontifex: Posse et debere ipsum, ad impediendam offensam Dei, amovere ex loco talem Patrem, prohibere etiam illi, ne audiat confessiones feminarum, vel ipsas visitet, dummodo non formaret processum, aut initium daret telae iudiciariae. Hoc ipsum respondit postea idem Pontifex Mutio, cui id quoque confirmavit eius successor Gregorius xv, „ Ex libro Ms. Romae asservato, cui titulus exterior est " Sacrarum Congregationum Indicis et Officii „ versus finem, et Vivae vocis Oracula, pag. 160.

CENSUS.

De constitutione et venditione census in bona stabilia.

88. Gregorius xiii, Const. Ex debito, nonis Aug. 1582, Litt. Apost. pag. 82 col. 2, facultatem concessit varios ineundi contractus, speciatim vero " census quoscumque redimibiles imponendi et vendendi. „ Quamvis autem Urbanus viii quibuscumque Regularibus abstulerit, per decretum Sacrae Congregationis Concilii, 7 Sept. 1624, omnem facultatem celebrandi, sine licentia Sedis Apostolicae aut Sacrae Congregationis, quoscumque contractus continentes alienationem rerum et bonorum immobilium, et pretiosorum mobilium, omneque pactum " per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos seu vitalitios, hypothecam specialem, locationem et conductionem ultra triennium, concessionem in feudum vel emphyteusim, praeter quam in casibus a iure permissis; „ et in subsequenti declaratione, 21 Mart. 1626, prohibitionem extenderit " ad accipientes sine praedicta licentia pecunias ad cambium, vel mutuum cum solutione lucri cessantis vel damni emergentis; „ expresse tamen in eodem decreto dicitur derogationem privilegiorum et prohibitionem esse " intra fines Europae. „ Quare, extra hanc, salva manebant adhuc privilegia Gregorii xiii. Verum in praesenti standum est Const. Apostolicae Sedis, de censuris, alienationem generatim prohibenti ad formam extravagantis Ambitiosae, de rebus Ecclesiae non alienandis, sub poena excommunicationis nemini reservatae. Cfr. n. 22.

CLAUSURA.

De papali clausura.

89. Revocatis omnibus contrariis privilegiis, si quae adhuc erant, per Const. Apostolicae Sedis de censuris, standum est in praesenti eidem constitutioni. Gregorius xiii, vivae vocis oraculo, " declaravit per Br. Pii v, qua arcentur sub poena excommunicationis mulieres ab ingressu monasteriorum, non intelligi atria Collegiorum nostrorum, ubi sunt scholae et classes, ad quas externi accedunt: sed tamen expedire, ut moneantur dictae feminae, ne accedant. „ Ita in Oraculis vivae vocis, pag. 83. Cfr. pag. 150.

Praepositi Generalis et Provincialis est clausurae terminos in Domibus singulis definire, pro locis nimirum ipso iure iam non determinatis neque ex eodem iure iam clausurae subiectis. Sanchez, in Decalog. lib. vi, cap. 17, n. 20. — Del Bene, de Immunitate, D. 77. — Reiffenstuel, lib. 3 tr. 35 n. 27. — Ferraris, verbo *Conventus,* art. 3. — Cfr. tit. *Hospitia.*

COLLEGIA.

De Collegiorum erectione.

90. In singulis Collegiis erigendis specialis hodie requiritur licentia Ordinarii loci, et, eo modo quo dictum est n. 17, etiam Apostolicae Sedis. In iis autem sic erectis " omnia et singula quae in aliis eiusdem Societatis Collegiis fieri et exerceri solent, fieri et exerceri facere libere ac licite possunt " Nostri. Pius IV, Br. ETSI EX DEBITO, 13 Apr. 1561, Litt. Apost. pag. 31 col. 2, pag. 32 col. 2. Haec Leo XIII, Const. ROMANOS PONTIFICES, VIII idus Maii 1881, §§ *Quum res* et *Fieri solet:* " Communis hodie sententia est, cui favet passim rerum iudicatarum auctoritas, non licere Regularibus, *tam intra, quam extra Italiam,* nova Monasteria, aut Conventus, sive Collegia fundare, sola Episcopi venia impetrata, sed indultam quoque a Sede Apostolica facultatem requiri. " Deinde propria auctoritate, et pro illis regionibus pro quibus lata est illa constitutio, decernit: " Sodalibus Religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove Coenobia, Collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae, non licere... " " Religiosis Sodalibus non licere, ea quae instituta sunt, in alios usus convertere, absque expressa licentia Sedis Apostolicae et Ordinarii loci, nisi agatur de conversione, quae, salvis fundationis legibus, referatur dumtaxat ad internum regimen et disciplinam regularem. "

De Collegiorum dotatione et reditibus.

91. " Bona quaecumque pro Collegiorum dote, seu scholarium inibi pro tempore commorantium sustentatione, per quoscumque Christi fideles pro tempore donata, relicta et legata, eo ipso apostolica auctoritate perpetuo applicata et appropriata sunt et censentur. " Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 18 col. 1. " Potest Professa Societas ad studiorum commoditatem habere Collegia.... quae Collegia possunt habere reditus, census, seu possessiones, usibus et necessitatibus studentium applicandas. " Iulius III, Const. EXPOSCIT DEBITUM, XII kal. Aug. 1850, Litt. Apost. pag. 25 col. 2. — Paulus III, Const. REGIMINI MILITANTIS, V kal. Oct. 1540, Litt. Apost. pag. 5 col. 2. — Const. INIUNCTUM NOBIS, pridie idus Mart. 1543, Litt. Apost. pag. 8. — Gregorius XIII, Const. ASCENDENTE DOMINO, VIII kal. Iun. 1584, Litt. Apost. pag. 93 col. 2. — Ant. Comp. § 1.

Facultas accipiendi minervalia.

92. Gregorius XVI facultatem fecit Praeposito Generali, qua, manentibus determinatis circumstantiis Sanctitati Suae in supplici libello expositis, pro suo arbitrio et prudentia Patres in Statibus Foederatae Americae, in Anglia et in Hibernia degentes, et iuventuti instituendae operam dantes, possit ab eo Constitutionum capite observando eximere, quo Religiosi Societatis prohibentur stipendium ullum seu eleemosynam accipere pro puerorum seu adolescentium in ipsorum scholis institutione. Cfr. rescriptum Sacrae Congregationis de Propaganda

Fide, 13 Ian. 1833, Litt. Apost. pag. 359: ibi expositas habes huius dispensandi facultatis rationes.

Collegiorum gubernatio est penes Generalem.

93. " Retinetur penes Praepositum Generalem et Societatem omnimoda gubernatio seu superintendentia super Collegia et studentes. „ Paulus III, Const. REGIMINI MILITANTIS, V kal. Oct. 1540, Litt. Apost. pag. 6. col. 1. — Const. INIUNCTUM NOBIS, pridie idus Mart. 1543, Litt. Apost. pag. 8 col. 1. — Iulius III, Const. EXPOSCIT DEBITUM, XII kal. Aug. 1550, Litt. Apost. pag. 25 col. 2. — Ant. Comp. § 2.

COMMUNICATIO GRATIARUM.

Communicatio gratiarum cum Ordinibus Mendicantibus.

Antiqua concessio

94. " Omnes et singulae, tam iuris quam hominum, dispositiones in favorem Religiosorum seu Fratrum Mendicantium, nunc et pro tempore emanatae, etiam in Societate illiusque Domibus, Collegiis, Praeposito et aliis Religiosis locum habent: nec non omnia et singula quaecumque, quotcumque et qualiacumque sint, *etiam speciali nota digna*, privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, concessiones, indulta, indulgentias, peccatorum remissiones, et gratias tam spirituales quam temporales, litterasque apostolicas, etiam iustitiam sive mixtim concernentia, hactenus per Nos et quoscumque alios Romanos Pontifices, tam praedecessores quam successores Nostros..., et quascumque alias personas quavis auctoritate fungentes..., tam in genere quam in specie, et tam communiter et coniunctim, quam particulariter et divisim, etiam per modum extensionis seu communicationis et alias quomodolibet, quibusvis Ordinibus Fratrum et Sororum Mendicantium, quocumque nomine nuncupentur, illorumque Congregationibus, Conventibus et Capitulis, ac utriusque sexus personis, ac illorum Monasteriis, Domibus, ecclesiis, hospitalibus, et aliis piis locis hactenus concessa et in posterum concedenda.... Praeposito ac Societati et omnibus illius personis, Domibus ac Collegiis...., non solum ad illorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, absque ulla prorsus differentia, perinde ac si Societati, Praeposito, personis, Domibus et Collegiis praedictis nominatim et specialiter ac generaliter concessa fuissent...., concedimus indulgemus et elargimur. „ Pius V, Br. DUM INDEFESSAE, 7 Iul. 1571, Litt. Apost. pag. 46 et 49.

" Societas, ex eius consuetudine, Constitutionibus ac se regendi modo, omnibus privilegiis perfrui possit, eis sacris Familiis, quae mendicando vivunt, sive, ut vocant, Mendicantium, generatim tributis. „ Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 352 col. 1. Plures contra sunt gratiae Societati concessae, quarum communicatio non fit, etiam iis, qui privilegia Societatis participant. Litt. Apost. pag. 85, 86, 98, 100, 124. — Ant. Comp. §§ 2 et 3. renovata a Leone XII.

95. *Non obstante generalitate et amplitudine communicationis gratiarum Societati concessae, ea tamen non extenditur ad facultates pro certo tempore concessas, neque ad gratias exclusive et privative indultas aliis Ordinibus Religiosis, sive explicite ob causam nempe motivam omnino specialem et propriam,* COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

sive implicite, ex. gr. si Superioribus Generalibus facultas fiat pro eorum arbitrio talem gratiam communicandi aliis Ordinibus vel Congregationibus, vel etiam particularibus personis, vel si agatur de re omnino exorbitanti, vel quae Professioni nostrae repugnet. Communicata vero generatim nobis intelliguntur, non solum privilegia Regularibus omnibus communiter *concessa, verum etiam ea quae* speciatim *aliis Ordinibus concessa sunt, etiam cum generali clausula, ne communicentur: iis exceptis, de quibus modo dictum est. Quaenam vero horum privilegiorum Nostris communicentur, cfr. in Praefatione n. 2 — S. Alphonsus, de Privil. nn. 9 et 11. — Ferraris, verbo* Privilegium, *art. 1. nn. 27 et 28. — P. Ro.*

Communicatio gratiarum cum quolibet Religioso Ordine, Congregatione ac loco pio.

96. " Quod pro tempore exsistens Praepositus et Societas omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, concessionibus, indultis, indulgentiis, remissionibus, gratiis et litteris Fratrum et Sororum Mendicantium, aliarumque Religionum Ordinibus, Congregationibus, Conventibus, Capitulis, Monasteriis, Domibus, ecclesiis, Confraternitatibus, hospitalibus, et aliis piis locis ac personis, tam saecularibus quam regularibus, hactenus concessis et in futurum concedendis, ac Praeposito Societatique praedictis, nec non eius Domibus, Collegiis, locis et personis ubique terrarum constitutis .... *quomodolibet concessis* ..., ubique locorum uti, frui, potiri, gaudere, et illa exsequi ac in eis procedere possint. " Gregorius XIII, Br. DECET ROMANUM, 3 Maii 1575, Litt. Apost. pag. 57. Communicatio haec privilegiorum et gratiarum cum quolibet Religioso Ordine, in quibusvis privilegiis, etiam cum clausulis *communicationis prohibitivis,* concessa est a Gregorio XIV Congregationi Regularis Observantiae S. Bernardi Regnorum Hispaniae, Br. ROMANUS PONTIFEX, 28 Iun. 1591, Rod. Br. 3; habetur praeterea ex pluribus Romanorum Pontificum constitutionibus pro Minoribus, Ordine SS. Trinitatis, Cisterciensibus, Praedicatoribus, aliisque, quas supervacaneum est referre. Cfr. Ant. Comp. § 3. — Ferraris, Bibliotheca, verbo *Privilegium*, art. 1 n. 21 et seqq.

97. *Huic quoque communicationi gratiarum conveniunt ea omnia, quae n. 95 animadversa sunt.* COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

Communicatio privilegiorum extenditur etiam ad vivae vocis oracula.

98. " Decernimus communicationem privilegiorum aliorum Mendicantium Ordinum ad ea etiam extendi, quae vivae vocis oraculo ab illis impetrata, aut eis in genere donata sunt; volentes, ut quidquid alicui eorumdem, et hoc modo, aut quovis alio concessum est hactenus, aut in posterum concedetur, sive Conventualibus, sive Observantibus nuncupatis, id omne motu proprio, et certa scientia vobis sit concessum. " Iulius II, Br. RELIGIONEM VESTRAM, 30 Iun. 1508, pro Augustinianis, § 2, Bullar. Augustinianor. Const. V. — Ant. Comp. § 6.

99. *Haec privilegiorum vivae vocis oraculo concessorum communicatio de iis oraculis est intelligenda, quae revocata non sunt. Cfr. tit.* Oracula. — *Ant. Comp. § 6.* DECLARATIO.

Communicatio ab uno loco ad alium.

100. Iulius II per Const. DUDUM AD SACRUM, V kal. Aug. 1506, pro Minimis, § 18, et per Br. ALIAS VENERABILEM, 29 Mart. 1507, § 3, Rod. Br. 27, declaravit et statuit: " Quod singula privilegia, indulgentiae, gratiae, indulta uni aut alicui ex Domibus Ordinis Minimorum hactenus per Pontifices, vel Sedem Apostolicam quomodolibet concessa, vel concedenda, ad omnes et singulas alias Domos Ordinis hactenus constructas, et construendas, intelligantur concessa, ac si in specie cuilibet earumdem concessa fuissent; et illa ad quamlibet Domum extensa, et de novo concessa sunt, et esse censentur. " Eamdem concessionem ad omnes Ordines Mendicantium extendit Leo X, Br. DUDUM PER NOS, 10 Dec. 1519, quod confirmavit in specie quoad hoc pro iisdem Minimis Clemens VII, Br. DEVOTIONIS AUGMENTUM, apud Ioann. Confettium pag. 171 Br. 2; et pro Benedictinis Clemens VIII, Br. ROMANUS PONTIFEX, Rod. Br. 22. — Ant. Comp. § 7.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

101. *Usus privilegiorum ex ista extensione unius loci Societatis ad alium, in iis quae in hoc Compendio concessa non sunt, esse poterit ex licentia Provincialis, dummodo tamen non constet concessionem ita esse peculiarem unius loci, ut ad alium concedens extendi noluerit. Cfr. n. 95, et Schmalzgr. lib. 5 tit. 33 n. 83. — S. Alphonsus, de Privil. n. 11. — Verricelli, de Apostolicis Missionibus, tit. IV, de Privilegiis Regularium, quaest. XCVIII, § IX n. 100. — Ant. Comp. § 7.*

Omnium bonorum spiritualium Religionum particeps est Societas.

102. Omnium ieiuniorum, ac aliorum quorumcumque spiritualium bonorum et piorum operum, quae in omnibus Religionibus, ac ubicumque in toto Orbe pro tempore fiunt, participes sunt personae Societatis. Concessum est a Leone X Confraternitati Charitatis de Urbe, Const. ILLIUS QUI CHARITAS EST, V kal. Febr. 1520, § 5, et a Clemente XIV Passionistis, Const. SUPREMI APOSTOLATUS, XVI kal. Dec. 1769, § 11 in fine. — Ant. Comp. § 8.

In concessione officiorum non procedit communicatio.

103. Regulares, absque *speciali* licentia, ex sola communicatione privilegiorum, non possunt recitare officia et Missas concessas aliis Religionibus. Idque procedit, non solum de officiis Sanctorum propriis cuiusque Ordinis, sed etiam de aliis, ut de Corpore Christi, tempore Adventus et Quadragesimae, etc. Neque item, " absque speciali privilegio, sed sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum, possunt addere nomen S. Fundatoris in Litaniis et *Confiteor*. " Sacra Rituum Congregatio, 30 Sept. 1679, ad 3, Gardell. n. 2903; 20 Mart. 1706, ad 3 decretum generale, Gardell. n. 3741. — Ant. Comp. § 8.

An, et quo modo in concessione indulgentiarum procedat communicatio.

104. Nullum dubium est quod communicatio habeatur etiam indulgentiarum cum aliis Religiosis Ordinibus,

Congregationibus, etc., ut constat ex documentis citatis et relatis nn. 94 et 96, et ex authentico Summario Indulgentiarum approbato a Sacra Congregatione Indulgentiarum, 20 Ian. 1886, Litt. Apost. pag. 451 col. 2. Ea iam pridem concessa fuerat a Leone x, Br. DUDUM PER NOS, 10 Dec. 1519. Complectitur autem indulgentias antiquas non revocatas per Br. Pauli v, ROMANUS PONTIFEX, 23 Maii 1606, et indulgentias recentiores concessas post illud breve. Generalis regula de communicatione indulgentiarum inter Regulares haec est, ut non intelligatur de iis, quae ob specialem causam, in certo solum Ordine exsistentem, concessae sunt; intelligatur vero de indulgentiis propter opera, quae ex Instituto etiam aliorum Ordinum peragenda sunt, vel peragi possunt, concessis. Neque vero intelligitur de Altari Privilegiato. Sacra Congregatio Indulgentiarum, 5 Febr. 1735, 4 Febr. 1736, 2 Mart. 1748, 27 Nov. 1764. — Ferraris, Bibliotheca, verbo *Indulgentia*, art. 5 n. 74 et seqq. — Theodorus a Spiritu Sancto de Indulg. part. II cap. II art. I § VI. — Lezana, Summ. Quaest. Regular. vol. 2 tit. *Indulgentia*, n. 6 et seqq. — S. Alphonsus lib. 4 n. 64 in fine, lib. 6 n. 339 in fine, De Privil. n. 9.

Omnia privilegia et gratiae Generali concessa intelliguntur.

105. " Privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, concessiones, indulta, indulgentiae, remissiones, gratiae et litterae huiusmodi, (per communicationem cum aliis Ordinibus) nec non et ipsi Societati nominatim, vel eius Praeposito, aut personis seu locis hactenus concessa, seu in posterum concedenda, praedicto et pro tempore exsistenti Praeposito Generali Societatis huiusmodi concessa esse intelligantur. " Gregorius XIII, Br. DECET ROMANUM, 3 Maii 1575, Litt. Apost. pag. 57 col. 2. — Cfr. nn. seqq. 106, 108. — Ant. Comp. § 5.

Facultas P. Generalis communicandi gratias per se vel per alios praesertim per Superiores inferiores, omnibus de Societate, etiam Novitiis.

106. Potest Praepositus Generalis gratias omnes Societati quomodolibet concessas, " per se ipsum, vel alium seu alios ab eo, vel de eius commissione, electos seu eligendos, quibuscumque locis et personis dictae Societatis, sub eiusdem Societatis obedientia, emissis tribus votis etiam simplicibus, degentibus, prout magis expediens fuerit, communicare libere et licite.... Nec aliter caeterae personae dictae Societatis praedictis privilegiis, facultatibus et aliis praemissis (gratiis, indultis etc.) aut aliquo eorum, nisi per Generalem Praepositum, et de eius beneplacito, aut per alium seu alios de eius commissione electos.... uti aut gaudere possint. " Gregorius XIII, Br. DECET ROMANUM, 3 Maii 1575, Litt. Apost. pag. 57 col. 2. *Potest per se vel per alios generatim.*

Specialiter vero potest Praepositus Generalis per alios exercere gratias, concessiones et indulta a Paulo III concessa, et Superiores Domorum et Collegiorum munire facultatibus in perpetuum indultis a Leone XII; itemque Praefectis Missionum delegare vicennales facultates ab eodem Leone XII concessas. Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 20 col. 1. — Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 352. *Potest specialiter per Superiores Domorum, et delegare vicennales Praefectis Missionum.*

Praepositi inferiores possunt, de

Omnibus communicari possunt gratiae,

licentia Praepositi Generalis, gratias sibi communicatas per Praepositum Generalem vel Provincialem " quibusvis aliis personis de Societate huiusmodi Professis eis bene visis, quoties eis videbitur..... communicare et concedere. „ Iulius III, Br. SACRAE RELIGIONIS, 22 Oct. 1552, Litt. Apost. pag. 30 col. 1.

etiam Novitiis.

Ut constat ex libro Ms. Oraculor. vivae vocis, pag. 83, Gregorius XIII concessit, ut praedicta communicatio Novitiis etiam fieri possit, quatenus tamen capaces sint, nec specialis quaedam exceptio pro ipsis adsit. Id habetur etiam per communicationem cum aliis Ordinibus Religiosis, quibus privilegia et gratiae indiscriminatim pro omnibus concessa sunt. Sixtus IV, Const. DUM ATTENTA, IX kal. Dec. 1476, pro Carmelitanis, *§ Nos etiam.* — Iulius II, Br. NIHIL EST, 24 Sept. 1508, pro Augustinianis, *§ Idcirco*, Bullarium Augustinianor. Const 4. — Iulius II, Br. ETSI AD BENEMERENDUM, *§ Decernimusque*, Bullar. cit. Const. 3. — S. Alphonsus de Privil. n. 9. — Ant. Comp. §§ 1 et 5.

COMMUNICATIO.

107. *Praedictam privilegiorum et gratiarum participationem poterunt concedere Superiores Novitiis, sicut et caeteris. — Ant. Comp. §. 5.*

De usu Privilegiorum secundum Praepositi Generalis beneplacitum et Instituti Societatis rationem.

Secundum Generalis beneplacitum.

108. " Quod Societas, Domus, Collegia, Praepositus et personae huiusmodi (Societatis) omnibus et singulis praedictis (per communicationem aliorum Ordinum Mendicantium) privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, concessionibus, indultis, indulgentiis, gratiis et litteris eisdem Fratrum et Sororum Mendicantium Ordinibus, Congregationibus, Conventibus, Capitulis, personis, Monasteriis, Domibus, ecclesiis, hospitalibus et aliis piis locis, ut praefertur, concessis et concedendis, antea potuerint, et nunc ac in futurum, *dummodo Instituto Societatis, et Praepositi seu deputatarum personarum huiusmodi voluntati et beneplacito non refragentur,* possint libere et licite uti, frui, potiri et gaudere in omnibus et per omnia..... sancimus, volumus et declaramus, ac pariter concedimus, indulgemus et elargimur. „ Pius V, Br. DUM INDEFESSAE, 7 Iul. 1571, Litt. Apost. pag. 48 col. 1.

Quod.... " Praepositus (Generalis) et Societas... omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, concessionibus, indultis, indulgentiis, remissionibus, gratiis..... Praeposito Societatique praedictis, nec non eius Domibus, Collegiis, locis et personis ubique terrarum constitutis, communiter vel divisim.... vigore quarumcumque facultatum, etiam ad instar, aut aeque principaliter, etiam per communicationem, seu alias quomodolibet concessis, *iuxta Societatis huiusmodi Instituti rationem, Constitutiones, ritus, mores, usus, consuetudines, normas, observationes et procedendi modum....* ubique locorum uti, frui, potiri, gaudere, et illa exsequi, ac in eis procedere possint.... apostolica auctoritate.... declaramus, statuimus et ordinamus, *secusque facta irrita et inania fore* decernimus. „ Gregorius XIII, DECET ROMANUM, 3 Maii 1575, Litt. Apost. pag. 57 col. 1 et 2. — Ant. Comp. § 4. — Cfr. Praefationem n. 1-5. — Ant. Comp. § 8.

Secundum Instituti rationem.

COMMUTATIO.

Facultas commutandi vota et iuramenta, pro Christi fidelibus.

Facultas commutandi cum limitatione.

109. " Vota quaecumque per eos (*Christi fideles*) pro tempore emissa, (ultramarinis, visitationis liminum BB. Petri et Pauli Apostolorum de Urbe, ac S. Iacobi in Compostella, nec non Religionis et castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi.... plenam et liberam facultatem concedimus. „ Paulus III, Br. CUM INTER, 3 Iun. 1545, Litt. Apost. pag. 11 col. 1. Eadem facultas cum pari limitatione, exceptis etiam votis " in quibus agitur de praeiudicio vel iure tertii, „ concessa est in perpetuum a Leone XII, Br. PLURA INTER. — Cfr. n. 111.

Vicennalis, dispensandi et commutandi sine limitatione.

Maiori amplitudine " dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera, et dispensandi, ex rationabili causa, in votis simplicibus castitatis et Religionis „ vicennalis facultas conceditur. Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 353 col. 1.

Extensio ad vota adiurata.

" Facultatem alias.... concessam commutandi vota, etiam adiurata, dummodo commutatio huiusmodi in alterius praeiudicium non fiat, extendimus. „ Gregorius XIII, Br. DECET ROMANUM, 3 Maii 1575, Litt. Apost. pag. 59 col. 1.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

110. *Facultas commutandi vota non reservata Summo Pontifici communicatur omnibus Confessariis nostris ab Ordinario approbatis, cum extensione ad vota iureiurando firmata, et ad iuramenta seorsim emissa, nisi quando ius tertii per commutationem sive voti sive iuramenti violaretur. Facultas vero vicennaria dispensandi et commutandi vota, etiam reservata, datur Praepositis Provincialibus, caeterisque Superioribus Provincialium potestate utentibus, quibus etiam potestas fit eamdem suis subditis Sacerdotibus largiendi, dummodo tamen de illorum doctrina et discretione ita constet, ut nullus abusus, nulla Ordinariorum offensio sit timenda. Vota autem, quamvis simplicia, et quaecumque iuramenta, quae propria sint alicuius Communitatis, Collegii, Congregationis et Ordinis, nullo modo commutare possunt. Quod si in voto determinatae Religionis ingrediendae requirantur pro commutatione unius Ordinis in alterum, salva voti reservati substantia, talis commutatio non fiat in ingressum Societatis; haec enim reservatur Provincialibus, ut dicetur inferius n. 116. Vide etiam nn. 113 et 114. — Cfr. n. 179. — Ant. Comp. § 1. — P. Ro.*

Commutatio votorum et iuramentorum pro nostris Religiosis.

111. Eadem facultate gaudent commutandi, immo etiam relaxandi, vota et iuramenta, ut in praecedenti, et cum iisdem exceptionibus, eademque amplitudine, Confessarii nostri respectu personarum in Societate viventium, quarum vota, vel iurata, commutare possunt ex citatis brevibus Pauli III et Gregorii XIII. Habetur etiam per concessionem factam a Leone X Patribus Praedicatoribus, Const. PASTORIS AETERNI, pridie nonas Oct. 1520, § 11, sed limitatam ad certas solemnitates intra annum. Sine limitatione data est Ordini Carmelitarum a Clemente VII, Const. EX CLEMENTI SEDIS, pridie idus Aug. 1530, § 8, et Ordini Hieronymiano de Pisis a Sixto IV, cum extensione ut " vota quaecumque, etiam

peregrinationis ultramarinae, et visitationis liminum BB. Petri et Pauli, ac S. Iacobi in Compostella Apostolorum, et alia, si quae emiserunt,.... in alia pietatis opera commutare „ valeat Confessarius per Eremitas dictae Societatis eligendus, Const. SEDES APOSTOLICA, kal. Febr. 1476, § 2. Atque haec extensio facultatis, nobis per communicationem concessae, persistit, non obstante limitatione addita in facultate directe nobis data a Leone XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul 1826, Litt. Apost. pag. 352 col. 1 et 2. " vota simplicia commutandi, numquam vero castitatis, Religionis, trium peregrinationum ad sacra BB. Apostolorum limina, ad S. Iacobi in Compostellis, et ad Hierusalem, eaque vota in quibus agitur de praeiudicio vel iure tertii, „ et " huiusmodi facultate omnium Societatis Domorum, Collegiorum, in qualibet Provincia Praesules muniendi. „ Habemus etiam a Leone XII facultatem vicennalem absque limitatione, quae erga Nostros quoque valet. — Cfr. n. 109. — Ant. Comp. § 2, et tit. *Confessarius* § 5.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

112. *Salva facultate ordinaria, quam habent Superiores irritandi vota, et commutandi ac dispensandi vota non reservata suorum subditorum, eadem communicatur omnibus nostris Confessariis ordinariis deputatis ad audiendas Nostrorum confessiones, et praeterea iis, quibus Superiores commiserint. Quae ad vota reservata pertinet facultas communicatur ut n. 110. — Ant. Comp. § 2. — P. Ro.*

Facultas commutandi votum simplex alterius Religionis.

113. Ii, ad quos pertinet officium admittendi eos qui ingredi volunt Societatem, possunt commutare votum simplex ingrediendi aliam Religionem, etiam determinatam, in vota consueta Societatis, quando is, cui facienda est commutatio, devotionem ad id sentiret, vel Societas, aut qui ipsum admittit, vocationem eius esse potius ad Societatem nostram, quam ad aliam Religionem, existimaret. Concessum est hoc a summo Poenitentiario, habente ad id facultatem, ut est in vivae vocis Oraculis, pag. 13. Nec revocatum est per Br. Clementis XII, ROMANUS PONTIFEX, 12 Febr. 1732. Statuit enim firma adhuc remanere oracula et concessiones emanatas a Congregationibus Urbis, et ab Officio Sacrae Poenitentiariae. — Ant. Comp. § 3.

COMMUNICATIO.

114. *Communicatur iis, qui potestatem habent admittendi in Societatem.*

Facultas dispensandi in voto simplici Religionem ingrediendi, etiam arctiorem.

115. Omnes Praepositi Domorum, ac Rectores, seu Visitatores Societatis, sine praedicta limitatione de qua in n. praec. 113, possunt dispensare, cum ingredientibus in Societatem, in voto Religionis, etiam si arctiorem Religionem ingredi vovissent. Si quis tamen a Societate ante Professionem recesserit, dispensatio nulla erit. Concessit hoc Eugenius IV Congregationi S. Iustinae, Const. ETSI QUASLIBET, pridie kal. Iul. 1436, §§ 8 et 9, Rod. Bul. 11. — Leo X Camaldulensibus, Const. ETSI A SUMMO, IV nonas Iul. 1513, § 39. — Sixtus IV Congregationi Lateranensi, Const. DUM AD UNIVERSOS, X kal. Sept. 1476, § 29. Per privilegium vero eiusdem Eugenii IV concessum Congregationi S. Georgii in Alga, per breve datum X kal. Iun. 1437, quod

affertur in Libro Privilegiorum Congr. S. Ioann. Evangelistae in Lusitan. fol. 8 pag. 1, possunt recipi in Societatem quicumque aliquam Religionem intrandi, et ibi permanendi, ex quavis causa votum fecerint. — Ex quo tamen intelligitur hanc concessionem tum demum locum habere, si Societatem intraverint, et in illa perpetuo famulari Altissimo promiserint. — Ant. Comp. § 4.

COMMUNICATIO.

116. *Hac facultate soli, et magna cum consideratione, utentur Provinciales, nisi ipsi eam in casu aliquo alicui communicarent; et cum usi fuerint, admoneant Praepositum Generalem. — Ant. Comp. § 4.*

Commutatio officii divini pro impeditis et infirmis.

Pro impeditis et infirmis cum determinatione precum.

117. Possunt Superiores in favorem suorum subditorum, qui " in pietatis operibus, aut studio litterarum sacrarum occuparentur, seu infirmitate, aut infirmorum curatione et ministerio pro tempore praepedirentur, „ commutare totum officium canonicum in " certum psalmorum per ipsos Superiores eis assignandum numerum, non minus septem aut sex, cum divisione, ac Orationem Dominicam septies, Symbolum Apostolorum bis. „ Graviter autem aegrotantibus indulgere poterunt, ut, loco divini officii, " Orationem Dominicam semel, et Salutationem Angelicam septies in die recitent. „ Concessit Clemens VII Patribus Theatinis, Br. DUDUM PRO PARTE, 7 Mart. 1533, *§ Nos vestris.* — Ant. Comp. § 5.

Absque precum determinatione pro infirmis.

Sed sine determinatione orationis iniungendae concessit nostrae Societati Leo XII, quod possit " Praepositus Generalis... adversa valetudine laborantibus divinum Officium in pias alias preces commutare... et huiusmodi facultate omnium Societatis Domorum, Collegiorum, in qualibet Provincia, Praesules munire. " Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 352 col. 1 et 2. Iulius III antea iam concesserat " Praeposito Generali, et aliis quibus ad hanc commutationem auctoritatem suam communicaverit, ut recitationem officii divini, pro iis qui ob infirmitatem videbuntur excusandi, in aliud opus pium seu leviorem orationem arbitrio suo commutare possint. „ Br. SACRAE RELIGIONIS, 22 Oct. 1552, Litt. Apost. pag. 29 col. 2.

Pro iis, qui in verbi DEI praedicatione laborant.

Potest Praepositus Generalis, nec non Superiores Missionum, divinum officium commutare in alias vocales preces suo arbitrio determinandas in actu Missionum et in itinere ad illas, nec non in Exercitiis Spiritualibus, novenis, triduis, et qualibet continuata praedicatione.

Facultas recitandi pro officio divino parvum officium B. MARIAE V.,

Possunt praeterea Nostri in actu Missionum et in itinere ad illas, nec non in Exercitiis Spiritualibus, novenis, triduis, et qualibet continuata praedicatione, pro officio divino recitare parvum officium B. MARIAE Virginis. Concessit Piis Operariis Benedictus XIV, rescr. 13 Iul. 1745. — Pius VI, rescr. 16 Iul. 1778. — Gregorius XVI, rescr. 17 Oct. 1834. Congregationi Puritatis Pius VI, vivae vocis oraculo, 23 Apr. 1784, rescr. 1 Iun. 1777. — Compend. Privil. Pior. Operar. part. 2. cap. 6, § 1, pag. 59 et 60, et cap. 11, § 1, pag. 89 et 90. — Summar. Congr. Miss. nn. 56 et 57, pag. 33 et 34. " Manuale facultatum, privilegiorum et indulgentiarum pro Sodalibus Presbyteris trium Congregat. SS. Missionum, quae Neapoli sunt erectae, Neapoli 1883, „

pag. 56 et 58, et alia recentiora Compendia passim.

vel Rosarium aut alias preces.

Tandem Leo XII, loc. cit., Litt. Apost. pag. 354 col. 1, facultatem vicennalem concessit " recitandi Rosarium vel alias preces, si Breviarium secum deferre non poterunt, vel divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant. " — Ant. Comp. § 5.

COMMUNICATIO.

118. *His facultatibus uti poterunt omnes Superiores, et nostri Confessarii ordinarii. Facultate vero vicennali Leonis XII, in quantum indultum continet, uti possunt ii, quibus Provinciales, aliique Superiores Provincialium facultate utentes, indulserint, caute tamen et legitimum impedimentum strictius potius, quam latius, interpretando. — Ant. Comp. § 5. — P. Ro.*

Facultas commutandi legata.

119. Per facultates concessas Praelatis Ordinis Minorum, possunt omnes nostri Praepositi ac Rectores commutare ex uno usu ad alium necessarium legata, quae reliquuntur nostris Collegiis aut Domibus, dummodo id fiat sine scandalo eorum, ad quos solutio talium legatorum pertinet. Sixtus IV, in Supplem. Min. fol. 95, concess. 317, referturque in eorum Compendio verbo *Commutare,* § 1. Quam concessionem ampliavit Leo X in rebus donatis per viventes, si tamen, ut dictum est, non sequatur scandalum praedictorum. Habetur in dicto Supplem. fol. 93 pag. 2, concess. 293, et refertur in Comp. uti supra, § 2. Sed praeter haec vivae vocis oracula habetur etiam per bullam Bonifacii IX, RELIGIONIS ZELUS, 5 Ian. 1396, in Bullar. Ord. Praedicat. § 6. — Ant. Comp. § 6.

COMMUNICATIO.

120. *Haec facultas, et eo modo quo supra, cfr. n. 26, reservatur Generali, ex decreto 41 Congreg. Gener. octavae. — Ant. Comp. § 6.*

CONCILIUM TRIDENTINUM.

Revocatio privilegiorum secundum Concilium Tridentinum.

121. Concilium Tridentinum confirmatum fuit et publicatum ac promulgatum a Pio IV, Const. BENEDICTUS DEUS, VII kal. Febr. 1564. Omnia Regularium privilegia, statutis et decretis sacri Concilii Tridentini *contraria*, revocata deinde fuerunt, et ad eiusdem Concilii terminos redacta ab eodem Pio IV, Const. IN PRINCIPIS, XIII kal. Mart. 1564. Hinc damnata fuit ab Alexandro VII, 18 Mart. 1666, sequens propositio: " Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum. " Non omnia vero Regularium privilegia revocata fuere a Concilio Tridentino. Quin immo plurima ab eodem Concilio fuerunt expresse confirmata. Enim vero sess. 25 cap. 20 de Regularibus, inquit: " In caeteris omnibus, praefatorum Ordinum privilegia et facultates, quae ipsorum personas, loca et iura concernunt, firma sint et illaesa. " Pro revocatis igitur habenda sunt privilegia anteriora Tridentinae Synodo: 1.°, quae sess. 25 de Regularibus adversantur, ut constat ex cap. 22 eiusdem sess., et ex Br. Innocentii XIII, APOSTOLICI MINISTERII, 23 Maii 1723, § 25; 2.°, quae adversantur canonibus clausulam derogatoriam habentibus, *non obstantibus quibuscumque privilegiis.* — Ant. Comp. § 2.

Privilegia post Tridentinum Concilium concessa, quomodo subsistant, licet contraria eidem Concilio.

122. Quamvis S. Pii v constitutionem ETSI MENDICANTIUM, XVIII kal. Iun. 1567, qua plura privilegia, etiam in iis quae adversantur Concilio Tridentino, concesserat Ordinibus Mendicantibus, revocaverit Gregorius XIII, eamque reduxerit ad terminos iuris statuti a Concilio, per Const. IN TANTA RERUM, kal. Mart. 1573; eorum tamen indultorum liberum praeservavit usum, quae concessa fuisse constabat post idem Concilium, *independenter* a praedictis litteris Pii v. Omnia enim reduxit ad eum statum, in quo, *si ipsae non emanassent, futura fuissent.* Const. cit. § 6. Quaenam sint huiusmodi privilegia post Tridentinum Concilium concessa, in iis quae eidem adversantur, notatur suis in locis in hoc Compendio, eorumque indicatur communicatio, si aliunde revocata non sint. — Ant. Comp. § 2.

CONFESSIO.

Omnes fideles, quolibet anni tempore, Nostris confiteri possunt.

123. " Universi utriusque sexus Christi fideles cuilibet de Societate confiteri possunt, Rectoris sui licentia minime requisita. „ Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 18 col. 2. Sed, revocatis omnibus contrariis privilegiis, necesse semper est pro saecularibus, extra articulum seu periculum mortis, ut Confessarius sit approbatus ab Ordinario loci. Confessarii vero simpliciter approbati confessiones audire possunt quovis anni tempore, etiam paschali, et in ordine ad satisfaciendum praecepto. Cap. *Omnis utriusque sexus.* — Conc. Trid. sess. 23 cap. 15 de Reformatione. — Clemens X, Const. SUPERNA, XI kal. Iul. 1670, §§ 4 et 5. — Benedictus XIV, Const. APOSTOLICA INDULTA, nonis Aug. 1744, §§ 1-6. Episcopi prohibere non possunt, ne a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis administremus Sacramentum Poenitentiae. Decretum Sacrae Congregationis Concilii, 9 Iul. 1644, confirmatum per Br. Innocentii X, 7 Febr. 1645, §§ 2 et 3. — Cfr. tit. *Approbatio.* — Ant. Comp. § 1.

124. *Haec facultas communicatur omnibus Confessariis, uti supra n. 2. — Ant. Comp. § 1.* COMMUNICATIO.

Quibus Nostri confiteri debent.

125. " Quilibet ex Sociis Societatis peccata sua proprio Praeposito, vel ab eo deputato seu deputatis, et alias secundum ordinationes Societatis praedictae designatis, confiteri debet, nisi super hoc a dicto Praeposito alium Confessarium eligendi facultatem habuerit. „ Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 15 col. 2. Statutum Pauli III.

At decreto Clementis VIII, 26 Maii 1593, relato in cap. 5 Ordinationum Generalium, §§ 4 et 5, " non licet Superioribus Regularibus confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint; aut ipsimet subditi *sponte* ac *proprio motu* id ab eis petierint. Superiores in singulis Domibus deputent duos, tres, aut quatuor Confessarios, pro subditorum numero maiori vel minori; iique sint docti, prudentes et charitate praediti, qui a non reservatis eos absolvant, et quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quan- immutatum a Clemente VIII,

do casus occurrit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicabit. „ Urbanus VIII autem, decreto Sacrae Congregationis Concilii, 21 Sept. 1624, " declaravit, ut, si huiusmodi Regularium Confessariis casus alicuius reservati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii *illa vice* poenitentes Regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate, absolvere. „ Ferraris, verbo *Regularis Praelatus*, n. 54.

et Urbano VIII.

Dispensatio Clementis VIII super decreto suo,

Idem vero Clemens VIII cum nostra Societate dispensavit, et vivae vocis oraculo concessit: " 1. Ut cum prohibentur Superiores audire subditorum confessiones, non intelligantur Superiores qui sunt Magistri Novitiorum. 2. Ne in singulis Domibus, praeter Confessarium ordinarium, teneantur deputare duos vel plures Confessarios, qui a non reservatis absolvant. 3. Ne iudicium a reservatis absolvendi Confessariis absolute relinquatur, sed liceat interdum Superiori, pro ratione sui officii, huiusmodi facultatem denegare in iis casibus, in quibus constat, iuxta ea quae Doctores dicunt, et discreta charitas docet, licentiam huiusmodi esse denegandam. „

revocata, et ex parte restituta ab Urbano VIII.

Revocatione facta oraculorum vivae vocis per Gregorium XV et per Urbanum VIII, idem Urbanus VIII, Br. EXPONI NOBIS, 31 Aug. 1635, Litt. Apost. pag. 173 col. 1 et 2, concessit, et indulsit: " quod.... in Novitiatibus eiusdem Societatis, ipsi Magistro soli Novitiorum confessiones audiendi cura committatur (quamvis Magister Novitiorum sit etiam Superior Novitiatus); teneantur tamen Superiores maiores, et quilibet eorum, semel in anno, etiam si Novitii non instent, alium seu alios deputare Confessarios pro eisdem Novitiis, ut eorum confessiones cum effectu semel in anno audiant, et nihilominus liceat eisdem Superioribus maioribus et cuilibet eorum.... vel per se ipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno eorumdem Novitiorum confessiones audire. „

Aliud statutum Urbani VIII.

Item Urbanus VIII alio Br., IN HIS AUCTORITATIS, 23 Aug. 1641, Litt. Apost. pag. 174, statuit, et ordinavit: quod "omnes et singuli Presbyteri, Clerici, Coadiutores et Novitii Societatis, iuxta institutiones disciplinasque regulares eiusdem Societatis, Confessario pro tempore deputato, et non aliis, peccata sua sacramentaliter confiteri debeant, ita tamen, ut quinque aut sex vicibus in quolibet anno, omnibus supra dictis in qualibet Domo Professa, Collegio et Novitiatu exsistentibus, offeratur Confessarius extraordinarius, cui omnes supra dicti in singulis dictis quinque aut sex vicibus indistincte et cum effectu confiteri teneantur. „

Decretum Leonis XII.

Demum Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 352 col. 1, decrevit: " Ut Societatis Alumni confiteri nequeant animae noxas, nisi iis, qui a Praeposito facultatem habuerint sacras eorum confessiones audiendi.... Ut Tironum Magistri nequaquam ei decreto sint obnoxii, quod vetat, ne Praesules sacras excipiant alumnorum confessiones. „

Puncta ex praecedentibus decretis collecta.

Vigens igitur disciplina, quemadmodum ex relatis decretis colligitur, haec est: 1.^m Nostri non possunt nec licite nec valide confiteri, nisi Confessariis a Superiore designatis: 2.^m Non licet Superioribus suorum subditorum confessiones audire, nisi quando habent peccatum reservatum, aut ipsi subditi sponte ac proprio motu velint eis confiteri: 3.^m Ab hac prohibi-

tione excipiuntur Magistri Novitiorum qui simul Superiores Novitiatus sunt, et, semel aut bis in anno, etiam alii Superiores maiores, nimirum Superiores Domorum et Provinciarum: 4.^{m} Liberum est Superioribus vel duos, tres quatuorve Confessarios Nostris in unaquaque Domo designare, secundum decretum Clementis VIII, vel secundum decretum Urbani VIII deputare unum tantum; sed tunc debent quinque aut sex vicibus quolibet anno offerre Confessarium extraordinarium, cui omnes cum effectu confiteri teneantur: id quod de Novitiis etiam, qui soli Magistro Novitiorum confitentur, est intelligendum.

Confessarius Nostrorum iter habentium.

In itinere debent Nostri confiteri Socio *idoneo*, si habent; si vero non habent, confiteri possunt " cuicumque alii idoneo et discreto Religioso vel saeculari. „ Ita ex privilegio concesso Ordini Praedicatorum ab Innocentio VII, Const. PROVENIT, XVI kal. Nov. 1404. — Cfr. S. Alphonsum, lib. 6 n. 575. Quod si huiusmodi Religiosi casus reservatos habuerint, possunt quidem ab eis absolvi, sed cum onere et obligatione ut se sistant postmodum Superiori suo, ad quem ituri vel redituri sunt, eique, aut alteri de eius licentia confiteantur; a quo tamen onere rursus confitendi reservata, potest eos Superior absolvere. Cfr. Congr. Gener. 23 decr. 30. — Ordin. Gener. cap. 6 n. 6. — Ferraris, verbo *Approbatio*, art. 2. — Lugo, de Poenitent. disp. 15 sect. 6 § 3. — Ant. Comp. § 3.

Confessiones Nostrorum factae aliis quam deputatis Confessariis, ratione bullae Cruciatae, aliusve indulti.

Prima privilegii concessio

126. Declarat Summus Pontifex Gregorius XIII, Br. DECET ROMANUM, 3 Maii 1575, Litt. Apost. pag. 58 col. 2, " non esse nec fore umquam mentis suae, aut Sedis Apostolicae, ut personae Societatis, absque expressa Superiorum eiusdem Societatis licentia, utantur facultatibus, quae in Iubilaeis, bullis Cruciatae, Confessionalibus, aut aliis quibusvis apostolicis indultis, sive Communitatibus, sive privatis personis, sive piis locis, aut quomodocumque aliter hactenus concessae sunt, aut in posterum concedentur, etiam si in illis expresse indulgeatur, ut omnes Regulares, etiam Mendicantes, huiusmodi facultatibus uti possint. Si quando autem usus aliquarum ex praefatis facultatibus, personis ex dicta Societate, ab eisdem Societatis Superioribus concedetur, ut nulli earum liceat, nisi intra numerum eorum qui ad confessiones personarum eiusdem Domus aut Collegii audiendas deputati sunt, Confessarium eligere, nisi ratione itineris, aut alia de causa, ab eisdem Superioribus, aliis Confessariis, intra aut extra Societatem, confitendi facultas ad id specialiter daretur.... secusque facta irrita et inania fore. „

confirmata, praesertim de bulla Cruciatae.

De usu bullae Cruciatae et aliorum indultorum, idem statuit et declaravit pro omnibus Religiosis Clemens VIII, Br. ROMANI PONTIFICIS, 23 Nov. 1599, § 2, praecipiens et mandans " Praelatis, ut in usu huiusmodi potestatis se cum subditis benignos et faciles exhibeant. „ Breve Clementis VIII approbavit et confirmavit Paulus V, Br. ALIAS FELICIS, 24 Dec. 1608, § 3; Urbanus vero VIII, Br. ROMANUS PONTIFEX, 31 Mart. 1629, Litt. Apost. pag. 169 et 170, idem iterum constituit quoad usum bullae Cruciatae pro nostra Societate. Alio autem Br. IN SPECULA, 19 Iun. 1630, § 3, tum quoad

bullam Cruciatae, tum quoad alia indulta huiusmodi, et pro omnibus Religiosis, declarat ea ipsis nullo modo suffragari potuisse neque posse, ac suae intentionis fuisse et esse, quod omnes, " quantum ad sacramentum Poenitentiae, seu Confessionis administrationem, ordinariae dispositioni suorum Praelatorum, et Sedis Apostolicae, quoad sibi reservata, subiecti sint. „

Animadversio de aliis indultis, praesertim Iubilaei.

Tandem Benedictus XIV, Const. APOSTOLICA INDULTA, nonis Aug. 1744, § 7, declarationes confirmat suorum praedecessorum quoad bullam Cruciatae. Quoad alia vero indulta, inquit: " illud monendum existimamus, nihil hic a Nobis statui aut pronuntiari super eo, an scilicet in uno aut altero indulto unum aut alterum personarum genus comprehendi, et quaenam indulta specialiter Regularibus suffragari censendum sit; hoc enim ex uniuscuiusque indulti tenore ac verbis colligendum relinquimus. „ Id autem maxime considerare oportet in indultis Iubilaei, quae, cum hisce temporibus amplissima concedi soleant, videndum est an non illorum tenore Nostri quoque in facultate sibi eligendi, etiam externum, Confessarium comprehendantur, absque ulla requisita Superioris licentia. Ferraris, verbo *Approbatio*, art. 2 nn. 21 et 22. — Cfr. Lugo, de Poenit. disp. 20 sect. 9. — Ant. Comp. tit. *Absolutio* § 10, et tit. *Gratiarum usus* § 2.

COMMUNICATIO.

127. *Superiores poterunt licentiam Nostris concedere ad usum praedictarum facultatum, etiam quoad casus reservatos et reliqua, si quando videbuntur concedenda. — Ant. Comp. tit.* Absolutio *§ 10.*

Fratres Nostrorum confessiones audire non possunt.

128. Fratres, quibus per litteras Innocentii IV, anni 1247, concessa est facultas, ut confessiones generaliter audiant, non possunt Nostrorum confessiones audire. Concessit Innocentius IV Ordini Praedicatorum, per Const. CUM SUPERNAE LUCIS, VII kal. April. 1247, Rod. Bul. 18. Idem per alias constitutiones indultum est diversis Ordinibus, nempe Clementis IV, VIRTUTE CONSPICUOS, XII kal. Aug. 1265, § 24. — Sixti IV, REGIMINI UNIVERSALIS, pridie kal. Sept. 1474, confirmantis praedictam Clementis constitutionem. — Gregorii XI, VIRTUTE CONSPICUOS, II nonas Mart. 1374, § 26. — Sixti IV, REGIMINI UNIVERSALIS, 1474, confirmantis praecedentem Gregorii constitutionem. — Iulii II, VIRTUTE CONSPICUOS, V kal. Aug. 1506, § 22, etc. — Ferraris, verbo *Approbatio*, art. 2 n. 15. — Ant. Comp. § 4.

Facultas aperiendi litteras S. Poenitentiariae.

129. Possunt nostri Sacerdotes designati per Praepositum Generalem, aut de eius licentia per alios Superiores Societatis, et a locorum Ordinariis approbandi, " etiam si magisterii vel doctoratus, aut aliis gradibus insigniti non sint, litteras (S. Poenitentiariae, etiam Magistris in theologia vel Iure Canonico Doctoribus directas), aperire, confessionibusque fidelium ad ipsos recurrentium auditis, et imposita salutari in illis expressa, vel de iure infligenda, poenitentia, (eos) absolvere, ac, in foro conscientiae, quascumque sibi, verbo vel scri-

ptis, commissas absolutiones, dispensationes et poenitentiarum iniunctiones, excipere et exsequi. „ Gregorius XIII, Br. EXPONI NOBIS, 3 Apr. 1582, Litt. Apost. pag. 80. — Ant. Comp. tit. *Confessarius* § 2.

COMMUNICATIO. 130. *Ad hanc facultatem aperiendi litteras S. Poenitentiariae, inscriptas:* Magistro in theologia, *vel* decretorum Doctori, *deputantur omnes Superiores actu approbati ab Ordinario loci in quo exsequendae sunt, et alii Confessarii, quos ipsi ad id deputaverint. Quod si Confessariis reddantur litterae simpliciter inscriptae:* Discreto viro Confessario ex approbatis ab Ordinario, *easdem, etiam sine deputatione Superiorum, aperire et exsequi poterunt. — Ant. Comp. ibid. § 2.*

Facultas audiendi confessiones sine superpelliceo.

131. Confessarii Societatis, quamvis in publica ecclesia confessiones audiant, superpelliceum deferre non tenentur, sed satis est, ut stolam tantum deferant. Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, 25 Apr. 1586. — Cfr. Giraldi, " Animadversiones et Additamenta, etc. ad Augustinum Barbosa, de officio et potestate Parochi. „ Romae, 1774, part. 2 cap. 19. n. 60, pag. 180.

CONFESSIONALE.

Impetrans Confessionale qua poena plectendus.

132. Quicumque Nostrorum *Confessionale* aliquod, absque expressa licentia, impetrare praesumit, eo ipso impetratis caret, ac per decennium praeeminentia Societatis, si quam habet, ipso facto privatur, nec super privatione huiusmodi ab alio ullo, quam a Romano Pontifice, dispensari potest. Clemens VII, Congregationi S. Georgii in Alga, et est per Br. datum 21 Febr. 1524, ut in Privilegiis impressis eius Congregationis, pag. 116. — Ant. Comp.

133. *Impetrare* Confessionale *est obtinere facultatem circa confessiones, ita ut quis non teneatur servare statuta Societatis circa hoc sacramentum vel recipiendum vel administrandum, ut quis possit sibi eligere Confessarium pro suo libito, aut possit a quolibet absolvi, etiam a casibus reservatis; quae iure merito vetita sunt, cum destruant regularem disciplinam. Omnibus tamen fas est et ius absolutionem impetrandi cuiuscumque censurae et peccati, quomodocumque etiam et cuicumque reservati, a Cardinali Maiori Poenitentiario, vel a minoribus Poenitentiariis, aliisque, quibus talis facultas facta esset per eumdem Cardinalem Maiorem Poenitentiarium. Potest item quis, sive per se ipsum sive per alium, facultatem impetrare a Cardinali Maiori Poenitentiario, ut a praedictis per alium quemcumque Confessarium absolvatur. Const. Benedicti XIV, PASTOR BONUS, idibus Apr. 1744, §§ 5, 6 et 47. — Cfr. Lezana, Summ. Quaest. Regular. vol. 2, verbo* Litterae Apostolicae, *nn. 7 et 8.* DECLARATIO.

CONGREGATIONES.

De ratione procedendi in Congregationibus Societatis Iesu.

134. " Statuimus, decernimus et ordinamus, ut in Societatis praedictae Congregationibus quibuscumque, eo prorsus modo procedatur, atque ea tantum tractentur et definiantur, quae

in Constitutionibus, ac Congregationum Generalium decretis statutum iam est, vel in posterum statuetur, ut in eisdem Congregationibus tractentur et definiantur. „ Gregorius XIV, Const. ECCLESIAE CATHOLICAE, IV kal. Iul. 1591, Litt. Apost. pag. 121 col. 1. — Benedictus XIV, Const. DEVOTAM MAIORI, XVI kal. Ian. 1746, Litt. Apost. pag. 267 col. 2. — Ant. Comp. § 1.

De novennali Congregatione Generali abrogata.

135. Breve Innocentii X, PROSPERO FELICIQUE, 1 Ian. 1646, Litt. Apost. pag. 177 et seqq., de Congregatione Generali singulis novenniis cogenda, et de novis Assistentibus, diversis ab iis qui praecedente novennio eo munere perfuncti fuerant, in ea eligendis, fuit " interim *suspensum, usque ad Congregationem Generalem primo celebrandam* „ a Clemente IX, Br. RELIGIOSORUM VIRORUM, 20 Sept. 1668, Litt. Apost. pag. 195 col. 2. Deinde vero penitus abrogatum fuit, quoad illa duo, a Benedicto XIV, Const. DEVOTAM MAIORI, XVI kal. Ian. 1746, Litt. Apost. pag. 267 col. 2, ubi laudatus Pontifex " Congregationum Generalium convocationes atque celebrationes ad normam Constitutionum S. Ignatii reducit...., salvis nihilominus et firmis remanentibus aliis quibusdam decretis, quae deinceps ab universa Societate in Congregationibus Generalibus adunata, quoad electionem et missionem Procuratorum... et quoad universam Congregationum Provincialium rationem.. statuta fuerunt, aut in posterum rite statuentur. „ — Ant. Comp. § 2.

Electiones peragendae in Congregationibus.

136. Praepositus Generalis dicitur per *ipsos Socios* eligendus, Const. Pauli III, REGIMINI MILITANTIS, V kal. Oct. 1540, Litt. Apost. pag. 4 col. 1, et Const. Iulii III, EXPOSCIT DEBITUM, XII kal. Aug. 1550, Litt. Apost. pag. 24 col. 1, atque in eadem Const. Iulii III, loc. cit., pag. 25 col. 1: " ad hoc munus, quam fieri possit idoneus, ad plura vota, prout in Constitutionibus declaratur, eligendus. „ Tandem, Const. Gregorii XIV, ECCLESIAE CATHOLICAE, IV kal. Iul. 1591, Litt. Apost. pag. 121 col. 1, aperte sancitum est: " electiones quaedam primariae, cuiusmodi sunt Generalis Praepositi, ac illius Assistentium et Admonitoris, in Generalibus Congregationibus; in Provincialibus vero, tam eorum qui Generalem Praepositum eligere, vel Generali ipsi Congregationi cum iure suffragii interesse, quam Procuratorum etiam, qui e singulis Provinciis quolibet triennio in Urbem ad Procuratorum Congregationem mittuntur; et eiusmodi quaedam aliae electiones, per secreta scrutinia et decisiva suffragia fiant. „ — Ant. Comp. § 1.

CONSERVATORES.

Qui eligi possint in Conservatores.

137. Societas contra quoscumque potest sibi eligere Conservatores suos, ex Iudicibus synodalibus in qualibet dioecesi deputatis; quod si nulli in dioecesi deputati fuerint, ius erit quaslibet alias personas eligendi, habentes tamen qualitates requisitas, et descriptas in cap. *Statutum de Rescript.*

in 6.°, dummodo sint et commorentur in eadem dioecesi, servata in omnibus forma praescripta a Gregorio xv, Const. hic citata. — Gregorius xiii, Const. Aequum reputamus, viii kal. Iun. 1572, Litt. Apost. pag. 50 col. 2, 51 col. 1. — Gregorius xv, Const. Sanctissimus in Christo, 20 Sept. 1621, §§ 2 et 9. — Cfr. Conc. Trid. sess. 14 cap. 5 de reform., sess. 25 cap. 10 de reform. — Lugo, Resp. Mor. lib. 4. dub. 38. — Ant. Comp. § 1.

Quae causae ad eos spectent.

138. Conservatores et Iudices sic electi, postquam de eorum electione penes acta curiae Ordinariorum exhibitum fuerit documentum, possunt per se ipsos, intra suas dioeceses, Societatem eiusque personas, bona et privilegia defendere in omnibus causis civilibus tantum, et quae non spectent ad ea, in quibus per Concilium Tridentinum, et constitutiones apostolicas, Regulares subiiciuntur iurisdictioni et correctioni Ordinariorum; dummodo tamen agatur contra nos, tamquam *reos*, non autem quando sumus *actores*. Gregorius xiii, loc. cit. — Gregorius xv, loc. cit. n. 137, §§ 6 et 9. — Innocentius x, Br. Cum sicut accepimus, 14 Maii 1653. — Ant. Comp. § 2.

In manifestis iniuriis, etiam tamquam actores agere possumus.

139. Sed quum agitur de manifestis iniuriis ac violentiis (quae scilicet aut notoriae sunt ex facti evidentia, aut ad probationem non indigent iudiciali indagine) contra bona, privilegia et personas Societatis, possumus, etiam tamquam actores, quascumque personas, tam ecclesiasticas quam laicas, pertrahere ad iudicium Conservatorum, ut ab eiusmodi molestiis, indebite vel illatis vel inferendis, coerceantur, secundum concessionem Gregorii xiii, loc. cit. n. 137, pag. 51 et 52, quam revocatam in hac parte non fuisse per constitutionem Gregorii xv, citatam eodem numero, constat ex declaratione Sacrae Congregationis annexa eiusdem Pontificis constitutioni, dummodo in caeteris observetur forma constitutionis Innocentii iv et Bonifacii viii in *Cap. 1 et finali de Officio deleg. in 6.°* — Ant. Comp. § 3.

Modus procedendi Conservatorum.

140. In praedictis, ut exposita sunt in nn. praecedentibus, Conservatores ac Iudices electi possunt procedere, appellatione postposita, per censuras ecclesiasticas, quoties opus fuerit, invocato etiam auxilio brachii saecularis contra iniuriatores, contradictores et rebelles; et si, ad eos monendos, citandos, atque inhibendos, tutus non pateret accessus ad loca in quibus illos morari contingeret, possunt haec per edicta publica efficere, in locis publicis dioecesis, in qua funguntur munere Conservatoris, ea affigendo. Gregorius xiii, loc. cit. n. 137, pag. 51 et 52. — Ant. Comp. § 4.

Inchoata per alium perfici possunt.

141. Quilibet Conservatorum et Iudicum praefatorum potest prosequi articulum per alium inchoatum, etiam si qui inchoavit, nullo canonico impedimento praepeditus inveniatur. Gregorius xiii, loc. cit. n. 137, pag. 52 col. 2. — Ant. Comp. § 5.

Possunt defendere nostros familiares.

142. Conservatores electi possunt in manifestis iniuriis et violentiis procedere ad defensionem etiam nostrorum famulorum, et familiarium, si actu in Domibus Societatis inserviant, et intra septa earumdem resideant, secundum Conc. Trid. sess. 24 cap. 11 de reform., ac clericali charactere sint insigniti. Gregorius XIII, loc. cit. n. 137., pag. 48 col. 2; sed, sine limitatione characteris clericalis, concessit Ordini Praedicatorum S. Pius V, Br. AD HOC, 23 Sept. 1571, § 14. Reperitur post Const. ETSI MENDICANTIUM, XVII kal. Iun. 1567, post extensionem privilegiorum. — Ant. Comp. § 6.

Conservatores tenentur suum officium exsequi.

143. Conservatores aliique Iudices de iure capaces, quotiescumque requisiti fuerint, tenentur nostra privilegia publicare, et nobis pro pacifica eorumdem possessione assistere, atque contra iniurias et molestias in praemissis defendere, exsequendo suum officium. Iulius II, Const. IN MILITANTIS, XV kal. Iun. 1504, Rod. Bul. 9. — S. Pius V, loc. cit. n. praeced. — Ant. Comp. § 7.

Quando deveniendum ad arbitros et consulendus Pontifex.

144. Si quae inter Iudices Conservatores et locorum Ordinarios controversia super competentia iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedi potest, dum per arbitros in forma iuris electos super iurisdictionis competentia fuerit iudicatum. Gregorius XV, loc. cit. n. 137, § 10. Si autem verba privilegiorum in praedictis causis sint obscura et ambigua, non licet ad Metropolitanum vel viciniorem Episcopum recurrere, nec Conservatores eligere; sed pro interpretatione adeundus est Summus Pontifex. Innocentius X, Br. citato n. 138. — Ant. Comp. § 8.

145. *Privilegiis praesentis tituli uti poterunt Provinciales, et alii subordinati Superiores de eorum licentia. Notandum vero est, quod Clemens XIII, Const. CUM OMNIUM, IX kal. Maii 1762, confirmavit litteras apostolicas Bonifacii VIII, Gregorii XV, et Innocentii X, circa Iudices Conservatores, et declaravit quod Superiores Regularium temporarii nullo casu deligi possint in Iudices Conservatores, quodque in infidelium regionibus nullo modo expediat ut Regulares privilegiis utantur eligendi Iudices Conservatores. Quamvis autem huiusmodi privilegia non sint revocata, et adhuc subsistant, tamen ob facilem recursum ad Apostolicam Sedem, et ad Romanas Congregationes, hodie ad praxim non amplius reducuntur. Cfr. Ferraris, verbo* Conservatores. — *Benedictus XIV, De Synod. dioeces. lib. 4 cap. 6. — Ant. Comp. § 8.* COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

CONSULTOR.

Consultoris officium.

146. " Volumus ac decernimus, ut deinceps, perpetuis futuris temporibus, unus ex eiusdem Societatis IESU Presbyteris laudatae Congregationis Cardinalium Sacris Ritibus praepositae Consultor sit et habeatur, ut, huius vacatione succedente, alter dictae Societatis Presbyter in ipsius locum semper substituatur. „ Benedictus XIV, Br. CONSTANTEM OMNIUM, 24 Apr. 1748, Litt.

Apost. pag. 282 col. 1. " Munus (Theologi Consultoris Apostolicae Poenitentiariae) uni ex Presbyteris Societatis Iesu diuturna nec interrupta successione commendari consuevit. „ Benedictus xiv, Const. In apostolicae, idibus Apr. 1744, § 15.

CORRECTIO.

Amplissima facultas ad correctionem.

147. " Omnes facultates omnemque iurisdictionem, quod ad correctionem subditorum et punitionem pertinet, quibuscumque Ordinibus, eorumque Generalibus hactenus concessas, non ad instar, sed aeque principaliter, ipsi Societati, eiusque Praeposito Generali concedimus. „ Gregorius xiv, Const. Ecclesiae catholicae, iv kal. Iul. 1591, Litt. Apost. pag. 122 col. 1.

Forma in correctionibus tenenda.

148. In infligendis correctionibus et punitionibus Nostrorum delinquentium, Praelati Societatis, ad quos id noscitur spectare, postpositis iuris apicibus, libere procedere possunt secundum consuetudines approbatas et generalia instituta Societatis facta aut facienda, observatis in hoc deliberatione ac maturitate debita. Concessit Bonifacius viii Minoribus, per Const. Ad augmentum, ii idus Nov., Pontificatus anno primo, Rod. Bul. 2; et Cisterciensibus, per Const. Ad augmentum, idibus Febr., Pontificatus anno tertio, Rod. Bul. 10; et Iulius ii Minimis, per Const. Virtute conspicuos, v kal. Aug. 1506, § 39, Rod. Bul. 26; et Congr. Montis Oliveti, per Const. Etsi ad universos, pridie nonas Iun. 1507, § 9; et Leo x Camaldulensibus, per Const. Etsi a summo, iv nonas Iul. 1513, § 11. — Ant. Comp. § 1. Communicatio.

149. *Haec facultas communicatur omnibus Superioribus. Cfr. Congr. Gener. 6 decr. 32 et 33, et can. 10. — Suarez, De Relig. Soc. Iesu lib. 10 cap. 13. — Ant. Comp. § 1.*

Facultas excommunicandi Nostros, incarcerandi, etc.

150. Omnes Praepositi quosvis Societatis insolentes, et qui id mereri videbuntur, possunt libere per se vel per alios excommunicare, capere, incarcerare, et alias suae disciplinae submittere, et ad id, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis invocare. Paulus iii, Const. Licet debitum, xv kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 15 col. 2. — Ant. Comp. § 2.

151. *Communicatur omnibus Superioribus, excepta excommunicatione, cuius facultas sit penes Provincialem. Verum apprehensio et incarceratio in usu amplius non sunt in praesenti disciplina Ecclesiae, prout iam supra dictum est, n. 45. — Ant. Comp. § 2.*

An, et quomodo Nostri deputari possunt ad ministeria Praelatorum.

152. Tam Praepositus Generalis quam alii inferiores Superiores, " Fratres seu Socios eiusdem Societatis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis seu aliis ecclesiarum Praelatis et personis, in socios aut alias ad ullum eorum ministerium deputare minime teneantur, nisi auctoritate litterarum Sedis Apostolicae de Societate et indulto huiusmodi expressam facientium mentionem; et si quos deputari contingeret, nihilominus sub Ordinis correctione exsistant, et, cum expe-

dire iudicabunt, eosdem removere possint. Deputati vero ad praedicandam crucem, vel ad inquirendum contra haereticam pravitatem, seu ad alia similia, removeri seu revocari a Praeposito Generali, alio transferri, quod supersedeant iuberi, alii in eorum locum substitui, libere et licite valeant." Concessit Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 14 col. 2; et Innocentius IV Minoribus, per Const. CUM SICUT ACCEPIMUS, VII kal. Sept., Pontificatus anno quarto, Rod. Bul. 5. Attendenda tamen hac in re est Const. Benedicti XIV, AD SUPREMUM, XII kal. Aug. 1755, § 33. — Ant. Comp. § 3.

De Confessariis Praelatorum et Principum.

153. Quicumque ex Nostris, non obtenta licentia Summi Pontificis, fuerint Cardinalium, seu aliorum Praelatorum, aut quarumvis aliarum personarum ecclesiasticarum vel saecularium Confessarii aut familiares, (non tamen in domibus eorumdem Cardinalium commorantes) perinde Superioribus et correctioni ipsorum sint subiecti, ac si eiusmodi clientela non potirentur. Immo ad renuntiandum officiis et familiaritatibus huiusmodi, per Superiores Societatis compellendi. Concessit Martinus V Augustinianis, per Const. AD CIRCUMSPECTAM, VI idus Iun., Pontificatus anno nono, §§ 3 et 4, Bullar. August. Const. 4. — Item Nicolaus V mandavit huius bullae exsecutionem per Const. SOLLICITUDO, XVI kal. Iun., Pontificatus anno quinto, §§ 2 et 4, Bullar. cit. Const. 1. — Iulius II Olivetanis, per Const. ETSI AD UNIVERSOS, pridie nonas Iun. 1507, § 22. — Ant. Comp. § 4.

Intercessiones externorum non admittendae.

154. Per privilegium concessum Praedicatoribus, Praelati eorum iubentur, in virtute sanctae obedientiae, ne ad instantiam personarum, tam ecclesiasticarum extra ipsum Ordinem, quavis dignitate, etiam cardinalitia fulgentium, quam laicarum, etiam regali et imperiali, ullam gratiam concedant, vel poenas remittant; et Fratres, qui per mendicatos huiusmodi favores aliquid acquisiverint, perpetuo inhabiles declarantur. Concessit Gregorius XIII, Br. CUM NIHIL MAGIS, 1 Iun. 1580, §§ 1 et 2, quod confirmavit, extenditque Clemens VIII, et similiter alii Pontifices aliis Religionibus concesserunt. — Ant. Comp. § 5.

De correctione Nostrorum per Episcopos.

155. Regulares, etiam exempti, extra claustra degentes, si deliquerint, ab Episcopo loci sunt puniendi. Conc. Trid. sess. 6 cap. 3 de reform. Regulares non subditi Episcopo, intra claustra degentes, extra ea ita notorie delinquentes, ut populo scandalo sint, Episcopo instante, a suo Superiore sunt puniendi, secus ab Episcopo ipso puniri possunt. Conc. Trid. sess. 25 cap. 14 de Regularibus. — Clemens VIII, Const. SUSCEPTI MUNERIS, VII kal. Mart. 1596. Episcoporum iurisdictioni et correctioni subiiciuntur Regulares delinquentes in administratione Sacramentorum quoad saeculares. Cfr. n. 212. Gregorius XV, Const. INSCRUTABILI, nonis Febr. 1622. — Sacra Congregatio Concilii, Urbano VIII approbante, 1623, apud Barbosa, Colle-

ctan. Conc. Trid. ad cap. 11 sess. 25. — Cfr. Ferraris, verbo *Regulares*, art. 2 n. 35 et seqq. — S. Alphonsus, de Privil. n. 82. — Const. Leonis XIII, ROMANOS PONTIFICES, VIII idus Maii 1881, *§ Nihilominus*.

DIGNITAS.

Omnibus, etiam Generali, interdicitur acceptatio cuiuscumque dignitatis extra Societatem.

156. Praepositus Generalis absque Societatis consensu, vel aliquis ex Sociis huiusmodi absque Generalis Praepositi expressa licentia, electioni seu provisioni de illius persona in quamcumque dignitatem, per quemcumque Principem vel quodcumque Capitulum, aut alios ad id auctoritatem habentes, factae consentire, aut ad illam admitti, seu alicuius praelationis et dignitatis in eadem Societate, si eam occulta aut manifesta ambitione quaesiisse convincetur, capax esse nullatenus potest. Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 14. — Cfr. Ferraris, verbo *Appellatio*, art. 3 n. 30 et seqq. — Ant. Comp. § 1.

DECLARATIO. 157. *Ne Praepositus quidem Generalis licentiam Professis dare potest in casibus illis, in quibus Professorum obstat votum.*

Aspiratio ad mutationem gradus.

158. Ad Sacerdotium vel ad Professionem, aut cuiusvis gradus mutationem, nemini aspirare licet. Gregorius XIV, Const. ECCLESIAE CATHOLICAE, IV kal. Iul. 1591, Litt. Apost. pag. 122 col. 2. — Ant. Comp. § 2.

DIMISSIO, EIECTIO.

Potestas dimittendi non Professos, eosdemque ab omni obligatione votorum liberandi.

159. "Potestatem quoque a Societate dimittendi quosvis non Professos, ab hac Sede Apostolica saepius approbatam, eosque ab omni obligatione votorum, iuxta Constitutiones et diplomata, emissorum, per dimissionem ipsam, per quam vota praedicta cessant, liberandi, tamquam rem magni momenti ad Societatis puritatem et conservationem retinendam, omnino ratam, intactam et illibatam esse volumus." Gregorius XIV, Const. ECCLESIAE CATHOLICAE, IV kal. Iul. 1591, Litt. Apost. pag. 122 col. 2.

Dimissionis forma, etiam in Professorum eiectione.

160. "Quod attinet ad dimissionem, forma iudiciaria adhibenda non est, sed modus in Constitutionibus praescriptus, et hactenus in ipsa Societate servatus.., nempe, ut etiam sine aliquo processu, tela aut ordine iudiciario, ac nullis terminis etiam substantialibus servatis, sola facti veritate inspecta, culpae vel rationalis causae tantum ratione habita, ac personarum aliarumque circumstantiarum, quorum consideratio sit cum charitate et prudentia coniuncta, procedi possit." Gregorius XIV, Const. ECCLESIAE CATHOLICAE, IV kal. Iul. 1591, Litt. Apost. pag. 122 col. 1. **Forma iudiciaria non adhibenda,**

Id autem, etiam in Professorum dimissione, locum habet. Neque obstat decretum Sacrae Congregationis Con- **etiam in Professis dimittendis.**

cilii, 21 Sept. 1624, ex peculiari Urbani VIII facultate editum, quo iudicialis forma aliaeque praescriptiones constituuntur in *Professorum* eiectione. Etenim, proposito dubio, " An in eiusmodi decreto comprehendatur Religio Societatis IESU? Sacra Congregatio censuit non comprehendi. „ Ita reperitur in libro XII decretorum Sacrae Congregationis Concilii, ab anno 1619 ad annum 1626, folio 199, post ipsum decretum datum praedicta die 12 Sept. 1624, asservato in archivio eiusdem Sacrae Congregationis. Huius autem authenticae declarationis exemplar, ex citato libro XII decretorum transsumptum die 28 Dec. 1885, et sigillo Sacrae Congregationis munitum, prae oculis habitum est cum hoc scribebatur.

Confirmatio de forma non iudiciaria in non Professis. Caeterum, de forma iudiciaria non servanda erga eos qui simplicibus votis ligantur, habetur nunc decretum Pii IX, datum per Sacram Congregationem super Statu Regularium 12 Iun. 1858, de Professis votorum simplicium aliorum Ordinum: " Licet ad decernendam dimissionem neque processus neque iudicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit sola facti veritate inspecta, tamen Superiores procedere debent summa charitate, prudentia, et ex iustis et rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota; secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superventae dimitti poterit. „ Cfr. Benedictum XIV, de Synod. Dioec., lib. 13 cap. 11. nn. 21-26. — Ferraris, verbo *Regularis*, art. 1 n. 154. — Vivae vocis oracula Societatis, pag. 162.

Professi Societatis eiecti nostra ministeria exercere non possunt.

161. Professis apostatis, sive pro suis culpis eiectis a Societate, nisi ad alium Ordinem de licentia Praepositi Generalis, aut Provincialis, seu Summi Pontificis, transierint, inhibitum est, ne confessiones audire, docere, seu praedicare praesumant. Quod si aliud temere attentaverint, possunt Generalis et Provincialis excommunicationis sententiam in illos promulgare. Concessit Innocentius IV Minoribus, per Const. IUSTIS PETENTIUM, VI idus Sept., Pontificatus anno quarto, Rod. Bul. 8. Idem iisdem concessit Alexander IV, Const. IUSTIS PETENTIUM, IV idus Oct. Pontificatus anno primo, Rod. Bul. 8; et Minimis Iulius II, Const. VIRTUTE CONSPICUOS, V kal. Aug. 1506, § 18; et Praedicatoribus Gregorius XI, Const. VIRTUTE CONSPICUOS, II nonas Mart. 1374, § 20. — Ant. Comp. tit. *Apostatae* § 15.

162. *Hoc privilegio non intendimus eos obligare, qui a Societate quacumque ex causa legitime dimittuntur, secundum decr. 30 Cong. Gen. 9. In praedicto autem decreto agitur tantum de dimissis post vota simplicia, et dicitur: " nec fuisse, nec fore umquam ad mentem Societatis, ut dimissi huiusmodi impediantur, quominus officia vel beneficia consequi possint, si alia quapiam ex causa indigni non sint: id enim a nobis exigere, quod Const. part. 2 cap. 3 n. 5 et seqq. circa dimittendos commendatur. „ Cfr. Benedictum XIV, de Synod. Dioec. lib. 13 cap. 1 n. 22. — Ant. Comp. tit.* Apostatae *§ 15. Cfr. n. seq.* **DECLARATIO.**

Eiecti sunt suspensi, et nullum ius habent ad alimenta.

163. Quamvis ex decretis Urbani VIII de apostatis et eiectis, 21 Sept. 1624, et Innocentii XII, 1 Mart. 1693, eiecti a Religione sint perpetuo suspensi ab exercitio ordinum; idque confirmatum sit per Const. APOSTOLICAE SEDIS, de censuris art. 5 Suspensionum, si *eiecti extra Religionem degant;* dimissos tamen a Societate post vota simplicia dumtaxat, non comprehendi iisdem decretis declaravit Sacra Congregatio *in una Limana Eiectionis,* 11 Febr. 1662, neque comprehendi citata constitutione communis opinio est. His vero Societas non tenetur " ad ullam subministrationem, sive congruae sustentationis, sive alimentorum, sive alio quocumque titulo et causa faciendam..., tametsi, dum in ea permanebant, ad sacros etiam Presbyteratus ordines, sine beneficio ecclesiastico ac patrimonio et ad titulum religiosae paupertatis, promoti fuerint. " Ita, cum plenissima derogatione quorumcumque decretorum in contrarium, etiam Concilii Generalis, statuit Benedictus XIII, Br. INIUNCTI NOBIS, 12 Iun. 1728, Litt. Apost. pag. 236 col. 2, pag. 237 col. 1. — Cfr. Benedictum XIV, De Synod. Dioeces., lib. 13 cap. 11 n. 21-25. — La Croix, lib. 6 part. 2 n. 2196. — Instruct. Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, 27 Apr. 1871, De titulo Ordinationis. — Ant. Comp. tit. *Apostatae* § 16.

DISPENSATIO.

Generalis facultas dispensandi cum nostris Religiosis super irregularitate.

164. Ex concessione S. Pii V, Const. AD IMMARCESCIBILEM, VIII idus Febr. 1567, § 16, PP. Theatinis facta, possunt Praepositi dispensare quoscumque Religionem ingredientes ab irregularitate " alias quomodolibet contracta, " non tamen ex homicidio voluntario proveniente.

Facultas dispensandi ingredientes.

Superiores possunt per seipsos suos subditos dispensare in foro animae, seu conscientiae, ab irregularitibus, uti possunt Episcopi, secundum Trid. Conc. sess. 24 cap. 6 de reform., ab iisdem proprios subditos dispensare, " ne deterioris conditionis, quam clerici aut saeculares, exsistant. " Concessit PP. Praedicatoribus S. Pius V, Br. ROMANI PONTIFICIS, 21 Iul. 1571, § 3. Porro in praedicto cap. 6 sess. 24 Conc. Trid. dicitur: " Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare. "

Dispensandi subditos, uti possunt Episcopi.

Possunt Praepositus Generalis, et Superiores pro tempore exsistentes, dispensare cum iis omnibus, qui sub obedientia Societatis degunt, etiam cum Novitiis, perseverantibus tamen in Religione, et quousque perseveraverint, in omni irregularitate, ad effectum tam suscipiendi ordines, quam gerendi quascumque praelaturas, et officia Religionis, sive ante ingressum irregularitas, sive post ingressum contracta fuerit, ex quavis causa, et ob

Plena facultas dispensandi, reintegrandi, infamiam tollendi, ad susceptionem Ordinum et praelaturas.

quemvis excessum et delictum publicum vel occultum, casu, seu data opera quomodolibet commissum; atque etiam (sed in foro conscientiae tantum) ob homicidium voluntarium, seu membri mutilationem, dummodo haec duo commissa non fuerint post ingressum in Religionem: eosdemque reintegrare possunt contra quamlibet poenam, privationem, inhabilitatem; atque eorum favore quamcumque infamiae maculam abolere valent. Concessit Congregationi Cassinensium idem S. Pius v, Const. Dum ad Congregationem, idibus Iun. 1571, §§ 1 et 2.

Similis facultas cum quibusdam exceptionibus.

Similem facultatem, exercendam tamen per Generalem, et de eius licentia per Provinciales eorumque Vicarios, et erga illos qui vota in Religione emiserint, indulsit pro Societate Paulus iii, Const. Licet debitum, xv kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 18, sed cum exceptione homicidii voluntarii, mutilationis membrorum et bigamiae; eamque, cum iisdem limitationibus et exceptionibus, extendit ad Superiores omnes eorumque Vicarios Sixtus iv pro Ordine Praedicatorum, in Const. Regiminis universalis, pridie kal. Sept. 1474, § 42, Rod. Bul. 33, et ad quoscumque etiam deputandos per Generalem, etiam sine conditione votorum emissorum, sed pro foro conscientiae tantum, Gregorius xiv pro Patribus Ministrantibus infirmis, in Const. Illius, qui pro gregis, xi kal. Oct. 1591, § 27. Sed sine ulla adiectione votorum emissorum, aut pro foro conscientiae (exceptis tamen homicidio, mutilatione, et bigamia) concessit omnibus Abbatibus Olivetanis pro suis Monachis Pius iv, Br. Votis vestris, 24 Maii 1560, § 1.

Duplex facultas a Leone xii concessa.

Novissime Leo xii, Br. Plura inter, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 352 col. 1, Societati generatim concessit: " eos, qui irregularitatem occultam, tam ad suscipiendos quam ad exercendos ordines, incurrerint, in foro conscientiae tantum ab hoc impedimento absolvere. " Itemque, " ut irregulares, qui Societati dant nomen, nisi irregularitas sit ex homicidio voluntario, bigamia, mutilatione membrorum, defectu animi, et infamia iuris vel facti, possint promoveri ad sacros ordines et ad quaecumque Societatis officia. " Atque Praepositus Generalis, ut Praesul, potest " huiusmodi facultatibus omnium Societatis Domorum, Collegiorum, in qualibet Provincia, Praesules munire. " Leo xii, loc. cit., pag. 352 col. 2.

Plenissima facultas erga subditos exercenda semel in anno.

Demum singulis annis, feria secunda post Dominicam primam Quadragesimae, possunt Superiores locales per se ipsos, vel per Confessarios quibus commiserint, dispensare cum suis subditis, etiam Novitiis, intra claustra sub obedientia viventibus, in omni irregularitate, quavis occasione vel causa contracta. Concessit Paulus iii Congregationi S. Benedicti Vallisoleti, Br. Exponi Nobis nuper, 12 Mart. 1545, Rod. Bul. 12. — Cfr. n. 174. — Ant. Comp. § 1 et 4.

Communicatio et declaratio.

165. *Facultas dispensandi in irregularitate ex homicidio voluntario, mutilatione membrorum et bigamia, reservatur Generali. In caeteris irregularitatibus conceditur Provincialibus, et quibus ipsi commiserint. Facultas vero dispensandi cum Nostris semel in anno communicatur, pro foro conscientiae, omnibus Superioribus et Confessariis ordinariis Nostrorum, exceptis tamen homicidio, mutilatione membrorum, et bigamia. Admoneantur sic dispensati, Societatem ingressuri, nisi mox Societatem ingrediantur, (etiam si illis induciae a Su-*

perioribus concessae fuerint), atque Societatem iam ingressi in ea perseverent, eo ipso in pristinas inhabilitates et irregularitates illos reincidere. Notandum autem hic est, in praecedenti facultate, etiam in ea, quae a S. Pio v concessa est, non comprehendi homicidium per industriam *et* per insidias, *neque homicidium* ex procuratione abortus fetus animati. *Obstant enim Conc. Trid. sess. 14 cap. 7, et Const. Sixti v, Effraenatam, iv kal. Nov. 1588, nec non Const. Gregorii xiv, Sedes Apostolica pia mater, pridie kal. Iun. 1591. — Cfr. Didacum ab Aragonia, Dilucidatio Privilegiorum Ordinum Regularium, praesertim Mendicantium, tr. 2 cap. 7. — Ant. Comp. §§ 1 et 4. — P. Ro.*

Dispensatio irregularitatis ob violatam censuram.

166. Paulus iii Generali, et iis quos ipse deputaverit, indulsit, ut omnes ingressos et ingressuros Societatem dispensare possint super irregularitate contracta, eo quod celebraverint, aut divina officia peregerint, aut ordines susceperint irretiti censura aliqua excommunicationis, suspensionis et interdicti, Const. Licet debitum, xv kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 15 col 1. — Ant. Comp. § 1.

Communicatio. 167. *Communicatur praecedens facultas Provincialibus, et quibus ipsi commiserint, facta monitione, ut in n. 165. — Cfr. Reiffenstuel lib. 5 tr. 7 nn. 419-422. — Ant. Comp. § 1.*

Dispensatio in defectu natalium post vota emissa.

168. Qui Societatem ingressi sunt, postquam vota emiserint, possunt dispensari per Generalem et Provincialem eorumque Vicarios, super quocumque defectu natalium, et, eo non obstante, promoveri ad sacros ordines, et ad praelaturas ac officia Religionis. Paulus iii, Const. Licet debitum, xv kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 18. Quam dispensandi potestatem ad omnes Superiores locales extendit Sixtus iv, Const. Regimini universalis, pridie kal. Sept. 1474, § 42, Rod. Bul. 33; et Gregorius xiv, Const. Illius, qui pro gregis, xi kal. Oct. 1591, § 29. — Ant. Comp. § 2.

169. *Praecedens facultas communicatur Provincialibus, et quibus ipsi commiserint. — Ant. Comp. § 3.* Communicatio.

Eadem facultas pro ingressuris Societatem.

170. Etsi Sixtus v sua Const., Cum de omnibus, vi kal. Dec. 1587, derogaverit omnibus privilegiis dispensandi cum illegitimis, eosque inhibuerit recipi in Religionem, atque ad ordines et praelaturas promoveri; ac subinde huiusmodi derogationem et inhibitionem, praescripta certa forma servanda, temperaverit Gregorius xiv, Const. Circumspecta Romani Pontificis, idibus Mart. 1591, § 4, et deinde Clemens viii, Br. In Suprema, 2 Apr. 1602, § 3, reduxerit etiam ipse ad terminos iuris communis illam Const. Sixti v, maxime pro ea parte in qua declarabatur nulla professio illegitimorum; idem tamen Gregorius Societati restituit facultatem recipiendi, servata forma sui Instituti, huiusmodi illegitimos, atque cum iisdem, tam Novitiis quam veteranis, dispensandi, secundum antiqua privilegia, ut in Br. Exponi nobis, 30 Aug. 1591, Litt. Apost. pag. 126 col. 1. — Ant. Comp. § 3.

COMMUNICATIO. 171. *Facultas praecedentis numeri communicatur Provincialibus, et quibus ipsi commiserint. — Ant. Comp. § 3.*

Facultas dispensandi cum Nostris ab aliis poenis.

172. Possunt praeterea Superiores Societatis dispensare cum suis subditis in aliis poenis latae sententiae: inhabilitatis, privationis officii, vocis activae et passivae etc., de quibus in Const. S. Pii v, DUM AD CONGREGATIONEM, § 2. — Cfr. n. 164, et S. Alphonsum de Privil. n. 105.

COMMUNICATIO. 173. *Facultas haec reservatur Praeposito Generali.*

Facultas dispensandi cum saecularibus in quibusdam irregularitatibus.

174. Confessarii, secundum Conc. Trid. approbati, et a nostris Superioribus ad audiendas confessiones externorum deputati, possunt cum poenitentibus dispensare, pro foro conscientiae, super irregularitatibus provenientibus *ex delicto occulto,* dummodo contractae non sint ex homicidio voluntario, mutilatione membrorum, et bigamia. Concessit Ordini Minimorum Sixtus iv, Const. SEDES APOSTOLICA, vi kal. Iun. 1474, § 7, et concessionem in specie confirmavit Iulius ii, Const. DUDUM AD SACRUM, v kal. Aug. 1506, § 34. Ad saeculares etiam extenditur facultas generatim et in perpetuum Societati concessa a Leone xii, primo loco commemorata n. 164. — Possunt Nostri, dum sacris Missionibus vel publicis Exercitiis tradendis incumbunt, dispensare pro foro conscientiae, et in actu sacramentalis confessionis tantum, ab omnibus irregularitatibus occultis, etiam *specialem, expressam et individuam mentionem* alias *exigentibus.* Concessum Patribus Congregationis a Passione D. N. IESU Christi a Pio vi, rescripto 27 Maii 1789, Compendium Privil. Passionist. n. 116.

175. *Communicatur omnibus Superioribus, et Confessariis quibus ipsi commiserint.* COMMUNICATIO.

Facultas dispensandi circa ea, in quibus possunt Episcopi.

176. Ex concessione Iulii ii, Const. ETSI AD UNIVERSOS, pridie nonas Iun. 1507, § 31, Leonis x, Const. ETSI A SUMMO, iv nonas Iul. 1513, § 38, et S. Pii v, Br. ROMANI PONTIFICIS, 21 Iul. 1571, § 3, possunt nostri Superiores locales dispensare cum suis subditis, in iis in quibus possunt Episcopi iure communi erga clericos et laicos sibi subiectos. Facultas generalis erga Nostros.

Et super cibis vetitis, et ieiuniis dispensare cum Nostris potest Praepositus Generalis per se, vel per alios Professos. Iulius iii, Br. SACRAE RELIGIONIS, 22 Oct. 1552, Litt. Apost. pag. 28 col. 2. Per extensionem tamen Gregorii xiii, de qua n. 106, id facere potest per quemlibet alium Societatis. Et Leo xii, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 352 col. 2, facultatem concessit, cum potestate ea muniendi Superiores, " iustis de causis Societatis Alumnos a ieiunio et vetitis cibis dispensandi. „ Per concessionem autem Iulii ii factam Ordini Minimorum, Const. DUDUM AD SACRUM, v kal. Aug. 1506, § 15, eadem dispensandi facultas extenditur etiam ad nostros famulos continuo habitantes in nostris Domibus. — Ant. Comp. § 6. Super cibis vetitis et ieiuniis pro Nostris et pro familiaribus.

Et generatim, ac propterea tam pro Nostris quam pro saecularibus, Facultas vicennalis etiam pro saecularibus.

Leo XII vicennalem facultatem concessit " dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum et lacticiniorum, tempore ieiuniorum, et praesertim quadragesimae. " Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 354 col. 1. — Ant. Comp. § 6.

COMMUNICATIO. 177. *Haec facultas dispensandi in iis, quae aliunde non sunt reservata, communicatur omnibus Superioribus pro Nostris; pro externis vero, Superioribus, et iis quibus ipsi commiserint. — Ant. Comp. § 6. — P. Ro.*

Facultas dispensandi vota.

178. Possunt nostri Confessarii dispensare cum externis poenitentibus in votis non reservatis Pontifici, etiam si reservata essent Episcopis. Concessit Congregationi Benedictinorum S. Iustinae Eugenius IV, Const. ETSI QUASLIBET PERSONAS, pridie kal. Iul. 1436, § 11 et 12, Rod. Bul. 11. — Minimis, Sixtus IV, Const. SEDES APOSTOLICA, VI kal. Iun. 1474, § 7. — Monachis Montis Oliveti, Iulius II, Const. ETSI AD UNIVERSOS, pridie nonas Iun. 1507, § 32; et Camaldulensibus, Leo X, Const. ETSI A SUMMO, IV nonas Iul. 1513, § 40. Et Leo XII Societati concessit vicennalem facultatem " dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera; et dispensandi ex rationabili causa in votis simplicibus castitatis et Religionis. " Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 353 col. 1. Quid possint Superiores et Confessarii in dispensandis votis nostrorum Religiosorum et Novitiorum, colligi etiam potest ex dictis initio n. 176, ubi de eorum potestate in suos subditos. — Ant. Comp. § 7.

COMMUNICATIO. 179. *Haec facultas communicatur, tam respectu saecularium quam Nostrorum, omnibus Superioribus, et aliis Confessariis quibus ipsi commiserint. Vicennalis tamen Leonis XII facultas, pro altera eius parte, dispensandi in votis simplicibus castitatis et Religionis, communicatur Provincialibus, caeterisque Superioribus Provincialium potestate utentibus, aliisque quibus ipsi commiserint. — Ant. Comp. § 7. —P. Ro.*

Dispensatio ad petendum debitum cum ligatis voto castitatis.

180. Nostri Confessarii ex commissione Provincialis dispensare possunt ad petendum debitum, cum iis qui post votum simplex castitatis matrimonium contraxerunt, vel, eo iam contracto, eiusmodi votum emiserunt, nisi emissum fuerit ex mutuo consensu coniugum. Ex concessione authentica Ordini Minorum facta oraculo S. Pii V, et servata Romae in archivio, olim Aracoelitano, Commissarii Generalis in Curia romana; cui concessioni adstipulatur praeterea facultas iisdem Confessariis concessa, dispensandi in votis in quibus possunt Episcopi, ut supra n. 178. — Ant. Comp. § 8.

181. *Uti poterunt hac facultate Provinciales, et Confessarii quibus ipsi commiserint, admonito tamen poenitente, ut, si coniugi supervivat, votum servet. — Ant. Comp. § 8. — S. Alphonsus, lib. 3 n. 258, lib. 6 n. 986, 987, 1126 et 1128; de Privil. n. 109.* COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

Eadem pro incestuosis ad petendum debitum.

182. Quum, ex concessione Eugenii IV, Const. ETSI QUASLIBET, pridie kal. Iul. 1436, Rod. Bul. 11, § 11 et 12, Superioribus et Confessariis Congregationis S. Iustinae indultum fuisset,

ut dispensare possent pro foro conscientiae cum saecularibus poenitentibus in omnibus poenis, in quibus possunt Episcopi: quumque praeterea, iis relaxatis, poenitentes *eosdem habilitare* possent, atque in pristinum reintegrare ex facultate Sixti IV, in *Mari magno* Augustinianorum, Rod. Bul. 34; Iulius II declaravit per Cardinalem maiorem Poenitentiarium, et, quatenus opus esset, de novo concessit Benedictinis Vallisoletanis, *ut, tam vigore concessionis apostolicae praedictae, quam verborum* (eosdem habilitare), *Praelati et Confessarii* ab illis deputandi, cum coniugatis, qui, post contractum matrimonium consanguineas uxorum suarum vel consanguineos virorum suorum carnaliter cognoverunt, non obstante affinitate superveniente, dispensare ad petendum debitum libere et licite possent. Est authenticum documentum apud Rod. Bul. 23, neque haec facultas revocata est a Clemente XII, Br. ROMANUS PONTIFEX, 12 Feb. 1732, nam expresse excepit facultates per rescripta Poenitentiariae Apostolicae. Leo XII vicennalem facultatem concessit Societati " restituendi ius petendi debitum amissum, „ Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 353 col. 1 et 2. — Ant. Comp. § 9.

COMMUNICATIO. 183. *Facultas haec conceditur Superioribus, et Confessariis quibus ipsi commiserint. — Ant. Comp. § 9. — P. Ro.*

DOMUS.

Facultas habendi Domos.

184. Quomodo Domus ubique possit habere Societas; et, eo ipso quod sunt constructae vel donatae, censentur erectae et confirmatae apostolica auctoritate, vide tit. *Aedificia*, n. 17. — Ant. Comp. § 1.

Domus Probationis habere possunt reditus.

185. Collegia et Domus Probationis Societatis, uti etiam Collegia, bona stabilia et reditus habere possunt. Paulus III, Const. REGIMINI MILITANTIS, V kal. Oct. 1540, Litt. Apost. pag. 5 col. 2. — Iulius III, Const. EXPOSCIT DEBITUM, XII kal. Aug. 1550, Litt. Apost. pag. 25 col. 2. — Pius IV, Br. EXPONI NOBIS, 19 Aug. 1561, Litt. Apost. pag. 35 col. 1. — Gregorius XIII, Const. ASCENDENTE DOMINO, VIII kal. Iun. 1584, Litt. Apost. pag. 93 col. 2. — Ant. Comp. § 2.

Domus Professae reditus habere non possunt.

186. Domus et ecclesiae Professorum Societatis ad nullos reditus aut possessiones, neque ad ulla bona stabilia, praeter ea, quae opportuna sunt ad usum proprium et habitationem, retinenda, ius aliquod civile acquirere possunt, sed rebus sibi ex charitate donatis sustentari debent. Paulus III, Const. REGIMINI MILITANTIS, V kal. Oct. 1540, Litt, Apost. pag. 5 col. 2. — Iulius III, Const. EXPOSCIT DEBITUM, XII kal. Aug. 1550, Litt. Apost. pag. 25 col. 2. — Pius IV, Br. EXPONI NOBIS, 19 Aug. 1561, Litt. Apost. pag. 35 col. 1. — Gregorius XIII, Const. ASCENDENTE DOMINO, VIII kal. Iun. 1584, Litt. Apost. pag. 93 col. 2.

ECCLESIA.

Facultas benedicendi et consecrandi ecclesias et coemeteria.

187. Possunt Nostri facere poni primum lapidem in ecclesiis aut oratoriis, et facere benedici aut consecrari oratoria et ecclesias Societatis ac coemeteria per quoscumque Episcopos, si Dioecesani requisiti id facere negaverint, vel ultra quatuor menses id facere distulerint. Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 18 col. 1. Idem quoad altaria consecranda concessit Honorius IV Minoribus, Const. EX PARTE VESTRA, Pontificatus anno primo, Rod. Bul. 2. Leo XII facultatem perpetuam Societati concessit, ut eius " ecclesiae possint a quolibet Episcopo vel Archiepiscopo benedici et consecrari, de sententia Ordinarii loci." Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 351 col. 2. — Cfr. n. 58. — Ant. Comp. § 1.

De cadaveribus exhumandis.

188. Quamvis Superiores locales plenam et ordinariam iurisdictionem (exceptis casibus in quibus subsunt Episcopis) habentes in nostris ecclesiis, possint iure suo ex iusta causa exhumare corpora defunctorum, et ad alias sepulturas *intra eamdem ecclesiam* transferre; ad maiorem tamen cautelam, hoc idem concessit Minoribus vivae vocis oraculo, " de consensu illorum quorum interest, " Leo X, ut habetur in eorum supplemento fol. 58 pag. 2, concess. 162. Hoc autem oraculum revocatum non est, cum fuerit a Summo Pontifice signatum, uti eruitur ex litteris Card. Laurentii, 15 Apr. 1516. — Rod., Oracula vivae vocis Leonis X, nn. 5, 22 et 23. — Ant. Comp. § 3.

189. *Huius facultatis usus sit privatus tantum, non solemnis vel publicus. Et, si agatur de cadaveribus externorum, quae separatum et proprium habeant sepulcrum, translatio non fiat, nisi de consensu illorum, quorum interest. Quod si exhumandum sit cadaver aliquod, ad recognitionem faciendam a Iudice laico, petatur facultas ab Episcopo vel Vicario, secundum consuetudinem locorum. Attendendae praeterea sunt in praesenti civiles leges de hac re. — Ant. Comp. § 3.* COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

De indulgentiis nostrarum ecclesiarum.

190. Indulgentiae a S. Sede concessae ecclesiis Societatis extenduntur ad " ecclesias, quae olim ad Societatem ipsam pertinebant, eidemque denuo restitutae sunt; " itemque ad " alias ecclesias, quae numquam proprie ad Societatem ipsam pertinuerunt, sed earum cura eidem Societati concredita est, dummodo penes illas Patres Societatis IESU resideant, et ministeria propria inibi obeant, " et dummodo " concessio usus sit legitima, et usus constans ac plenus, et dummodo huiusmodi ecclesiae sint publicae. " Sacra Congregatio Indulgentiarum, 18 Aug. 1868, Litt. Apost. pag. 421.

ELEEMOSYNAE.

Christi fideles prohiberi non possunt ne nobis eleemosynas largiantur.

191. Mandatur Ordinariis, eorumque Vicariis seu Officialibus, et Curatis, ac aliis quibuscumque, qui, ne

Christi fideles nobis eleemosynas erogare praesumant, suadere, ac etiam sub censuris inhibere, ac erogantes excommunicatos fore praedicare, seu praedicari facere, seu pronuntiare praesumunt, " ut ab huiusmodi persuasionibus, inhibitionibus et mandatis omnino abstineant. „ Sixtus IV, Const. SACRI PRAEDICATORUM, 26 Iulii 1479, § 8, pro Praedicatoribus et Minoribus. Idem Sixtus IV, pro Eremitis S. Augustini, in eorum Mari magno, § 11; pro Carmelitis, in eorum Mari magno, § 70; Innocentius VIII, pro Servitis, eorum Mari magno, § 43. Clemens VII declaravit Mendicantes non esse *quaestores*, Const. GRATUM DEO, XV kal. Maii, Pontificatus anno primo, § 3, Rod. Bul. 6. — S. Pius V, Const. ETSI MENDICANTIUM, XVII kal. Iun. 1567, *§ Quod vero,* idem amplius declaravit, et propterea Mendicantes non comprehendi in decreto Conc. Trid. sess. 21 cap. 9 de reform. contra *quaestores*. — Cfr. n. 193. — Ant. Comp. § 1.

COMMUNICATIO. 192. *Facultas requirendi, de qua in praecedenti numero, communicatur Provincialibus, et iis quibus ipsi commiserint. — Ant. Comp. § 1.*

Petitores eleemosynarum pro Domibus Professorum.

193. Domus nostrae Professae deputare possunt, secundum rationem nostri Instituti, nulla alterius desuper requisita licentia, eos, qui ipsarum nomine eleemosynas a fidelibus petant: nam de usu quaestorum auferendo, quod statuit Conc. Trid. sess. 21 cap. 9 de reform., " id ad Mendicantium Ordines nullo modo referri posse vel debere „ decrevit S. Pius V; et quum " eleemosynis huiusmodi vivere cogantur, eis id facere liberum omnino esse „ declaravit, Const. ETSI MENDICANTIUM, quod etiam confirmavit Urbanus VIII suo decreto, 12 Iulii 1644, et denuo Benedictus XIV, Const. QUAMVIS IUSTO, pridie kal. Maii 1749, § 10. — Cfr. n. 191. — Ant. Comp. §. 2.

EMPHYTEUSIS.

Bona emphyteutica quando iterum possunt emphyteuticari.

194. Bona, post emphyteusim reversa ad Societatem, non possunt amplius sine beneplacito apostolico in emphyteusim dari, nisi, aut constet sic data fuisse *semel valide et solemniter, aut de solita emphyteusi* doceatur per *duplicem locationem*, quae habuerit effectum saltem per quadraginta annos, et servatis aliis de iure servandis. Cfr. n. 88. — Ant. Comp.

EUCHARISTIA.

Eucharistia in nostris ecclesiis et oratoriis.

195. Potest Societas in suis ecclesiis sacrosanctam Eucharistiam servare. Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 18 col. 2; sed ex concessione perpetua Benedicti XIV, eadem in cappellis et oratoriis domesticis uniuscuiusque nostrae Domus, Collegii, Tyrocinii, Seminariique, in quibus permissum est alias sacrificium Missae, retineri potest, quoties et quando Praeposito Generali ita expedire in Domino videbitur. Br. QUEMADMODUM PRESBYTERI, 15 Iulii 1749, Litt. Apost. pag. 293 col. 2. — Ant. Comp. § 1.

196. *Praecedens facultas communicatur Provincialibus.* COMMUNICATIO.

Ministratio Eucharistiae in nostris ecclesiis et oratoriis.

197. Possunt Nostri in nostris ecclesiis et oratoriis, atque ubicumque nobis permittitur usus altaris portatilis, ut supra nn. 27 et seqq., ministrare sacramentum Eucharistiae quibuscumque personis, et quoties opus fuerit. Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 18 col. 2; et Gregorius XIII, Br. USUM ALTARIS, 1 Octob. 1579, Litt. Apost. pag. 78 col. 2. Quam facultatem, etiam per quoscumque alios Sacerdotes exercendam, indulsit pro Minimis Iulius II, Const. DUDUM AD SACRUM, 18 Iul. 1506, § 39. Et novissime Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 352 col. 1, Societatis Religiosis concessit facultatem, " peracto Sacrificio, seu ante illius celebrationem, aut alias, Eucharistiae sacramentum ministrandi. "

Facultas pro Nostris communicandi ante auroram.

In Compendio autem privilegiorum PP. Passionistarum, n. 151, haec habentur: " Fratres ac Clerici Congregationis nostrae, urgente aliqua rationabili causa, possunt communicare intra Missam, quae dicitur a Sacerdotibus nostris ante auroram, iuxta privilegium quo fruimur. Nobis Gregorius XVI, vivae vocis oraculo, 14 Ian. 1833. " — Ant. Comp. § 2.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

198. *Communicatur omnibus nostris Sacerdotibus; et, quoad externos Sacerdotes, committitur Praefectis ecclesiarum. Numquam tamen in alienis ecclesiis, sine licentia eorum ad quos pertinet, hoc Sacramentum ministrabunt, et multo minus in oratoriis domesticis saecularium, nisi accedat permissio Ordinarii, vel saltem consuetudine aut statuto non prohibeatur, secundum litteras encyclicas Benedicti XIV,* Certiores effecti, *13 Nov. 1742, §§ 4 et 5;* Magno cum animi, *2 Iun. 1751, § 23. — Ant. Comp. § 2.*

Quocumque tempore ministrari potest, excepto Paschate, et in periculo mortis.

199. Omnes Christi fideles, Rectorum suorum parochialium licentia minime requisita, possunt a nostris Sacerdotibus SS. Eucharistiam recipere quovis anni tempore, praeter quam die dominica Paschatis, et in mortis periculo, nisi etiam tunc aut necessitas urgeat, aut accedat Rectoris parochialis aut Ordinarii licentia. Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 18 col. 2; et idem Pontifex pro Clericis Regularibus S. Pauli, Const. DUDUM FELICIS, VIII kal. Aug. 1535, § 7. — Iulius II, pro Minimis, Const. DUDUM AD SACRUM, V kal. Aug. 1506, § 39. — Pius IV, pro Minoribus, Br. EX CLEMENTI, 27 Apr. 1561, Rod. Bul. 2; et S. Pius V, pro Theatinis, Const. AD IMMARCESCIBILEM, VII idus Febr. 1567, § 17. — Cfr. Benedictum XIV, epist. encycl. *Magno cum animi*, n. 22. — Const. part. 7 cap. 4 n. 5. — Ant. Comp. § 3.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

200. *Communicatur omnibus Sacerdotibus, sed in necessitate Viatici exquiratur, si tempus permittat, Superioris licentia, et consilium ad inquirendum an ea ita urgeat, ut ministrari a Nostris possit, sine periculo incurrendi excommunicationem Romano Pontifici simpliciter reservatam per Const.* APOSTOLICAE SEDIS, *de Censuris. — Ant. Comp. § 3.*

Quid circa familiares et hospites.

201. Leo x concessit Minimis, ut etiam paschali tempore, et in mortis articulo, ministrare possent in eorum ecclesiis et Domibus sacramentum Eucharistiae suis famulis in habitu saeculari servientibus, Const. His quae pro fidelium, nonis Iul. Pontificatus anno primo, Rod. Bul. 41. Quod S. Pius v, post Concilium Tridentinum, extendit etiam ad hospites, Const. Ad immarcescibilem, vii idus Febr. 1567, § 17, concedens Theatinis, ut Viaticum ministrare possint, *hospitibus quibuscumque saecularibus et extraneis, quos in locis seu habitationibus* eorum Congregationis tunc reperiri contigerit, Dioecesanorum, ac Parochialium ecclesiarum, et Sacerdotum Curatorum, aut aliorum quorumcumque licentia minime requisita, nec obtenta. Eadem concessio habetur pro Benedictinis Vallisoleti, Sixti iv, litteris Nicolai Franci, Legati a latere, *Exhibita siquidem*, 8 Iun. 1476, Rod. B. 42. — Ant. Comp. § 4.

Communicatio et declaratio. 202. *Usus huius privilegii in famulis erit prout dicetur inferius, n. 237. Cfr. num. 14. In hospitibus vero, quum in factis particularibus sint in contrarium plures decisiones Sacrae Congregationis, et contraria fere ubique consuetudo, eo Nostri, praeter quam in subito casu, cum necessitas premit, et tempus non suppetit adeundae parochiae, in praxi non utantur. — Ant. Comp. § 4.*

Eucharistia occulte retineri et deferri potest in locis Missionum.

203. Leo xii, Br. Plura inter, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 354 col. 1, vicennalem concessit facultatem " deferendi SS. Eucharistiae Sacramentum occulte ad infirmos, sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro iisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii. „

204. *Hanc facultatem Nostri usurpare possunt in iis dumtaxat locis, ubi similis a Sacra Congregatione de Propaganda Fide Sacerdotibus tribui solet. — P. Ro.* Communicatio.

De expositione SS. Sacramenti.

205. Possumus " SS. Eucharistiam publice Christi fidelium venerationi, decretis generalibus ac legibus dioecesanis respective servatis, exponere. „ Clemens xiv, Const. Supremi Apostolatus, xvi kal. Dec. 1769, § 4, pro PP. Passionistis. " Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, 10 Dec. 1602, censuit non licere Regularibus, etiam in eorum propriis ecclesiis, SS. Eucharistiae Sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quae probata sit ab Ordinario; ex causa autem privata posse, dummodo SS. Sacramentum e tabernaculo non extrahatur, et sit velatum, ita ut ipsa Sacra Hostia videri non possit „ Cfr. Benedictum xiv, De Synod. Dioec., lib. 9 cap. 15 n. 4. — Ferraris, verbo *Benedictio*, art. 5 n. 18. Infra hebdomadam tamen Corporis Christi, SS. Sacramentum Regulares publice exponere possunt, absque Ordinarii licentia, inter Missarum solemnia et Vesperas. Sacra Rituum Congregatio, 20 Apr. 1641, Gardell. n. 1321.

EXCOMMUNICATIO.

Quomodo excommunicatio proferenda.

206. Non obstante cap. 1. *de Sent. Excom. in* 6.°, Praepositi aut Rectores, si sententiam excommunicationis in aliquem Nostrum ferre velint, non tenentur eam scripto proferre, quia in correctionibus et punitionibus delinquentium procedere possumus, postpositis iuris apicibus, secundum concessionem relatam n. 148. — Ant. Comp. § 1.

COMMUNICATIO. 207. *Si in aliquo casu opus esset hac facultate, Provincialis ea uti permittitur, caute tamen et prudenter. — Ant. Comp. § 1.*

Nostri et loca Societatis excommunicari et interdici non possunt.

208. Omnes sententiae excommunicationis, suspensionis, et interdicti, quas, contra nostra privilegia, Ordinarii vel alii quicumque, in nos et loca nostra, vel in alias personas occasione nostri, ferre attentaverint, sine mandato Sedis Apostolicae, ipso facto sunt irritae quoad nos; quoad alios vero occasione nostri, irritandae. Concessit Societati Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 16 col. 1. — Fratribus S. Spiritus in Saxia, Innocentius III, Const. INTER OPERA, XIII kal. Iul. 1204, § 7. — Monialibus S. Clarae, Eugenius IV, Const. LICET ROMANUS PONTIFEX, idibus Aug. 1439, §§ 2 et 5. — Olivetanis, Iulius II, Const. ETSI AD UNIVERSOS, pridie nonas Iun. 1507, § 23; et Canonicis S. Salvatoris, idem Pontifex, Const. INTER CAETEROS, IV nonas Apr. 1512, §§ 35 et 36. — Praedicatoribus, Sixtus IV, Const. REGIMINI UNIVERSALIS, 1474, § 8; et iisdem Praedicatoribus, et Minoribus, cum extensione supra dicta ad alias personas, Alexander IV, bulla 110, REGES, apud Vadingum, tom. II. — Ant. Comp. § 2.

209. *Huic specialioris exemptionis privilegio, unico tantum casu derogavit expresse Gregorius XV, Const. INSCRUTABILI, nonis Febr. 1622, § 6, si nempe "in alienis ecclesiis, aut quae suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, et in ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, praedicare praesumpserint." Verum Innocentius X, Br. CUM SICUT ACCEPIMUS, 14 Maii 1653, constitutionem Gregorii XV declarando, alium addidit casum, confessionum audiendarum, dub. IV 2.ae seriei: "An Episcopus possit cum censuris procedere contra Regulares exemptos, si inobedientes fuerint in confessionibus audiendis, vel praedicatione verbi Dei, et hoc, an vigore Conc. Trid., vel per quem canonem? Resp. posse procedere, nonquidem in vim Conc. Trid., sed in vim Const. Gregorii XV, INSCRUTABILI DEI PROVIDENTIA." Tertius item casus addendus est, imaginum sacrarum inconsueto vel scandaloso modo pictarum, ex Br. Urbani VIII, SACROSANCTA TRIDENTINA, 15 Mart. 1643, Gardell. 1403. — Cfr. Lezana, Summ. Quaest. Regul., verbo* Exemptio Regularium, *n. 9 et seqq.* DECLARATIO.

In casibus dubiis consulenda Sedes Apostolica.

210. Quum agitur de praedicta exemptione a potestate et censuris Ordinariorum, si, exhibitis nostris privilegiis coram ipsis, ab illis iudicetur privilegia non suffragari casui de quo agitur; *si dictorum privilegiorum ver-*

ba sint obscura, non est ad Metropolitanum provocandum, sed, cum eius sit interpetrari cuius est condere, interpretatio Sedis Apostolicae iudicio est requirenda. Clemens x, Const. SUPERNA, XI kal. Iun. 1670, § 7.

EXEMPTIO.

Societas eiusque bona eximuntur ab Ordinariis.

211. " Societas, et universi illius Socii ac personae, illorumque bona quaecumque, ab omni superioritate, iurisdictione et correctione Ordinariorum sunt exempta ac libera, susceptaque sub Sedis Apostolicae protectione. „ Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 16 col. 1. — Pius VII, Br. CATHOLICAE FIDEI, 7 Mart. 1801, Litt. Apost. pag. 334 col. 2. — Br. PER ALIAS, 30 Iul. 1804, Litt. Apost. pag. 336 col. 2; Const. SOLLICITUDO, VII idus Aug. 1814, Litt. Apost. pag. 340 col. 1. — Const. Clementis VI, FRUCTUS UBERES, XIV kal. Aug. Pontificatus anno sexto, Eremitanis S. Augustini, Rod. Bul. 1; et Const. Eugenii IV confirmantis alias decessorum Bonifacii IX et Martini V, ut in Comp. Minor. verbo *Exemptio*, nn. 15 et 16 videre est. Secundum quod tam personae quam res Societatis eximuntur a iurisdictione quorumlibet Ordinariorum et Praelatorum ac personarum ecclesiasticarum, ac in ius et proprietatem B. Petri et Sedis Apostolicae, et sub eorum speciali et immediata protectione suscipiuntur: ita quod praefati Praelati, aut quaevis alia persona, nequeat, etiam ratione delicti, seu contractus, vel rei de qua agitur, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat, iurisdictionem quomodolibet exercere. Pariter, qui sunt de Societate, per litteras Apostolicae Sedis, aut Legatorum seu Delegatorum ipsius, conveniri a quocumque minime possunt, nisi huiusmodi apostolicae litterae de hoc indulto et ordine Nostro expressam faciant mentionem. Concessit Clemens IV Minoribus, per bullam, ut in eorum Comp. verbo *Exemptio*, n. 1, et *Conveniri in iudicio*, nn. 1 et 2, habetur; et Sixtus IV, per Const. REGIMINI, pridie kal. Sept. 1474, § 15, Rod. Bul. 14. Idem Pontifex, simili Const., eiusdem diei, confirmavit huiusmodi indultum Gregorii XI, pro Dominicanis, § 17. Habetur apud Rod. Bul. 33.

Tandem Leo XIII, Const. ROMANOS PONTIFICES, VIII idus Maii 1881, §§ *Ad regularium* et *De hoc;* " Romani Pontifices.... Clerum Regularem Episcoporum iurisdictione exemptum esse statuerunt..., quod earum Domus habitae fuerint iuris fictione quasi territoria quaedam ab ipsis dioecesibus avulsa.... Quum autem re ipsa intra fines dioecesium vitam degant, sic huius privilegii temperata vis est, ut sarta tecta sit dioecesana disciplina, adeoque, ut Clerus regularis in multis subesse debeat episcopali potestati, sive ordinariae, sive delegatae.... Iure autem communi constitutum est, ut Domus, quae Sodales sex minimum non capiant, in potestate Episcoporum esse omnino debeant. „ Cfr. n. 213., et Innocentii x Const. INSTAURANDAE, 15 Oct. 1652; et Const. UT IN PARVIS, 10 Febr. 1654, eadem Leonis XIII constitutione citatas. Declaratio Leonis XIII de exemptione, et de numero Religiosorum, ut ea fruantur, necessario.

212. *Quod summus Pontifex in postremo loco asserit, de sex Religiosorum numero, id non ad partem profecto dispositivam constitutionis pertinet, sed* DECLARATIO.

ad eius partem doctrinalem et dissertivam. Plures autem excipiuntur casus, quibus Episcopis subiicimur, tam per Conc. Trid., quam per constitutiones apostolicas. — Catalogum rerum, in quibus Regulares generatim subsunt Episcopis, habes apud Lucium Ferraris, Bibliotheca Canonica, verbo Regulares, *art. 2. — Chokier, De Iurisdictione Ordinar. in Exemptos, part. 2 quaest. 45. — Fagnani, in Cap.* Grave, *De Officio Iud. Ordinar., nn. 37 et seqq. — Giraldi, part. 2, §§ 190-192. Si qua vero pro Societate exceptio est, ea in presenti Compendio, proprio in loco, annotatur. In his autem, in quibus Regulares Episcopis subsunt, Mendicantes, et nominatim nostra Societas, specialiori exemptione, censuris ab Episcopo puniri non possunt, licet aliis poenis Episcopus eos punire valeat. Cfr. n. 208. — Lezana, Summ. Quaest. Regular., vol. 2, verbo* Exemptio Regularium, *nn. 8 et seqq.*

Notanda de ecclesiis parochialibus, *Speciatim vero observandum est, 1°. quod ecclesiae parochiales, ad Regularium Monasteria pertinentes, et Regulares curam animarum exercentes, in iis, quae ad dictam curam et Sacramentorum administrationem pertinent, subiacent iurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi loci, secundum Conc. Trid. sess. 25 cap. 11 de Regular., et Gregorii XV, Const.* Inscrutabili, *nonis Febr. 1622, § 2, et Benedicti XIV, Const.* Firmandis, *VIII idus Nov. 1744;* Cum nuper, *VI idus Nov. 1751, § 5, et Br.* Apostolicum ministerium, *30 Maii 1753, §§ 12 et seqq.* **de locis Missionum,** *In locis vero Missionum, standum est Const. Leonis XIII,* Romanos pontifices, *pro Anglia, Scotia et aliis locis, ad quae extensa est, et decretis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, 18 Ian. 1886, Bucceroni, Enchyridium Morale, de Statib. Particular., n. 173.* **de publicatione indulgentiarum,** *2°. Novae indulgentiae* locales, *id est, quae cuidam loco, v. g. ecclesiae, altari, affiguntur, ab Ordinario sunt publicandae, postquam illas recognoverit; minime vero* generales, *seu* personales. *Sacra Congregatio Indulgentiarum, 31 Aug. 1844. — Cfr. Collectanea Const. etc. ad usum Operarior. Apostolicor., Parisiis, 1880 n. 531.* **et de casu iniustae suppressionis.** *3°. In casu iniustae suppressionis a civili potestate factae, Regularium ecclesias ac Domos, nec non Religiosos in eis degentes eadem immunitate gaudere a iurisdictione Ordinariorum, qua antea fruebantur, declaravit Sacra Poenitentiaria, 12 Sept. 1872, apud Acta Sanctae Sedis, vol VII pag. 149. — Ant. Comp. § 1.*

De exemptione Residentiarum, coemeteriorum, locorum piorum, scholarum elementarium, bonorum, in locis Missionum.

213. " In praesenti etiam Ecclesiae Catholicae apud Britannos conditione, declarare non dubitamus Regulares, qui in Residentiis Missionum commorantur, exemptos esse ab Ordinarii iurisdictione, non secus ac Regulares intra claustra viventes, praeter quam in casibus a iure nominatim expressis, et generatim in iis, quae concernunt curam animarum et Sacramentorum administrationem.... Si de coemeteriis agatur quae solis Religiosis familiis reservantur, ea plane ab Episcopi iurisdictione, proindeque a visitatione exempta sunt; caetera vero fidelium multitudini communia, quum uno ordine haberi debeant cum coemeteriis paroecialibus, iurisdictioni Ordinariorum subsunt indubitate, ac propterea optimo iure ab Episcopo visitantur.... Haud absimili distinctione de locis piis quaestio dirimi-

tur, ea secernendo quae exempta sunt, ab iis quibus praeest Episcopus, sive ordinario iure, sive delegato.... Declaramus : Episcopos ius habere quoad omnia visitandi scholas pauperum (quae *elementares*, *primariae*, *puerorum*, et *parochiales* nuncupantur) in Missionibus et paroeciis regularibus, aeque ac in saecularibus.... Statuimus Religiosos sodales, redditis Episcopo rationibus, docere debere de pecunia intuitu Missionum sibi allata, et quantum de ea, et quos in usus impenderint, aeque ac Missionarios Cleri saecularis, iuxta praedictas resolutiones eiusdem Congregationis d. 19 Apr. 1869, et instructionem d. 10 Maii 1868. „ Leo XIII, Const. ROMANOS PONTIFICES, VIII idus Maii 1881, *§ Quam ob rem* et seqq. Cfr. quoque quae ex eadem constitutione referuntur n. 325.

Nostri, post tria vota substantialia etiam simplicia, ab Ordinariis eximuntur.

214. Eos, qui, in Societatem admissi, biennio probationis peracto, tria vota substantialia, tametsi simplicia, emiserint, aut in futurum emittent, a quorumvis Ordinariorum et Delegatorum, seu aliorum Iudicum iurisdictione omnino exemptos esse, habetur in Const. Gregorii XIII, ASCENDENTE DOMINO, VIII kal. Iun. 1584, Litt. Apost. pag. 96 col. 2. — Ant. Comp. § 2.

Nostri, sine Superioris consensu, ad quodvis officium sive exercitium, etiam a Cardinalibus, cogi non possunt.

215. Nullus ex Religiosis sub obedientia Societatis degentibus, a quibusvis, quacumque ecclesiastica vel saeculari dignitate seu auctoritate fungentibus, etiam si Cardinales sint, vel Patriarchae, Synodi, Communitates, Capitula, aut Officii haereticae pravitatis Inquisitores, ac Commissarii, vel Iudices, tam ipsius Officii quam ordinarii, vel delegati, ad quodvis munus, officium, vel exercitium, etiam in defectum aliorum, absque expresso sui Superioris consensu, ac etiam mandato, adigi vel cogi potest. Gregorius XIII, Br. SATIS SUPERQUE, 10 Sept. 1584, Litt. Apost. pag. 99. — Ant. Comp. § 3.

Nostri non tenentur visitare aut inquirere, vel Monialium curam suscipere.

216. Non tenentur Nostri, etiam per litteras apostolicas, nisi de hoc indulto et Societate expressam fecerint mentionem, officium correctionis seu visitationis aut inquisitionis Monasteriis vel ecclesiis, seu quibuscumque personis impendere, vel procedere ad cognitiones causarum, citationes partium, et denuntiationes sententiarum interdicti vel excommunicationis: nec recipere curam Monialium, seu quarumlibet personarum Religiosarum: nec denique cogi possunt ad audiendas confessiones Monialium. Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 17 col. 1. — Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 351 col. 2. — Sixtus IV, Const. DUM ATTENTA MEDITATIONE, IV kal. Dec. 1476, §§ 88 et 89, pro Carmelitis, Rod. Bul. 37.

217. *Observandum nihilominus est super denuntiationibus censurarum quod definitum est in Conc. Trid. sess. XXV decr. de Regular. cap. 12. — Ant. Comp. § 10.* DECLARATIO.

Non possunt Nostri cogi ad testimonium perhibendum.

218. Nostri non tenentur iurare de calumnia, vel de veritate dicenda, aut testimonium perhibere. Habetur per plures constitutiones: Honorii III, pro Carthusiensibus, CUM DILECTI FILII, V idus Febr. 1218, § 2. — Eugenii IV, pro monachis Congr. S. Iustinae, REGULAREM VITAM, 4 Iul. 1436, § 14. — Iulii II, pro Olivetanis, ETSI AD UNIVERSOS, pridie nonas Iun. 1507, § 24; et Leonis X pro Camaldulensibus, ETSI A SUMMO, 4 Iul. 1513, § 26. — Ant. Comp. § 11.

Nostri non compelluntur ad Concilia accedere.

219. Quando contingit fieri Concilia Generalia, Provincialia seu Synodalia, etiam apostolica aut quavis auctoritate firmata, seu quasvis Congregationes ecclesiasticarum vel laicarum personarum, cuiusvis dignitatis aut status exsistant; Praelati Societatis, seu eius personae, ad ea ire seu mittere nullatenus *compelli possunt*, etiam per litteras apostolicas specialem mentionem non facientes de hoc indulto. Habetur per Const. Eugenii IV, ETSI EX DEBITO, VII kal. Mart. 1434, § 2. — Iulii II, per Const. ETSI AD UNIVERSOS, pridie nonas Iun. 1507, § 24. — Leonis X, Const. ETSI A SUMMO, IV nonas Iul. 1513, § 26, pro Camaldulensibus. — Ant. Comp. § 13.

DECLARATIO. 220. *Quando vero aliqui Nostrorum constituti sunt Rectores ecclesiarum parochialium vel quasi parochialium, hi ad Synodos Dioecesanas accedere debent. Conc. Trid. sess. 24 cap. 2 de reform. — Leo XIII, Const. ROMANOS PONTIFICES, 8 Maii 1881,* § De officio, *declarans " standum esse decretis Synodi Tridentinae." Nihil tamen obstat, quin Superiores nostri, si invitantur, ad Concilia accedant. — Cfr. Ferraris, verbo* Synodus Dioecesana, *n. 30 et seqq.*

Exemptio a processionibus.

221. Eximuntur et liberantur Nostri ab interessentia in supplicationibus, seu precibus et processionibus publicis; inhibenturque Ordinarii quavis dignitate fulgentes, ne Nostros ad interessendum dictis processionibus quovis modo cogere, seu super praemissis inquietare, seu inquietari facere audeant, vel permittant. Gregorius XIII, Br. QUAECUMQUE SACRARUM, 16 Iul. 1576, Litt. Apost. pag. 62 col. 2.

Regulares autem et Confraternitates in eorum ecclesiis erectae, sine Episcopi et Parochi licentia, processiones instituere possunt intra ecclesias suas et earumdem claustra, et non extra; si vero ecclesia claustro caret, intra ambitum, id est prope muros ecclesiae, sive exeundo a ianua ecclesiae et intrando per aliam, sive per eamdem, sed semper prope muros ecclesiae, et non extra. In Causa *Cremonensi*, 12 Ian. 1739, Thesaur. Resolut. tom. 3 pag. 256, edit. Urbini, 1739. Licet item Regularibus processionem instituere SSmi Sacramenti quavis die infra octavam Corporis Christi. Gregorius XIII, Br. CUM INTERDUM, 11 Mart. 1573, § 2. — Ant. Comp. tit. *Processiones.* (Licet instituere processiones in nostris ecclesiis.)

Cogi non possumus ad Missas et alia in nostris aedificiis.

222. Cogi non possumus ad hoc, ut in nostris ecclesiis et locis Missae aut alia divina officia a quolibet alio

celebrentur, ordines conferantur, vel agitentur causae civiles seu criminales, processiones convocentur, aut Synodus, Conventus, seu quaevis Congregationes, tam ecclesiasticarum quam laicarum personarum, habeantur, seu quod loca nostra deputentur ad usum, hospitium, habitationem et incarcerationem ecclesiasticarum vel laicarum personarum. Eugenius IV, Monachis S. Iustinae, Const. ETSI EX DEBITO, VII kal. Mart. 1434, § 3, Rod. Bul. 7. — Const. REGULAREM VITAM, IV nonas Iul. 1436, § 7. — Iulius II, Const. ETSI AD UNIVERSOS, pridie nonas Iun. 1507, § 24, pro Olivetanis. — Sixtus IV, in *Mari magno* Augustinianorum, Const. DUM FRUCTUS UBERES, VII idus Febr. 1474, § 16, Rod. Bul. 34. — Lezana, Summ. Quaest. Regular. vol. 3. — Clemens X, Br. INIUNCTA NOBIS, 6 Aug. 1670, pro Camaldulensibus. Potest tamen Episcopus sacramentum Confirmationis administrare in ecclesiis Regularium, sive parochialibus sive non parochialibus. Benedictus XIV, Const. FIRMANDIS, VIII idus Nov. 1744, § 6. — Cfr. Ferraris, verbo *Regulares,* art. 2 n. 84. — Ant. Comp. tit. *Immunitas* § 3.

COMMUNICATIO. 223. *Superioribus committitur, cum rogati fuerint, nostras ecclesias et Domus ad praedicta peragenda, re in Domino perpensa, concedere. — Ant. Comp. tit.* Immunitas *§ 3.*

Exemptio a tributis.

224. Domus Probationis, Collegia, aliaque loca Societatis, eiusque personae *per se* exemptione fruuntur a quibusvis tributis, gabellis, datiis, taliis, pedagiis, teloneis, collectis, contributionibus, ratione personarum vel rerum, exactionibus, praestationibus procurationum, provisionibus, canonica portione, decimis, quartis, medietatibus, aliisque fructuum partibus, subsidiis, etiam charitativis, et aliis ordinariis oneribus, seu exactionibus, quae sive a personis ecclesiasticis sive a potestate civili imponantur. Ita ex diversis privilegiis sive Societati sive aliis Ordinibus concessis. Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 17. — Pius IV, Br. EXPONI NOBIS, 19 Aug. 1561, Litt. Apost. pag. 35 col. 2. — Gregorius XIII, Br. PASTORALIS OFFICII, 1 Ian. 1578, Litt. Apost. pag. 72 et 73. Praecipuae autem constitutiones pro aliis Ordinibus Religiosis habentur in Ant. Comp. §§ 4-9.

225. *Privilegium hoc vix hodie practicum est. Exemptio a decimis origo fuit plurium controversiarum. Plures habentur de hac re Sacrae Congregationis decisiones, et aliquando praedictum privilegium limitatum fuit. Cfr. Barbosa, Summ. Apostolicar. Decision. Collect. 169 n. 13. — Rodriguez, Quaest. Regular. tom. 2, quaest. 44. — Ferraris, verbo* Regulares, *art. 1 n. 98. — Lezana, Summa Quaest. Regular. vol. 2, verbo* Decima quoad Regulares. — *Ottolinus, De Privilegiis Societatis, tractatus manu scriptus.* DECLARATIO.

Exemptio a iuribus synodalibus.

226. Nostri exempti sunt a solutione iurium, etiam synodalium, a qua solutione eximuntur etiam Presbyteri curam animarum exercentes in ecclesiis Societati unitis. Concessum fuit Fratribus Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani a Pio V, per Br. ETSI CUNCTA, 29 Nov. 1568, § 1. Et a Gregorio XIV, iisdem Fratribus, Br. QUANTA CHRISTIANAE REIPUBLICAE, 30 Apr. 1591, § 1. — Ant. Comp. § 14.

DECLARATIO. 227. *Quoad eos, qui curam animarum exercent, attendendae sunt constitutiones Benedicti XIV, FIRMANDIS, et Leonis XIII, ROMANOS PONTIFICES.*

Exemptio Seminariorum sub cura Societatis.

228. Ex concessione apostolica, plura Seminaria et Collegia Externorum, sub cura et directione Societatis, exempta sunt in eorum personis, bonis et iuribus a visitatione, correctione et iurisdictione Ordinariorum. Ita pro Collegio Germanico Romae concessit Gregorius XIII, Const. POSTQUAM DEO, VIII idus Aug. 1573, § 4. — Pro Collegio Graecorum, Const. IN APOSTOLICAE, VII idus Ian. 1577, § 3. — Pro Collegio Anglorum, Const. QUONIAM DIVINAE, IX kal. Maii 1578, § 7. — Pro Collegio Maronitarum, Const. HUMANA, V kal. Iun. 1584, § 6. — Pro Collegio Scotorum Clemens VIII, Const. IN SUPREMO, nonis Dec. 1600, § 4. — Ant. Comp. § 15.

Exemptio eorumdem a iure Parochorum.

229. Eadem Collegia enumerata numero praecedenti censentur, ex vi generalis exemptionis, exempta etiam in spiritualibus a iurisdictione Parochorum, quoad susceptionem sacramentorum Eucharistiae et Extremae Unctionis in periculo mortis, quae percipere possunt a suis Superioribus, vel a quibus ipsi commiserint, ut declaravit Clemens XI, in prooemio Br. CUM SICUT, 18 Aug. 1708, § 1. — Ant. Comp. § 16.

230. *Communicatur omnibus Superioribus, et iis quibus ipsi commiserint. Circa familiares autem degentes in iisdem Collegiis, aut Seminariis, cfr. nn. 14, 202, 231 et 237.* COMMUNICATIO. ET DECLARATIO.

EXTREMA UNCTIO.

Possumus Extremam Unctionem ministrare familiaribus et hospitibus infirmis.

231. Nostri possunt ministrare sacramentum Extremae Unctionis mercenariis famulis in habitu saeculari inservientibus et infirmis in nostris Domibus; iisque sepulturam in nostris ecclesiis praebere, nulla requisita Parochorum aut aliorum licentia. Concessit Minimis Leo X, Const. HIS QUAE PRO FIDELIUM, nonis Iul. 1513, Rod. Bul. 41; sed idem Pontifex, in Concilio Lateranensi anni 1516, generaliter declaravit Const. DUM INTRA MENTIS, XIV kal. Ian. 1516, § 7, id intelligi durante obsequio et familiaritate. Quod privilegium ad hospites quoslibet infirmos in nostris Domibus, quotiescumque de articulo mortis dubitatur, extendit Sixtus IV, pro Benedictinis Vallisoletanis, litteris Nicolai Franci, Legati a latere, *Exhibita siquidem*, 8 Iun. 1476, Rod. B. 42, et pro Theatinis S. Pius V, Const. AD IMMARCESCIBILEM, VII idus Febr. 1567, § 17. — Ant. Comp. § 1.

232. *Communicatur Superioribus, et aliis quibus ipsi commiserint. Quoad familiares cfr. nn. 14 et 237. Ad hospites vero quod attinet, cfr. n. 202. — Ant. Comp. § 2.* COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

Administratio Extremae Unctionis in casu necessitatis.

233. In casu necessitatis, quum vel a Parochis sacramentum denega-

tur, et denegatio sine legitima causa facta vicinorum testimonio probari potest, vel necessitas est ita repentina, ut non det spatium petendi licentiam, possumus quibuscumque personis, intra vel extra septa nostrarum Domorum, eamdem Unctionem administrare. Id de iure communi omnibus licet. Speciali vero privilegio, ad abundantiam et maiorem cautelam, concessit Leo x in Concilio Lateranensi citato Const. Dum intra mentis, xiv kal. Ian. 1516, § 7, et S. Pius v, Const. Ad immarcescibilem, vii idus Febr. 1567, § 17. — Ant. Comp. § 2.

Communicatio et declaratio.

234. *Communicatur Superioribus, et iis quibus ipsi commiserint; sed attendatur ad ea quae dicta sunt n. 202. — Ant. Comp. § 2.*

FAMILIARES.

Facultas generatim ministrandi sacramenta nostris familiaribus.

235. Possumus administrare sacramenta iis omnibus, qui in nostris morantur obsequiis, atque in Societatis Domibus continuo habitant. Coelestinus v, Const. Etsi cunctos, v kal. Oct. 1294, § 22. — Gregorius xi, Const. Virtute conspicuos, ii nonas Mart. 1374, § 10, et pro Societate Paulus iii, Const. Licet debitum, xv kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 16 col. 1.—Ant. Comp. § 1.

Facultas in specie pro Confessione, Eucharistia et Extrema Unctione.

236. Familiaribus iisdem possumus in specie ministrare Eucharistiam in nostris ecclesiis et oratoriis, etiam tempore paschali, et, si infirmentur in nostris Domibus, Viatico et Extrema Unctione eosdem munire; eorumque confessiones quolibet anni tempore excipere, ex sola etiam approbatione Superioris Societatis, ex concessione Leonis x, Br. His, quae pro fidelium, 7 Iul. 1513, Rod. Br. 41, et S. Pii v, Const. data post Concilium Tridentinum, Ad immarcescibilem, vii idus Febr. 1567, § 17; et de confessionibus expresse declaravit Clemens x, Const. Superna, xi kal. Iul. 1670, § 4. — Ant. Comp. § 2.

Etiam in oratoriis privatis et cappellis interioribus nostrarum domorum.

Haec pro Congregatione Doctrinae Christianae Benedictus xiii, Br. Illius vices, 28 Sept. 1725, § 4. " In eorumdem Clericorum saecularium domibus et collegiis, unum vel plura oratoria privata seu interiores cappellas, tam ad eorum, quam domesticorum, convictorum, scholarium, aliarumque personarum, etiam ad Congregationes et conferentias spirituales convenientium, usum, erigendi, inibique sacrosanctum Missae sacrificium, etiam in festis solemnibus celebrandi, ac Poenitentiae et Eucharistiae sacramenta eisdem Clericis, domesticis, convictoribus, scholaribus, aliisque personis praefatis administrandi, excepto tamen, quoad scholares, et ad Congregationes et conferentias huiusmodi convenientes, communione paschali..; ipsisque Praeposito et Vicario Generalibus, Superioribus Provincialibus, et Rectoribus, aliquot ex dicta Congregatione Presbyteros, viros probos, prudentes et idoneos, ad audiendas Presbyterorum, Clericorum et aliarum personarum praedictae Congregationis, domesticorum quoque familiarium et inservientium, ac convictorum, scholarium, et in eisdem Domibus vel Collegiis commorantium, confessiones deputandi. "

Communicatio et declaratio.

237. *In usu istarum facultatum observandum est, ex Trid. Conc., secundum repetitas declarationes Sacrae Con-*

gregationis, eos dici familiares in ordine ad fruendum his privilegiis, qui actu addicti sunt nostris obsequiis et famulatui, adeoque ratione illius subsunt aliquo modo obedientiae Superioris Societatis, atque intra septa nostrorum Collegiorum, Domorum et Residentiarum continuo habitant: nemo tamen ad sic habitandum intra claustra admitti in Italia potest, nisi expleverit annum aetatis 20, ex decreto Clementis x, Etsi decretis, *16 Maii 1675. Cfr. n. 14. Familiaribus praedictis a quolibet nostro Sacerdote ministrari poterit Eucharistia et sacramentum Poenitentiae, si approbatus saltem fuerit a Superiore ad excipiendas confessiones Nostrorum; circa Viaticum vero, Extremam Unctionem et sepulturam, sit facultas penes Superiores, et quibus ipsi commiserint. — Ant. Comp. § 2.*

De familiarium absolutione a reservatis Episcoporum.

238. Nostri familiares absolvi possunt a casibus Episcopo loci reservatis per Confessarios deputatos a nostris Superioribus, qui ad eos absolvendos non indigent iurisdictione et approbatione data per Ordinarium, ut declaravit Clemens x, in Const. Superna, xi kal. Iun. 1670, § 4. Concessit Eugenius iv Fratribus S. Hieronymi, Const. Super gregem, vii kal. Aug. 1441, § 11, et Fratribus S. Ambrosii, Const. Regimini, iv nonas Oct. 1441, § 8. Idem concessum a Clemente viii Carthusiensibus, 26 Mart. 1602, testatur Compendium Fuliensium, verbo *Casuum reservatio*, § 2. Cfr. n. 14. — Ant. Comp. § 3.

Nostrorum familiarium exemptio.

239. Nostri familiares exempti sunt apostolica auctoritate ab omni iurisdictione, visitatione, correctione et potestate Ordinariorum, ex concessione facta a Gregorio xiii Congregationi Clericorum de Somasca, et confirmata a Sixto v, Const. Aequum reputavimus, kal. Maii 1585, § 1. Et praeterea, per privilegium Alexandri iv concessum Fratribus Hospitalis S. Ioannis Hierosolymis, nemo, sine speciali mandato Romani Pontificis, eiusmodi servientes Societati, etiam laicos, donec in servitio Domus fuerint, excommunicationi et interdicto potest subiicere, et aliter lata irrita est sententia et inanis. Refertur in Compendio Minorum, verbo *Familiaris*, § 11. — Ant. Comp. § 5.

240. *In casibus in quibus privilegia nostra nobis non suffragantur, neque nostris familiaribus in iisdem casibus privilegium proderit.* Declaratio.

FESTIVITAS.

Dominus noster Iesus Christus.

241. Leo xiii concessit, ut festum Circumcisionis Domini in universa Societate in posterum celebretur sub ritu duplici primae classis, ut constat ex Kalendario perpetuo approbato a Sacra Rituum Congregatione, 6 Dec. 1888, Litt. Apost. pag. 494. Festum Circumcisionis.

Pius vii, 20 Iul. 1816, Societati concessit officium et Missam SS. Cordis Iesu sub ritu duplici secundae classis absque octava, feria sexta post octavam SS. Corporis Christi. Gregorius xvi, 28 Mart. 1831, facultatem concessit praedictum officium aman- SSmi Cordis Iesu.

dandi, in casu impedimenti, ad primam diem non impeditam. Bull. Ms. Procur. Gener. pag. 37 et 97. Ex concessione Pii IX, in Kalendario Societatis hoc festum sub ritu duplici primae classis cum octava inscribendum est. Sacra Rituum Congregatio, 28 Apr. 1870, Litt. Apost. pag. 423. Insuper concessum est, ut per octavam eiusdem festi ab Alumnis Societatis IESU adhiberi valeant lectiones desumptae e novissimo Supplemento ad Octavarium Romanum. Sacra Rituum Congregatio, 30 Iul. 1890, Litt. Apost. pag. 491.

SSmi Redemptoris.

Ex antiquis concessionibus, in tota Societate die 23 Oct. celebratur Missa et recitatur officium de SS. Redemptore, sub ritu duplici maiori.

Officium votivum de SSmo Sacramento.

242. Omnibus, qui in Societate tenentur recitare horas canonicas, concessum est officium votivum SS. Sacramenti, sub ritu semiduplici, singulis feriis quintis non impeditis festo novem lectionum, etiam translato, excepto Adventu, Quadragesima, vigilia, ac etiam feria illa in qua officium Dominicae anticipatae erit reponendum. Sacra Rituum Congregatio, 20 Mart. 1706.

Officia Passionis D. N. IESU Christi.

243. Ex antiqua concessione, festum celebrare possumus cum officio et Missa Quinque Vulnerum D. N. IESU Christi, ritu duplici maiori, feria sexta post Cineres, cum extensione officii et Missae propriae ad confratres omnes Sacerdotes Congregationis Bonae Mortis ubique locorum degentes, ex decreto Benedicti XIV, 25 Apr. 1753. — Ant. Comp. § 7, n. 3. Deinde, ex concessionibus Pii VII, 13 Febr. 1815, 2 Iul. 1816 et 23 Nov. 1819, officia et Missas recitare possumus, iam approbata pro aliquibus locis, Passionis D. N. IESU Christi, feriis sextis, a Dominica Quinquagesimae ad feriam sextam post Dominicam in Albis.

Verum, post concessionem eorumdem officiorum a Gregorio XVI factam, decreto Sacrae Rituum Congregationis 6 Aug. 1831, officia Passionis Domini ita recitantur, ut

Feria tertia post Dominicam Septuagesimae, fiat officium Orationis Domini in monte Oliveti; — Orationis,

Feria tertia post Dominicam Sexagesimae, De Commemoratione Passionis D. N. IESU Christi; — Passionis,

Feria sexta post Cineres, Spineae Coronae; — Spineae Coronae.

Feria sexta post Dominicam primam Quadragesimae, Lanceae et Clavorum; — Lanceae et Clavorum,

Feria sexta post Dominicam secundam Quadragesimae, SS. Sindonis; — SS. Sindonis,

Feria sexta post Dominicam tertiam Quadragesimae, Quinque Vulnerum;

Feria sexta post Dominicam quartam Quadragesimae, Pretiosissimi Sanguinis. — Pretiosissimi Sanguinis.

Haec vero officia non possunt amandari ad aliam diem, et intra Quadragesimam tantum, nisi occurrente officio potioris ritus. Sacra Rituum Congregatio, 18 Aug. 1884.

Beatissima Virgo Maria.

Festum Immaculatae Conceptionis.

244. Clemens IX, Br. AUGUSTISSIMAE, 17 Sept. 1667, Litt. Apost. pag. 192, concessit, " ut in Societate, ab omnibus illius Presbyteris et Clericis Regularibus qui horas canonicas recitare tenentur, officium et Missa Conceptionis B. MARIAE V. Immaculatae cum octava in posterum de praecepto recitetur, cum lectionibus in Octavario Romano.... contentis. „ Verum, post dogmaticam definitionem Immaculatae

Conceptionis B. Mariae V., ex Br. Pii IX, Quod iam pridem, 25 Sept. 1863, novum officium et Missa pro ipso die festo et pro vigilia recitanda sunt, praedicto brevi approbata. Concessum praeterea est, ut festum Immaculatae Conceptionis ritu duplici primae classis in Societate celebretur, id quod iam nunc fit etiam per universam Ecclesiam.

Vigilia.

Decreto Sacrae Rituum Congregationis, 11 Febr. 1869, concessum est, ut die 7 Dec., et, occurrente Dominica, praecedenti sabbato, cani valeat in ecclesiis Societatis Missa propria de Vigilia Immaculatae Conceptionis B. Mariae V.; et ut eius orationes cum evangelio in fine Missae de officio occurrente addere queant Sacerdotes omnes, tam saeculares quam Regulares, in eiusdem Societatis ecclesiis vel oratoriis ea die sacrum facturi.

Officium votivum de Immaculata Conceptione

Omnibus qui in Societate tenentur ad horas canonicas, concessum est officium votivum de Immaculata Conceptione B. Mariae V., sub ritu semiduplici, singulis sabbatis non impeditis, ut dictum est n. 242.

Additiones in Litaniis et in praefatione.

Specialibus item decretis Sacrae Rituum Congregationis, 4 Mart. 1844, facultas Societati facta est addendi in Litaniis Lauretanis, tam privatim quam publice, encomium illud: *Regina sine labe originali concepta;* et in praefatione Missae, addendi verbum Immaculata; ita ut dicatur: *Et te in Conceptione Immaculata.* Bullar. Ms. Procur. Gener. pag. 165 et 387.

Festa B. Mariae V.

245. Pius VII, 12 Sept. 1807, 13 Maii et 2 Iul. 1816, 8 Ian. 1822, officia iam alias concessa et approbata, ad Societatem extendit,

Desponsationis,

Desponsationis nempe B. Mariae V. cum S. Iosepho, die 23 Ian.;

SSmi Cordis,

Sacratissimi Cordis B. Mariae V., Dominica post Octavam Assumptionis: quae Dominica si impediatur festo potioris ritus, hoc festum transfertur in primam diem non impeditam, secundum rubricas, ex decreto Sacrae Rituum Congregationis, 8 Iun. 1832;

Exspectationis,

Exspectationis Partus B. Mariae V., die 18 Decembris;

Maternitatis et Puritatis,

Maternitatis B. Mariae V., Dominica secunda Octobris; et Puritatis B. Mariae V., Dominica tertia Octobris: quae Dominicae si impediantur festo potioris ritus, praedicta festa Maternitatis et Puritatis amandantur ad insequentes Dominicas non impeditas officiis potioris vel aequalis ritus, ex decreto Sacrae Rituum Congregationis, 29 Iul. 1829. Quod si usque ad Adventum nulla supersit Dominica libera, festa Maternitatis et Puritatis ponantur, secundum rubricas, prima die non impedita post Dominicam secundam et tertiam Octobris;

Patrocinii,

Patrocinii B. Mariae V., Dominica quarta Octobris, ex decreto 13 Maii 1816, nunc vero Dominica tertia Novembris, ex decreto Sacrae Rituum Congregationis, 6 Decembris 1888, ut in novo Kalendario perpetuo. Hoc officium, si impediatur festo potioris ritus vel die octavae, transferri debet ad primam diem non impeditam, secundum rubricas. Sacra Rituum Congregatio, 11 Sept. 1790;

Septem Dolorum,

Septem Dolorum B. Mariae V., Dominica tertia Septembris. Hoc festum transfertur, ut supra dictum est de festis Maternitatis et Puritatis;

Auxilii Christianorum,

B. Mariae V. sub titulo Auxilium Christianorum, die 24 Maii.

Omnia praedicta officia recitantur sub ritu duplici maiori. Bullar. Ms. Procur. Gener. pag. 33, 34, 35, 49 et 96.

Translationis Domus Lauretanae,

246. " Festum Translationis almae Domus Lauretanae, quod ex apostolica

concessione ab Alumnis ipsius Societatis, in Ditione Ecclesiastica, Veneta atque Hispana degentibus, iam pridem die 12 Dec. quotannis recolebatur, sub eodem ritu ac die ad universam IESU Societatem extensum est, „ servatis rubricis, ex indulto Sacrae Rituum Congregationis, 11 Aug. 1885, Litt. Apost. pag. 437.

Deiparae a Bono Consilio,

247. Leo XIII, rescripto 11 Iul. 1888, Litt. Apost. pag. 488, concessit, " ut in Kalendario ac proprio Societatis IESU amodo, sub ritu duplici maiori, affigi valeat die 26 Aprilis festum Deiparae a Bono Consilio, cum officio ac Missa nuper approbatis pro Ordine Eremitarum S. Augustini. „

B. MARIAE V. a Strata.

248. Item Leo XIII, rescripto 19 Ian. 1890, Litt. Apost. pag. 489, concessit, ut quotannis Dominica secunda Iunii celebretur in universa Societate festum B. MARIAE V. a Strata, sub ritu duplici secundae classis, cum officio et Missa propria: quod si Dominica secunda Iunii sit impedita, transfertur in primam diem liberam, secundum rubricas.

Facultas transferendi festum titulare Congregationum B. MARIAE V. cum indulgentia.

249. Ex concessione Benedicti XIII, ut in decreto Sacrae Congregationis, 26 Nov. 1728, in Bullar. Ms. Procur. Gener., festum titulare, sub invocatione Visitationis aut Praesentationis sive alterius festivitatis B. MARIAE V, potest transferri ad Dominicam intra octavam in nostris externorum Congregationibus, in quibus etiam Missa celebrari poterit de festo translato. Ex Const. Sixti V, ROMANUM DECET, III kal. Oct. 1587, Litt. Apost. pag. 118 col. 1, in eventu huiusmodi translationis, " indulgentiae similiter in diem translationis huiusmodi, arbitrio Superioris loci dictae Societatis, transferri possunt. „ Immo quodvis festum titulare praedictarum Congregationum potest Praepositus Generalis et Superior localis transferre cum indulgentia ad Dominicam intra octavam, sive diem octavam, sive aliam diem intra annum, si non satis solemniter aut opportune propria die celebrari possit; quo casu etiam permittitur, ut, si dies electa impedita fuerit festo alio duplici, una Missa votiva solemnis de translato celebrari possit. Benedictus XIV, bulla GLORIOSAE DOMINAE, V kal. Oct. 1748, Litt. Apost. pag. 289 col. 1. — Ant. Comp. § 9.

COMMUNICATIO.

250. *Huius facultatis usus conceditur Superioribus localibus; qui tamen non omittant certiores reddere Ordinarios de indulgentiae publicatione. — Ant. Comp. § 9.*

Duplex Congregationum titulus, principalis et minus principalis.

251. Omnes Congregationes aggregatae et in posterum aggregandae Primariae Urbis, ut frui possint indulgentiis et gratiis concessis aut concedendis, beatissimam V. MARIAM in patronam principalem et in titulum, sub invocatione alicuius eius mysterii, eligere et retinere debent, simul cum alio patrono seu titulo alias fortasse electo, seu si voluerint eligendo: concessa etiam facultate celebrandi festum utriusque tituli, suis diebus, vel aliis, ut dictum est n. praec. 249, cum indulgentia plenaria; et insuper addita concessione celebrandi festum, tam tituli principalis, quam patroni et tituli minus principalis, in alia ecclesia et oratorio, si ob aliquam causam sacellum Sodalitii varietur, aut minus opportunum pro populi commoditate et festivitatis celebritate videatur, ex arbitrio et consensu Moderatoris; ut in citata bulla GLORIOSAE DOMINAE Benedicti XIV, V kal. Oct. 1748, Litt. Apost. pag. 288 et 289. — Ant. Comp. § 10.

COMMUNICATIO.

252. *Committitur Superioribus, ut*

Congregationes iam erectae ante annum 1748 titulum aliquem assumant sub invocatione B. Mariae V., si illum non habebant, ut praescribitur numero antecedenti. Ipsorum etiam erit indulgere usum facultatis circa publicum festum tituli secundarii, eiusdemque festi translationem ad alias ecclesias seu capellas extra Congregationem. — Ant. Comp. § 11.

Aliud festum, quando titulus est unicus.

253. Moderatores praedictarum Congregationum, quae unicum titulum habuerint sub invocatione B. Mariae V., possunt singulis annis unum alium diem eligere, et in eo, tam in sacello Congregationis quam in qualibet alia ecclesia, ut dictum est n. praec. 251, aliud festum celebrare cum indulgentia plenaria pro sodalibus et quibuscumque aliis fidelibus confluentibus ad visitationem Congregationis, seu templi aut sacelli pro festivitate electi. Ex citata bulla Gloriosae Dominae, v kal. Oct. 1748, Litt. Apost. pag. 288 col. 2, pag. 289 col. 1. — Ant. Comp. § 11.

Communicatio.

254. *Superioribus committitur usus praecedentis facultatis, circa alium festum diem a Moderatore eligendum. — Ant. Comp. § 11.*

SS. Angeli.

255. Pius vii, 13 Maii 1816, ad Societatem benigne extendit officia et Missas iam alias approbata S. Gabrielis Archangeli, 18 Martii, et S. Raphaelis Archangeli, 24 Octobris, utrumque sub ritu duplici maiori. Bullar. Ms. Procur. Gener. pag. 34.

S. Ioseph.

256. Pius vii, 13 Maii 1816, ad Societatem extendit officium et Missam iam approbata Patrocinii S. Iosephi, Sponsi B. Mariae V., Dominica tertia post Pascha, ritu duplici secundae classis. Bullar. Ms. Procur. Gener. pag. 35. Pius ix indulsit, ut ab Alumnis et in ecclesiis Societatis Iesu Provinciae Venetae festum Patrocinii S. Iosephi ageretur sub ritu duplici primae classis cum octava, cum lectionibus quae reperiuntur in novissimo supplemento ad octavarium romanum. Decretum Sacrae Rituum Congregationis, 11 Mart. 1858. Praedictum decretum fuit deinde ab eodem Pio ix extensum ad reliquas Societatis Provincias. Sacra Rituum Congregatio, 10 Febr. 1859, Bullar. Ms. Procur. Gener. pag. 238 et 239.

S. Ignatius de Loyola.

257. Gregorius xv " statuit, ut.... quolibet anno, die illius obitus, pridie kal. Aug., festum ipsius et officium, tamquam de Confessore non Pontifice, ad formam in rubricis romani Breviarii praescriptam, solemniter celebrari possit. „ Urbanus viii, bulla canonizationis, viii idus Aug. 1623, Litt. Apost. pag. 153, § 45. — Eius festum in universa Societate, ex antiquis concessionibus, celebratur sub ritu duplici primae classis cum octava, cum lectionibus et Missa propria, in qua recitatur etiam *Credo*.

Officium votivum.

Officium votivum S. P. Ignatii, quod per plura indulta vel Sacrae Rituum Congregationis decreta semel in hebdomada diversis Societatis Assistentiis concessum fuerat, iam post approbationem novi Kalendarii perpetui, 6 Dec. 1888, sub ritu semiduplici in tota Societate recitatur singulis feriis secundis uniuscuiusque hebdomadae non impeditis, ut dictum est supra, n. 242.

S. Franciscus Xaverius.

258. Festum S. Francisci Xaverii in tota Societate celebratur sub ritu duplici secundae classis cum octava, ut constat ex antiquis concessionibus, et nuperrime ex Kalendario perpetuo, cum lectionibus et Missa propria, in qua recitatur *Credo*. Decretum Sacrae Rituum Congregationis, 22 Nov. 1850, Litt. Apost. pag. 379. Gregorius xv statuit, " ut singulis annis, die 2 Decembris, qua ad coelestem gloriam vocatus est, eius officium, ut de Sancto Confessore, ad praescriptum romani Breviarii celebrari posset. „ Urbanus viii, bulla canonizationis, viii idus Aug. 1623, Litt. Apost. pag. 167, § 8.

Translatum in diem 3 Decembris.

Idem vero festum, quod olim celebrabatur 2 Decembris, quodque, si incidisset in Dominicam primam Adventus, celebrandum, una cum indulgentia, feria secunda immediate sequenti, iusserat Innocentius x, Br. Alias felicis, 27 Oct. 1651, § 2, perpetuo ad diem 3 eiusdem mensis transtulit cum indulgentia Alexander vii, Br. Cum sicut accepimus, 17 Iul. 1663, § 2; et nihilominus, pro casu incidentiae in primam Dominicam Adventus, translationem eamdem festi et indulgentiae in feriam secundam, 4 Decembris, ratam habuit Clemens xi, rescripto *Cum sanctae memoriae,* 24 Nov. 1702. — Ant. Comp. § 2.

Officium votivum.

Demum semel in mense, feria tertia, quarta aut sexta non impeditis, (ut dictum est supra, n. 242) recitatur officium votivum S. Francisci Xaverii sub ritu semiduplici, in quo officio, tempore verno, in secundo nocturno legantur lectiones de communi Confessoris non Pontificis primo loco, et in tertio nocturno lectiones de homilia S. Ambrosii Episcopi, quae leguntur in Breviario feria quinta intra octavam Pentecostes; lectiones vero de die festo legantur tempore hyemali; lectiones de tertia die intra octavam tempore aestivo; et lectiones de die octava tempore autumnali. Decretum Sacrae Rituum Congregationis, 14 Maii 1887, Litt. Apost. pag. 457.

S. Franciscus Borgia.

259. Clemens x " quotannis, quinto nonas Octobris, illius memoriam, ut Sancti Confessoris non Pontificis, pie coli, atque officio et Missa ritu Sanctae Romanae Ecclesiae honorari pronuntiavit. „ Benedictus xiii, bulla canonizationis, pridie nonas Iun. 1724, Litt. Apost. pag. 217 col. 2. Innocentius xi iam antea transtulerat festum S. Francisci Borgiae ad diem decimam Octobris, Br. Dudum felicis, 28 Aug. 1683, Litt. Apost. pag. 202 col. 1. Decreto enim Sacrae Rituum Congregationis, 18 Iul. 1671, eius festum cum octava in Societate die 3 Octobris celebrandum erat. Nunc autem in universa Societate recolitur die 10 Octobris, sub ritu duplici secundae classis cum octava, cum lectionibus propriis et Missa de communi Abbatum, cum prima oratione propria, et *Credo*. Sacra Rituum Congregatio, 22 Nov. 1850.

Tandem, post approbationem novi Kalendarii perpetui, 6 Dec. 1888, ab universa Societate officium votivum S. Francisci Borgiae recitatur semel quolibet mense, feria tertia, quarta vel sexta non impeditis, ut dictum est supra, n. 242: in quo officio lectiones secundi et tertii nocturni non sunt assignandae secundum partitionem trime- Officium votivum.

strium, sed pro diversitate temporis, prout reperitur in officio votivo Immaculatae Conceptionis, ita ut tempore hyemali legantur lectiones hactenus assignatae mensibus Ianuario, Februario et Martio; tempore verno, quae mensibus Aprili, Maio et Iunio; et ita porro. Sacra Rituum Congregatio, 14 Maii 1887, Litt. Apost. pag. 457.

S. Aloisius Gonzaga.

260. Quoscumque Sacerdotes ad nostras ecclesias concurrentes in festo B. Aloisii posse Missam de eodem celebrare concessit Gregorius xv, Br. IN SEDE PRINCIPIS APOSTOLORUM, 2 Oct. 1621, § 2. — Ant. Comp. § 5. Item Benedictus XIII statuit, " ut quotannis, XI kal. Iul., quo die migravit ad Dominum, solemnia eius natalitia, ut Sancti Confessoris non Pontificis, celebrari possint. „ Bulla canonizationis, pridie kal. Ian. 1726, Litt. Apost. pag. 229.

Facultas circa festum, Missam et officium, ut patroni Scholarum.

Benedictus XIII, Br. APOSTOLICAE SERVITUTIS, 21 Iun. 1725, Litt. Apost. pag. 225, B. Aloisium constituit specialem Patronum Universitatum et Scholarum Societatis, et Scholaribus facultatem dedit die 21 Iunii " in honorem dicti B. Aloisii officium recitandi de communi Confessoris non Pontificis, sub ritu duplici minore, et... Missam etiam sub eodem ritu... in Universitatum tamen, Gymnasiorum seu Collegiorum eiusmodi ecclesiis dumtaxat... celebrandi. „

Ritus duplex secundae classis.

Decreto Sacrae Rituum Congregationis, festa S. Aloisii et S. Stanislai elevata fuere pro universa Societate ad ritum duplicem secundae classis cum octava.

Duplex primae classis.

Sed quum deinde eumdem S. Aloisium Patronum principalem omnium Collegiorum, Universitatum et Gymnasiorum, non tantum Societatis, sed aliorum etiam, quibus placebit eligere, in perpetuum constituerit Benedictus XIII, atque omnibus eorumdem Gymnasiorum Scholaribus Sacerdotibus concesserit recitationem officii et Missae approbatae per Sedem Apostolicam, tam in ecclesiis Societatis, quam in aliis, ad quas accedere voluerint, secundum decretum Sacrae Rituum Congregationis, 22 Nov. 1729; concessionem ampliando Benedictus XIV indulsit, ut ubique festum praedictum, cum indulgentia, officio et Missa dicendis a quolibet Sacerdote, celebrari possit die alia designanda ab Ordinario, quandocumque peragi commode non posset die 21 Iunii, ut in decreto 12 Aprilis 1742; quo praeterea statuit, ob uniformitatem servandam, ut idem festum in omnibus ecclesiis Societatis celebretur in posterum sub ritu duplici primae classis cum octava. — Ant. Comp. § 5.

Hymnus.

Sacra Rituum Congregatio, 16 Sept. 1843, hymnum approbavit *Infensus hostis gloriae* recitandum in honorem S. Aloisii, " extra tamen officium et Missam. „ Bullar. Ms. Procur. Gener. pag. 164.

Lectiones et Missa propriae.

Pro festo S. Aloisii concessae sunt lectiones propriae, pariter et Missa propria, in qua recitatur *Credo*. Sacra Rituum Congregatio, 22 Nov. 1850, Litt. Apost. pag. 379.

Officium votivum.

Postremo ab universa Societate officium votivum S. Aloisii recitatur semel singulis mensibus, feriis tertia, quarta vel sexta non impeditis, ut dictum est supra, n. 242: in quo officio, vi decreti Sacrae Rituum Congregationis, 14 Maii 1887, lectiones secundi et tertii nocturni assignandae sunt pro diversitate temporis, eodem pror-

sus modo ac dictum est supra, n. 259, Litt. Apost. pag. 457.

S. Stanislaus Kostka.

261. Benedictus XIII decrevit, " ut quotannis, idibus Novembris, eius solemnia, ut Sancti Confessoris non Pontificis, celebrari possint. „ Bulla canonizationis, pridie kal. Ian. 1726, Litt. Apost. pag. 234 col. 1. In omnibus ecclesiis Societatis quicumque Sacerdotes praedicta die ad eas confluentes Missam S. Stanislai celebrare possunt. Clemens X, Br. IN APOSTOLICAE, 16 Aug. 1670. — Ant. Comp. § 6.

Ritus duplex secundae classis pro Societate,

Festum S. Stanislai in tota Societate colitur sub ritu duplici secundae classis cum octava, cum lectionibus et Missa propria, in qua recitatur etiam *Credo*. Sacra Rituum Congregatio, 22 Nov. 1850, Litt. Apost. pag. 379.

primae classis pro Domibus Probationis.

Decreto autem eiusdem Sacrae Rituum Congregationis, 13 Maii 1869, festum S. Stanislai evectum est ad ritum duplicem primae classis cum octava pro Domibus Probationis Societatis IESU. Bullar. Ms. Procur. Gener. pag. 175 et 389.

S. Ioannes Franciscus Regis.

262. Clemens XII " decrevit illius memoriam quolibet anno, die 24 Maii, inter Sanctos Confessores non Pontifices pia devotione recoli debere. „ Bulla canonizationis, XVI kal. Iul. 1737, Litt. Apost. pag. 258 col. 2. Festum deinde eiusdem S. Francisci Regis in diem 16 Iunii translatum est. Benedictus XIV, Br. EXPONI NOBIS, 20 Febr. 1742, Litt. Apost. pag. 261 col. 2. — Ant. Comp. § 4.

Officium et Missa.

Clemens XI in brevi beatificationis, 8 Maii 1716, Litt. Apost., edit. 1886, pag. 202 col. 2, recitationem officii, et Missae celebrationem, concessit universae Societati: et quantum ad Missam attinet, etiam Sacerdotibus ad ecclesias nostras confluentibus. — Ant. Comp. § 4. — Sacra Rituum Congregatio, 20 Sept. 1738, officium S. Francisci Regis cum lectionibus propriis singulis annis in festo ipsius Sancti ab omnibus Religiosis Societatis IESU, sub ritu duplici secundae classis cum octava, recitare, et Missam celebrare indulsit atque concessit. Rescripto 31 Augusti 1839 concessum est toti Societati eius Missam propriam celebrare. Bullar. Ms. Procur. Gener. pag. 131. In Missa vero recitatur etiam *Credo*. Sacra Rituum Congregatio, 22 Nov. 1850, Litt. Apost. pag. 379.

S. Franciscus de Hieronymo.

263. Gregorius XVI decrevit, ut S. Francisci memoria V idus Maii quotannis in Ecclesia recolatur. Bulla canonizationis, VII kal. Iun. 1839, Litt. Apost. pag. 367 col. 2. Pius VII in brevi beatificationis, 2 Maii 1806, Litt. Apost., edit. 1886, pag. 339 col. 1, " recitationem officii, et Missae celebrationem, fieri concessit iis locis, in quibus Congregatio Societatis IESU auctoritate apostolica restituta reperiebatur...; et, quoad Missas, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad ecclesias in quibus festum peragitur confluentibus. „ Idem Gregorius XVI, decreto 15 Dec. 1839, concessit officium cum lectionibus propriis, sub ritu duplici secundae classis cum octava. Tandem concessa est Missa propria, in qua dicitur *Credo*. Sacra Rituum Congregatio, 22 Nov. 1850, Litt. Apost. pag. 379.

SS. Paulus Michi, Ioannes Soam, seu de Goto, et Iacobus Chisai, Martyres.

264. Pius IX " statuit ab Ecclesia universali eorum memoriam quolibet anno nonis Februarii esse recolendam. „ Bulla canonizationis, SOCIETAS IESU, VI idus Iun. 1862, Litt. Apost. pag. 400 col. 2, pag. 401 col. 1. Iam vero Urbanus VIII in brevi beatificationis, 15 Sept. 1627, Litt. Apost., edit. 1886, pag. 167 col. 2, concessit, " ut de iisdem Martyribus ab omnibus Societatis Religiosis ubique exsistentibus officium et Missa de communi plurimorum Martyrum, die eorum natalis, videlicet die quinto Februarii, recitari et celebrari respective libere possit et valeat. „ Decreto autem Sacrae Rituum Congregationis, 26 Sept. 1629, Litt. Apost., edit. 1886, pag. 168, praecedens Urbani indultum, quod ad Missae celebrationem, extensum est ad omnes Sacerdotes, tam saeculares quam Regulares, ad ecclesias Societatis nostrae confluentes. Innocentius XIII orationem et secundi nocturni lectiones proprias approbavit. Decreto Sacrae Rituum Congregationis, 4 Sept. 1862, post eorumdem Sanctorum solemnem canonizationem, approbata est additio ad sextam lectionem, cum lectionibus propriis tertii nocturni, et Missa propria. Eorum festum, a duplici maiori ad ritum duplicem secundae classis, elevatum est a Gregorio XVI, rescripto 25 Maii 1832, Bullar. Ms. Procur. Gener. pag. 98 et 286.

S. Petrus Claver.

265. Pius IX, in brevi beatificationis, CHRISTIANAE CHARITATIS, 16 Iul. 1850, Litt. Apost., edit. 1886, pag. 371, eius officium et Missam de communi Confessoris non Pontificis, cum orationibus propriis a Sua Sanctitate approbatis, die nona Septembris ab universa Societate celebrari concessit. " Et quantum ad Missas attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragitur, confluentibus. „ Expletis canonizationis solemniis, novas lectiones secundi nocturni, nec non Missam, in qua recitatur *Credo,* una cum elogio in Martyrologio Romano inserendo, " in festo S. Petri Confessoris, quod sub ritu duplici secundae classis ab Alumnis Societatis IESU amodo persolvendum, approbavit „ Sacra Rituum Congregatio, 12 Maii 1888.

S. Ioannes Berchmans.

266. Pius IX, brevi beatificationis, QUUM ADOLESCENTIA, 9 Maii 1865, universae Societati concessit, ut de illo quotannis, idibus Augusti, recitetur officium cum lectionibus propriis et Missa propria. " Et, quod ad Missas attinet, ab omnibus Sacerdotibus, tam saecularibus quam Regularibus, ad ecclesias, in quibus festum agitur, confluentibus. „ Litt. Apost., edit. 1886, pag. 394 col. 1. Expletis canonizationis solemniis, decreto Sacrae Rituum Congregationis, 12 Maii 1888, festum S. Ioannis Berchmans " ab Alumnis Societatis IESU, sub ritu duplici secundae classis, amodo recolendum est, „ et nonnullae variationes atque additiones in eius officio et Missa, in qua dicitur *Credo*, approbatae sunt: nec non elogium Martyrologio Romano in illius honorem inserendum.

S. Alphonsus Rodriguez.

267. Leo XII, in brevi beatificationis, EX OMNIBUS VIRTUTUM DOCUMENTIS,

20 Maii 1825, " officium, inquit, ac Sacrificium fiat cum approbatis a Nobis orationibus,.... de communi Confessoris non Pontificis, die 30 Octobris.... in universa Societate Iesu. Quod autem spectat ad Sacrificium, hoc indulto complecti volumus exteros quoque Sacerdotes, quicumque eo die in.... Societatis Iesu templis rem divinam facient. „ Loco citato, pag. 349. Expletis canonizationis solemniis, decreto Sacrae Rituum Congregationis, 12 Maii 1888, approbatae sunt novae lectiones secundi nocturni, elogium in Martyrologio Romano inserendum, et *Credo* in Missa recitandum in festo S. Alphonsi Rodriguez, " ab Alumnis Societatis Iesu, sub ritu duplici secundae classis amodo persolvendum. „

B. Ioannes de Britto.

268. Pius IX, brevi beatificationis, Cum primis, 18 Maii 1852, Litt. Apost. pag. 385 col. 2, pag. 386 col. 1, " concessit, ut de eo recitetur quotannis, III idus Febr., officium cum lectionibus secundi nocturni propriis, et Missa de communi unius Martyris, cum orationibus propriis a Sanctitate Sua approbatis,... per omnia templa Societatis Iesu, ubicumque ea constituta sit,... et, quod ad Missas, etiam ab omnibus Sacerdotibus, qui ad ecclesias, in quibus dictum festum peragitur, celebrent. „

B. Andreas Bobola.

269. Pius IX " concessit universae Societati, ut XI kal. Iun., die octavo ab anniversaria gloriosae huius mortis memoria, quotannis officium cum lectionibus secundi nocturni propriis, et Missa de communi unius Martyris, cum orationibus propriis,... et, quod ad Missas, etiam Sacerdotibus qui celebrant ad ecclesias in quibus hoc festum peragitur. „ Br. beatificationis, Quae duo, 5 Iul. 1853, Litt. Apost. pag. 388 col. 2, pag. 389 col. 1.

B. Ignatius de Azevedo et socii Martyres.

270. Pius IX, rescripto Sacrae Rituum Congregationis, 11 Maii 1854, approbavit et confirmavit redintegrationem cultus Ven. Ignatii de Azevedo et triginta novem sociorum e Societate Iesu, Litt. Apost. pag. 390. Concessum est universae Societati officium cum lectionibus propriis secundi nocturni, et Missa de communi plurimorum Martyrum, cum orationibus propriis, decreto Sacrae Rituum Congregationis, 12 Augusti 1854. Ex alio decreto eiusdem Sacrae Congregationis, 6 Iun. 1891, Litt. Apost. pag. 492, " omnes Sacerdotes in ecclesiis et oratoriis Societatis Iesu, sacrum facturi, Missam BB. Ignatii de Azevedo et Sociorum celebrare possunt. „

B. Petrus Canisius.

271. Pius IX, brevi beatificationis, Qui contra, 2 Aug. 1864, Litt. Apost. pag. 410 col. 2, pag. 411 col. 1, " concessit ut de illo recitetur Missa et officium de communi Confessoris, cum orationibus „ et lectionibus secundi nocturni " propriis a Sanctitate Sua approbatis. Eiusmodi vero officii recitationem concessit fieri in templis ac Domibus ubi Societas instituta reperiatur, die 27 Apr., et, quod ad Missas attinet, ab omnibus Sacerdotibus ad templa, in quibus festum agitur, confluentibus. „

BB. Carolus Spinola, Franciscus Pacheco, aliique in martyrio socii.

272. Pius IX, brevi beatificationis, 7 Maii 1867, Litt. Apost. pag. 419, " concessit, ut de illis recitetur quotannis die indicenda officium et Missa de communi plurimorum Martyrum, iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Eiusdem vero officii recitationem fieri concessit in Domibus ac templis quatuor religiosorum Ordinum (nempe Fratrum Praedicatorum S. Dominici, Fratrum Minorum S. Francisci, Eremitarum S. Augustini, Societatis IESU, ad quos quamplures e biscentum et quinque Iaponensibus Martyribus pertinebant) ab omnibus Christi fidelibus, tam saecularibus quam Regularibus, qui horas canonicas recitare teneantur; et, quod ad Missas attinet, etiam a Sacerdotibus, qui rem divinam facient in sacris templis, in quibus Beatorum festum celebretur. „ Sacra autem Rituum Congregatio, 29 Febr. 1868, approbavit, ut in Kalendario Societatis IESU undecim distincta festa assignari valeant in honorem illorum ex praedictis Beatis, qui ad eamdem Societatem pertinent, disposita secundum ordinem martyriorum, eorumque dies non impeditas ad rubricarum tramites; itemque lectiones approbavit secundi nocturni proprias, inserendas officio unius vel plurimorum Martyrum. Bullar. Ms. Procur. Gener. pag. 382.

B. Petrus Faber.

273. Pius IX, decreto Sacrae Rituum Congregationis, 5 Sept. 1872, Litt. Apost. pag. 425, " confirmavit cultum publicum et ecclesiasticum praestitum B. Petro Fabro, Confessori. „ Eadem Sacra Rituum Congregatio, 13 Febr. 1873, orationes proprias et lectiones historicas approbavit, " concessitque, ut ab Alumnis Societatis IESU legi ac recitari valeant in officio et Missa de communi Confessoris non Pontificis, ritu duplici minori. „ Bullar. Ms. Procur. Gener. pag. 394. Quod ad Missam attinet, omnes Sacerdotes in ecclesiis et oratoriis Societatis IESU eam celebrare possunt. Cfr. n. 270.

BB. Edmundus Campion et socii Martyres.

274. Confirmato a SS. Dno N. Leone Papa XIII, per decretum S. R. C., 29 Dec. 1886, Litt. Apost. pag. 455, cultu publico ecclesiastico, iampridem indulto a sanctae mem. Gregorio Papa XIII BB. Martyribus Edmundo Campion et sociis e Societate IESU, qui in Anglia pro fide catholica gloriose occubuerunt, eadem Sacra Rituum Congregatio indulsit, ut de praefatis BB. Martyribus ab Alumnis Societatis ipsius quotannis festum peragi amodo valeret sub ritu duplici minori, die 1.ª Decembris, cum officio et Missa, nec non elogio eiusdem Societatis Martyrologio apponendo, in eorumdem Beatorum honorem concinnatis. Sacra Rituum Congregatio, 30 Apr. 1887. Etiam de his BB. Martyribus possunt omnes Sacerdotes Missam in ecclesiis et oratoriis Societatis IESU celebrare, ex decreto n. 270 citato.

S. Ioannes Nepomucenus.

275. Hoc festum celebratur die 16 Maii, ritu duplici minori, ex concessione Clementis XII in Br. COMMISSAE NOBIS, 22 Aug. 1731, Litt. Apost.

pag. 243. Leo XIII, rescripto 11 Iul. 1888, concessit, " ut festum S. Ioannis Nepomuceni Martyris, quem universa Societas sibi patronum adscivit, in posterum ab Alumnis eiusdem Societatis recoli valeat sub ritu duplici maiori. „ Litt. Apost. pag. 488.

Alia festa.

276. In universa Societate sequentia festa, cum officio et Missa celebranda, indulta sunt.

S. Catharinae de Ricciis.

1. Ex antiquo privilegio concessum est festum S. Catharinae de Ricciis, Virginis, die 13 Februarii celebrandum, cum lectionibus secundi nocturni propriis, et Missa de communi Virginum, cum prima oratione propria.

S. Mariae Magdalenae de Pazzis.

2. Die 27 Maii iam ex antiquis temporibus festum S. Mariae Magdalenae de Pazzis celebratur sub ritu duplici minori, quod confirmatum est in novo Kalendario perpetuo approbato a Sacra Rituum Congregatione die 6 Dec. 1888, Litt. Apost. pag. 494.

SS. Cosmae et Damiani.

3. SS. Cosmae et Damiani Martyrum, ritu duplici minori, 27 Sept., cum indulgentia plenaria pro nostris Religiosis visitantibus propriam ecclesiam, ex Br. Clementis XI, IN APOSTOLICA, 17 Nov. 1717.

SS. Ursulae et Sociarum.

4. SS. Ursulae et Soc. Virg. et Mart., sub ritu duplici minori, 21 Octobris, ex concessione Benedicti XIV, 28 Sept. 1750.

S. Pulcheriae.

5. S. Pulcheriae Virg., 7 Iulii, sub ritu duplici maiori, cum officio et Missa propria, quod etiam recitari, et quae celebrari potest ab omnibus Sacerdotibus, Collegialibus et Seminaristis in omnibus ecclesiis et oratoriis Collegiorum ac Seminariorum Societatis, ex Br. Benedicti XIV, RELIGIOSUM SANCTORUM, 2 Febr. 1752, et ex decreto Sacrae Rituum Congregationis, 24 Maii 1752. — Ant. Comp. § 7.

SS. Reliquiarum.

6. SS. Reliquiarum quae coluntur in nostris ecclesiis, cum officio et Missa propria, sub ritu duplici maiori, die assignanda arbitrio Praepositi Generalis, ex concessione Benedicti XIV, anno 1753: assignata vero est dies 26 Octobris.

B. Mariae Annae a Iesu.

7. B. Mariae Annae a IESU de Paredes, Virg., 2 Iunii, sub ritu duplici minori, cum lectionibus secundi nocturni et orationibus propriis in Missa, ex decreto Sacrae Rituum Congregationis, 15 Sept. 1853, Litt. Apost. pag. 389.

B. Margaritae M. Alacoque.

8. Concessum est officium et Missa de communi Virginum, cum orationibus et lectionibus secundi nocturni propriis, B. Margaritae Mariae Alacoque, sub ritu duplici minori, die 25 Oct., vel prima die libera, si illa sit impedita. Sacra Rituum Congregatio, 29 Sept. 1864, Bullar. Ms. Procur. Gener. pag. 321.

B. Iulianae Cornelionensis.

9. Leo XIII benigne concessit, ut, in Kalendario et Proprio Societatis IESU, festum B. Iulianae Virginis Cornelionensis affigi valeat diei 6 Aprilis, sub ritu duplici minori, et cum officio et Missa, uti in Appendice Breviarii et Missalis Romani. Sacra Rituum Congregatio, die 15 Sept. 1890, Litt. Apost. pag. 491.

FUNERA.

De funeribus externorum in nostris ecclesiis.

277. Declarationes alias editae Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium " etiam in ecclesiis Societatis sunt observandae, videlicet: Pa-

rochis in associatione cadaverum non licere ingredi ecclesias Regularium, sed teneri dimittere eadem cadavera ad ianuam ecclesiarum, ibique solum posse benedicere et dare ultimum vale; officia vero et alia munia, quae in huiusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis Regularibus peragi debere, non autem a Parochis. — Episcopos seu Ordinarios locorum permittere non debere, ut Parochi aliique de clero saeculari maiorem eleemosynam sibi attribui faciant ab haeredibus defunctorum, qui in ecclesiis Regularium sepulturam sibi elegerint, quam percipere possent, si in parochiali, seu alia ipsius cleri saecularis ecclesia sepeliri voluissent. — Functiones funeralium super cadavera defunctorum, quae in ecclesiis Regularium contingit sepeliri, postquam ad easdem ecclesias pervenerint, ad ipsos Regulares, non ad Parochos pertinere. „ Clemens x, Br. Nuper pro parte, 3 Aug. 1672, Litt. Apost. pag. 198 col. 1. — Clemens xi, Br. Nuper pro parte, 3 Iun. 1716, Litt. Apost. pag. 204 col. 1.

GENERALIS.

Generalis statim post electionem fit verus Societatis Praepositus cum plena et libera administratione.

278. Praepositus Generalis, cum primum electus est secundum Societatis Constitutiones, " eo ipso est verus ipsius Religionis Generalis Praepositus, cum libera, generali et omnimoda cura et administratione omnium et singulorum ad felix regimen et prosperam directionem Societatis spectantium et pertinentium; „ potestque plenam exercere iurisdictionem in omnes sub eius obedientia degentes, " ubilibet commorantes, etiam exemptos, etiam quascumque facultates habentes. „ Paulus iii, Const. Licet debitum, xv kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 14 col. 1. — Iulius iii, Const. Exposcit debitum, xii kal. Aug. 1550, Litt. Apost. pag. 25 col. 1. Per privilegium vero Eremitarum S. Augustini, eo ipso quod electioni de se factae consentit, auctoritate apostolica confirmatus intelligendus est; et libere administrare et exercere potest quae ad suum officium pertinent, reiecta quavis appellatione subditorum sibi ratione dicti officii, quae ab eius praeceptis, monitionibus, ordinationibus, mandatis, decretis et regulari disciplina eorumdem quomodolibet interponi contingit. Habetur ex Const. Sixti iv, Dum fructus uberes, idibus Febr. 1474, § 49, Rod. Bul. 34; et ex Const. eiusdem Sixti pro Carmelitis, Dum attenta, iv kal. Dec. 1476, § 68, Rod. Bul. 37. — Ant. Comp. § 1.

Generalis Superiores eligit, et eorum tempus definit.

279. " Electio Superiorum, tam Provincialium et Visitatorum, quam quorumcumque localium, tota est penes Praepositum Generalem... cum potestate illorum facultatem revocandi, restringendi, et etiam augendi, ac administrationis rationem ab illis exigendi, et eosdem ab officio removendi, prout in Domino iudicaverit expedire. „ Gregorius xiv, Const. Ecclesiae Catholicae, iv kal. Iul. 1591, Litt. Apost. pag. 121 col. 1. Illorum gubernationis tempus vel contrahere vel extendere, ultra triennii tempus, potest idem Praepositus, secundum Constitutiones Societatis, non obstante Br. Innocentii x, Prospero felicique, 1 Ian. 1646, Litt. Apost. pag. 178 col. 1, quod

pluries ad tempus suspendit, et demum penitus abrogavit Alexander vii, Br. Debitum pastoralis, 1 Ian. 1663, Litt. Apost. pag. 190 col. 2; et iterum Beneditus xiv, Const. Devotam maiori, xvi kal. Ian. 1746, Litt. Apost. pag. 267 col. 1. Cfr. n. 135. — Ant. Comp. § 9.

Gradus confert, officia distribuit.

280. " Graduum discretio et iudicium, ac Coadiutorum, tam spiritualium quam temporalium, simulque et Professorum promotio, iuxta Constitutiones, est in manu Praepositi Generalis. „ Similiter " officiorum discretio ac distributio... tota est in ipsius Praepositi Generalis manu. „ Gregorius xiv, Const. Ecclesiae Catholicae, iv kal. Iul. 1591, Litt. Apost. pag. 120 col. 2, pag. 121 col. 2. — Paulus iii, Const. Regimini militantis, v kal. Oct. 1540, Litt. Apost. pag. 4 col. 1. — Iulius iii, Const. Exposcit debitum, xii kal. Aug. 1550, Litt. Apost. pag. 24 col. 1. — Ant. Comp. § 10.

Provincias dividit, Missionibus praeest, suos mittit etiam ad infideles, et revocat.

281. Praepositus Generalis potest personas, Domus et Collegia Societatis in varias Provincias distribuere, easque coniungere vel separare, prout res feret. Pius vii, Const. Sollicitudo, vii idus Aug. 1814, Litt. Apost. pag. 339 col. 2. Praepositus Generalis potest ipsemet ire, et suos quocumque locorum, etiam inter infideles, mittere ac revocare; et a Sede Apostolica sine certi temporis limitatione missos, cum expedire ad Dei gloriam et animarum auxilium iudicabit, alio transferre. Paulus iii, Const. Licet debitum, xv kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 14 col. 1. " Sacris ubicumque Missionibus praeest... ad nuntiandum Iesu Christi Evangelium suos mittit Alumnos... nec non earumdem Missionum Praefectos constituit. „ Leo xii, Br. Plura inter, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 352 col. 2. — Ant. Comp. § 2.

Potest suos revocare, etiam cum ad inquirendum contra haereticos mittuntur.

282. Si qui e Nostris " ad praedicandam crucem, vel ad inquirendum contra haereticam pravitatem, seu ad alia similia negotia deputati fuerint, „ potest Praepositus Generalis, cum expedire iudicabit, eos " removere seu revocare et transferre; ipsisque quod supersedeant iniungere, ac alios illorum loco substituere. „ Paulus iii, Const. Licet debitum, xv kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 14 col. 2. — Ant. Comp. § 3.

Praepositus cum generali Congregatione condendi ius habet, mutandi et declarandi quascumque Constitutiones.

283. Praepositus cum Sociis in Congregatione generali, " maiori suffragiorum parte semper statuendi ius habente, „ quascumque particulares Constitutiones, quas ad finem in Societate propositum conformes esse iudicaverint, condendi ius habent. Itemque eas mutare, alterare, seu in totum cassare, et alias de novo condere possunt, quae, simul ac conditae seu mutatae erunt, auctoritate apostolica confirmatae censentur. Possunt iidem eodem modo, quae dubia esse poterunt in Societatis Instituto, declarare. Paulus iii, Const. Regimini militantis, v kal. Oct. 1540, Litt. Apost.

pag. 4 col. 2, pag. 6 col. 2. — Const. INIUNCTUM NOBIS, pridie idus Mart. 1543, Litt. Apost. pag. 9. — Iulius III, Const. EXPOSCIT DEBITUM, XII kal. Aug. 1550, Litt. Apost. pag. 24 col. 1. — Ant. Comp. tit. *Constitutiones* § 1.

Facultas celebrandi contractus.

284. " Omnis facultas celebrandi contractus ... est penes Praepositum Generalem. " Pius V, Const. INNUMERABILES FRUCTUS, III kal. Maii 1568, Litt. Apost. pag. 42 col. 2, pag. 43, confirmans hac de re Constitutiones Societatis et decreta. Cfr. n. 19. — Ant. Comp. § 4, et tit. *Contractus* § 1.

Potest Generalis alia non ita magni momenti, ex consilio Assistentium, ordinare.

285. " In aliis, quae non ita magni momenti sunt, Praepositus Generalis, quatenus ipse opportunum iudicabit, Fratrum suorum consilio, per seipsum ordinandi et iubendi, quae ad DEI gloriam et commune bonum pertinere in Domino videbuntur, ius totum habet. " Iulius III, Const. EXPOSCIT DEBITUM, XII kal. Aug. 1550, Litt. Apost. pag. 24 col. 1. — Ant. Comp. tit. *Constitutiones* § 2.

Facultas declarandi dubia Constitutionum.

286. Facultate concessa Ordini Praedicatorum, possunt Praepositi Generales Societatis auctoritate apostolica declarare, quoad serenitatem illarum conscientiarum quae sibi subiectae sunt dumtaxat, dubia quae super nostris Constitutionibus, privilegiis, indultis, gratiis et exemptionibus a Sede Apostolica concessis et concedendis, emerserint. Iulius II, Br. CONSIDERANTES QUAM MULTA, 4 Dec. 1509. Habetur in libro Privil. Ord. Praed. impresso Romae, 1555, fol. 173, et in eorum Bullario, tom. 4, pag. 226; itemque Iulius III, pro iisdem, ut videre est in eorum Bullario, tom. 8, pag. 205, quaest. 4 nn. 3 et 4. Facultate autem ipsi Societati concessa, Praepositus Generalis auctoritatem habet declarandi quae dubia esse poterunt in nostro Instituto comprehenso in formula quae habetur Const. Iulii III, EXPOSCIT DEBITUM, XII kal. Aug. 1550, Litt. Apost. pag. 24 col. 1. — Ant. Comp. § 5.

Dubia Constitutionum, etc. ad Generalem remittenda.

287. Si quid dubii de pertinentibus ad Institutum, Constitutiones, et privilegia Societatis oriri contigerit, " ad Sedem Apostolicam, vel ad Generalem Praepositum, aut ad eos quibus id ipse commiserit, referatur. " Gregorius XIII, Const. ASCENDENTE DOMINO, VIII kal. Iun. 1584, Litt. Apost. pag. 97 col. 1. — Ant. Comp. § 6.

288. *Haec facultas intelligitur secundum canonem 21 et decretum 19 Congregationis Generalis quartae, scilicet, ut declarationes non habeant vim legis perpetuae, sed valeant tantum ad praxim bonae gubernationis. — Ant. Comp. § 6.* DECLARATIO.

Facultas communicandi bona spiritualia Societatis.

289. Potest Praepositus Generalis, ex suprema potestate quam habet in totum Ordinem, admittere ad participationem bonorum operum, orationum et suffragiorum, procuratores, devotos et benefactores nostrae Societatis. Quod etiam declaratum inveni-

tur in quadam concessione Urbani v facta Minoribus, in eorum Compendio, verbo *Generalis Ordinis,* n. 4. — Cfr. Suarez, in 3 part. tom. 4 disp. 55 sect. 5. — Reiffenstuel, Theol. Moral. tract. 12, dist. 3 quaest. 11 n. 141 et seqq. — Lezana, loc. cit., verbo *Bona Regularium,* n. 2 et seqq. — Ant. Comp. § 7.

Facultas corrigendi.

290. Omnes facultates ad correctionem et punitionem aliis Ordinibus concessae, Societati eiusque Praeposito conceduntur. Gregorius xiv, Const. Ecclesiae Catholicae, iv kal. Iul. 1591, Litt. Apost. pag. 122 col. 1. — Cfr. n. 147. — Ant. Comp. § 12.

Transsumpta seu copiae privilegiorum valent, si Generalis Praepositi sigillo firmata sint.

291. Per privilegia Eremitarum S. Augustini, omnia exemplaria seu transsumpta privilegiorum, quae Societati fuerint concessa per breve vel supplicationem, cum clausula, ut sola signatura sufficiat, si manu alicuius Praelati, aut publici Notarii signata, aut Generalis Praepositi sigillo firmata fuerint, eamdem omnino vim habent, tam in iudicio quam extra, ac si plumbeo sigillo obsignata essent. Habetur per Br. Iulii ii, Nihil est quod saepius, 24 Sept. 1508, § 2, Rod. Br. 22, et refertur in Compendio Minorum cit., n. 14, verbo *Generalis Ordinis,* n. 16, et verbo *Privilegia Fratrum,* n. 19. — Ant. Comp. § 8.

Perpetuitas Generalis eiusque residentia.

292. " Perpetuitatem Praepositi Generalis,.. ac ipsum Praepositum ad vitam eligendi usum et consuetudinem, illiusque in Urbe ordinariam residentiam, et ipsius Societatis unitatem, et omnium nationum sub uno capite collectionem, perpetuo approbamus et confirmamus. " Paulus v, Const. Quantum Religio, pridie nonas Sept. 1606, Litt. Apost. pag. 134 col. 2. — Ant. Comp § 13.

Auctoritas et facultates omnes Generali conservantur.

293. " Omnis auctoritas, omnes facultates per Societatis Constitutiones et apostolica diplomata Praeposito Generali concessae.... integre et inviolate conserventur. " Gregorius xiv, Const. Ecclesiae Catholicae, iv kal. Iul. 1591, Litt. Apost. pag. 121 col. 2. — Cfr. nn. 105 et 106. — Ant. Comp. § 11.

GRADUS ACADEMICI.

De facultate promovendi Nostros ad gradus in Universitatibus.

294. " Scholares Collegiorum Societatis in Universitatibus alicuius studii generalis exsistentium ...., si, praevio rigoroso et publico examine in eisdem Universitatibus, idonei reperti fuerint, et Rectores Universitatum huiusmodi eos gratis et amore Dei, absque aliqua pecuniarum solutione, promovere recusaverint, in Collegiis praedictis a Praeposito Generali..., vel, de eius licentia, a quovis

ex inferioribus Praepositis vel Rectoribus huiusmodi Collegiorum, cum duobus etiam vel tribus Doctoribus seu Magistris per eosdem eligendis,... quoscumque baccalaureatus, ac magisterii, licentiaturae, ac doctoratus gradus accipere, „ ac ad eos promoveri possunt. Iulius III, Br. SACRAE RELIGIONIS, 22 Oct. 1552, Litt. Apost. pag. 29 col. 2. — Ant. Comp. § 1.

Facultas promovendi Nostros ad gradus extra Universitates.

295. " Scholares Collegiorum eorumdem extra Universitates exsistentium, studiorum suorum cursu absoluto, et rigoroso examine praecedente, a dicto Praeposito Generali, vel, de eius licentia, a quovis ex Praepositis vel Rectoribus huiusmodi Collegiorum, cum duobus vel tribus Doctoribus vel Magistris per eosdem eligendis, „ praedictos gradus accipere, et ad eos promoveri possunt. Iulius III, Br. SACRAE RELIGIONIS, 22 Oct. 1552, Litt. Apost. pag. 29 col. 2. — Ant. Comp. § 2.

DECLARATIO. 296. *Nomine Scholarium in his duabus paragraphis intelliguntur Scholares qui sunt de Societate. — Ant. Comp. § 2.*

Quinam ex externis promovendi.

297. " Praepositus Generalis, per se vel aliquem ex Praepositis vel Rectoribus Collegiorum nostrorum, tam in Universitatibus studiorum generalium, quam extra illas ubilibet consistentium, in quibus ordinariae studiorum artium liberalium et theologiae lectiones habebuntur, cursusque ordinarii peragentur, nostrae Societatis Scholares, et pauperes externos, qui dictas lectiones frequentaverint, et etiam divites, si Officiales Universitatum eos promovere recusaverint, cum per examinatores nostrae Societatis idonei sint inventi, solutis tamen per divites suis iuribus Universitatibus, in nostris Collegiis Univertatum quarumcumque, et in aliis extra Universitates consistentibus Collegiis nostris, alios quoslibet Scholares, qui inibi sub eorumdem Collegiorum obedientia, directione, vel disciplina studuerint, ad quoscumque baccalaureatus, licentiaturae, magisterii et doctoratus gradus praefatos, ac alias in reliquis, iuxta litterarum Iulii, praedecessoris praedicti, tenorem promovere „ possunt. Pius IV, Br. EXPONI NOBIS, 19 Aug. 1561, Litt. Apost. pag. 36 col. 1. — Ant. Comp. § 3.

Possunt promoveri per Praefectum.

298. " Facultatem praefatam promovendi ad gradus in philosophia vel theologia, ad cuiuslibet dictae Societatis Collegii studiorum, in quo artium vel theologiae facultates huiusmodi pro tempore legentur, Praefectum... extendimus et ampliamus. „ Gregorius XIII, Const. QUANTA IN VINEA, nonis Maii 1578, Litt. Apost. pag. 76 col. 2. — Ant. Comp. § 4.

Gaudent omnibus privilegiis.

299. Quicumque per Nostros modo praedicto ad gradus promoventur, gaudere possunt omnibus privilegiis et praerogativis, quibus gaudent qui in Universitatibus, rigoroso examine praevio, ac alias secundum inibi observari solitos et requisitos usus, promoventur. Iulius III, Br. SACRAE RELIGIONIS, 22 Oct. 1552, Litt. Apost. pag.

30 col. 1. — Pius IV, Br. EXPONI NOBIS, 19 Aug. 1561, Litt. Apost. pag. 36 col. 1. — Gregorius XIII, Const. QUANTA IN VINEA, nonis Maii 1578, Litt. Apost. pag. 76 et 77 col. 1. — Ant. Comp. § 5.

Externi possunt Societatis lectiones frequentare, et debent in Universitatibus ad gradus admitti.

300. " Quibuscumque Scholasticis licet in huiusmodi Collegiis (Societatis) lectiones, et alias scholasticas exercitationes frequentare, ac quicumque in eis philosophiae vel theologiae auditores fuerint, in quavis Universitate ad gradus admitti possunt; et cursuum, quos in Collegiis praedictis confecerint, ratio habeatur, ita ut, si in examine sufficientes inventi fuerint, non minus, sed pariformiter et absque ulla penitus differentia, quam si in Universitatibus praefatis studuissent, ad gradus quoscumque.... admitti possint et debeant. „ Pius V, Br. CUM LITTERARUM, 10 Mart. 1571, Litt. Apost. pag. 45 col. 1. — Gregorius XIII, Const. QUANTA IN VINEA, nonis Maii 1578, Litt. Apost. pag. 76 col. 1, pag. 77 col. 2. — Ant. Comp. tit. *Scholae* §§ 2 et 3.

COMMUNICATIO. 301. *Facultates promovendi, de quibus in superioribus paragraphis, quoad Nostros reservantur Praeposito Generali; quoad externos vero conceduntur Provincialibus, per se vel per Rectores aut Studiorum Praefectos exercendae. Nam Rectoribus et Cancellariis Universitatum, quoad externos, manet sua facultas. — Ant. Comp. § 9.*

GRADUS SOCIETATIS.

De graduum distinctione.

302. Varii in Societate distinguuntur gradus personarum, quae, biennio Novitiatus peracto, in Societatem admittuntur, nempe *Scholasticorum approbatorum* et *Coadiutorum temporalium non formatorum,* qui ad tria vota vere religionis substantialia, sed simplicia, admittuntur; *Coadiutorum spiritualium et temporalium formatorum,* qui ad eadem vota, publice emissa, quamvis non solemnia, admittuntur; *Sacerdotum Professorum,* qui quatuor solemnia vota et quinque alia simplicia emittunt, quae omnia in Const. Gregorii XIII, ASCENDENTE DOMINO, explicantur; denique *Sacerdotum Professorum,* qui ad tria tantum substantialia vota solemnia, et ad alia praedicta simplicia vota, *interdum* admittuntur. Gregorius XIII, Const. QUANTO FRUCTUOSIUS, kal. Febr. 1582, Litt. Apost. pag. 88. — Const. ASCENDENTE DOMINO, VIII kal. Iun. 1584, Litt. Apost. pag. 91, 92 et 93.

De tempore promotionis.

303. " Tempus promotionis ad huiusmodi gradus nullo modo certum, seu determinatum est. „ Gregorius XIV, Const. ECCLESIAE CATHOLICAE, IV kal. Iul. 1591, Litt. Apost. pag. 121 col. 2. — Ant. Comp. § 7.

Aliqua postmodum quoad tempus gradus determinata sunt. Cfr. Congr. Gen. 8 decr. 9, Congr. Gen. 12 decr. 9, Congr. Gen. 13 decr. 20.

Qui ad gradum admittendi.

304. " Selecti tantum spiritus et doctrinae viri, et multum diuque exercitati, ac in variis probationibus virtutis et abnegationis sui ipsorum, cum omnium aedificatione et satisfactione, satis cogniti, ad Professionem sunt admittendi, et denique non nisi cum Societati vel eius Praeposito Generali fuerit ab eis plene in Domino satisfactum. „ Gregorius XIV, Const. ECCLESIAE CATHOLICAE, IV kal. Iul. 1591, Litt. Apost. pag. 121. — Ant. Comp. § 8.

De gradus mutatione.

305. " Laici vel alii non Sacerdotes ad Sacerdotium, vel iidem, aut qui Sacerdotes sunt, ad Professionem, aut cuiusvis alterius gradus mutationem aspirare non debent. „ Gregorius XIV, Const. ECCLESIAE CATHOLICAE, IV kal. Iul. 1591, Litt. Apost. pag. 122 col. 2. — Ant. Comp. § 9.

HABITUS.

De habitu Societatis.

306. " Socii autem omnes, cum Presbyteri esse debeant..., in iis quae ad victum et vestitum et caetera exteriora pertinent, honestorum Sacerdotum communem et approbatum usum sequentur. „ Iulius III, Const. EXPOSCIT DEBITUM, XII kal. Aug. 1550, Litt. Apost. pag. 26 col. 1. — Ant. Comp.

De mutatione habitus.

307. Facultas vicennalis conceditur " induendi se vestibus saecularibus, si quis aliter vel transire vel permanere non poterit in locis Missionum. „ Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 354 col. 1.

308. *Hanc facultatem Nostri usurpare possunt in iis dumtaxat locis, ubi similis a Sacra Congregatione de Propaganda Fide Sacerdotibus tribui solet. — P. Ro.* COMMUNICATIO.

HAERETICI.

De facultate commorandi in terris haereticorum.

309. " Concedimus, ut in excommunicatorum et haereticorum, vel schismaticorum, vel infidelium terris libere commorari, et cum eisdem conversari, de licentia tamen Praepositi Generalis, et ab eis tunc, et etiam quando per ipsas illos transire contigerit, necessaria vitae deposcere ac recipere valeant. „ Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 17 col. 1. Etsi autem post extravagantem Martini V, AD EVITANDUM, non teneamur de iure vitare generatim excommunicatos, nisi in casibus expressis in eadem constitutione; ex concessione tamen, ad maiorem cautelam, facta ab Eugenio IV Monachis S. Iustinae, Const. ETSI QUASLIBET, pridie kal. Iul. 1436, § 17, Rod. Bul. 11, et Olivetanis a Iulio II, Const. ETSI AD UNIVERSOS, pridie nonas Iun. 1507, § 33, Nostri, propter participationem, etiam in divinis, cum excommunicatis, suspensis et interdictis a iure vel statutis Ordinariorum, nullam excommunicationis seu censurae maculam incurrunt, nisi ipsi excommunicati essent specialiter denuntiati, vel notorii essent clericorum percussores, et praeter casus in Const. APO-

STOLICAE SEDIS, de censuris, comprehensos. — Ant. Comp.

COMMUNICATIO. 310. *Omnes hoc privilegio uti poterunt.*

De celebratione coram haereticis.

311. Facultas vicennalis conceditur " celebrandi.... praesentibus haereticis, schismaticis, et infidelibus, et excommunicatis, dummodo minister non sit haereticus aut excommunicatus, ac aliter celebrari non possit. „ Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 354 col. 1.

COMMUNICATIO. 312. *Hanc facultatem Nostri usurpare possunt in iis dumtaxat locis, ubi similis a Sacra Congregatione de Propaganda Fide Sacerdotibus tribui solet. — P. Ro.*

HEBDOMADA SANCTA.

De Missa Feriae quintae Maioris Hebdomadae.

313. In Hebdomada Sancta, Feria Quinta in Coena Domini, licet Nostris, pro commodo infirmorum nostrorum, ante Sacrum solemne, etiam unam Missam privatam celebrare. Quod formaliter concessum est Provinciae tunc dictae Germaniae Superioris, decreto Gregorii XVI, 4 Dec. 1841. Cfr. n. 100.

COMMUNICATIO. 314. *Possunt Superiores hac uti facultate.*

HORAE CANONICAE.

De recitatione divini officii in choro.

315. Socii omnes, quicumque in sacris fuerint, horas canonicas singuli et privatim, secundum usum Romanae Ecclesiae, non autem communiter seu in choro recitare teneantur. Paulus III, Const. REGIMINI MILITANTIS, V kal. Oct. 1540, Litt. Apost. pag. 6 col. 1. — Iulius III, Const. EXPOSCIT DEBITUM, XII kal. Aug. 1550, Litt. Apost. pag. 26 col. 1. — Gregorius XIII, Br. EX SEDIS APOSTOLICAE, die ult. Febr. 1573, Litt. Apost. pag. 54 col. 2.

De ritu et ordine officiorum.

316. Paulus III, Br. CUM INTER, 3 Iun. 1545, Litt. Apost. pag. 11 col. 1, facultatem Societati concessit " horas canonicas diurnas pariter et nocturnas, secundum usum Romanae Ecclesiae noviter editum, dicendi et recitandi, ita quod ad alium usum observandum seu officium dicendum minime teneamur. „ Pius vero VII, rescripto 6 Febr. 1821, Litt. Apost. pag. 342, " benigne indulsit, ut in omnibus eiusdem Societatis Domibus atque ecclesiis locum habeant in ordine recitationis divini officii, ac in celebratione Missarum, praeter concessiones omnes officiorum, Missarum, octavarum, translationum atque ritus elevationum, quae fuerunt ab Apostolica Sede impetratae post eiusdem Societatis redintegrationem, etiam illae, quae anteactis temporibus indultae, usque ad suppressionis diem fuerunt servatae. „ Ritus Romanus

Ritus in officiis et Missis in praesenti servandus habetur in Kalendario perpetuo proprio pro universa Societate a Pio IX approbato, decreto Sacrae Rituum Congregationis, 5 Iul. 1855, reformato deinde atque iterum approbato a Leone XIII, decreto eiusdem Sacrae Rituum Congregationis, 6 Dec. 1888, Litt. Apost. pag. 494 et seqq. Kalendarium perpetuum.

Sacra Rituum Congregatio, 14 Maii 1887, indulsit, ut, servatis rubricis, Ordo lectionum in officiis votivis

SS. Aloisii, Fr. Borgiae et Fr. Xaverii.

" in officiis votivis S. Aloisii Gonzagae et S. Francisci Borgiae, iam ab Apostolica Sede eidem Societati concessis, loco adsignandi lectiones secundi et tertii nocturni iuxta partitionem trimestrium, adsignentur pro temporis diversitate, prout reperitur in officio votivo Immaculatae Conceptionis; ita ut tempore hyemali legantur lectiones adsignatae mensibus Ianuario, Februario et Martio; tempore verno, quae mensibus Aprili, Maio et Iunio, et ita porro. Insuper, ut uniformitas servetur etiam in officio votivo S. Francisci Xaverii, in quo non habentur nisi lectiones de die festo, de tertia die infra octavam et de die octava, quae non sufficiunt pro praedictis quatuor anni temporibus, indulsit, ut tempore verno, in secundo nocturno legantur lectiones de communi Confessoris non Pontificis primo loco, et in tertio nocturno lectiones de homilia S. Ambrosii Episcopi, quae leguntur in Breviario feria quinta infra octavam Pentecostes; lectiones vero de die festo legantur tempore hyemali, lectiones de tertia die infra octavam tempore aestivo, et lectiones de die octava tempore autumnali. " Litt. Apost. pag. 456 et 457. — Cfr. tit. *Festivitas*, nn. 258-260.

De anticipatione divini officii, eiusque dilatione.

317. " Facultatem et licentiam anteponendi et postponendi officium divinum, alias vobis concessam..., extendimus et ampliamus; ad hoc nempe, ut iustis causis.... celebrationi Missae libere et absque conscientiae scrupulo " postponatur, onerata conscientia hac in re Praepositi Generalis, et aliorum quibus hanc facultatem communicaverint. Iulius III, Br. SACRAE RELIGIONIS, 22 Oct. 1552, Litt. Apost. pag. 29 col. 1. — Ant. Comp. § 1.

" Praepositum Generalem, uti Praesulem, potestate donamus.... indulgendi, ut, si aequum est, horae matutinae, peracto sacrificio, recitentur... huiusmodi facultate omnium Societatis Domorum, Collegiorum in qualibet Provincia Praesules muniendi. " Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 352 col. 2.

318. *Omnes Sacerdotes uti poterunt hac facultate, ex rationabili causa, secundum tenorem concessionis. — Ant. Comp. § 2. – In dubio de causa, licebit omnibus Superioribus dispensare.– P. Ro.* COMMUNICATIO.

De horarum unione et divisione.

319. Concedimus, " ut Superiores vestri, Praepositi nuncupati, pro tempore exsistentes, dispensent cum quibusvis clericis et Sociis vestris in praeveniendo vel postponendo, uniendo vel decidendo, in communi vel speciali horas canonicas. " — Clemens VII, Br. DUDUM PRO PARTE, 7 Mart. 1533, pro Clericis Regularibus Theatinis, § 2.

De matutino et laudibus hora secunda a meridie recitandis.

320. Praepositi Provinciales Societatis IESU in Gallia facultatem petierunt et obtinuerunt a Summo Pontifice Pio IX, die 24 Aug. 1853, pro " Sacerdotibus et Missionariis, officium matutinum et laudes sequentis diei recitandi hora secunda post meridiem, toto anno, accedente iusta causa. " " Iusta causa intelligitur adesse, dum Superior vel Confessarius approbat. Ita explicavit SSmus in audientia

habita die 25 Febr. 1854. „ Adm. R. P. Beckx S. I. " Haec facultas extenditur ad totam Societatem, secundum intentionem expressam SSmi. „ P. Beckx S. I. Ita ex Ms. originali et authentico.

Facultas recitandi simul officium loci, tempore Exercitiorum Spiritualium.

321. Sacerdotes, aliive ecclesiastici viri, sive saeculares sint sive Regulares, et etiam beneficiati, qui sub directione Nostrorum Exercitia ubicumque peragunt, si simul, id est, in communi, horas canonicas recitant, possunt sequi officium loci in quo peraguntur Exercitia, ex speciali Pii IX concessione, extendentis ad alia loca facultatem iam pridem pro Urbe obtentam. Sacra Rituum Congregatio, 7 Iul. 1864, Litt. Apost. pag. 406.

Facultas auxiliaribus concessa quoad officium.

322. Sacerdotes, sive clerici saeculares, qui auxiliares sunt in nostris Collegiis vel Convictibus, *durante munere,* in officio divino et Missa se plane Nostris conformare possunt. Rescr. Pii IX, 19 Ian. 1851, Litt. Apost. pag. 381.

HOSPITIA.

De facultate habendi hospitia, eorumque conditionibus.

323. *Hospitium* vere et proprie dicitur illud, quod deservit tantummodo Religiosis itinerantibus vel infirmis, in quo nulla servatur forma regularis, neque permanenter habitant Religiosi, nisi infirmi praedicti eorumque servientes. Unde hospitium saeculare, et hospitium privatum appellatur. Hospitia non possunt a Regularibus recipi et retineri, nisi de licentia speciali Sedis Apostolicae, seu Sacrae Congregationis, et servatis ad unguem omnibus conditionibus praescriptis. Regulares, in hospitiis aliter receptis degentes, incidunt in poenas degentium extra claustra, non obstante qualibet exemptione. Hospitium habere non potest ecclesiam, sed oratorium tantum privatum, neque ibi administrari possunt Sacramenta, aut alia celebrari divina officia, vel publicas haberi conciones, praeter Missae celebrationem. Regulares, ad illud se transferentes, non assumunt titulum Praesidentis, vel alterius Officialitatis. Ita habetur ex pluribus decretis Sacrae Congregationis, apud Monacelli, tom. 1 tit. 6 formul. 19 n. 15 et seqq., et apud Ferraris, verbo *Conventus,* art. 1 n. 9, et verbo *Hospitia Regularium.* — Cfr. Reiffenstuel, in lib. 3 tract. 48 n. 47. Verum Benedictus XIV, De Synodo, lib. 9 cap. 1 n. 9, ex decisionibus Auditorii Rotae asserit " pro simplici hospitio, quod pro Regularium iter habentium commodo aedificari vellet, Episcopi localis licentiam ad id sufficere, etiam non accedente Apostolicae Sedis auctoritate. „ Cfr. Ferraris, verbo *Hospitia Regularium, n. 16.*

Haec vero habentur in Const. Leonis XIII. " Sacrum Consilium christiano nomini propagando pluries declaravit, constitutiones Clementis VIII, QUONIAM, IX kal. Iul. 1603, Gregorii XV, CUM ALIAS, XVI kal. Sept. 1622, Urbani VIII, ROMANUS PONTIFEX, V kal. Sept. 1624, itemque constitutiones Innocentii X non esse de Domibus

De Domibus atque hospitiis missionum, quoad exemptionem.

atque hospitiis missionum intelligendas. Sacra Congregatio de Propaganda Fide, 30 Ian. 1627, 27 Mart. 1631, 5 Oct. 1655, 23 Sept. 1805, 29 Mart. 1834. Ac merito quidem; nam quum dubium iamdudum fuisset propositum Clementi VIII, utrum Religiosi viri, ad Indos missi in culturam animarum, existimandi essent quasi vitam degentes extra Coenobii septa, proindeque Episcopis subesse Tridentina lege iuberentur, Pontifex ille, per constitutionem RELIGIOSORUM QUORUMCUMQUE, VI idus Nov. 1601, decreverat eos " reputandos esse tamquam Religiosos viventes intra claustra „ quamobrem " in concernentibus curam animarum Ordinario loci subesse: in reliquis vero, non Ordinario loci, sed suis Superioribus subiectos remanere. „ Neque aliud sensit iudicavitque Benedictus XIV in suis constitutionibus, QUAMVIS, V kal. Mart. 1746, CUM NUPER, VI idus Nov. 1751, et CUM ALIAS, V idus Iun. 1753. Ex quibus omnibus liquet, etiam hospitia ac Domos, quantumvis incolarum paucitate infrequentes, huius, de quo agitur, privilegii iure comprehendi, idque non in locis solum ubi Vicarii apostolici, sed etiam ubi Episcopi praesunt; de Episcopis enim in constitutionibus, quas memoravimus, agebatur. „ Leo XIII, Const. ROMANOS PONTIFICES, VIII idus Mart. 1881, *§ Nihilominus.*

Ad habenda hospitia sufficit licentia Ordinarii, et in eis servanda est clausura.

Tandem, ex concessione Patribus Passionistis facta, sin minus ex iure communi, hospitia habere possumus, nulla alia requisita licentia, quam Ordinarii loci ad celebrandas Missas. " ... Hospitia vero etiam in civitatibus, terris et oppidis cum oratoriis privatis, in quibus Missae de Ordinarii loci licentia, et sine praeiudicio iurium parochialium, quolibet anni die, exceptis Feria Quinta in Coena Domini et Sabbato Sancto, celebrari valeant, habere. Quas quidem Domos et hospitia, et adnexorum hortorum septa, quae scilicet Praepositi Generalis, aut Provincialis auctoritate appositis terminis semel circumscripta fuerint, ne qua mulier umquam quocumque praetextu ingredi audeat, vel praesumat; seu, in illas et illa introduci valeant, sub censuris et poenis adversus violantes clausuram virorum regularium statutis, districte inhibemus. „ Clemens XIV, Const. SUPREMI APOSTOLATUS, XVI kal. Dec. 1769, §§ 4 et 5.

IMMUNITAS LOCORUM.

Confugientes ad nostras ecclesias capi non possunt.

324. Confugientibus ad nostras ecclesias et Domus manus violentae iniici prohibentur a quocumque, sub poena excommunicationis latae sententiae, ex concessione Leonis X, quam confirmavit, pro Ordine S. Ioannis Hierosolymitani, Pius IV, Const. CIRCUMSPECTA, § 44. In praesenti vero quoad excommunicationem standum est Const. APOSTOLICAE SEDIS, de censuris, Cfr. 2.^{am} seriem, art. 5. — Ant. Comp. § 1.

Nomine ecclesiarum veniunt etiam Domus, etc.

325. Fugientes ad nostras ecclesias securitate gaudent: appellatione autem ecclesiarum veniunt Domus nostrae, seu Collegia Societatis cum hortis, hortalitiis, claustris, officinis, et locis omnibus intra illarum ambitum inclusis. Concessit Innocentius VIII Servitis, in eorum *Mari Magno,* VI kal. Iun. 1487. — Ant. Comp. § 2.

DECLARATIO. 326. *Quod si in casibus exceptis reus aliquis extrahendus sit a loco immuni, id non fiat sine licentia Episcopi, et servata forma, quam praescribunt constitutiones Gregorii XIV, CUM ALIAS, Benedicti XIII, EX QUO DIVINA, Benedicti XIV, ALIAS FELICIS, et OFFICII NOSTRI. Quod si reus pertineret ad tribunal S. Inquisitionis, servanda est constitutio eiusdem Pontificis, ELAPSO PROXIME.* — *Ant. Comp. § 2.*

INDULGENTIA.

Indulgentiae plenariae ipsis Religiosis Societatis concessae.

327. *Indulgentia plenaria* concessa est:

Omnibus Religiosis, die primo eorum ingressus in ipsam Religionem:

Cuilibet Novitio, cum, post completum probationis biennium, simplicia vota emisserit:

Cuivis Religioso in eius vero mortis articulo, si saltem contritus nomen IESU ore, si potuerit, sin autem corde devote invocaverit:

Sacerdotibus nostris, qui primam Missam celebrabunt, et iis Religiosis, qui eidem Missae interfuerint, aut ipso die Missam similiter celebrabunt. Hanc indulgentiam lucrantur quoque quicumque Sacerdos primum sacrum faciens, eiusque consanguinei ad tertium usque gradum inclusive, eisdem conditionibus: caeteri vero Christi fideles pie ac devote primae Missae neo Sacerdotum assistentes, et secundum mentem Summi Pontificis orantes, indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum. Leo XIII, decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 16 Ian. 1886. - Raccolta di Orazioni e pie Opere per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le sante indulgenze. Roma, 1886, Appendice § I, n. 8, pag. 574, et § XLV, n. 31, pag. 518.

Omnibus Nostris, qui in ditiones et terras infidelium aut haereticorum ad evangelizandum mittuntur, pro duabus vicibus, videlicet, quando itineri sese accingent, et quando in provinciam, ad quam mittuntur, ingressi fuerint.

Concessit has indulgentias omnibus omnium Ordinum Religiosis Paulus V, Br. ROMANUS PONTIFEX, 23 Maii 1606.

328. *Indulgentia Plenaria* pariter concessa est singulis annis lucranda:

In visitationibus Domorum, Religiosis uniuscuiusque Domus, qui iuxta mentem Summi Pontificis, nec non pro necessitatibus Societatis universae et respectivae Domus devote oraverint. Gregorius XVI, rescripto 2 Apr. 1832, Litt. Apost pag. 358.

Omnibus Societatis IESU Religiosis, qui in die festo *SS. Martyrum Cosmae et Damiani* (27 Septembris) ecclesiam suae Domus sive Collegii visitaverint. Clemens XI, Br. IN APOSTOLICAE DIGNITATIS, 17 Nov. 1717.

In die *septima mensis Augusti*, anniversaria restitutionis Societatis IESU, si ecclesiam cuiuscumque Domus Societatis IESU, a primis vesperis usque ad occasum solis, visitaverint. Pius VII, rescripto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 16 Iun. 1718.

In die festo *S. Ioannis Nepomuceni*, si quamlibet Societatis ecclesiam, a primis vesperis usque ad occasum solis, visitaverint. Clemens XII, Br. COMMISSAE NOBIS, 23 Aug. 1731, Litt. Apost. pag. 244.

Cfr. pro hoc numero et praecedenti Summarium Indulgentiarum,

prima parte, *Indulgentiae plenariae*, nn. 1-9, Litt. Apost. pag. 441 et 442.

COMMUNICATIO. 329. *Opera requisita ad lucrandas omnes praecedentes indulgentias sunt confessio et communio, praeter illam in articulo mortis, quando illa duo sacramenta accipi non possunt. Hanc indulgentiam lucrantur Nostri absque ullius praesentia Sacerdotis; sed potest etiam impertiri cum benedictione apostolica. Cfr. n. 76. Quando praecipitur visitatio ecclesiae, orandum est in ea secundum intentiones Summi Pontificis. Cfr. n. seq. et n. 346.*

Indulgentiae Stationum Urbis Romae.

330. Omnes Nostri intra claustra viventes, qui suam ecclesiam devote visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, Romani Pontificis salute, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione oraverint, consequuntur easdem indulgentias, quas visitantes ecclesias Urbis et extra eam diebus Stationum consequerentur. Paulus v, Br. ROMANUS PONTIFEX, 23 Maii 1606. Cfr. Summarium Indulg. loc. cit., n. 10, pag. 442 col. 2.

331. Indulgentiae Stationum Urbis sunt sequentes:

In Quadragesima: In feria IV Cinerum et Dominica IV, quindecim annorum totidemque quadragenarum. — Dominica Palmarum, viginti quinque annorum totidemque quadragenarum. — Feria V in Coena Domini, plenaria. — Feria VI in Parasceve et Sabbato Sancto, triginta annorum totidemque quadragenarum. — In reliquis tam Dominicis quam feriis, decem annorum totidemque quadragenarum.

In Paschate Resurrectionis D. N. IESU Christi: in Dominica, indulgentia plenaria. — In duobus aliis festis diebus immediate sequentibus, et per totam octavam usque ad Dominicam in Albis inclusive, quotidie triginta annorum totidemque quadragenarum.

Die Ascensionis: indulgentia plenaria.

In Pentecoste: in Sabbato ante Dominicam, decem annorum totidemque quadragenarum. — In Dominica et aliis infra octavam diebus usque ad sabbatum inclusive, quotidie indulgentia triginta annorum totidemque quadragenarum.

In Dominicis Adventus: In Dominica I, II et IV, indulgentia decem annorum totidemque quadragenorum. — In Dominica III, quindecim annorum totidemque quadragenarum.

In Nativitate D. N. IESU Christi: In vigilia, nocte, ac Missa aurorae, quindecim annorum totidemque quadragenarum. — In die, indulgentia plenaria. — In subsequentibus tribus diebus festis, et in Circumcissione ac Epiphania Domini, nec non in Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae, indulgentia triginta annorum totidemque quadragenarum.

In tribus feriis Quatuor Temporum: decem annorum totidemque quadragenarum.

Decretum Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 9 Iulii 1777, Rescripta authentica Sacrae Congregationis Indulgentiarum, edit. P. I. Schneider S. I., Ratisbonae, 1885, pag. 240.

Indulgentiae locorum, ubi Nostri degunt.

332. Omnes Societatis IESU personae, si ante altare Sanctissimi Eucha-

ristiae Sacramenti in ipsius Societatis ecclesiis pro consuetis Summi Pontificis intentionibus, aut alias pro cuiusque peculiari devotione oraverint, omnes et singulas indulgentias, etiam plenarias et peccatorum remissiones, consequuntur, quas consequerentur, si indulgentiarum ipsarum diebus ecclesias et loca pia iis decorata visitarent in locis in quibus degunt. Gregorius XIII, Br. CUM SICUT ACCEPIMUS, 23 Dec. 1579, Litt. Apost. pag. 79. - Confirmavit ac denuo concessit Gregorius XVI, rescripto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 22 Dec. 1832, Summar. Indulg., loc. cit., n. 12, Litt. Apost. pag. 443 col. 1.

Indulgentiae Congregationum B. Mariae Virginis.

333. Religiosi Societatis omnes indulgentias Congregationi Primae Primariae Annuntiationis B. MARIAE V. concessas consequi possunt, si eadem opera, quae sodales earumdem Congregationum praestare solent, exercuerint, et proprias ecclesias sive oratoria visitaverint. Benedictus XIV, Br. QUEMADMODUM PRESBYTERI, 15 Iul. 1749, Litt. Apost. pag. 294 col. 1. Summar. Indulg., loco citato, n. 11. — Indulgentias Congregationibus B. MARIAE V. a suis praedecessoribus collatas retulit, et confirmavit, novasque adiecit Benedictus XIV, Const. GLORIOSAE DOMINAE, V kal. Oct. 1748, Litt. Apost. pag. 283 et seqq. Earumdem Summarium a Sacra Congregatione Indulgentiarum approbatum rescripto 23 Iun. 1885 habes, Litt. Apost. pag. 443 et seqq.

Indulgentiae pro oratione mentali.

Facientibus orationem mentalem.

334. *Indulgentiam sexaginta annorum totidemque quadragenarum* omnibus Religiosis, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediae horae orationem mentalem fecerint, et confessi ac sacra communione ultima Dominica huiusmodi mensis refecti fuerint, concessit Paulus V, Const. ROMANUS PONTIFEX, 23 Maii 1606.

Summar. Indulg., 1.ª parte, *Indulgentiae partiales,* n. 4, Litt. Apost. pag. 443 col. 2.

Benedictus XIV, Br. QUEMADMODUM, 16 Dec. 1746, concessit omnibus Christi fidelibus, qui quotidie per mensem integrum dimidiam vel saltem quartam horae partem orationi mentali impendunt, *indulgentiam plenariam* semel in mense, die, quo vere poenitentes, confessi ac sacra communione refecti devote orant pro concordia inter Principes christianos, haeresum exstirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione. Raccolta, § XLV, n. 6, pag. 480.

Docentibus et discentibus modum orationis mentalis,

335. *Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum* concessit idem Summus Pontifex eodem Br. omnibus illis, qui, tam in ecclesiis quam alibi, publice vel privatim, modum orationis mentalis docuerint, quoties id egerint; et etiam iis, qui illam addiscunt, dummodo qualibet vice vere poenitentes confiteantur et sacra Eucharistia reficiantur. — Iis autem, qui assidue rationem orationis mentalis docent, quique eadem assiduitate eam addiscunt, *indulgentiam plenariam,* quam semel in mense lucrari possunt die libere eligendo, quo, vere poenitentes, confessi et sacra communione refecti, pro concordia

inter Principes christianos, haeresum exstirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione orant. Raccolta, § XLV, n. 6, pag. 480.

Indulgentiae pro Litaniis.

Pro Litaniis Sanctorum.

336. *Centum dierum*, Religiosis Societatis, quoties Litanias Sanctorum more solito in communi recitaverint. Benedictus XIV, rescripto 2 Mart. 1747; confirmatum ac denuo concessum rescripto Gregorii XVI, 22 Dec. 1832. Summar. Indulg., 1.ª parte, *Indulgentiae partiales,* n. 6, Litt. Apost. pag. 443 col. 2.

Pro Litaniis Lauretanis.

Tercentum dierum, omnibus fidelibus, quoties Litanias Lauretanas corde contrito ac devote recitaverint, ut in Societate fit singulis diebus simul cum Litaniis Sanctorum. — " Quotidie autem recitantibus, dummodo vere poenitentes, confessi, ac sacra communione refecti fuerint, et ad mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, *indulgentiam plenariam* in quinque eiusdem B. MARIAE V. festivitatibus (scilicet, Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, et Assumptionis) lucrandam.., dummodo aliquam publicam ecclesiam devote visitaverint " concessit Pius VII, decreto *Urbis et Orbis* Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 30 Sept. 1817, Rescripta Authentica Sacrae Congregationis Indulgentiarum, edit. P. Schneider S. I., Ratisbonae, 1885, pag. 254. Raccolta, § X, n. 21, pag. 273 et seqq.

Indulgentiae pro aliquibus pietatis exercitiis.

In prima feria sexta mensis.

337. *Septem annorum totidemque quadragenarum,* prima feria sexta cuiuslibet mensis, omnibus Societatis Religiosis, qui, confessi ac sacra communione refecti, ante Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum vel Salvatoris nostri IESU imaginem secundum mentem Summi Pontificis oraverint. Clemens XIII, rescripto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 2 Iun. 1767.

Pro visitatione ecclesiae.

Quinque annorum totidemque quadragenarum, qualibet die Nostris intra claustra viventibus, qui quinquies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam ante altare eorum ecclesiae dixerint. Concessit omnibus Religiosis Paulus V, Const. ROMANUS PONTIFEX, 23 Maii 1606.

Eamdem indulgentiam lucrantur Religiosi, de Superiorum licentia in itinere exsistentes, vel extra claustra degentes tamquam praedicatores et lectores, si easdem orationes ante quodlibet altare similiter dixerint. Paulus V, eadem Const.

Pro exercitio culparum.

Trium annorum totidemque quadragenarum, iisdem, qui vere contrito corde et poenitentes eorum culpas et peccata ac imperfectiones in capitulis culparum accusabunt, et spiritualiter communicabunt, et exercitium virtutum facient. Idem Pontifex, eadem constitutione.

Summar. Indulg., 1.ª parte, *Indulgentiae partiales,* nn. 1-3 et 5, Litt. Apost. pag. 443 col. 1 et 2.

Indulgentiae pro quarumdam precum recitatione.

Pro invocatione « *Anima Christi.* »

338. Pro invocatione "*Anima Christi, sanctifica me* etc. " *tercentum dierum* omnibus fidelibus, quoties corde contrito et devote dicatur. — *Septem annorum* semel in die, si a Sacerdotibus post Missam, et a fidelibus post

communionem acceptam recitetur. — *Indulgentia plenaria* semel in mense omnibus, qui eamdem semel saltem quotidie per mensem recitare solent, eo die libere eligendo lucranda, quo, vere poenitentes, confessi et sacra communione refecti, ecclesiam vel publicum oratorium visitabunt, ibique per aliquot temporis spatium secundum mentem Summi Pontificis orabunt. Pius IX, decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 9 Ian. 1854. Cfr. Summar. Indulg. S. I., edit. separata 1886, pag. 8, nota 6. — Raccolta di Orazioni e Pie opere etc., edit. 1886, Romae, § VI, n. 14, pag. 103.

Pro oratione « *Suscipe, Domine.* »

Pro oratione S. P. N. Ignatii, quae incipit: *Suscipe, Domine* (versio vulgata in lib. Exercitiorum) " SS. D. N. Leo Papa XIII.... omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui corde saltem contrito ac devote " eam " recitaverint, indulgentiam *tercentum dierum*, semel in die lucrandam, benigne concessit " rescripto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 26 Maii 1883, Rescripta Authentica S. C. Indulg., edit. 1885, pag. 672. Raccolta, § II, n. 13, pag. 37. — Summar. Indulg., edit. separata 1886, pag. 9, nota 6.

Pro oratione S. Francisci Xaverii pro conversione infidelium.

Pro oratione S. Francisci Xaverii, quae incipit: *Aeterne rerum omnium effector, Deus,* pro conversione infidelium, indulgentia *tercentum dierum* omnibus Christi fidelibus semel in die eam recitantibus. Pius IX, rescripto 24 Maii 1847, Raccolta di Orazioni etc., edit. 1886, § II, n. 5, pag. 27 et 28.

Pro oratione et aspiratione « *O Domina mea.* »

Iis, qui cum fervore, et corde saltem contrito, recitabunt mane et vespere *Ave Maria* cum oratione et aspiratione *O Domina mea*, ut a B. V. Maria victoriam in tentationibus, speciatim contra castitatem, implorent, Pius IX, rescripto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 5 Aug. 1851, petente P. Ioanne Roothaan, Praeposito Generali S. I., concessit indulgentiam *centum dierum* semel in die; — *indulgentiam plenariam* semel in mense iis, qui eamdem, ut supra, recitaverint quotidie per mensis spatium, eo die, quo, vere poenitentes, confessi et sacra communione refecti, visitaverint ecclesiam vel oratorium publicum, ibique per aliquod temporis spatium secundum mentem Summi Pontificis orabunt. — Indulgentiam *quadraginta dierum* lucrantur quoties in tentatione, corde saltem contriti, ac devote recitant aspirationem tantum breviorem. Summar. Indulg. Soc. Iesu separatim editum, 1886, pag. 9, in nota. Raccolta di Orazioni etc., Romae, 1886, § X, n. 32, pag. 291 et 292.

Indulgentiae plenariae visitantibus ecclesias nostras in diebus festis Sanctorum Societatis.

339. *Indulgentiam plenariam* lucrantur omnes Christi fideles, qui, confessi et sacra communione refecti, aliquam Societatis Iesu ecclesiam visitaverint, ibique secundum intentiones Summi Pontificis oraverint:

In festo S. Ignatii,

In die festo *S. Ignatii de Loyola,* a primis vesperis usque ad occasum solis, Gregorius XV, Br. Splendor aeternae gloriae, 8 Iun. 1622. — Ant. Comp. § 2.

S. Francisci Xaverii,

In die festo *S. Francisci Xaverii,* a primis vesperis usque ad occasum solis. Gregorius XV, ibid.

canonizationis SS. Ignatii et Fr. Xaverii,

In die *duodecima mensis Martii,* anniversaria canonizationis SS. Ignatii de Loyola et Francisci Xaverii, quamlibet ecclesiam vel cappellam Societatis Iesu visitantibus. Leo XIII, Br.

Expositum Nobis, 12 Ian. 1886, Litt. Apost. pag. 439 col. 2.

S. Francisci Borgiae, In die festo *S. Francisci Borgiae*, a primis vesperis usque ad occasum solis. Clemens x, Br. Redemptoris et Domini, 3 Iul. 1671. — Innocentius xi, Br. Dudum, 28 Aug. 1683. — Ant. Comp. § 5.

S. Stanislai, In die festo *S. Stanislai Kostkae*. Concessit ecclesiis Societatis Benedictus xiii, Br. Redemptoris, 31 Iul. 1727. - Ant. Comp. § 9. Sed extensa est ad visitantes, a primis vesperis usque ad occasum solis, quamlibet ecclesiam vel publicum oratorium, ubi illud festum celebratur, et ad quemvis anni diem, in quem cum Ordinarii licentia idem festum transferatur, a Leone xii, rescripto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 3 Martii 1827. Raccolta, edit. 1886, § xxxiv, n. 1, pag. 424. Summar. Indulg., edit. separata, 1886, pag. 14, nota 9.

S. Aloisii, In die festo *S. Aloisii Gonzagae*. Benedictus xiii, Br. Redemptoris et Domini, 31 Iul. 1727. — Ant. Comp. § 7. Extensa est a Benedicto xiii, Clemente xii, et Benedicto xiv per varia decreta Sacrae Congregationis Indulgentiarum ad visitantes in quavis ecclesia sive oratorio publico altare S. Aloisio Gonzagae dedicatum in eius festo. — Hoc festum celebrari potest, cum permissione Ordinarii, quocumque die intra annum, in quocumque loco et altari. Raccolta, edit. 1886, § xxxv, n. 1, pag. 428. Summar. Indulg. edit. separata, 1886, pag. 15, nota 9.

S. Ioannis Francisci Regis, In festo *S. Ioannis Francisci Regis*, a primis vesperis usque ad occasum solis. Clemens xii, Br. Redemptoris Domini, 19 Apr. 1738. — Benedictus xiv, Br. Exponi Nobis, 20 Febr. 1742, Litt. Apost. pag. 261 col. 2. — Ant. Comp. § 6.

S. Francisci de Hieronymo, In die festo *S. Francisci de Hieronymo*, a primis vesperis usque ad occasum solis. Gregorius xvi, Br. Cum inclyta, 17 Mart. 1840, Litt. Apost. pag. 370.

SS. MM. Iaponensium, " In die festo *SS. Martyrum Iaponensium*, Pauli Michi, Ioannis de Goto et Iacobi Chisai, nempe die quinta Februarii mensis, " quamlibet ecclesiam vel cappellam Societatis visitantibus a primis vesperis usque ad occasum solis. Leo xiii, Br. Expositum Nobis, 12 Ian. 1886, Litt. Apost. pag. 439 col. 1 et 2.

SS. Petri Claver, Ioannis Berchmans et Alph. Rodriguez. " In diebus, quibus festum *SS. Petri Claver, Ioannis Berchmans et Alphonsi Rodriguez* celebrabitur, " quamlibet Societatis Iesu ecclesiam vel cappellam publicam visitantibus a primis vesperis ad occasum solis. Leo xiii, Br. Ad augendam fidelium, 24 Iul. 1888, Litt. Apost. pag. 489.

Cfr. Summar. Indulg., 2 parte, § A, nn. 3-9, Litt. Apost. pag. 445 col. 2 et 446. Cfr. n. 343.

Indulgentiae ecclesiis Societatis concessae in aliis diebus festis per annum.

340. *Indulgentiam plenariam* lucrantur omnes Christi fideles, qui, confessi et sacra communione refecti, aliquam Societatis Iesu ecclesiam visitaverint, ibique secundum intentiones Summi Pontificis oraverint:

In festo Circumcisionis, In die festo *Circumcisionis D. N. Iesu Christi*, aut uno ex septem continuis praecedentibus aut immediate sequentibus diebus, cuiuscumque eorum arbitrio eligendo die, quamlibet ecclesiam vel cappellam Societatis visitantibus. Leo xiii, Br. Expositum Nobis, 12 Ian. 1886, Litt. Apost. pag. 439 col. 2. Cfr. Benedicti xiv Br.

Alias pro parte, 6 Oct. 1750, Litt. Apost. pag. 296.

SSmi Cordis Iesu,

In feria sexta immediate sequenti octavam solemnitatis Corporis Christi, qua *festum SSmi Cordis Iesu* celebratur, a primis vesperis usque ad occasum solis. Clemens xiii, Br. Ad augendam, 26 Maii 1766, et decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 2 Iun. 1767, Rescripta Authentica, pag. 196.

Tituli ecclesiae,

In die festo *invocationis seu tituli uniuscuiusque ecclesiae* Societatis Iesu, visitantibus eamdem ecclesiam a primis vesperis usque ad occasum solis. Paulus v, Br. Splendor Paternae Gloriae, 16 Dec. 1611, Litt. Apost. pag. 137. — Leo xii, Br. Plura inter, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 352 col. 2.

in tribus diebus ante Cineres,

In *Dominica Quinquagesimae,* vel in uno ex duobus diebus immediate sequentibus, devote visitantibus SSmum Sacramentum publice expositum in aliqua ecclesia, in qua per tres praedictos dies huiusmodi expositio locum habet. Concessa est primum ecclesiis Societatis ad septennium, et semper successive renovabatur. Cfr. Ant. Comp. § 14. - Deinde Benedictus xiv indulsit, ut in aliis ecclesiis, atque etiam in hebdomadis Septuagesimae et Sexagesimae lucrari eam fideles valerent. Tandem " eamdem plenariam indulgentiam ad quascumque catholici orbis ecclesias ubicumque locorum exsistentes, ubi Venerabilis expositio, sive in *hebdomada Septuagesimae* sive *Sexagesimae* aut *Quinquagesimae*, sive in singulis praedictis hebdomadis per tres dies, atque etiam si tantummodo *in feria quinta* infra hebdomadam Sexagesimae peragatur... extendit " Clemens xiii decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 23 Iulii 1765, Rescr. Authentica Sacr. Congr. Indulg., Ratisbonae, 1885, pag. 185 et 186. Raccolta, edit. 1886, § vi, n. 6, pag. 88.

et in hebdomadis Septuagesimae et Sexagesimae.

In aliis festis et diebus per annum.

341. *Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum* Christi fidelibus, qui in festivitatibus *Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae* D. N. Iesu Christi et *Corporis* Christi, nec non *feriis sextis, Dominicis* et *quadragesimalibus diebus* singulorum annorum usque ad octavam Paschatis, ecclesias et pia loca Societatis Iesu corde saltem contrito et devote visitaverint, et inibi Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitaverint, et verbum Dei, si in illis praedicetur, devote audierint. Paulus iii, Const. Licet debitum, xv kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 19 col. 1.

Cfr. Summar. Indulg., 2 parte, § A, nn. 1, 2, 12, et § B, n. 1, Litt. Apost. pag. 444-446, et edit. separata, 1866, pag. 17, nota 10.

Aliae Indulgentiae in honorem Sanctorum nostrorum concessae.

In decem Dominicis S. Ignatii.

342. *Indulgentia plenaria in qualibet ex decem Dominicis* diebus immediate praecedentibus festum S. Ignatii de Loyola, sive alias per annum, fidelibus, qui piis meditationibus aut orationibus, aliisque christianae pietatis operibus, ad eiusdem Sancti honorem ac Dei gloriam, praedictas Dominicas sanctificaverint, et aliquam ecclesiam Societatis Iesu visitaverint. Clemens xiii, 27 Ian. 1767. In locis, ubi Societas non exsistit, visitatio fieri potest in respectiva parochiali ecclesia. Gregorius xvi, rescripto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 10 Dec. 1841. Summar. Indulg., 2 parte., Litt. Apost. pag. 446 col. 1.

In decem feriis sextis S. Francisci Xaverii.

Item, in una ex *decem feriis sextis* vel *diebus Dominicis, aliisve* intra hebdomadam *diebus* S. Francisci Xaverii festum immediate praecedentibus vel subsequentibus ad libitum eligendum, omnibus fidelibus, qui aliquam ex ecclesiis Societatis Iesu visitaverint. Singulis vero decem feriis sextis, vel diebus Dominicis aliisve intra hebdomadam diebus indulgentia *septem annorum totidemque quadragenarum.* Benedictus XIV, Br. Apostolicae procurationis, 6 Oct. 1753, et Br. Dederamus sane, 12 Ian. 1754. Summar. Ind. ibid., n. 11, et § B, n. 4, pag. 446 et 447.

In mense, Dominicis et novena S. Stanislai.

Indulgentia plenaria omnibus fidelibus, qui per integrum mensem semel in die *Pater* et *Ave* ante imaginem *S. Stanislai Kostkae* in aliqua ecclesia recitaverint, die libere ab eis eligendo, quo, vere poenitentes, confessi et sacra communione refecti, orabunt per aliquod temporis spatium secundum mentem Summi Pontificis. Quod si in aliquo mensis die ecclesia visitari non possit, potest *Pater* et *Ave* ubicumque libuerit recitari. - *Centum dierum* semel in die recitantibus *Pater* et *Ave* ante imaginem S. Stanislai in aliqua ecclesia. - *Septem annorum et septem quadragenarum* in unaquaque ex *decem diebus Dominicis* festum S. Stanislai praecedentibus, si ecclesiam vel oratorium visitaverint, ubi devotum hoc exercitium agitur, et ibi secundum mentem Summi Pontificis oraverint. — *Centum dierum* in unoquoque die *novenae* festum S. Stanislai praecedentis, si ei intersint, et orent. Indulgentiae festi, Dominicarum et novenae acquiri possunt quovis anni tempore, in quod, cum Ordinarii licentia, S. Stanislai festum transferatur, atque in ecclesiis quoque internis et oratoriis Seminariorum, Collegiorum, Conservatoriorum, Monasteriorum ac Secessuum utriusque sexus. Pius VII, decretis Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 3 Apr. et 1 Maii 1821. — Leo XII, decretis Sacrae Congregationis Indulgentiarum 21 Ian. et 25 Febr. 1826 et 3 Mart. 1827. — Summar. Indulg., edit. separata 1886, pag. 14, nota 9. — Raccolta, edit. 1886, § XXXIV, n. 1, pag. 424.

In sex Dominicis S. Aloisii.

Indulgentia plenaria in unaquaque *ex sex diebus Dominicis,* quae celebrantur, vel immediate ante festum *S. Aloisii Gonzagae* (21 Iunii), vel quocumque alio anni tempore, continuae, non interruptae, omnibus fidelibus, qui in harum unaquaque sese exerceant in piis meditationibus vel orationibus vocalibus, aut aliis christianae pietatis operibus. Non praescribitur visitatio ecclesiae, nec secundum mentem Summi Pontificis oratio. Clemens XII, decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 11 Dec. 1739 et 7 Ian. 1740. — Ant. Comp. § 8. — Raccolta, edit. 1886, § XXXV, n. 2, pag. 428. — Summar. Indulg., edit. separata 1886, nota 9, pag. 15.

In quinque Dominicis S. Ioannis Berchmans.

In singulis quinque diebus Dominicis continuis immediate praecedentibus festum *S. Ioannis Berchmans* „ omnibus fidelibus, qui " piis meditationibus aut orationibus, aliisque christianae pietatis operibus in honorem eiusdem Sancti vacaverint, simulque... aliquam ecclesiam seu publicum oratorium devote visitaverint, in quatuor praefatis Dominicis indulgentiam *septem annorum totidemque quadragenarum,* in postrema vero *plenariam* benigne concessit „ Leo XIII, decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 17 Maii 1890, Litt. Apost. pag. 490.

Declaratio.

343. *Opera communia ad lucrandas indulgentias numero praecedenti relatas, exceptis* partialibus *in honorem S. Stanislai, sunt confessio, communio, et, cum visitatur ecclesia, oratio in ea secundum mentem seu intentiones Summi Pontificis, nimirum pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione. Caeterum "non requiritur intentio explicita et expressa singulis vicibus" earum intentionum. Sacra Congregatio Indulgentiarum, decreto 12 Iul. 1847, Decreta Authentica, edit. P. Schneider, 1883, pag. 295. Ubi non est formula "a primis vesperis usque ad occasum solis," tempus lucrandae indulgentiae incipit "ab initio diei naturalis, videlicet ab ortu solis." Sacra Congregatio Indulgentiarum, decreto 3 Iul. 1754, Decreta Authentica, edit. P. Schneider, 1883, pag. 178. In decreto tamen 12 Ian. 1878 dicitur tempus lucrandae indulgentiae "nisi aliud expresse habeatur in indultis," "esse a media nocte ad mediam noctem". Ibid. pag. 394 et 395.*

Indulgentiae visitantibus sacras exuvias Sanctorum nostrorum.

344. Omnibus fidelibus, qui sepulcra, ubi sacrae exuviae Sanctorum nostrorum custodiuntur, visitaverint in eorum solemnibus diebus, conceditur indulgentia:

Unius anni et quadraginta dierum in festo S. Ignatii de Loyola; in eiusdem festi octava, *quadraginta dierum.*

Unius anni et unius quadragenae in festo S. Francisci Xaverii; in eiusdem octava, *quadraginta dierum.*

Septem annorum et totidem quadragenarum in festo S. Francisci Borgiae; intra octavam vero, *quadraginta dierum.*

Unius anni et unius quadragenae in solemni die S. Stanislai Kostkae; in octava eiusdem diei, *quadraginta dierum.*

Unius anni et unius quadragenae in solemni die S. Aloisii Gonzagae; in octava eiusdem diei, *quadraginta dierum.*

Septem annorum totidemque quadragenarum in die festo S. Ioannis Francisci de Regis;

Item in die festo S. Francisci de Hieronymo;

Item in die 5 Februarii, anniversaria SS. Martyrum Iaponensium Pauli Michi, Ioannis de Goto, et Iacobi Chisai;

Item in die festo S. Petri Claver;

Item in die festo S. Ioannis Berchmans.

Conceduntur hae indulgentiae in bullis canonizationis Sanctorum. Cfr. eas inter Litt. Apost. — Summar. Indulg., 2ª parte, § B, *Indulgentiae partiales,* nn. 2, 3 et 5-10, Litt. Apost. pag. 447.

Indulgentiae pro ministerio doctrinae christianae.

Indulgentiae plenariae docentibus et discentibus.

345. Omnibus Societatis Iesu clericis, ac aliis fidelibus cum iis cooperantibus, qui, de Superiorum suorum licentia respective, ac de Ordinariorum locorum consensu, pueros et adultos quoscumque doctrinam christianam docere, aut eidem, dum docetur, interesse consueverint; die festo ab iisdem Ordinariis in ecclesiis, in quibus doctrina christiana docetur, semel in anno designanda, *indulgentia plenaria.*

Ipsis, qui in mortis articulo nomen

Iesu saltem corde invocaverint, item *plenaria*.

Prima requirit confessionem et communionem; secunda etiam, nisi infirmus non possit.

Indulgentiae partiales.

Iisdem, si semel quolibet mense SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, *septem anni et totidem quadragenae.*

Iis, qui in causa fuerint, ut quaevis personae ad doctrinam christianam eant, *ducenti dies.*

Qui diebus Stationum Urbis hanc doctrinam docuerint, et qui ad eamdem discendam accesserint, *easdem indulgentias* consequantur, quas consequerentur, si *Stationes eiusdem Urbis* personaliter visitarent. Easdem consequuntur Visitatores scholarum doctrinae huiusmodi, qui visitabunt scholas, quas illo die visitare poterunt, si confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint.

Eisdem, qui diebus feriatis doctrinam christianam publice aut privatim explanaverint, *centum dies.*

Praeceptoribus, qui diebus festis discipulos suos ad doctrinam duxerint, eosque illam docuerint, *septem anni;* diebus feriatis in propriis scholis eamdem explicantibus, *centum dies.*

Clericis Societatis, qui in ecclesiis seu oratoriis, ubi doctrina christiana docetur, verbum Dei praedicaverint, aut collationes fecerint, *septem anni.*

Patribus et matribus familias, qui suis in domibus doctrinam christianam explanaverint, qualibet vice, *centum dies.*

Iis, qui per civitates, terras et alia loca doctrinam christianam docendi causa circumierint, *septem anni;* qui extra civitates per castra et villas ad eamdem docendam exierint, *decem anni.*

Omnibus fidelibus, qui per mediam horam doctrinae, discendi aut docendi causa, studuerint, aut eidem interfuerint, *centum dies.*

Iis, qui doctrinam praedictam docere solent, quoties id fecerint, *ducenti dies.*

Has omnes indulgentias concessit in gratiam Societatis Gregorius xv, Br. Pietatis et christianae charitatis, 27 Sept. 1622, Litt. Apost. pag. 143 et seqq. — Cfr. Summar. Indulg., 3ª parte, § A, Litt. Apost. pag. 448 et 449.

Aliae indulgentiae.

346. *Indulgentia plenaria* praeterea concessa est omnibus fidelibus, qui piam habent consuetudinem assidue docendi vel addiscendi doctrinam christianam, in festis diebus Nativitatis et Resurrectionis D. N. Iesu Christi, et SS. Apostolorum Petri et Pauli. Requiritur confessio, communio et oratio secundum intentiones Summi Pontificis. Clemens xii, Br. 16 Maii 1736.

Septem annorum et septem quadragenarum omnibus fidelibus, quoties, vere poenitentes, confessi, ac sacra communione refecti, docebunt vel discent catechismum seu doctrinam christianam. Clemens xii, Br. 16 Maii 1736.

Trium annorum in omnibus B. Mariae V. festis, iis, qui in scholis vel ecclesiis convenire solent ad discendam doctrinam christianam, si peccata sua confiteantur; *septem annorum et septem quadragenarum*, si etiam sacram communionem recipiant. Pius ix, decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 18 Iul. 1877.

Raccolta, edit. 1886, § xlv, n. 5, pag. 479. — Summar. Indulg., edit. separata 1886, pag. 22, nota 11.

Indulgentiae pro Exercitiis Spiritualibus S. Ignatii et praeparationis ad mortem.

Peragentibus ea in Domibus Societatis.

347. *Indulgentia plenaria* concessa est omnibus Christi fidelibus, qui in quavis Domo vel in publica etiam ecclesia seu cappella Societatis IESU *Exercitia Spiritualia* S. Ignatii, per quodcumque dierum spatium, semel aut pluries in anno, vel per unum etiam diem semel in mense exercitium *praeparationis ad mortem* peregerint, et, vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti, ecclesiam sive oratorium Domus visitaverint, et ibi secundum mentem summi Pontificis oraverint. Alexander VII, Br. CUM SICUT NOBIS, 12 Oct. 1657, Litt. Apost. pag. 180 col. 1 et 2. — Benedictus XIV, Br. QUANTUM SECESSUS, 29 Mart. 1753, Litt. Apost. pag. 302 col. 2. — Summar. Indulg., 3.ª parte, § B, Litt. Apost. pag. 449.

In aliis locis quibuscumque.

Quam indulgentiam lucrari etiam possunt omnes Christi fideles, quoties Religiosi Societatis ubique locorum, sive Missionarii in actu missionum, sive in quibusvis, tam publicis quam privatis ecclesiis et oratoriis et piis locis et aedibus, vel saecularibus vel regularibus, de Superiorum licentia, Spiritualia huiusmodi Exercitia tradiderint. Benedictus XIV, Br. DEDIMUS SANE, 16 Maii 1753, Litt. Apost. pag. 305 col. 1 et 2. — Summar. Indulg., loc. cit., pag. 449 col. 2.

Indulgentiae pro ministerio missionum.

Indulgentiae plenariae.

Peragentibus missiones,

348. *Indulgentiam plenariam* lucrantur, tam Religiosi Societatis IESU a Superioribus ad missiones peragendas missi, quam fideles, qui missionibus per eosdem Religiosos peragendis quinque vicibus pro qualibet missione rite adstiterint. Gregorius XVI, Br. EXPONENDUM NOBIS, 20 Dec. 1839, Litt. Apost. pag. 369 col. 2. Extensa est ad *infirmos*, " dummodo alia pia opera a respectivo Confessario iniungenda exsequantur. „ Gregorius XVI, rescripto 17 Mart. 1841, Litt. Apost. pag. 371 col. 2. Possunt etiam Confessarii dispensare cum iis, qui a longe ad missionem venerunt, et quinquies assistere nequiverunt, in obligatione quinquies assistendi, ac dispensare infantes et adolescentes, qui ad primam communionem nondum fuerunt admissi, a sacra communione, iniungendo utrisque aliud pium opus, ut indulgentiam lucrentur. Pius IX, vivae vocis oraculo, 29 Mart. 1855, Litt. Apost. pag. 392.

iisdemque assistentibus.

In fine Missionis.

Indulgentia plenaria omnibus fidelibus, qui *benedictionem*, Summi Pontificis nomine, *in fine* missionum cum imagine D. N. IESU CHRISTI elargiendam per Sodales Societatis IESU, receperint. Pius IX, rescripto 19 Ian. 1851, Litt. Apost. pag. 382. — Cfr. n. 72.

DECLARATIO.

Requiritur ad utramque indulgentiam confessio, communio et oratio secundum mentem Summi Pontificis tempore missionis. Cfr. n. 343.

Orantibus per quadraginta dies pro perseverantia.

Indulgentiam plenariam lucrantur omnes fideles, " qui, post peracta missionis aut etiam recessus spiritualis exercitia a Clericis Regularibus Societatis IESU tradita..., pias preces per quadraginta dies, incipiendo a die quam designabit exercitii aut missionis Praeses, ad obtinendam perseverantiam recitaverint. „ Requiritur confessio et communio intra praefinitum tempus. Gregorius XVI, Br. INIUNCTI NOBIS, 7 Iul. 1843, Litt. Apost. pag. 375 col. 1.

Tribus diebus pro commemoratione erectionis crucis.

Item, omnes fideles *die anniversaria erectionis crucis* missionum, vel Dominica immediate sequenti, si contigerit diem anniversariam cadere in diem ferialem, nec non in *festivitate Inventionis et Exaltationis S. Crucis*, qui, vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti, aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, ibique secundum mentem Summi Pontificis oraverint. Pius IX, rescripto 19 Dec. 1875.

Orantibus ante cruces missionis.

Item, omnes fideles *una mensis Decembris die*, " dummodo per tres saltem vices in quolibet mense „ " ter Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam cum Gloria, ante aliquam ex crucibus in fine missionum erigendis, corde contrito ac devote in memoriam trium horarum agoniae D. N. IESU Christi, et iuxta mentem Sanctitatis Suae recitaverint, „ et ipsa die, vere poenitentes, confessi ac sacra communione refecti', " pariter, ut supra, orent. „ Leo XIII, rescripto 22 Apr. 1882, confirmans et ad universam Societatem extendens gratiam Vice Provinciali Helvetiae, Belgii et Hollandiae concessam a Leone XII, rescripto 12 Apr. 1822, Litt. Apost. pag. 426 et 427.

Indulgentiae partiales. Orantibus pro perseverantia.

Indulgentia *biscentum dierum* concessa est omnibus, qui, in quocumque quadraginta dierum post peractam missionem, pias preces, ut supra, per quadraginta dies ad obtinendam perseverantiam persolverint. Gregorius XVI, Br. INIUNCTI NOBIS, 7 Iul. 1843, Litt. Apost. pag. 375.

In erectione crucis.

Tercentum dierum omnibus, qui crucis erectioni in fine missionis interfuerint. Leo XIII, rescripto 22 Apr. 1882, Litt. Apost. pag. 427.

Orantibus ante cruces missionis.

Quinque annorum semel singulis diebus lucrifacienda, omnibus, qui ante aliquam ex crucibus in fine missionis a Patribus Societatis IESU erigendis ter *Pater*, *Ave* et *Gloria*, ut supra, recitaverint. Leo XIII, eodem rescripto, pag. 426.

Indultum est, ut omnes fideles, qui tempore sacrarum missionum ad sacramentum Poenitentiae semel accesserint, omnes et singulas plenarias indulgentias acquirere valeant, quae intra idem tempus occurrent. Leo XIII, rescripto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 15 Mart. 1884.

Cfr. Summar. Indulg., 3.ª parte, § C, Litt. Apost. pag. 449 et seqq.

Indulgentiae pro communione generali et pro frequenti communione.

Pro communione generali.

349. *Indulgentia plenaria* omnibus fidelibus, qui ecclesiam quamlibet in una ex Dominicis cuiusvis mensis, qua communio generalis cura Clericorum Societatis IESU in eadem ecclesia agetur, visitaverint, iisdemque Dominicis in aliqua ecclesia Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, ibique secundum mentem Summi Pontificis oraverint. Leo XIII, Br. NIHIL ADEO, 8 Ian. 1886, Litt. Apost. pag. 438 col. 1 et 2. — Summar. Indulg., 3.ª parte, § D, Rescr. et Ind. pag. 56 col. 2.

Pro frequenti communione.

Gregorius XIII, Const. AD EXCITANDUM, 10 Apr. 1580, indulgentiam concessit *quinque annorum* fidelibus, quoties diebus festis, confessi, sacra communione se refecerint, et pro Summo Pontifice oraverint. — *Decem annorum*, iis, qui piam habent consuetudinem sacram communionem recipiendi semel saltem in mense, et in solemnitatibus D. N. IESU Christi, ac festivitatibus B. MARIAE V., omnium SS. Apostolorum et Nativitatis S. Ioannis

Baptistae, quoties id fecerint. — *Indulgentiam plenariam*, iisdem semel in anno, eo die, quo festum principale civitatis vel loci celebratur, ubi commorantur, si illo die confessi, et sacra communione refecti, orent, ut supra. Raccolta, edit. 1886, § VI, n. 3, pag. 85. — Summar. Indulg., edit. separata, 1886, pag. 26, nota 12.

Privilegia Religiosis Societatis concessa pro lucrandis indulgentiis.

Participatio indulgentiarum aliorum Ordinum, etc.

350. Societas plenam habet communicationem indulgentiarum hactenus concessarum et in futurum concedendarum quibuslibet Ordinibus Mendicantium et non Mendicantium, piis Locis et Monasteriis utriusque sexus. Cfr. n. 104. — Ant. Comp. § 32.

Pro Missionariis.

Nostri Missionarii ubique gentium indulgentias quaslibet, pro quibus requiritur sacramentalis confessio, si illis desit copia Sacerdotis, lucrari possunt eliciendo contritionem et celebrando Sacrificium. Clemens XII, rescripto 12 Mart. 1738. — Ant. Comp. § 31.

Pro Domibus non habentibus ecclesiam.

Nostri residentes in Domibus, quae adnexam non habent ecclesiam, indulgentias concessas Domibus seu ecclesiis Societatis lucrari valent in domesticis oratoriis seu sacellis, in quibus asservatur SSmum Eucharistiae Sacramentum. Leo XIII, rescripto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 20 Sept. 1884.

Facultas applicandi indulgentias animabus Purgatorii.

Omnes Societatis Religiosi applicare possunt in suffragium animarum Purgatorii omnes indulgentias, quas ipsi lucrari valent plenarias et partiales, concessas et in futurum concedendas a Summis Pontificibus. Benedictus XIII, rescripto 25 Sept. 1728. — Ant. Comp. § 29.

Cfr. Summar. Indulg., 1.ª parte, *Privilegia*, nn. 1-3 et 5, Litt. Apost. pag. 443 col. 2, et 444 col. 1 et 2.

Privilegium generale et personale altaris privilegiati.

De indulto altaris privilegiati, cfr. n. 35. Praeterea Sacerdotes Societatis ubilibet celebrantes pro animabus defunctorum sodalium, qui aut adscripti sunt alicui nostrae Congregationi B. MARIAE V., aut participant eius indulgentias (ut sane participant omnes de Societate, cfr. n. 335), gaudent privilegio personali et indulgentia altaris privilegiati. Benedictus XIV concessit Sacerdotibus sodalibus Congregationum B. MARIAE V., Br. PRAECLARIS ROMANORUM PONTIFICUM, 24 Apr. 1748, Litt. Apost. pag. 280, et Const. GLORIOSAE DOMINAE, 57 Sept. 1748, Litt. Apost. pag. 283. — Ant. Comp. § 28. — Summar. Indulg. Congregationum B. MARIAE V., § III, n. 4, Litt. Apost. pag. 436.

Indulgentiae quas Praepositus Generalis Societatis Iesu communicat Congregationibus.

351. Praepositus Generalis Societatis IESU habet facultatem erigendi et aggregandi, vel iam canonice erectas aggregandi Congregationes B. MARIAE V. Congregationi Primae Primariae in ecclesia S. Ignatii de Loyola Romanae, et Congregationes Bonae Mortis Congregationi Primariae Romanae eiusdem tituli, et, cum eas aggregat, communicat ipsis omnes gratias et indulgentias duabus dictis Primariis Congregationibus a Summis Pontificibus concessas. Concesserunt hoc privilegium, quoad Congregationes B. MARIAE V., plures Summi Pontifices, a Gregorio XIII usque ad Benedictum XIV, multis constitutionibus

ac brevibus, quae reperiuntur inter Litteras Apostolicas: quoad Congregationes Bonae Mortis, Benedictus XIII, Const. REDEMPTORIS NOSTRI, IX kal. Oct. 1729, Litt. Apost. pag. 241. Restituta vero Societate, quoad utrasque renovatum est, et extensum ad eas quoque Congregationes, quae neque in Domibus aut ecclesiis Societatis eriguntur aut erectae sunt, neque a Patribus eiusdem Societatis reguntur. Pius VII, decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 6 Febr. 1821, Litt. Apost. pag. 544. — Leo XII, Br. CUM MULTA, 17 Maii 1824, Litt. Apost. pag. 346 col. 1. — Pius IX, decreto Sacr. Congreg. Indulg. 29 Aug. 1864, Litt. Apost. pag. 412. — Leo XIII, Decr. Sacr. Congreg. Indulg. 21 Mart. 1885, et 23 Iun. 1885, Litt. Apost. pag. 429-432.

Summarinm indulgentiarum Congregationum B. MARIAE V. vide Litt. Apost. pag. 433 et seqq.

Summarium indulgentiarum a Summis Pontificibus concessarum Congregationi Primariae Bonae Mortis in templo Domus Professorum Societatis Iesu erectae.

Indulgentiae plenariae.

352. — I. Quo die omnes utriusque sexus Christi fideles inter sodales recipiuntur, si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint in ecclesia, ubi Sodalitas ipsa erecta est, aut ubicumque potuerint. Benedictus XIII, Const. REDEMPTORIS NOSTRI, IX kal. Oct. 1729, § 4, Litt. Apost. pag. 239.

II. Sodalibus in mortis articulo constitutis, si vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti, si id commode fieri poterit, vel saltem contriti SSmum nomen IESU corde, si ore nequiverint, devote invocaverint, aut aliquod poenitentiae signum dederint. Ibid., § 5.

III. Iisdem sodalibus semel quolibet mense in una ex sextis feriis hebdomadae, seu in una ex diebus Dominicis cuiuslibet mensis ad libitum cuiusque sodalis eligenda, prout expositio SSmi Sacramenti vespere in qualibet ex dictis sextis feriis seu diebus Dominicis fiet, dummodo, vere poenitentes et confessi, in ecclesia Sodalitatis SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, et expositioni SSmi Sacramenti devote interfuerint, et inibi pias ad DEUM preces, prout unicuique suggeret devotio, pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, haereticorum et infidelium conversione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, ac Romani Pontificis prosperitate devote effuderint. Ibid., § 6.

IV. In diebus festis Nativitatis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis D. N. IESU Christi, Pentecostes, SSmae Trinitatis, Corporis Christi, nec non Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis B. MARIAE V., ac Nativitatis S. Ioannis Baptistae, et singulorum Apostolorum, videlicet, Petri, Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi, Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis, Iudae, et Mathiae, item S. Iosephi, et commemorationis Omnium Sanctorum, dummodo, vere poenitentes et confessi, SSmum Eucharistiae Sacramentum in templo, ubi erecta est Sodalitas, sumpserint, ac, uti supra, oraverint. Ibid., §. 7.

V. In Dominica tertia post Pascha Resurrectionis, et in Dominica tertia Septembris, si, vere poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti, Congregationis ecclesiam vel orato-

rium devote visitaverint a primis vesperis usque ad occasum solis, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad DEUM preces effuderint. Pius IX, Br. AD AUGENDAM, 23 Ian. 1866, Litt. Apost. pag. 413.

VI. Sodales consequuntur omnes indulgentias stationum ecclesiarum Urbis, sive intra, sive extra muros illius, si, diebus Quadragesimae et aliis anni temporibus ac diebus stationum huiusmodi, ecclesiam seu cappellam in locis, ubi eos pro tempore residere vel morari contigerit, devote visitaverint, et ibi septies Orationem Dominicam et septies Salutationem Angelicam devote recitaverint. Benedictus XIII, loc. cit., § 11.

Indulgentiae partiales.

I. Septem annorum et totidem quadragenarum, quoties sodales expositioni SSmi Sacramenti vespere in qualibet ex dictis sextis feriis, seu in qualibet ex dictis diebus Dominicis, uti in n. III dictum est, devote interfuerint, et ad finem supra dictum oraverint, aut corpus suum flagellaverint, seu, ut vulgo dicitur, disciplinam fecerint. Benedictus XIII, loc. cit., § 8.

II. Unius anni, quoties sodalium seu aliorum fidelium defunctorum corpora ad sepulturam ecclesiasticam comitati fuerint; aut, infirmi vel impediti, audito signo campanae, genuflexi, si per infirmitatem licebit, Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam pro salute animae defuncti vel corporis infirmi recitaverint; quique congregationibus, tam publicis, quam privatis, ac divinis officiis, spiritualibus colloquiis, exhortationibus et aliis piis officiis, etiam in sodalis seu aliorum Christi fidelium defunctorum suffragium, per praefatam Primariam Congregationem ordinandis et ab ipso pro tempore exsistente Praeposito seu Vicario Generali Societatis IESU approbandis, ac diebus feriatis Missae sacrificio interfuerint, aut vespertino tempore, antequam cubent, conscientiam suam diligenter examinaverint; seu pauperes infirmos, tam sodales quam alios, in hospitalibus vel privatis domibus, nec non carceratos visitaverint. Idem, loc. cit., § 9.

Sodalibus, quibus ab Urbe abesse vel alibi commorari contingat, ne ipsi indulgentiarum aliarumque gratiarum effectu et fructu frustrati remaneant, indulgetur, ut in locis, ubi pro tempore resideant seu commorentur, si apud ecclesias eorumdem locorum, aut alibi, prouti poterunt, opera praestiterint, quae ab ipsis forent praestanda in Urbe pro singularum indulgentiarum consecutione, omnes supra dictas indulgentias similiter consequantur. Idem, loc. cit, § 10.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium, denuo recognitum, uti authenticum approbavit ac typis imprimi et publicari posse censuit.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 22 Septembris 1883.

Franciscus della Volpe, Secret.

Rescripta Authentica Sacrae Congregationis Indulgentiarum, edit 1885, Ratisbonae, pag. 638.

Indulgentiae, quas Religiosi Societatis impertire vel applicare possunt.

353. Possunt Nostri, ex vicennali facultate, " concedere *indulgentiam plenariam* primo conversis ab haeresi,

Primo conversis ab haeresi, et in articulo mortis.

atque etiam fidelibus quibuscumque in articulo mortis, saltem contritis, si confiteri non possunt. „ Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 353 col. 2.

COMMUNICATIO. *Communicatur Praepositis Provincialibus, caeterisque Superioribus Provincialium potestate utentibus, qui cum suis subditis Sacerdotibus eam communicare poterunt. — P. Ro.*

Deferendo ad aegrotos proprium crucifixum.

354. Quotiescumque Religiosi Societatis IESU cuiusque propriam Crucifixi Redemptoris nostri imaginem, quae semel electa, nisi in eventu amissionis, mutari nequit, ad quemcumque Christi fidelem in articulo mortis constitutum deferunt, hic, si vere poenitens et confessus, ac sacra communione refectus, vel, quatenus id facere nequiverit, corde saltem contritus nomen IESU ore, si potuerit, sin minus corde devote invocaverit, atque imaginem illam osculatus fuerit seu tetigerit, *plenariam* omnium peccatorum suorum *indulgentiam* et remissionem consequatur. „ Leo XIII, Br. EXPOSITUM NOBIS, 12 Ian. 1886, Litt. Apost. pag. 440 col. 1. Summar. Indulg., 1.ª parte, *Privilegia*, n. 4, Litt. Apost. pag. 444 col. 1 et 2.

COMMUNICATIO. *Hac facultate uti poterunt omnes Nostri, de licentia, saltem praesumpta, respectivi Superioris.*

Benedicendo coronas, rosaria etc.

355. Religiosi Societatis, facultate vicennali instructi benedicendi coronas, rosaria, cruces, crucifixos, parvas statuas, numismata, *medaglie* vulgo nuncupata, applicant huiusmodi benedictionibus indulgentias a Summo Pontifice impertiri solitas Christi fidelibus, qui, secum habentes vel apud se retinentes aliquod ex praefatis, pia opera praescripta adimplebunt. Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1726, Litt. Apost. pag. 354 col. 2.

Iidem, benedicendo coronas, applicant illis indulgentias a diva Birgitta nuncupatas. Leo XIII, rescripto 17 Nov. 1883, Litt. Apost. pag. 428.

De facultate benedicendi et eius communicatione, cfr. nn. 66 et 67.

Summarium indulgentiarum, quas SSmus D. N. Leo Papa XIII impertitur Christi fidelibus, qui, retinentes aliquam ex coronis, rosariis, crucibus, crucifixis, parvis statuis, numismatibus ab eadem Sanctitate Sua benedictis, praescripta pia opera adimpleverint.

356. *MONITA. Ut quis valeat indulgentias lucrari, quas Summus Pontifex Leo XIII impertitur omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui retinent aliquam ex coronis, rosariis, crucibus, crucifixis, parvis statuis, ac numismatibus ab eadem Sanctitate Sua benedictis, requiritur: 1.° Ut Christi fideles in propria deferant persona aliquod ex enuntiatis obiectis. 2.° Quod si id minime fiat, requiritur, ut illud in proprio cubiculo, vel alio decenti loco suae habitationis retineant, et coram eo devote praescriptas preces recitent. 3.° Excluduntur ab Apostolicae benedictionis concessione imagines typis exaratae, depictae, itemque cruces, crucifixi, parvae statuae et numismata ex stanno, plumbo, aliave ex materia fragili seu consumptibili confecta. 4.° Imagines repraesentare debent Sanctos, qui vel iam consueta forma canonizati, vel in Martyrologiis rite probatis descripti fuerint.*

Hisce praehabitis, indulgentiae, quae ex Summi Pontificis concessione ab eo acquiri possunt, qui aliquod ex supra dictis obiectis retinet, et pia opera, quae ad eas assequendas impleri debent, recensentur.

I. Quisquis saltem in hebdomada semel recitaverit coronam Dominicam, Indulgentiae plenariae.

vel aliquam ex coronis B. V. Mariae, aut rosarium, eiusve tertiam partem, aut divinum officium, vel officium parvum eiusdem B. Virginis aut fidelium defunctorum, aut septem Psalmos Poenitentiales, aut Graduales, vel consueverit catechesim christianam tradere, aut carceribus detentos vel aegrotos in nosocomiis misericorditer invisere, vel pauperibus opitulari, aut Missae interesse, eamve peragere, si fuerit Sacerdos: quisquis haec fecerit vere contritus, et peccata sua confessus ad sacram Synaxim accedet, quolibet ex infra scriptis diebus, nempe Nativitatis Dominicae, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, itemque diebus festis SSmae Trinitatis, Corporis Domini, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. V. Mariae, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, S. Iosephi, Sponsi eiusdem B. Mariae V., SS. Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi, Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Iudae, Mathiae, et Omnium Sanctorum, eodemque die devote Deum exoraverit pro haeresum et schismatum exstirpatione, catholicae fidei incremento, pace et concordia inter principes christianos, aliisque S. Ecclesiae necessitatibus; quolibet dictorum dierum plenariam indulgentiam lucrabitur.

Indulgentiae partiales.

II. Quisquis vero haec omnia peregerit in aliis festis Domini et B. V. Mariae, quolibet dictorum dierum indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum acquiret: quavis Dominica, vel alio anni festo, indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum lucrabitur; sin autem eadem alio quocumque anni die expleverit, centum dierum indulgentiam acquiret.

III. Praeterea, quisquis consueverit semel saltem in hebdomada recitare aliquam ex coronis aut rosarium, vel officium parvum B. Mariae V., vel fidelium defunctorum, aut vesperas, aut nocturnum saltem cum laudibus, aut septem Psalmos poenitentiales cum litaniis adiectisque precibus, quoties id peregerit, centum dierum indulgentiam consequetur.

Indulgentia plenaria in articulo mortis.

IV. Quisquis, in mortis articulo constitutus, animam suam devote Deo commendaverit, atque, iuxta instructionem fel. rec. Benedicti xiv in constitutione, quae incipit Pia Mater, sub die 5 Apr. 1747, paratus sit obsequenti animo a Deo mortem opperiri, vere poenitens, confessus et sacra communione refectus, et, si id nequiverit, saltem contritus invocaverit corde, si labiis impeditus fuerit, SSmum nomen Iesu, plenariam indulgentiam assequetur.

Aliae indulgentiae partiales.

V. Quisquis praemiserit qualemcumque orationem praeparationi Missae vel sanctae communionis, aut recitationi divini officii, vel officii parvi B. Mariae V., toties quinquaginta dierum indulgentiam acquiret.

VI. Quisquis in carcere detentos aut aegrotantes in nosocomiis inviserit, iisque opitulatus fuerit, vel in ecclesia christianam catechesim tradiderit, aut domi illam suos filios, propinquos et famulos docuerit, toties biscentum dierum indulgentiam lucrabitur.

VII. Quisquis ad aeris campani signum mane vel meridie aut vespere solitas preces, nempe *Angelus Domini*, aut, eas ignorans, recitaverit *Pater noster* et *Ave* Maria, vel pariter sub primam noctis horam, edito pro defunctorum suffragio campanae signo, dixerit Psalmum *De Profundis*, aut, illum nesciens, recitaverit *Pater noster* et *Ave* Ma-

RIA, centum dierum indulgentiam acquiret.

VIII. Eamdem pariter consequetur indulgentiam, qui feria sexta devote cogitaverit de passione ac morte D. N. IESU Christi, terque Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitaverit.

IX. Is, qui suam examinaverit conscientiam, et quem sincere poenituerit peccatorum suorum cum proposito illa emendandi, devoteque ter recitaverit *Pater* et *Ave* MARIA in honorem SSmae Trinitatis, aut, in memoriam quinque vulnerum D. N. IESU Christi, quinquies pronuntiaverit *Pater* et *Ave* MARIA, centum dierum indulgentiam acquiret.

X. Quisquis devote pro fidelibus oraverit, qui sunt in transitu vitae, vel saltem pro iis dixerit *Pater noster* et *Ave* MARIA, quinquaginta dierum indulgentiam consequetur.

Omnes indulgentiae superius expositae, a singulis Christi fidelibus, vel pro seipsis lucrifieri possunt, vel in animarum purgatorii levamen applicari.

Expresse declarari voluit Summus Pontifex, supra dictarum indulgentiarum concessione nullatenus derogari indulgentiis a praedecessoribus suis iam concessis pro quibusdam operibus piis superius recensitis: quas quidem indulgentias voluit omnes in suo robore plene manere.

Iubet deinde idem Summus Pontifex indulgentias Christi fidelibus concessas, qui retinent aliquod ex praedictis obiectis, iuxta decretum sanctae mem. Alexandri VII editum 6 Febr. 1657, non transire ab illis, pro quibus benedicta fuerint, vel illis, quibus ab iis prima vice fuerint distributa: et, si fuerit amissum vel deperditum unum alterumve ex iisdem obiectis, nequire ei subrogari aliud ad libitum, minime obstantibus quibusvis privilegiis et concessionibus in contrarium: nec posse pariter commodari vel precario aliis tradi ad hoc, ut indulgentiam communicent; secus eamdem indulgentiam amittent: itemque recensita obiecta benedicta, vix dum pontificiam benedictionem receperint, nequire venundari, iuxta decretum Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis tuendis praepositae editum die 5 Iun. 1721.

Praeterea idem Summus Pontifex confirmat decretum sanctae mem. Benedicti XIV, editum die 19 Aug. 1752, quo expresse declaratur, vi benedictionis crucifixis, numismatibus etc., uti supra, impertitae, non intelligi privilegio gaudere altaria ubi huiusmodi obiecta collocata fuerint, neque pariter Missas, quas Sacerdos eadem secum deferens celebraverit.

Insuper vetat, ne, qui morientibus assistunt, benedictionem cum indulgentia plenaria in articulo mortis iisdem impertiantur cum huiusmodi crucifixis, absque peculiari facultate in scriptis obtenta, cum satis provisum fuerit ab eodem Pontifice Benedicto XIV in praecitata constitutione PIA MATER.

Tandem Sanctitas Sua vult et praecipit, praesentem elenchum indulgentiarum, pro maiori fidelium commodo, edi typis posse, non solum latina lingua vel italica, sed alio quocumque idiomate; ita tamen, ut pro quolibet elencho, qui ubicumque et quovis idiomate edatur, adsit approbatio Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

Non obstantibus quolibet decreto, constitutione aut dispositione in con-

trarium, etiamsi speciali mentione dignis.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, die 23 Febr. 1878.

A. Card. Oreglia a S. Stephano, Praef.
A. Panici, Secret.

Rescripta Authentica, pag. 345.

Summarium indulgentiarum rosariis seu coronis, S. Birgittae nuncupatis, per PP. Superiores Monasteriorum, aut alios Sacerdotes ad id deputatos benedictis concessarum.

357. SSmus D. N. Benedictus Papa xiv rosariis seu coronis, B. Birgittae nuncupatis, per PP. Superiores Monasteriorum, aut alios Sacerdotes Ordinis Sanctissimi Salvatoris, sive eiusdem S. Birgittae, ad id deputatos benedictis, praeter indulgentias a sanctae mem. Leone x et Clemente xi, ut infra, concessas, et a Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, sub die 4 Dec. 1714, recognitas atque approbatas, alias per suum breve diei 15 Ian. 1743 novissime addidit atque concessit.

Indulgentiae Leonis x partiales.

I. Qui pro suo arbitrio rosarium seu coronam, S. Birgittae nuncupatam, ut supra, benedictam devote recitaverit, centum dierum pro qualibet Oratione Dominica et pro qualibet Salutatione Angelica, nec non centum dierum pro quolibet, si dixerit, Symbolo Apostolico indulgentiam lucrabitur. Leo x, vi idus Iul. 1515.

II. Qui dictum rosarium seu coronam integram quindecim decadum recitaverit, praeter praedictas centum dierum, etiam septem annorum totidemque quadragenarum indulgentiam acquiret. Leo x, loc. cit.

III. Qui idem rosarium seu coronam cum alio vel aliis recitaverit, omnes et singuli recitantes easdemmet indulgentias, perinde ac si quisque seorsim id egerit, consequentur. Leo x, loc. cit.

Quilibet easdem indulgentias aut sibi acquirere, aut per modum suffragii animabus purgatorii applicare valet. Benedictus xiv, 10 Mart. 1742.

Plenaria.

IV. Qui dictam coronam quinque saltem decadum per integrum annum quotidie recitaverit, et, vere poenitens, confessus ac sacra communione refectus, pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderit, die per unumquemque eligenda, semel in anno plenariam peccatorum suorum indulgentiam, cum facultate illam etiam per modum suffragii animabus fidelium defunctorum applicandi, adipiscetur. Clemens xi, 22 Sept. 1714.

Indulgentiae Benedicti xiv. Plenariae.

V. Qui saltem semel in hebdomada etiam dictam coronam quinque saltem decadum recitare consueverit, et in festo eiusdem S. Birgittae, confessus et sacra communione refectus, propriam cuiusque parochialem ecclesiam devote visitaverit, ac in ea, ut praefertur, oraverit, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam assequetur. Benedictus xiv, 15 Ian. 1743.

VI. Qui, in articulo mortis constitutus, animam suam Deo devote commendans, praemissa peccatorum suorum confessione, sumptaque sanctissima Eucharistia, si potuerit, sin minus, elicita cordis contritione, ore, si potuerit, alioquin corde saltem, Iesu nomen invocaverit, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam consequetur. Idem, loc. cit.

VII. Qui eamdem coronam per mensem continuum quotidie recitaverit, et, confessus ac sacra communione refectus die intra eiusmodi mensem per unumquemque eligenda, aliquam ecclesiam devote visitaverit, ac in ea DEUM, prout supra, oraverit, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam lucrabitur. Idem, loc. cit.

Partiales. VIII. Qui, eamdem coronam penes se deferens, pro Christi fidelibus in agone constitutis, ad signum campanae flexis genibus DEUM deprecabitur, qua vice id egerit, indulgentia dierum quadraginta fruetur. Idem, loc. cit.

IX. Qui, apud se dictam coronam habens, vere peccatorum suorum poenitens, conscientiam suam examinaverit, ac ter Orationem Dominicam, et ter Salutationem Angelicam recitaverit, indulgentia viginti dierum gaudebit. Idem, loc. cit.

X. Qui, ipsam coronam retinens, sacrosancto Missae sacrificio, quocumque feriato vel festivo die, aut verbi DEI praedicationi devote interfuerit, aut SSmum Eucharistiae Sacramentum, dum ad aliquem infirmum defertur, associaverit, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerit; vel in honorem D. N. IESU Christi, seu B. MARIAE V., aut eiusdem S. Birgittae quodcumque pium opus peregerit, et ter Orationem Dominicam, terque Salutationem Angelicam recitaverit, indulgentiam centum dierum consequetur. Idem, loc. cit.

XI. Quilibet omnes et singulas praefatas indulgentias ac peccatorum remissiones nec non poenitentiarum relaxationes, aut sibi, aut, per modum suffragii, animabus fidelium defunctorum applicare poterit. Idem, loc. cit.

Ad lucrifaciendas omnes et singulas praedictas indulgentias, eiusmodi coronae seu rosaria a praefatis Patribus Ordinis Sanctissimi Salvatoris, sive B. Birgittae, debent esse prius benedicta; aliter nulla prorsus gaudent indulgentia.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, innovando decretum diei 26 Nov. 1714, vetuit, ne eiusmodi coronae seu rosaria, utpote benedicta, vendantur aut alteri commodentur aut precario dentur, alioquin careant indulgentiis iam concessis; et, aliqua perdita, altera pro ea subrogari nullo modo possit, nisi a quibus supra benedicta fuerit. Insuper, ad humillimas preces moderni praedicti Ordinis Procuratoris Generalis, supradictum indulgentiarum Summarium, annuente ad relationem per me, infrascriptum Secretarium, factam SSmo D. N. Benedicto Papa XIV, sub die 9 Febr. 1743, quocumque idiomate in quibuslibet locis catholicis imprimi posse censuit.

A. Card. S. Clementis.
A. M. Erba, Prot. Ap. Secret.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium uti authenticum recognovit, typisque imprimi ac publicari permisit.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 9 Iul. 1878.

A. Card. Oreglia a S. Stephano, Praef.
A. Panici, Secret.

Rescripta Authentica, pag. 352.

358. *Omnibus Nostris fit facultas consequendi, non solum indulgentias relatas sub hoc verbo* Indulgentia, *sed et quascumque alias, quomodocumque concessas seu in posterum concedendas. — Ant. Comp. § 32.* COMMUNICATIO GENERALIS.

INSTITUTUM.

De approbatione Instituti Societatis.

359. Prima Instituti approbatio et commendatio habetur Const. Pauli III, REGIMINI MILITANTIS, V kal. Oct. 1540, Litt. Apost. pag. 3 et seqq., cum restrictione numeri ad personas sexaginta dumtaxat. — Facultas fit deinde admittendi quosvis idoneos, et Constitutiones condendi, Const. Pauli III, INIUNCTUM NOBIS, pridie idus Mart. 1543, Litt. Apost. pag. 7 et seqq. — Facultas item serius fit admittendi Coadiutores, tam spirituales quam temporales, Br. Pauli III, EXPONI NOBIS, 5 Iun. 1546, Litt. Apost. pag. 11 et seqq., cum restrictione, quod viginti tantum Coadiutoribus facultates Professorum concedi possint, et solemnis Professio tantum Romae facienda sit. — Verum, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 13 et seqq., idem Paulus III regimen Societatis eiusque ministeria declaravit, et concessit, quod Professio ubique locorum emitti possit, et Coadiutores admitti possint sine certo numero. — Formula Instituti Societatis, ita iam approbata, edocente experientia et usu rerum, exactius et distinctius quam antea explicata, et iterum approbata ac confirmata fuit a Iulio III, Const. EXPOSCIT DEBITUM, XII kal. Aug. 1550, Litt. Apost. pag. 22 et seqq., in qua praeterea Collegia Scholarium approbantur, qui, ut Coadiutores, vota emittant non solemnia, sed dumtaxat simplicia. — Conc. Trid., sess. 25 cap. 16 de Regular., Societatis IESU Institutum commendavit, *pium* illud declarando. Cfr. Gregorii XIII Const. QUANTO FRUCTUOSIUS, Litt. Apost. pag. 87 col. 1. Demum Pius V, Br. DUM INDEFESSAE, 7 Iul. 1571, Litt. Apost. pag. 46 et seqq., declaravit Societatem ex Instituti sui ratione Ordinem Mendicantem esse, aliisque Mendicantium Ordinibus connumerari et privilegiis aequari.

De confirmatione Instituti Societatis.

360. Gregorius XIII, Const. QUANTO FRUCTUOSIUS, kal. Febr. 1582, Litt. Apost. pag. 87 et seqq., Institutum Societatis, Constitutiones et privilegia plenissime confirmavit. Novam et ampliorem confirmationem Instituti, Constitutionum et privilegiorum concessit idem Gregorius XIII, Const. ASCENDENTE DOMINO, VIII kal. Iun. 1584, Litt. Apost. pag. 90 et seqq. — Itemque " laudabile ipsius Societatis Institutum, Constitutionesque omnes ac statuta et decreta..... ac quaecumque eius privilegia......, etiam per communicationem concessa " approbavit et confirmavit Gregorius XIV, Const. ECCLESIAE CATHOLICAE, IV kal. Iul. 1591, Litt. Apost. pag. 118 et seqq. — Similiter " laudabile dictae Societatis Institutum, Constitutiones.... et quaecumque alia decreta, statuta et ordinationes...., nec non privilegia.... principaliter vel per communicationem concessa, qualiacumque illa sint..... approbavit et confirmavit.... et de novo concessit " Paulus V, Const. QUANTUM RELIGIO, pridie nonas Sept. 1606, Litt. Apost. pag. 131 et seqq. — Instituti confirmatio renovata est a Clemente XIII, Const. APOSTOLICUM PASCENDI, VII idus Ian. 1764, Litt. Apost. pag. 309 et seqq., prout iam approbatum, confirmatum et commendatum fuerat ab

omnibus suis praedecessoribus. — Mox, Societate suppressa, et in universo orbe deinde restituta, Pius VII, Const. SOLLICITUDO OMNIUM, VII idus Aug. 1814, Litt. Apost. pag. 337 et seqq., Societatis Institutum approbavit et confirmavit, secundum regulam S. Ignatii de Loyola apostolicis Pauli III constitutionibus approbatam et confirmatam. Novissime vero Leo XIII, Br. DOLEMUS INTER, 13 Iul. 1886, Litt. Apost. pag. 452 et seqq., " omnes et singulas litteras apostolicas, quae respiciunt erectionem, institutionem et confirmationem Societatis IESU...... a Paulo III ad haec usque tempora datas " confirmavit, et *iterum concedendo* innovavit, explicite derogato Br. Clementis XIV, DOMINUS AC REDEMPTOR, 21 Iul. 1773, Litt. Apost. pag. 313 et seqq.

Interdicitur disputatio, vel impugnatio nostri Instituti.

361. Omnibus, cuiuscumque status, gradus et praeeminentiae exsistant, praecipitur in virtute sanctae obedientiae, ac sub poenis excommunicationis latae sententiae, nec non inhabilitatis ad officia et beneficia saecularia, et quorumvis Ordinum regularia, eo ipso, absque alia declaratione, incurrendis, Sedi Apostolicae reservatis; ne Societatis Institutum, Constitutiones, aut constitutionem ipsam, ASCENDENTE DOMINO, quam praemissorum occasione Gregorius XIII, VIII kal. Iun. 1584, edidit, aut quemvis huius vel supra dictorum omnium articulum, vel aliud quid supra dicta concernens, quovis disputandi, vel etiam veritatis indagandae quaesito colore, directe vel indirecte impugnare vel contradicere audeant. Gregorius XIII, in eadem constitutione, Litt. Apost. pag. 97 col. 1. — Ant. Comp. § 1.

362. *Post Const.* APOSTOLICAE SEDIS *de censuris, excommunicatio praecedentis numeri sit necne in vigore quoad* externos, *non ideo tamen gravis prohibitio facta cessat. Cfr. n. 40.* DECLARATIO.

Interdicitur interpretatio nostri Instituti.

363. Districtius inhibetur, ne quis, sive extra sive intra Societatem, nisi de illius Praepositi Generalis aut inferiorum Praepositorum licentia, notationes, declarationes, glossas vel scholia ulla super Instituto, Constitutionibus, privilegiis ac aliis contentis in Const. ASCENDENTE DOMINO, Gregorii XIII, edita VIII kal. Iun. 1584, facere; vel ea, nisi quantum verba ipsa sonant, interpretari, aut de eis disceptare, seu scrupulum cuiquam iniicere, vel in controversiam aut dubium revocare audeat quoquo modo: glossas aut interpretationes, sive impressas sive scriptas, ad id pertinentes legere, docere aliisve tradere, vendere vel apud se retinere praesumat. Gregorius XIII, in eadem sua Const., Litt. Apost. pag. 97 col. 1. — Ant. Comp. § 2.

Interdicitur alteratio nostri Instituti.

364. Praecipitur omnibus in virtute sanctae obedientiae, ne Societatis Institutum, Constitutiones, aut decreta, vel ex iis, aut illa concernentibus quippiam impugnent, vel alterari curent; aut contra, vel praeter ea agant, vel quippiam ulli alii alterandum, praeterquam Romano Pontifici, idque immediate vel per Legatum,

aut Societati vel Praeposito proponant. Gregorius XIV, Const. ECCLESIAE CATHOLICAE, IV kal. Iul. 1591, Litt. Apost. pag. 122 col. 2. — Paulus V, Const. QUANTUM RELIGIO, pridie nonas Sept. 1606, Litt. Apost. pag. 131 et seqq. — Ant. Comp. § 3.

INTERDICTUM.

Facultas celebrandi tempore interdicti.

365. Possunt Nostri, in locis in quibus degunt et eos pro tempore morari contigerit, tempore interdicti, quavis etiam apostolica auctoritate appositi, ianuis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, submissa voce Missas et alia divina officia celebrare, Sacramenta recipere et aliis ministrare, dummodo ipsi causam non dederint interdicto, nec contingat id ipsis specialiter interdici. Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XI kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 16 col. 1. — Ant. Comp. § 1.

Idem pro nostris familiaribus, etc.

366. Si quando in terris, in quibus aliqui ex Nostris resederint, vel in earum personas, sententiam excommunicationis aut interdicti promulgari contigerit; pueri seu familiares nostris servitiis deputati, et eorum ac Societatis negotiorum procuratores et operarii, huiusmodi sententiis obnoxii minime habeantur: ibique possint audire divina, nisi eidem causam dederint, vel eosdem specialiter excommunicari, seu interdici contigerit. Paulus III, loc. cit. — Ant. Comp. § 2.

Idem privilegium de interdicto speciali.

367. Per privilegia Augustinianorum, quaecumque concessa sunt Societati pro tempore interdicti generalis, ea omnia concessa intelliguntur pro tempore interdicti specialis. Iulius II, per Br. RELIGIONEM VESTRAM, 30 Iun. 1508, § 7. Habetur originale in Archivio Romano Augustinianorum: est 5 in eorum Bullario. — Ant. Comp. § 3.

Privilegium pro administrandis Sacramentis familiaribus, etc.

368. Per privilegium Monachorum S. Benedicti in Hispania, possunt Nostri, tempore interdicti generalis vel specialis, a iure vel ab homine quomodocumque lati, libere in nostris Domibus et Collegiis suis, ecclesiis aut cappellis recipere, ad audiendum Missam et alia divina officia, quoscumque familiares, officiales et servitores cuiuscumque Domus aut Collegii nostrorum, ac eis Eucharistiam et alia ecclesiastica Sacramenta ministrare, eorumque corpora tumulare, sive tumulari facere, dum tamen nullus istorum dederit causam interdicto; secreto tamen modo, ianuis clausis, et campanis non pulsatis. Concessit Eugenius IV per bullam authenticam: ut in Compend. Min., verbo *Interdictum* 3, § 11. — Ant. Comp. § 4.

369. *Quod hic de Sacramentis dicitur, intelligatur secundum id quod n. 240 dictum est. — Ant. Comp. § 4.* DECLARATIO.

Quaenam possint Nostri tempore interdicti.

370. Possunt Nostri tempore interdicti et cessationis a divinis, qua-

cumque auctoritate, etiam apostolica, impositorum (dummodo huiusmodi interdicto causam non dederint, nec id eis contigerit specialiter interdici) apertis ianuis, pulsatis campanis, nominatim interdictis et excommunicatis exclusis, Missas, processiones et alia divina officia solemniter in cantu celebrare, quoties Professionem emiserint, aut primam Missam celebraverint, seu eos, in ecclesiis vel caemeteriis Domorum vel Collegiorum, seu aliorum locorum nostrae Societatis, humana cadavera ecclesiasticae tradere sepulturae continget. Leo x, per brevia, alterum datum 20 Maii 1515, incipit: RELIGIONIS, SUB QUA; alterum 21 Mart. 1521, incipit: SANE RELIGIONIS, Rod. Br. 38 et 39. — Ant. Comp. § 5.

COMMUNICATIO. 371. *Possunt Nostri, in divinis officiis more Societatis celebrandis et Nostrorum sepulturis, uti hoc privilegio, ubi caeteri Religiosi uterentur, et Praelati non offenderentur; alioquin ne utantur. — Ant. Comp. § 5.*

Idem tempore cessationis a divinis.

372. Ex declaratione facta Minoribus per Leonem x, concessum est Nostris in foro conscientiae, quod in forma observationis nulla sit differentia inter cessationem a divinis et interdictum quodcumque. Habetur inter oracula huius Pontificis, Rod. Orac. vivae vocis, in fine § 8, et quidem perinde valere iussit, ac si intervenisset signatura Papae, ibid. §§ 22 et 23. — Ant. Comp. § 6.

Horae canonicae tempore interdicti.

373. Tempore interdicti aut cessationis a divinis, possumus in foro conscientiae duo vel plures extra ecclesiam in Domibus Nostris officium divinum dicere; et quando extra chorum horas dixerimus, si transeuntes personae interdictae casu aliquid audierint, nullam propterea censuram incurremus. Nec tenemur evitare laborantes in nostris Domibus aut Collegiis, diebus, quibus laboraverint, etiam si non sint familiares et servitores, continui commensales nostri, et eis solvatur salarium. Concessit Leo x, oraculo authentico, ut proxime dictum est, atque ibid., sed § 9. — Ant. Comp. § 7.

374. *Pro usu huius privilegii statuet Praepositus Generalis, cui Superiori reservanda sit eius permissio. — Ant. Comp. § 7.* COMMUNICATIO.

Tempore interdicti possumus certis diebus publice celebrare divina.

375. Per concessionem factam Ordini S. Hieronymi in Hispania post Tridentinum, possunt Nostri in suis ecclesiis, tempore interdicti generalis vel specialis, etiam auctoritate apostolica apponendi, officium divinum et Missam alta voce, et ianuis apertis publice celebrare, et omnes Christi fideles illis assistere libere et licite, videlicet Epiphaniae, Ascensionis, Assumptionis B. MARIAE, singulorum Apostolorum, in Dominica Palmarum, Feria v, vi et Sabbato Hebdomadae Maioris, in festo SS. Trinitatis, Conceptionis, Nativitatis, Purificationis, Annuntiationis et Visitationis B. MARIAE, Nativitatis S. Ioannis, S. Marci, S. Lucae, et Omnium Sanctorum, et in Commemoratione etiam omnium Defunctorum pro Missa et processione, et in die obitus alicuius nostri Religiosi pro Missa et officio pro ipso defuncto dicendis. Concessit Pius v,

per bullam datam 23 Dec. 1567. Habetur in Compendio Privileg. eius Ordinis Romae excuso anno 1592, verbo *Interdictum,* § 9. — Ant. Comp. § 8.

DECLARATIO. 376. *Attendendum semper est, ne in usu horum privilegiorum quidquam fiat contra decretum Conc. Trid., sess. 25 cap. 12 de Regular. — Ant. Comp. § 8.*

KALENDARIUM.

377. Kalendarium perpetuum Societatis IESU, iussu P. N. Petri Beckx exaratum, approbavit Pius IX rescripto Congregationis Sacrorum Rituum, 5 Iul. 1855: idemque, cum nonnullis additionibus et variationibus, praecipiente P. N. Antonio M. Anderledy, in eo factis, rursus approbavit, et " ut ab Alumnis Societatis IESU in recitatione divini officii, ac sacrosancti Missae sacrificii celebratione servetur „ concessit Leo XIII, rescripto eiusdem Sacrae Rituum Congregationis, 6 Dec. 1888. Habetur inter Litt. Apost. pag. 494 et seqq.

LECTORES.

Facultas deputandi Lectores theologiae etc.

378. Praepositus Generalis habet potestatem ubilibet deputandi Lectores theologiae et aliarum facultatum, quos ex Nostris in Domino idoneos iudicaverit, alterius licentia ad id minime requisita. Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 19 col. 2. — Ant. Comp.

COMMUNICATIO. 379. *Haec facultas conceditur Provincialibus, secundum ordinem praescriptum in eorum Regulis. — Ant. Comp.*

LIBRI.

De facultate legendi libros prohibitos.

380. Facultas legendi libros prohibitos concessa per Gregorium XIII, Br. EXPONI NOBIS, 8 Ian. 1575, Litt. Apost. pag. 55 et seqq., revocata quidem est per Gregorium XV, Br. APOSTOLATUS OFFICIUM, 30 Dec. 1622, et per Urbanum VIII, Br. APOSTOLATUS OFFICIUM, 2 Apr. 1631. Verum Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 352 col. 2, potestatem concessit Praeposito Generali " iis Alumnis, quibus expedire existimet, facultatem faciendi, cuius vi libros prohibitos queant legere, „ et huiusmodi facultate muniendi omnium Societatis Domorum, Collegiorum, in qualibet Provincia, Praesules.

381. *Facultas haec solis Provincialibus, et Superioribus Provincialium potestate utentibus communicatur. — P. Ro.* COMMUNICATIO.

MATRIMONIUM.

Inhabilitas ad matrimonium, post tria vota simplicia.

382. Omnes in Societatem admissi, postquam vota substantialia, peracto biennio, emiserint, inhabiles sunt, antequam a Societate legitime dimittantur, ad matrimonium contrahendum; contractusque huiusmodi nullos et irritos esse ipso facto declaravit Gregorius XIII, Const. ASCENDENTE DOMINO, VIII kal. Iun. 1584, Litt. Apost. pag. 96 col. 2. — Ant. Comp. § 1.

383. *Licet vota simplicia Societatis matrimonium contrahendum dirimant,* DECLARATIO.

non dirimunt tamen matrimonium ratum iam contractum, ut habet communis doctrina theologorum Societatis.

Facultas solemnizandi matrimonia in Indiis.

Antiquum privilegium.

384. Nostri Sacerdotes in Indiis olim Regi Hispaniae subiectis, de licentia suorum Superiorum constitui possunt Parochi, eoque munere fungentes solemnizare possunt matrimonia, servata forma Concilii Tridentini. Concessit S. Pius v, Br. Exponi nobis, 24 Mart. 1567. Idem privilegium indulsit Carmelitis Discalceatis Clemens viii in partibus Persarum et quorumcumque infidelium, ubi Parochi non fuerint, bulla 18, Dominici, anni 1604, Append. Bullar. Regul. Brevi Innocentii x, in causa Angelopolitana, Cum sicut, 14 Maii 1653, § 3 secundae seriei, proposito dubio: an bulla Pii v sit revocata; Respondetur: " Agendum cum SSmo, an velit declarare bullam non esse revocatam; illam tamen non suffragari, nisi in locis, ubi est defectus Parochorum. „ Sed consulenda est Const. Benedicti xiv, Quamvis ad confirmandum, vi kal. Mart. 1745, nec non altera, Cum nuper, vi idus Nov. 1751, in quibus iurisdictio Episcoporum in ecclesias parochiales Regularium pro Indiarum regionibus declaratur; itemque privilegium Pii v declaratur concessum fuisse *propter saecularium Presbyterorum defectum.* — Ant. Comp. § 2.

Facultas vicennalis.

Leo vero xii, Br. Plura inter, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 354 col. 1, vicennalem facultatem concessit " administrandi omnia sacramenta, etiam parochialia, ordine et confirmatione exceptis, et, quoad sacramenta parochialia, in dioecesibus, ubi non erunt Episcopi vel Ordinarii vel eorum vicarii, vel in parochiis ubi non erunt Parochi, vel ubi erunt, de eorum licentia. „

Communicatio et declaratio.

385. *Pro usu huius privilegii et sequentium, notandum est: Gregorium xiii, per litteras apostolicas, Rationi congruit, 10 Febr. 1579, concessisse, quod omnia privilegia, facultates et gratiae, quae occidentali Indiae aut orientali impertita sunt a Sede Apostolica, vel in posterum impertientur, ita invicem communicentur, ut singuli earumdem Indiarum et novae Hispaniae Religiosi Societatis illis uti et gaudere possint. Vicennalem autem Leonis xii facultatem Praepositi Provinciales, caeterique Superiores Provincialium potestate utentes, cum suis subditis Sacerdotibus communicare poterunt, dummodo tamen de illorum doctrina et discretione ita constet, ut nullus abusus, nulla Ordinariorum offensio sit timenda. — Ant. Comp. § 2. — P. Ro.*

Facultas solvendi primum matrimonium cum infideli contractum.

386. Gregorius xiii, litteris apostolicis, Populis ac nationibus, 25 Ian. 1585, in Angola, Aetiopia, Brasilia et aliis Indicis Regionibus, potestatem fecit ordinariis parochis, et Sacerdotibus nostrae Societatis ad Confessiones approbatis, et ad Missiones praedictarum regionum missis vel admissis, dispensandi cum quolibet coniuge, qui christianae Religioni nomen dare voluerit, ut novum matrimonium possit inire, omissa interpellatione prioris coniugis infidelis, dummodo constet, etiam summarie et extraiudicialiter, coniugem absentem moneri legitime non potuisse, aut monitum, suum consensum, intra tempus in mo-

nitione praefixum, non significasse; et matrimonia sic contracta voluit et declaravit idem Pontifex esse omnino firma et valida, etiam si postea innotesceret priores coniuges infideles suam voluntatem iuste impeditos declarare non potuisse, vel ad fidem tempore secundi matrimonii conversos iam fuisse. Legi potest breve Benedicti xiv, in quo simile privilegium datur Nuntiis Apostolicis pro Domo Neophytorum Venetiis, In suprema, 6 Ian. 1745. — Ant. Comp. § 3.

Communicatio et declaratio.

387. *Pro usu huius privilegii exercendi cum maxima cautela, legantur Canonistae ad Cap.* Quanto, de Divortiis, *et Thesaurus Resolut. Sacrae Congregationis, tom. 2 pag. 117, et tom 3 pag. 346 et 352. Caeteroquin absolute datum est, et nullibi revocatum invenitur. Quare etiam nunc viget, pro illis nempe locis, pro quibus datum est. Communicatur vero solis Superioribus Missionum, et iis quibus ipsi commiserint. — Ant. Comp. § 3.*

Facultas dispensandi cum infidelibus plures uxores habentibus.

388. Leo xii, Br. Plura inter, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 353 col. 2, vicennalem facultatem concessit: " dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut, post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti. „

Communicatio.

389. *Hanc facultatem Nostri usurpare possunt in iis dumtaxat locis, ubi similes a Sacra Congregatione de Propaganda Fide Sacerdotibus tribui solent. — P. Ro.*

Facultas dispensandi in impedimentis Matrimonii in terris infidelium.

Antiquum privilegium iam nunc non usurpandum.

390. In locis remotissimis infidelium, unde Sedes Apostolica consuli non potest, cum iis, qui convertuntur ad fidem, nostri Missionarii dispensare possunt, ut remaneant in matrimoniis antea contractis, quamvis in gradibus prohibitis, non tamen lege divina. Paulus iii, Const. Licet debitum, xv kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 19 col. 2; sed Gregorius xiii, pro quibusvis Orientis, Brasiliae, Peruani Regni, Novae Hispaniae, et aliis Ultramarinis Regionibus, Insulisque Oceani Maris, et Occidentalibus partibus, concessionem ampliando, indulsit perpetuo, ut Nostri, ex commissione Generalis, uti possent eadem dispensandi facultate pro foro conscientiae, et quum Ordinarii facile adiri non possunt, cum quibuscumque Neophytis, tam conversis, quam convertendis, tam in ordine ad remanendum in matrimonio, consensu, prout de iure, renovato, quam ad contrahendum secundum formam Concilii Tridentini, in bulla Alias siquidem, 17 Iul. 1575. Eadem facultas reperitur concessa Missionariis Carmelitis Discalceatis in Regno Persiae, ut in eorum Compendio, bulla 9, Ut Regni, data a Paulo v anno 1612. — Ant. Comp. § 4.

Facultas vicennalis.

Leo xii, Br. Plura inter, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 353 col. 1 et 2, vicennalem facultatem concessit " 1.° Dispensandi in 3 et 4 consanguinitatis, et affinitatis, simplici et mixto tantum, et in 2, 3 et 4 mixtis; non tamen in 2 solo quoad futura matrimonia: quo vero ad prae-

terita, etiam in 2 solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum iis, qui ab haeresi vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam; et in praedictis casibus prolem susceptam declarandi legitimam. — 2.° Dispensandi super impedimento publicae honestatis, iustis ex sponsalibus provenienti. — 3.° Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen coniugum machinante, ac restituendi ius petendi debitum amissum. — 4.° Dispensandi super impedimento cognationis spiritualis, praeter quam inter levantem et levatum. — 5.° Hae vero dispensationes matrimoniales, videlicet 1, 2, 3 et 4 non concedantur, nisi cum clausula " dummodo mulier rapta non fuerit, vel, si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat „ et in dispensatione tenor huiusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis, ad quod concessae fuerint. „

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

391. *Abstineant Nostri ab usu privilegii Pauli* III *et Gregorii* XIII, *eo quod* absolute *datum non sit, sed ob peculiares tunc temporis circumstantias, quae, adsint necne, saltem in aliquibus locis, definiri non est necesse, ob aliam Leonis* XII *facultatem. Caeterum, ubi agatur de impedimentis mere iuris positivi ecclesiastici, omnibus notum est matrimonium in infidelitate contractum valere; dispensatio non nisi ad quandam abundantiam et cautelam concederetur. Neque vero posset consequenter matrimonium post baptismum dissolvi, sine speciali Apostolicae Sedis facultate. Vicennalem hanc Leonis facultatem Nostri usurpare possunt in iis dumtaxat locis, ubi similes a Sacra Congregatione de Propaganda Fide Sacerdotibus tribui solent. Cfr. tamen Br. Benedicti* XIV CUM VENERABILIS, *17 Ian. 1747. — P. Ro.*

Dispensatio in proclamationibus matrimonii pro Indiis.

392. Benedictus XIV facultatem tribuit cuilibet Missionario Societatis in Provincia Quitensi vice Parochi fungenti, ut cum Indis fidelibus dispensare possit super tribus proclamationibus ante matrimonium contrahendum fieri solitis, dummodo ea intercedant momenta, propter quae dispensatio huiusmodi, prudenter tamen adhibenda, necessario concedi posse existimetur; in brevi NON SOLUM, 8 Sept. 1751. Eadem facultas extensa deinde est ab eodem Pontifice ad Missionarios omnes Americae Hispanae et Lusitanae per Litt. Apost. similes, QUO LUCULENTIORIBUS, 2 et 3 Mart. 1753. — Ant. Comp. § 6.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

393. *Nostri non utantur praecedenti facultate iis in locis, ubi adsint Episcopi vel Vicarii Apostolici. Iis vero in locis, in quibus nondum sunt constituti vel Episcopi vel Vicarii Apostolici, Superioribus communicatur, iisque quibus ipsi commiserint.*

MEDICI.

De medendi facultate.

394. " Omnibus et singulis......Societatis IESU Religiosis medicinae peritis..., ut, de suorum Superiorum licentia, quibuscumque personis infirmis, sive illae eiusdem Societatis Religiosi, sive extranei et saeculares fuerint, absque aliquo conscientiae scrupulo ...., citra tamen adustionem et incisionem per seipsos faciendam, mederi libere et licite valeant......, quando tamen medici saeculares commode haberi non possunt, indulge-

mus, et ad id licentiam et facultatem eis concedimus et impertimur. „ Gregorius XIII, Br. UNIGENITI DEI FILII, 11 Febr. 1576, Litt. Apost. pag. 61. — Ant. Comp.

COMMUNICATIO. 395. *Hanc facultatem concedere possunt omnes Superiores. — Ant. Comp.*

MINISTERIA.

Varia Societatis ministeria.

396. Ex apostolicis constitutionibus Societati committitur et commendatur: " In quibusvis ecclesiis, et locis ac plateis communibus seu publicis, et alias ubique locorum, clero et populo verbum DEI praedicare, proponere et interpretari. „ Litt. Apost. pag. 4, 10, 23, 58, 102, 236, 338, 340, et 352. Missiones inter haereticos et infideles instituere; causa salutis animarum per totum orbem discurrere; pag. 19, 58 et 453. Spiritualia tradere Exercitia; pag. 4, 23, 180, 303 et seqq. et 311. Pueros ac rudes in christiana doctrina instituere. Pueros instituere in catholica religione, ac bonis moribus et disciplinis; pag. 4, 5, 23, 336, 338, 340, 345, 350 et 453. Et aliud quodcumque verbi DEI ministerium exercere, pag. 23. — Lectiones habere Theologiae et aliarum facultatum, Artium liberalium et Litterarum Humaniorum; pag. 19, 23, 36, 45 et 453. — " Utriusque sexus Christi fidelium ad nos undecumque accedentium confessiones audire, „ praesertim aegrotorum et eorum, qui in vinculis detinentur; pag. 4, 10, 18, 23, 59, 336, 338, 340 et 352. — Eucharistiae Sacramentum ministrare, et Communionis frequentiam propagare; pag. 18 et 437. — Sacramenta ministrare; pag. 11, 23, 336, 338, 352 et 354. — Sodalitates, praesertim Marianas et Bonae Mortis instituere; pag. 238 et seqq., 283 et seqq., 311, 346, 413 et 437. — Charitatis opera exercere; " ad dissidentium reconciliationem, et eorum qui in carceribus vel in hospitalibus inveniuntur piam subventionem et ministerium, ac reliqua charitatis opera.... se utilem exhibeat „ pag. 4 et 23.

397. *Prima puerorum Communio ministerium parochiale non est. Responsum Emi Card. Praef. Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, 15 Oct. 1888, in Causa Novi Mexici S. I.* DECLARATIO.

De ministeriorum libero exercitio.

398. Pius VII, Const. SOLLICITUDO, VII idus Aug. 1814, Litt. Apost. pag. 340 col. 1, Societati concedit liberum omnino exercitium ministeriorum propriorum eiusdem Societatis. Consensum et approbationem Ordinariorum requirit tantum pro praedicatione et Sacramentorum administratione. Et Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 351 col. 2, " Religiosis viris in Societatem IESU cooptatis veniam facit, qua christiani populi sacras confessiones possint excipere, verbum DEI annuntiare, Sacramenta administrare, assentientibus ac probantibus quibusque locorum Ordinariis Praesulibus, in quorum dioecesi vel quasi dioecesi eos versari contigerit. „

Ministeria gratuito exercenda.

399. Societas IESU in omnibus suis ministeriis exercendis, " prout ad DEI gloriam et commune bonum expedire visum erit, gratis omnino, et nullo pro suo in praedictis omnibus labore

stipendio accepto, se utilem exhibeat." Iulius III, Const. EXPOSCIT DEBITUM, XII kal. Aug. 1550, Litt. Apost. pag. 23 col. 2.

MISSA.

Facultas celebrandi in ecclesiis et oratoriis.

400. Non solum in quibuscumque publicis ecclesiis, sed etiam in quibuslibet oratoriis nostris, et cappellis domesticis designatis a Provincialibus ad divinum dumtaxat cultum, ut in titulo *Oratoria*, n. 435, possumus, alterius licentia minime requisita, Missam celebrare, aliaque divina officia peragere, in iisque Sacerdotes alios ad celebrandum admittere, atque Sacramenta administrare, nulla adhibita limitatione personarum, numeri Missarum, aut dierum festorum. Concessit Societati primum Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 16 col. 1, et, post Concilium Tridentinum, Gregorius XIII, Br. DECET ROMANUM, 3 Maii 1575, Litt. Apost. pag. 59 col. 1, atque hanc interpretationem huius privilegii confirmavit Clemens XII pro Ordine Carthusiano, Br. EXPONI NOBIS, 19 Aug. 1737, § 2 et 6. — Cfr. Suarez, in 3 part., quaest. 83 art. 3 disp. 81 sect. 3 n. 5. — Ant. Comp. § 1.

Audientes satisfaciunt praecepto.

401. Audientes Missas in nostris ecclesiis et oratoriis, ut in numero praecedenti, in diebus Dominicis et aliis festivis, etiam sine facultate proprii Sacerdotis Parochialis, satisfaciunt praecepto Ecclesiae, nec ullam poenam aut culpam incurrunt. Concessit Societati Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 16; et Leo X Minoribus, Br. EXPONI NOBIS, 3 Dec. 1518, et Br. INTELLEXIMUS, 13 Nov. 1517, § 1. Neque id prohiberi a Concilio Tridentino, sess. 22, in decreto *de observandis et evitandis in celebratione Missae,* declaravit S. Pius V, Const. ETSI MENDICANTIUM, XVII kal. Iun. 1567, § 8, statuens praeterea id per Parochos, etiam si ipsi antea in suis ecclesiis non celebrassent, inhiberi nullatenus posse: quod iterum edixit Clemens VIII, litteris apostolicis SIGNIFICATUM, 12 Dec. 1592. — Ant. Comp. § 2.

Extensio ad Seminaria et Collegia nostra.

402. Eadem facultas concessa fuit a Sixto V Patribus Congregationis Somaschae, Const. AEQUUM REPUTAMUS, kal. Maii 1585, § 2, et ad privata oratoria Seminariorum et Collegiorum convictorum sub cura eiusdem Congregationis, etiam in locis non propriis, extendit Urbanus VIII, Br. ALIAS FELICIS RECORDATIONIS, 22 Dec. 1632, § 2, pro personis " in dictis Seminariis et convictorum Collegiis degentibus et morantibus: " et simile privilegium legitur concessum Congregationi Avenionensi Doctrinae Christianae a Benedicto XIII, in Br. ILLIUS CUIUS, 28 Sept. 1725, § 4. Cfr. n. 236. — Ant. Comp. § 2.

403. *Quae dicta sunt in tribus numeris praecedentibus limitanda sunt pro oratoriis privatis in domibus saecularium; in illis enim celebrare non possumus, nisi diebus et horis, et servato numero Sacrificiorum, et coram privilegiatis personis, prout in indulto cuiuslibet oratorii continetur; quod exacte servandum, etiam a Regularibus ibidem* DECLARATIO.

celebrantibus, iussit Clemens XI suo decreto Nonnulli Episcopi, *15 Dec. 1703, inserto, et confirmato a Benedicto XIV Litt. Apost. MAGNO CUM ANIMI, 2 Iun. 1751, § 29 et 33. Cfr. tamen n. 439 in titulo* Oratoria. — *Ant. Comp. § 2.*

Facultas Missam de Beatis nostris celebrandi in alienis ecclesiis.

404. Durantibus iis circumstantiis, ob quas tempore dispersionis cogimur saepe in alienis ecclesiis celebrare, Missas privatas de nostris Beatis, Societati proprias, celebrare possumus in alienis ecclesiis, et oratoriis publicis, " quotiescumque occurrat idem color paramentorum, aut quotiescumque removeatur scandalum aut admiratio ex diversitate eorumdem, ut fieri solet in ecclesiis aut oratoriis, in quibus una vel altera tantum Missa celebratur. " Pius IX, rescripto 20 Nov. 1873, Rescr. et Ind. pag. 34.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

405. *Possunt Sacerdotes nostri uti hac facultate. Ex indulto Apostolico 11 Febr. 1869 Societati concessum est, ut omnes Sacerdotes, tam Regulares quam saeculares, in nostris ecclesiis celebrantes, teneantur se in omnibus nostro ritui conformare.*

Facultas recitandi Symbolum Nicaenum in Missis Sanctorum Societatis.

406. " In ecclesiis ad Societatem spectantibus..... perseverari potest in consuetudine addendi Symbolum singulis in Missis SS. Francisci de Hieronymo, Ioannis Francisci Regis, Aloisii Gonzaga, Francisci Borgia, Stanislai Kostka ac Francisci Xaverii, praeter S. Ignatium Institutorem, cui de iure proprium est, tam in festis quam per octavas. " Pius IX, rescripto 22 Nov. 1850, Litt. Apost. pag. 379. Idem concessum est pro Missis SS. Petri Claver, Ioannis Berchmans et Alphonsi Rodriguez. Sacra Rituum Congregatio, 12 Maii 1888.

Facultas Missam de Requie celebrandi, praesente cadavere, in occurrentia ritus duplicis.

407. Quando, praesente corpore, habentur exsequiae alicuius Nostrorum defuncti, Missa exsequialis, cui Communitas assistat, potest sine cantu seu simpliciter lecta celebrari etiam diebus duplicibus, solummodo exclusis festis solemnioribus, " servata lege, quae in parochialibus locum habet quoad Missam solemnem cum cantu, corpore praesente. " Pius IX, rescripto 9 Maii 1851, Litt. Apost. pag. 445.

408. *Potest ubique agi secundum hanc concessionem.* COMMUNICATIO.

De hora celebrationis.

Per horam ante auroram, in commodum famulorum.

409. Per privilegium a Sixto V concessum Patribus Oratorii de Urbe, possumus celebrare per semihoram ante auroram, ut in Br. apud eosdem Patres, sub data 5 Sept. 1586. Sed per horam ante auroram, in commodum famulorum domesticorum, indulsit Gregorius XIII per Br. authenticum Ordini S. Hieronymi in Hispania, ut refertur in Compendio Privileg. Ordinis, verbo *Celebrare*, § 8, et eius transsumptum iuridicum apud nos habetur. — Ant. Comp. § 3.

Per horam ante auroram et post meridiem, itineris vel alterius impedimenti causa,

Possunt Presbyteri Societatis celebrare Missas per horam ante auroram et intra horam post meridiem, itineris vel alterius legitimi impedimenti causa, de licentia Praepositi Generalis, vel cuiuslibet alterius ad id ab eo

deputati. Gregorius XIII, Const. QUANTA IN VINEA, nonis Maii 1578, Litt. Apost. pag. 76. col. 2. — Ant Comp. § 4.

et in actu missionum,

Qui ex nostris Sacerdotibus sacras missiones de Ordinariorum licentia exercent, per horae spatium ante auroram, et per horam post meridiem Missas celebrare libere et licite possunt, tam in suis ecclesiis, quam in aliis quorumcumque locorum. Concessit in perpetuum Clemens XI Congregationi Piorum Operariorum, commendans, ut usus huius privilegii sit moderatus, Br. SOLLICITUDO PASTORALIS, 10 Maii 1707, § 1. — Ant. Comp. § 5.

et in actu missionum atque in itinere, etiam in privatis oratoriis.

Clemens XIV, Const. SUPREMI APOSTOLATUS, XVI kal. Dec. 1769, § 5, PP. Passionistis concessit: ut, " dum missionibus operam dabunt, seu earum occasione vel alia quacumque de causa iter habebunt, tam in publicis ecclesiis, quam in privatis oratoriis apostolico privilegio munitis, Missam unius horae ante matutinum lucis crepusculum, et alterius horae spatio post meridiem celebrare libere et licite possint. " — Leo vero XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 352 col. 1, facultatem generatim Societati in perpetuum concessit " divinis operandi hora ante auroram, horave post meridiem. "

Duabus horis ante auroram et post meridiem.

Sed duabus horis etiam ante auroram et post meridiem semper et ubique celebrare possumus ex concessione facta Congreg. Puritatis a Pio VI, rescripto 14 Ian. 1783, et 10 Maii 1785. Ex eius Privil. Compendio, Neapoli 1785, pag. 16. Et, " dubio superveniente, utrum exstiterit hoc privilegium, Cardinalis Praefectus Congregationis Episcoporum et Regularium die 17 Oct. 1834 affirmative dubio respondit. Originale huius rescripti asservatur in archivio Congr. Pior. Operarior. " Comp. eorumdem Pior. Operar. part. 2, cap. V, § VII, pag. 55.

Hora secunda post mediam noctem Missionariis.

Praepositus Generalis potest facultatem dare *Missionariis,* ut, sive itineris causa, sive causa devotionis, pro se vel pro populo, sive causa dandae S. Communionis fidelibus exspectantibus, hora secunda post mediam noctem celebrent. Gregorius XVI, rescripto 13 Maii 1838, Litt. Apost. pag. 360.

Duabus horis post mediam noctem et tribus post meridiem.

Tandem in nostris Ecclesiis, iustam aliquam ob causam, nos et Sacerdotes saeculares celebrare possumus duabus horis post mediam noctem, et tribus post meridiem, ex concessione PP. Redemptoristis facta. Elenchus Facultatum, etc. Monachii, 1860, pag. 135 n. 8. — Lugo, De Euchar. disp. 20. sect. 1. nn. 27-30 et 42. — Pasqualig., tract. 3 quaest. 428, 429 et 430. — Leand., part. 2, tract. 8 D. C. quaest. C. — S. Alphonsus, n. 122 de Privil.

COMMUNICATIO.

410. *Praecedentes facultates communicantur omnibus Superioribus, et iis quibus ipsi indulserint. — Ant. Comp. § 5.*

Facultas bis celebrandi eadem die.

411. Presbyteri Societatis, qui a Praeposito Generali mittuntur in Saracenorum aliorumque infidelium terras et provincias remotissimas, a quibus adiri non potest Sedes Apostolica, cum facultate eiusdem Praepositi possunt ibidem bis in die, diversis in locis, Missas celebrare. Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 20 col. 1. Ex facultatibus vero vicennalibus Leonis XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 354 col. 1, potest Praepositus Generalis facultatem conce-

dere " celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima Missa non sumpserit ablutionem.... Huiusmodi autem facultate bis in die celebrandi nullatenus uti liceat, nisi rarissime et ex gravissimis et urgentissimis causis, in quo graviter, tam conscientia Praepositi Generalis, quam Praefectorum Missionum, nec non Missionariorum ipsorum oneratur. " — Ant. Comp. § 7.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

412. *Nostri hanc facultatem ex Superiorum licentia usurpare possunt in iis tantum locis, ubi similis facultas a Sacra Congregatione de Propaganda Fide Sacerdotibus tribui solet. Eadem Sacra Congregatio de Propaganda Fide, 24 Maii 1870, declaravit illas* gravissimas et urgentissimas causas *exsistere, si sint* similes *nec graviores illis, ob quas iam iure communi binatio conceditur; quae sane non nimis graves sunt.* — *P. Ro.*

MISSIONES.

De Missionum dismembratione.

413. " Silentibus hac super re generalibus Ecclesiae legibus, necesse est, ut Concilii Provincialis Westmonasteriensis valeat auctoritas, cuius hoc decretum est: *Non obstante Rectoris Missionarii deputatione, licebit Episcopo, de consilio Capituli, intra limites Missionis cui praeponitur, novas Ecclesias condere, ac portionem districtus iis attribuere, si necessitas aut utilitas populi fidelis id requirat.* Quae cum ita sint, ita ad propositam consultationem respondemus: licere Episcopis Missiones dividere, servata forma Sancti Concilii Tridentini, cap. 4 sess. 21 de reform., quoad Missiones quae sunt vere proprieque dictae paroeciae; quoad reliquas vero, ad formam Synodi Provincialis Westmonasteriensis, De regimine Congregationum seu Missionum, n. 5. Quo melius autem Missioni, quae dividenda sit, eiusque administris prospiciatur, volumus ac praecipimus, ut sententia quoque Rectoris exquiratur, quod iam accepimus laudabiliter esse in more positum: quod si a Religiosis Sodalibus Missio administretur, Praefectus Ordinis audiatur; salvo iure appellandi, si res postulet, a decreto episcopali ad Sanctam Sedem *in devolutivo* tantum. " Leo XIII, Const. ROMANOS PONTIFICES, VIII idus Maii 1881, *§ Profecto,* pro Anglia et Scotia, aliisque locis, ad quae extensa est.

De Missionum regimine.

414. " Si mera Missio erigitur, ius certe non obest Religiosis viris, ne inter eos eligatur Rector; ast ne iis quidem praeferri optantibus suffragatur. " Leo XIII, Const. ROMANOS PONTIFICES, VIII idus Maii 1881, *§ Peracta Missionis.*

Facultas pro Missionibus.

415. Quid possint Nostri vacantes Missionibus ex licentia Superiorum, circa absolutiones peccatorum, exsecutionem litterarum S. Poenitentiariae, etc., vide tit. *Absolutio,* et *Confessarius;* circa commutationes et dispensationes votorum, et similium, vide tit. *Communicatio, Dispensatio,* et *Matrimonium;* circa usum altaris portatilis, Missae celebrationem, atque Eucharistiae distributionem, tit. *Altare, Eucharistia,* et *Missa.* Et quid denique circa indulgentiam cum benedictione pontificia, vide tit. *Benedicere,* et

Summar. Indulgentiar. Notetur, posse tempore Missionum Confessarios, in ordine ad indulgentias lucrandas, cum iis, qui a longe ad Missionem venerunt et Missioni quinquies assistere non possunt, in hac re dispensare, aliud opus pium eis praescribendo; similiter eosdem Confessarios dispensare posse a S. Communione sumenda cum iis pueris, qui ad primam Communionem nondum fuerint admissi, eis etiam aliud opus pium praescribendo. Pius IX vivae vocis oraculo concessit, 29 Mart. 1855, Litt. Apost. pag. 302 et 450 col. 1, B. C. Infirmi etiam indulgentiam plenariam in fine Missionis lucrari possunt, " dummodo alia pia opera a respectivo Confessario iniungenda fideliter exsequantur. „ Sacra Indulgentiarum Congregatio, 17 Mart. 1841, Litt. Apost. pag. 371.

MONIALES.

De visitatione et cura Monialium.

416. " Nulli ipsorum (Religiosorum Societatis IESU) correctionis, seu visitationis, vel inquisitionis officium, Monasteriis, vel ecclesiis, seu quibuscumque personis impendere.... aut curam Monialium, seu Religiosarum quarumlibet personarum recipere teneantur. „ Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 17 col. 1. " Societas eiusque alumni nullibi teneantur, cuiuslibet Praesulis rogatu, visitandi onus, aut Religiosarum mulierum virginumque curam suscipere. „ Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 351 col. 2. — Sixtus IV, Const. DUM ATTENTA MEDITATIONE, kal. Dec. 1476, § 88, pro Carmelitis, Rod. Bul. 37.

De Monialium confessione.

417. " Concedimus etiam, ut...... ad audiendum confessiones earum compelli aliquatenus non possitis. „ Clemens IV, Const. VIRTUTE CONSPICUOS, 21 Iul. 1265, § 14, pro Fratribus Ord. Minor. Clementis Constitutio relata est, et confirmata a Sixto IV, Const. REGIMINI UNIVERSALIS, pridie kal. Sept. 1474, pro eodem Ordine. Idem Sixtus IV, Const. DUM ATTENTA MEDITATIONE, kal. Dec. 1476, § 88, pro Carmelitis. Iulius II, Const. VIRTUTE CONSPICUOS, 28 Iul. 1506, § 9, pro Ord. Minimor. S. Francisci de Paula. Quod si contingat Nostros deputari pro Confessariis extraordinariis Monialium, observanda sunt ea, quae statuuntur in Const. Benedicti XIV, PASTORALIS CURAE, nonis Aug. 1748, quaeque ex morali Theologia omnibus nota sunt. Cfr. n. 57.

NOTARIUS.

Facultas deputandi Notarios.

418. Praepositus Generalis, ac Provinciales in unaquaque eorum Provincia possunt creare et deputare in Notarios unum, duos, tres, quatuor vel quinque, aut plures Religiosos Societatis, qui probi sint, et fide doctrinaque idonei, qui intimare possint, quoties requisiti fuerint, omnia et singula mandata, privilegia, concessiones et indulta, ac Societati, seu eius personis concessa et emanata rescripta apostolica, quibusvis personis saecularibus aut ecclesiasticis: eosque monere et requirere, secundum

praedictorum tenorem, aliaque omnia opportuna exsequi, et de his publica coram testibus requisitis instrumenta conficere, quibus eadem adhibeatur fides in iudicio et extra, ac si per alios authenticos Notarios fuissent authenticata, ac eosdem sic intimatos, monitos et requisitos eis arctari debere. Concessit Pius v, per Br. DEBITUM PASTORALIS, 21 Mart. 1571, § 2, pro Ordine Praedicatorum. — Ant. Comp.

COMMUNICATIO. 419. *Facultas haec communicatur Provincialibus: qua tamen non utantur, nisi quando praedicta per externos commode fieri non poterunt. — Ant. Comp.*

NOVITII.

Superiores admittunt.

420. " Tam in eorum admissione ad Societatem, quam ad Scholasticorum vota post biennium novitiatus, iuxta Societatis morem, per Superiores admittendi sunt. " Gregorius XIV, Const. ECCLESIAE CATHOLICAE, IV kal. Iul. 1591, Litt. Apost. pag. 121 col. 1 et 2. — Ant. Comp. § 1.

Superiores, tam in admittendis Novitiis, quam in dispensationibus cum eis, omnem retinent auctoritatem in Constitutionibus expressam.

421. " Tam in Novitiis cuiuscumque generis illegitimis admittendis, quam in dispensationibus ad quaelibet officia, gradus et dignitates in Societate obtinenda ipsis cuiusvis generis illegitimis concedendis, formam et rationem omnimodam in apostolicis diplomatis ac privilegiis quibusvis, nec non in Constitutionibus, decretis et regulis expressam, libere et licite prosequi, et retinere " posse Societatem, decernit, et, quatenus opus sit, de novo concedit Gregorius XIV, Br. EXPONI NOBIS, 30 Aug. 1591, Litt. Apost. pag. 126 col. 1 et 2. Cfr. n. 164 et seqq. — Ant. Comp. § 2.

Exemptio a recentioribus decretis circa admissionem ad novitiatum et professionem.

422. Habita ratione eorum, quae Societas secundum suas Constitutiones observat in admissione ad primam et ad secundam probationem, ad vota simplicia et ad professionem, exempta fuit ab iis, quae Pius IX per Sacram Congregationem super Statu Regularium constituit, decretis, *Romani Pontificis,* 25 Ian. 1848, de testimonialibus Ordinariorum litteris requirendis in receptione illorum, qui ad habitum religiosum admitti postulant, et *Regulari disciplinae*, 25 Ian. 1848, de receptione Novitiorum ad habitum et professionem. Rescriptum Pii IX, 28 Ian. 1850, Litt. Apost. pag. 376 et 377.

Aetas Novitiorum recipiendorum.

423. Quamvis ex decreto Clementis x, *Etsi decretis*, 16 Maii 1675, inhibitum sit generaliter Novitios destinatos sacerdotali ordini ante decimum quintum, et laicos ante vigesimum aetatis annum completum ad Religionem admittere, declaravit nihilominus Prosper Fagnanus, Secretarius Sacrae Congregationis, ut continetur in litteris P. Pirri Gherardi, Procuratoris Generalis, sub 19 Oct. 1675, Societatem posse sequi suum morem in receptione Scholasticorum et Fratrum Coadiutorum, secundum Ante annum decimum quartum impletum.

Constitutiones. Et praeterea Benedictus XIV, in Br. EXPONI NOBIS, 30 Ian. 1753, Litt. Apost. pag. 300, declaravit, et, quatenus opus esset, de novo concessit, posse de licentia Generalis admitti Scholasticos ante aetatem completam quatuordecim annorum, ut continetur in Constitutionibus Societatis, part. I cap. 2 n. 12, et cap. 3 litt. K, et decret. 35 Congreg. Gener. VIII. — Ant. Comp. § 3.

Post duodecimum expletum.

Secundum praxim antiquae Societatis, de novo concessum est Societati, ut ad Novitiatum admitti possint iuvenes post duodecim aetatis annos expletos, ita ut ad vota deinde non admittantur, nisi pervenerint ad aetatem Pontificiis et Societatis Constitutionibus praescriptam. Rescriptum Leonis XII, 2 Mart. 1827, Litt. Apost. pag. 356 et 357.

De Beneficiatis ingredientibus Societatem.

424. Habentes beneficia ecclesiastica ingredi possunt Societatem, etiam non petita sui Episcopi licentia; et eorum beneficia non vacant per vota simplicia biennii. Declaravit Benedictus XIV, Br. EX QUO, 14 Ian. 1747, Litt. Apost. pag. 269 et seqq. Consulenda etiam est Const. S. Pii V, QUANTA ECCLESIAE, kal. Apr. 1568, § 3, ubi Summus Pontifex, declarans quae resignationes beneficiorum de caetero ab Episcopis aliisque facultatem habentibus admitti possint, resignationem etiam recenset eorum, qui Religionem sunt ingressuri. — Ant. Comp. § 4.

DECLARATIO.

425. *Circa beneficiorum resignationem cfr. n. 482.*

Alumni Missionum Societatem ingredientes.

426. Ii, qui *titulo Missionum* sunt ordinati, itemque alumni Collegii Urbani de Propaganda Fide, aliorumque Collegiorum Missionum, in quibus iuramentum emittitur Religionem non ingrediendi, admitti non possunt absque speciali licentia Apostolicae Sedis, aut Sacrae Congregationis de Propaganda Fide. Instr. Sacr. Congr. de Prop. Fide, 27 Apr. 1871. Cfr. Bucceroni, Enchiridion Morale, n. 710, de Titulo Ordinationis, n. 10.

Novitiatus duratio.

427. " Novitii in Societate biennio probantur, quo expleto, si ipsi perseverare voluerint, et Societati fuerit ab eis satisfactum,... tria substantialia vota simplicia, nisi quis interdum ad professionem, vel gradum Coadiutorum formatorum admittendus videretur,... emittunt; ac secundum Constitutiones promittunt se eamdem Societatem ingressuros, hoc est, ulteriorem aliquem illius gradum, prout Praeposito videbitur Generali. Scholares, studiis in Societate absolutis, antequam Professi vel Coadiutores formati fiant, non solum tertium adhuc ulterioris probationis annum... impendunt.... sed etiam.... Societatis ministeriis tamdiu probantur, quamdiu Praeposito Generali videtur. " Gregorius XIII, Const. ASCENDENTE DOMINO, VIII kal. Iun. 1584, Litt. Apost. pag. 91 col. 2, pag. 92 col. 1.

Novitiorum vota in articulo mortis.

428. Novitii in articulo mortis existentes, etiam anno novitiatus non

completo, si sint in aetate legitima, possunt Religionis vota emittere. Concessit Monialibus Ordinis S. Dominici S. Pius v, Br. SUMMI SACERDOTIS, 23 Aug. 1570, § 2. Si tamen huiusmodi Novitii convaluerint, debent, suo novitiatus tempore completo, iterum profiteri. Sacra Congregatio Concilii, 20 Mart. 1649. Lo-Cicero, Constitutiones, Declarationes et Ordinationes.... Sacri Ordinis Fratrum Praedicatorum, Romae, 1862, tit. *Novitii*, nn. 77 et 78. — Ferraris, verbo *Annus probationis seu Novitiatus,* n. 49 et seqq. — Lezana, Summ. Quaest. Regular., vol. 1 cap. 25, De Monialibus n. 39. — Fagnanus, in II part. tertii Decretalium, cap. *Sicut nobis,* n. 23; cap. *Ad Apostolicam,* n. 32 et 33.

OFFICIA.

De officiorum domesticorum distributione.

429. " Proprii cuiusque gradus iudicium, et officiorum discretio ac distributio tota sit in manu Praepositi Generalis,.... vel eorum, quos ipse sibi ea cum auctoritate substituerit. „ Iulius III, Const. EXPOSCIT DEBITUM, XII kal. Aug. 1550, Litt. Apost. pag. 24 col. 1. — Paulus III, Const. REGIMINI MILITANTIS, V kal. Oct. 1540, Litt. Apost. pag. 4 col. 1. — Ant. Comp. § 1.

De absolutione ab officiis.

430. " Ab officiis absolutio aut privatio peti non potest „ ab ullo iudice. Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 14 col. 2. — Ant. Comp. § 1.

OLEUM INFIRMORUM.

In nostris ecclesiis asservandum.

431. " In ecclesiis.... oleum infirmorum, quod personis dumtaxat de ipsorum Congregatione et familia in mortis periculo ministrare valeant, decenter asservare „ possint. Clemens XIV, Const. SUPREMI APOSTOLATUS, XVI kal. Dec. 1769, § 4, pro Passionistis.

ORACULA.

Quam vim habeant.

432. Non minoris sunt efficaciae et valoris vivae vocis oracula, dummodo revocata non sint, quam si per bullam aut breve essent concessa; atque circa illorum usum communicat Societas cum aliis Ordinibus. Declaravit Iulius II pro Augustinianis, Br. NIHIL EST, 24 Sept. 1508, Rod. Br. 22, et Leo X, pro Minoribus per Signaturam, ut apud eumdem Rod. n. 4, inter Oracula huius Pontificis. — Ant. Comp. § 1.

Vivae vocis oraculorum revocatio.

433. Gregorius XV, Br. ROMANUS PONTIFEX, 2 Iul. 1622, omnia *vivae vocis* oracula revocavit, " in iis videlicet, quae non sunt sortita effectum „ exceptis gratiis concessis ad supplicationem regum, itemque " propria S. R. E. Cardinalium manu firmatis pro ipsis vel aliis factis, et de quibus iidem S. R. E. Cardinales testimonium in scriptis praebuerunt, § 1 et 2. — Urbanus VIII, Br. ALIAS FELICIS RECORDATIONIS, 20 Dec. 1631, sub revocatione

comprehensa voluit illa etiam oracula vivae vocis ad supplicationem regum concessa, et S. R. E. Cardinalium quorumcumque manu firmata, § 2. — Idem tamen Urbanus VIII, alio Br. ALIAS FELICIS RECORDATIONIS, 11 Apr. 1635, declaravit, id non intelligi de oraculis aut suis, aut aliorum Pontificum signatis manu Officialium ad id deputatorum ratione sui muneris, " quoad ea, quae ad cuiuslibet eorum officium seu munus, quo funguntur, pertinent, " § 3. — Clemens XII, Br. ROMANUS PONTIFEX, 12 Febr. 1732, revocavit quaedam specialia oracula suorum praedecessorum, quamvis signata privata scriptura Pontificum, et S. R. E. Cardinalium ac quorumcumque Officialium : ea tamen excepta voluit, quae firmata essent rescriptis Sacrarum Congregationum, aut Officii Sacrae Poenitentiariae, § 6. — Cfr. Ferraris, verbo *Oracula vivae vocis*, n. 7 et seqq. — Ant. Comp. § 2.

DECLARATIO. 434. *Revocatione oraculorum vivae vocis multi censent non contineri revocationem indulgentiarum, quae viva voce concessae sunt, quia non sunt nominatim expressae, ut deberent exprimi, cum habeant nomen speciale et excellens ; sed valde probabilius est esse revocatas, quia continentur sub nomine gratiae et concessionis, ut advertit Lezana, Summa Quaest. Regular., tom. 3, verbo Oracula, n. 5. Certum autem videtur non esse revocatas declarationes, quae non sunt gratiae et privilegia, sed gratiarum et privilegiorum explicationes. Lezana, tom. 1, cap. 3, verbo Oracula, § 5. — Peyrinis, de Privileg. tom. 3, c. 12, pag. 572.*

ORATORIA.

Facultas celebrandi in oratoriis.

435. Datur facultas, ut in oratoriis et cappellis, quae Provinciales Societatis per se ipsos in Domibus, Collegiis et aliis locis, ubi aliqui Societatis residebunt, approbaverint, et ad divinum cultum dumtaxat deputaverint, Missae et alia divina officia celebrari possint, nullius alterius ad id requisita licentia. Gregorius XIII, Br. DECET ROMANUM, 3 Maii 1575, Litt. Apost. pag. 59 col. 1. — Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 352 col. 2. " Praepositum Generalem, uti Praesulem, potestate donavit iis e Societate Alumnis, quibus id opportunum ducit, veniam tribuendi, qua in domestico sacello legitime erecto perlitent. " — Ant. Comp. §. 1.

436. *Provinciales uti poterunt priori facultate, quum aut per se, aut per alios certiores facti fuerint de honestate et decentia loci. Posterior facultas omnibus Superioribus communicatur. — Ant. Comp. § 1.* COMMUNICATIO.

Oratoria in Seminariis, Collegiis et locis ruralibus.

437. Ex praedicta concessione generali Gregorii XIII, in locis etiam, quae non sint Societatis, dummodo ibi aliqui de Societate resideant, possunt Provinciales eadem oratoria ad divinum cultum dumtaxat deputare. Et, quoad Seminaria ac Collegia convictorum, habetur concessio facta Patribus de Somascha ab Urbano VIII, Br. ALIAS FELICIS RECORDATIONIS, 22 Dec. 1632, § 2, pro personis " in In Residentiis, et in Seminariis ac Collegiis convictorum.

dictis Seminariis et convictorum Collegiis degentibus et commorantibus; „ et Congregationi Doctrinae Christianae a Benedicto XIII, in Br. ILLIUS CUIUS, 28 Sept. 1725, § 4. Cfr. n. 236.

In grangiis ac Domibus rusticis.

Pro grangiis vero, et aliis Domibus ruralibus, idem concessum fuit Cisterciensibus ab Alexandro VI, Const. ROMANUS PONTIFEX, VIII idus Nov. 1498, Rod. Bul. 14, " ubi non sunt, cappellae seu ecclesiae „; et Carthusianis ab Urbano V, Const. SINCERAE DEVOTIONIS, VII kal. Mai 1363, cum extensione, quod in *Religiosorum praesentia celebrari posset per quoscumque alios Sacerdotes,* et quod inibi quicumque Missam audientes satisfacere possent praecepto, etsi in dictis grangiis unus tantum Religiosus laicus residere soleat; ut declaravit Sacra Congregatio Concilii, 24 Sept. 1622, et 30 Iulii 1735. Sed pro erectione oratorii requisivit visitationem Episcopi. Verum Clemens XII, confirmans privilegium Urbani V, et alterum Gregorii XIV nobis datum, declaravit, ampliando concessionem, atque statuit, in praedictis grangiis totius Ordinis Carthusiani erigi et retineri posse oratoria, ex sola approbatione Visitatorum et Provincialium Ordinis, Br. EXPONI NOBIS, 19 Aug. 1737, § 2-6. — Ant. Comp. § 2.

Idem privilegium absque limitatione.

Idem concessit *sine clausula: in Religiosorum praesentia*, Benedictus XIV, Br. EXPONI NOBIS, 22 Ian. 1755, Ordini Praedic., ut *in Domibus, possessionibus* et *membris* liceret, sine quacumque Ordinariorum visitatione et subiectione, tum cappellas publicas, tum oratoria privata erigere, in quibus quilibet Sacerdotes, etiam extranei, possent celebrare, atque Christi fideles praecepto audiendae Missae satisfacere. Agitur autem in eo brevi proprie de *Domo rusticationis* et *possessione* S. Pastoris in Dioecesi Praenestina. Apud Ferraris, verbo *Cappella*, § 92. Tandem Benedictus XIII, in brevi dato Congregationi Pior. Operarior., 9 Dec. 1729, concessit Praeposito Generali, " ut, non solum in domiciliis Congregationis urbanis, sed in suburbanis etiam Congregationis aedibus, oratoria ad rem divinam faciendam constitueret ad aegrotantium praesertim solatium, cum quispiam ex Sodalibus morbo decumberet. „ Comp. Privilegiorum eorumdem Patrum, cap. V, § 1, pag. 51. Cfr. tit. *Altare* n. 33.

438. *Requiritur approbatio oratorii a Provinciali facta, ut in n. 436.* DECLARATIO.

Facultas celebrandi in oratoriis domorum privatis.

439. In itineribus et Missionibus Missam celebrare possumus in oratoriis domorum privatis, sine praeiudicio privilegii Indultarii, et etiam sine eius vel aliarum personarum ex sua familia assistentia. Patribus a Passione concessit Pius VI, rescripto 27 Maii 1789. Eodem privilegio fruimur euntes ad Exercitia Spiritualia tradenda, et tempore istorum, uti etiam in novenis, triduis aliaque continuata praedicatione. Concessit Congr. Missionis Pius VI, 8 Oct. 1784, et Congr. Puritatis, 23 Apr. 1783. Eadem facultate, celebrandi scilicet in oratoriis privatis absque ordinatione et assistentia Indultarii, potimur etiam in itineribus, ex quacumque causa, pro quovis temporis spatio, pro quibusvis negotiis, etiam ad solatium susceptis. Congr. SS. Redempt. concessit Pius VII, rescripto 20 Iun. 1820. " Compendium facultatum et

gratiarum, quibus Congregatio a Passione D. N. Iesu Christi fruitur, Romae, 1882, „ nn. 16-19. " Facultatum et gratiarum spiritualium, quibus potitur Congregatio SSmi Redemptoris, Epitome, etc. curante A. Konings, Congregationis SSmi Redemptoris, edit. alt. Baltimorae, 1882, „ n. 9. " Compendium Privilegiorum Congregationis SSmi Redemptoris, etc. ad usum Patrum eiusdem Congregat. commorantium in Statu Pontificio, anno 1792, „ *Altare,* § ii. " Elenchus facultatum et gratiarum spiritualium, quibus potitur Congr. SSmi Redemptoris, etc., Monachii, 1860, ex Typographia Academica I. G. Weiss, „ pag. 6, 7, 122, 123 et 129. " Summarium privilegiorum et indulgentiarum Congregationi Missionis concessorum et confirmatorum. Parisiis, ex Domo principali Congregationis Missionis, via dicta *de Sèvres,* 95, anno 1863, „ pag. 29 et 30, nn. 44 et 45. " Congregationis Piorum Operariorum privilegia collecta, et in compendium redacta, et ordine digesta ad usum Sodalium Presbyterorum eiusdem Congregationis, anno 1850, „ pag. 53, part. 2, cap. 5, §§ iii et iv.

Indulgentiae in domesticis oratoriis lucrandae.

440. Nostri, qui resident in Domo, quae adnexam non habeat propriam ecclesiam, in domesticis oratoriis, ubi asservatur SS. Eucharistia, lucrari possunt indulgentias, quae Domibus seu ecclesiis Societatis concessae et assignatae sunt. Leo xiii, rescripto 20 Sept. 1884, Litt. Apost. pag. 444 col. 1, § 3.

ORDINES.

De facultate ad ordines promovendi.

441. " Eidem Praeposito Generali ordinandos Socios et Fratres huiusmodi Societatis, quibuscumque maluerit catholicis Antistitibus gratiam et communionem dictae Sedis (Apostolicae) habentibus, praesentare, ipsisque Antistitibus praesentatos huiusmodi, absque omni promissione vel obligatione ipsorum ordinandorum Fratrum et Sociorum, ad omnes, etiam sacros et Presbyteratus ordines, promovere liceat. „ Paulus iii, Const. Licet debitum, xv kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 16 col. 2. — Ant. Comp. §. 1.

442. *Praesens facultas sequentibus paragraphis declaratur.* Declaratio.

De facultate promovendi Nostros ad ordines ante professionem.

443. " Ut ii, qui tria vota praedicta in eadem Societate emiserint, de licentia sui Praepositi Generalis ad sacros, etiam Presbyteratus, ordines, etiam ante solemnem professionem emissam, dummodo alias aetate, moribus et doctrina idonei sint, promoveri valeant......, quatenus opus sit, de novo concedimus. „ Gregorius xiii, Br. Ex Sedis Apostolicae, die ult. Febr. 1573, Litt. Apost. pag. 54 col. 2. — Gregorius xiv, Const. Ecclesiae Catholicae, iv kal. Iul. 1591, Litt. Apost. pag. 122 col. 1, non obstante Const. S. Pii v, Romanus Pontifex, pridie idus Oct. 1568, quae decretum Concilii Tridentini, sess. 21, cap. 2 de Reform., ad Regulares non Professos extendit. — Ant. Comp. § 2.

De facultate promovendi Nostros ad ordines sine interstitiis, aliisque in aliis requisitis.

Privilegium. 444. " Omnibus Episcopis et aliis Antistitibus...... in perpetuum praecipimus atque interdicimus, ne ab huiusmodi promovendis, qui licentiam a Praeposito Generali dictae Societatis......, vel ab eo delegatis habuerint, quidquam praedictorum requirant vel exigant; sed ipsos, etiam absque ulla functione in ordinibus ipsis, interstitiorumque ad illos suscipiendos observatione, aut inquisitione de cantu, officiis et caeremoniis ecclesiasticis idoneitate, proprii Ordinarii licentia, et aliis in aliis requisitis, ad minores, ac etiam extra tempora a iure statuta, tribusque Dominicis vel aliis festis diebus, etiam continuis, ad sacros, etiam Presbyteratus, ordines promoveant, ac si illi omnibus requisitis praediti essent..... Praesentis autem gratiae communicationem omnibus aliis, etiam qui sua privilegia cum ipsa Societate copiose participant, participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus. „ — Gregorius XIII, Br. PIUM ET UTILE, 22 Sept. 1582, Litt. Apost. pag. 86.

Non fuerat abrogatum. Neque vero praecedens privilegium, utpote *directe, nominatim, et in specie* a Sede Apostolica Societati concessum *post Conc. Trident.*, revocatum fuisse decisionibus Congregationis Concilii, aut decreto Clementis VIII, 15 Mart. 1596, declararunt Innocentius XIII, Br. APOSTOLICI MINISTERII, 23 Mai 1723, § 17. — Benedictus XIII, Br. IN SUPREMO MILITANTIS, 23 Sept. 1724, quo confirmatur praecedens Innocentii breve. — Benedictus XIV, Const. IMPOSITI NOBIS, III kal. Mart. 1747, *§ Quod vero*, et *§ Quemadmodum*, ubi referuntur documenta citata, et explicite Societatis privilegium confirmatur. Speciatim vero, quoad *examen* subeundum, decisio habetur Sacrae Congregationis: *An Clerici Soc. IESU, sacros ordines ab Archiepiscopo eodem* (Mechliniensi) *suscepturi, debeant se subiicere examini, prout caeteri Regulares?* Sacra Congregatio Concilii, die 5 Iul. 1681, respondit: *Negative, nisi adsit consuetudo in contrarium.* Apud Schmalz., Ius Eccles., tit. de *Scrutinio in Ordine faciendo,* qui est duodecimus lib. primi Decret., § 3, n. 6; et apud La-Croix, lib. 6, parte 2, n. 2194. — Ant. Comp. § 3.

Demum Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 351 col. 1, Religiosis viris in Societatem IESU cooptatis facultatem concessit, qua " possint ordines, qua minores, qua maiores accipere, etiam extra tempora, ac interstitiis nequaquam servatis, a quocumque sacro Antistite cum Cathedra Romana sociato, adepto tamen consensu Ordinarii illius loci Praesulis, in quo id fiet. „ Rursus a Leone XII concessum.

445. *Facultates, quae praecedentibus paragraphis continentur, communicantur omnibus Provincialibus.* COMMUNICATIO.

PAROCHIA, PAROCHUS.

De parochiarum regimine per Regulares.

446. " Benedictus XIV, in Const. CUM NUPER, VI idus Nov. 1751, quemadmodum, inquit, negari nequit ex veteri canonum lege, Monachos et Regulares ecclesiarum parochialium regiminis capaces fuisse, ita certum nunc est, ex recentiori canonica disciplina, interdictum esse Regularibus

parochiarum curam adsumere, sine dispensatione apostolica. „ Leo XIII, Br. ROMANOS PONTIFICES, VIII idus Maii 1881, § *Peracta Missionis.* Neque contra valent Praemonstratensium privilegia confirmata a Benedicto XIV Const. ONEROSO, 1 Sept. 1750 ; *speciale* enim hac in re eorum privilegium est, aliis non communicabile.

PRAEDICATORES.

Facultas Concionatores deputandi.

447. Possunt Nostri, qui idonei reperti fuerint, deputari a Praeposito Generali ad praedicandum in quibusvis locis, atque adeo in plateis. Paulus III, Br. CUM INTER, 3 Iun. 1545, Litt. Apost. pag. 10 col. 2. Etiam si in sacris ordinibus non sint constituti. Gregorius XIII, Br. VIGORE PRIVILEGII, 20 Nov. 1584, Litt. Apost. pag. 102. Cfr. Congr. Gener. II decr. 62. — Ant. Comp. § 1.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

448. *Deputatio approbatorum Provincialibus conceditur, et quibus ipsi commiserint. Caeterum per Concilium Tridentinum, sess. 5 cap. 2, Nostri in ecclesiis nostris, ut praedicare possint, ultra deputationem Superiorum, petere tenentur benedictionem Episcoporum, et praedicare possunt, quamvis illam non obtinuerint: in alienis autem egent eorumdem Episcoporum licentia. Ipsis vero Episcopis contradicentibus, Nostri nec in nostris, nec in alienis ecclesiis possunt praedicare, ut habetur eodem Concilio, sess. 24, cap. 4 de reform.; et in Const. Gregorii XV, INSCRUTABILI DEI, nonis Febr. 1622, § 6, atque in altera Clementis X, SUPERNA, XI kal. Iun. 1670. Consensum et approbationem Ordinarii apponit etiam Pius VII, Const. SOLLICITUDO, VII idus Aug. 1814, Litt. Apost. pag. 339 et 340, et Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 351 col. 1. Derogatum autem non videtur, ex ipsa S. Alphonsi sententia, de Privileg. n. 125, privilegio Gregorii XIII, Br. DECET, 3 Maii 1575, Litt. Apost. pag. 58 col. 2, pag. 59 col. 1, quo transeunter praedicare possimus, Parocho non repugnante, in locis ubi Ordinarius non sit. Cfr. Pellizzarium, Manual. Regular., tract. 2, cap. 7, n. 53 et seqq. — Ant. Comp. § 1.*

Episcopi interdicere non possunt conciones in nostris Ecclesiis.

449. Etsi, ex Const. SUPERNA, XI kal. Iun. 1670, Clementis X, possint Episcopi Praedicatores concionaturos in alienis ecclesiis examini quoad doctrinam subiicere, et licentiam concionandi datam ex novis causis suspendere; non possunt tamen generatim prohibere, ne Nostri praedicent in ecclesiis Societatis, ut in § 3 Const. cit. — Ant. Comp. § 2.

PRAELATI.

Deputati ad ministeria Praelatorum, sub correctione Societatis sunt.

450. Praepositi nostrae Societatis non tenentur deputare Nostros in socios aut ad ullum ministerium Praelatorum, nisi auctoritate litterarum Sedis Apostolicae, quae expressam de Societate et hoc indulto mentionem faciant: quod si aliquos deputent, nihilominus deputati sub correctione Ordinis exsistunt, possuntque ab eisdem Superioribus, cum id expedire iudicaverint, removeri. Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 14 col. 2, pag. 15 col. 1. — Ant. Comp. § 1.

Nullus Nostrorum ab externis excommunicari potest.

451. Nullus Praelatus potest contra aliquem Nostrorum, aut contra alios nostra causa, ferre sententiam excommunicationis, suspensionis, vel interdicti contra privilegia Societatis per Paulum III concessa usque ad XV kal. Nov. anni Domini 1549; et si feratur est irrita. Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 16 col. 1. Cfr. tamen n. 209. — Ant. Comp. § 2.

Facultas Superiorum in subditos.

452. Omnes Praepositi Societatis ac Rectores, quoad Religiosos Societatis sibi subditos, possunt per se ipsos idem omnino, quod possunt Episcopi in Clericos, et laicos sibi subiectos, tam quoad facultatem absolvendi, et dispensandi in irregularitatibus, de quibus in Concilio Tridentino, sess. 24 cap. 6 de Reform. quam alias quascumque facultates. Concessit Pius V Fratribus Praedicatoribus per Br. ROMANI PONTIFICIS, datum 21 Iul. 1571. Superiores iurisdictionem habentes, possunt suos subditos suspendere ab audiendis confessionibus saecularium, etiam ex informata conscientia; ita tamen, ut Religiosus ab Episcopo loci approbatus et iurisdictionem habens, sic suspensus, illicite quidem, non vero invalide confessiones excipiat. Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, 2 Mart. 1866. — Ant. Comp. § 3.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

453. *Haec facultas reservatur Praeposito Generali, nisi prout in particulari suis locis reperitur communicata in hoc Compendio, et prout generaliter communicatur n. 177. De facultate vero absolvendi a casibus papalibus, cfr. tit.* Absolutio. — *Ant. Comp. § 3.*

PRAESCRIPTIO.

Nulla praescriptio minor 60 annis valet contra Societatem.

454. Nulla praescriptio minor quam sexaginta annorum valet contra bona, personas et loca Societatis, etiam de rebus forsan praescriptis, in quibus adhuc istud tempus non est absolutum, et aliis in posterum omnibus futuris temporibus. Concessit Eugenius IV, de plenitudine potestatis, Ordini S. Benedicti Congr. S. Iustinae, per Const. ETSI EX DEBITO, VII kal. Maii 1434, Rod. Bul. 7. Similiter habetur per Const. Sixti IV, pro Canonicis Regularibus Lateranensibus, DUM AD UNIVERSOS, X kal. Sept. 1476, § 22; et Const. Iulii II, pro Olivetanis, ETSI AD UNIVERSOS, pridie nonas Iun. 1507, § 28; et Const. eiusdem Iulii pro Canonicis Regularibus S. Salvatoris, INTER CAETEROS, IV nonas Apr. 1512, § 42.

Non valet minor 100 annis.

Sed huiusmodi privilegium ad spatium 100 annorum Eugenius IV extendit pro Monasterio S. Pauli extra muros, per Const. EX APOSTOLICAE, VII kal. Iul. 1442, § 15, Rod. Bul. 17; et Paulus III pro Benedictinis, per Const. BENIGNITAS, nonis Nov. 1537, § 6. Quae centenaria praescriptio pridem concessa fuerat Monasterio SS. Trinitatis Benedictinorum ab Urbano II, teste Cherubino, in scholiis bullae proxime citatae, in Compend. Bullarum. — Ant. Comp.

PRIVILEGIA.

Quae privilegia facta Generali valeant.

455. Omnia privilegia facta Praeposito Generali, vel Societati, sive per communicationem, sive sint facta in forma brevis, sive per supplicationes expedita, in quibus placuit, ut signatura sola sufficeret, eamdem omnino vim et efficaciam habent, tam in iudicio quam extra iudicium, ac haberent, si plumbeo sigillo essent obsignata. Concessit Iulius II, pro Eremitis S. Augustini, per Br. NIHIL EST, QUOD SAEPIUS, 24 Sept. 1508, Rod. Br. 22. — Ant. Comp. § 6.

De privilegiorum usu ubique locorum.

456. Posse Praepositum Generalem et Societatem, ubique locorum, secundum nostri Instituti rationem, Constitutiones, ac modum procedendi proprium, peculiaresque observationes et consuetudines, uti, frui et gaudere omnibus facultatibus et privilegiis, aliisque gratiis sibi, seu Domibus, Collegiis locisque nostris, communiter vel divisim, vigore quarumcumque facultatum, ad instar, aut aeque principaliter, etiam per communicationem, seu alias quomodolibet concessis, decrevit et concessit Gregorius XIII, Br. DECET ROMANUM, 3 Maii 1575, Litt. Apost. pag. 57. — Ant. Comp. tit. *Gratiarum usus,* § 1.

Privilegia aliis concessa contra nostrum tenorem Societati non praeiudicant.

457. Nullae litterae, seu privilegia apostolica, quibusvis personis, et quibusvis Collegiis, Capitulis, Universitatibus, seu Conventibus, concessa contra tenorem privilegiorum, quae nobis concessa sunt, praeiudicant Societati, eiusve Domibus, locis aut personis, nisi in eis cum expressione Ordinum, etiam Mendicantium, et illorum Religiosorum, de Societate, et illius, ac eius Domibus, ac nobis concessis privilegiis, nec non, quoad concedenda privilegia et litteras, de Praeposito Generali Societatis, qui pro tempore erit, specialiter et expresse, ac de verbo ad verbum mentio facta fuerit. Concessit Eugenius IV Dominicanis, ut in eorum Privilegiis, fol. 108, pag. 1 et seqq. Per privilegia vero Benedictinis per Eugenium IV ac Leonem concessa, de quibus in manuscriptis fol. 42 pag. 2, et seqq., alia etiam debent concurrere, ut alicui ex nostris Privilegiis derogatum censendum sit.

Quaenam in specie requirantur ad derogationem.

Plura quidem debent concurrere, ut alicui ex nostris privilegiis derogatum conseatur, ex Const. Leonis X pro Camaldulensibus, ETSI A SUMMO, IV nonas Iul. 1513, § 46. Opus nempe est specifica Societatis mentione; quod totus tenor apostolicarum litterarum, quae revocantur, de verbo ad verbum inserantur; quod manifeste et expresse appareat intentio Pontificis huiusmodi privilegiis derogandi, et urgens, sufficiens et rationabilis derogationis causa exprimatur.

Indultum hoc maxima ex parte sublatum.

Sed consulendum Br. Urbani VIII, CUM SICUT, 5 Nov. 1631, per quod hoc indultum magna ex parte sublatum est. Plenissima facta contrarii cuiuslibet privilegii derogatione, statuit in eo brevi Urbanus, quod constitutiones apostolicae, in concernentibus fidem catholicam et Sanctae Inquisitionis Officium, hactenus editae, et in posterum edendae super quacumque alia re, omnes Regulares quomodolibet

privilegiatos comprehendant, nisi illi specialiter excipiantur. Alia autem privilegia speciatim derogata constant ex toto praesenti Compendio, propriis in locis. Praedictae tamen formalitates vel expresse et formaliter, vel saltem implicite et aequivalenter implendae sunt. — Ant. Comp. §§ 7 et 8.

Originalibus privilegiorum aliorum uti possumus.

458. Privilegiis originalibus, aut transsumptis authenticis Ordinum Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, Minorum, Minimorum, ac Servorum B. Mariae, exhibitis in favorem ecclesiarum, Domorum ac Collegiorum, seu personarum Societatis, eadem fides, tam in iudicio, quam extra habenda est, ac si pro, et in favorem Societatis a Sede Apostolica emanassent, et eidem immediate concessa forent. Concessum est Dominicanis, per litteras apostolicas, ut in Compend. Min. verbo *Privilegia Fratrum,* § 6. — Ant. Comp. § 7.

Prohibetur temere contradicere.

459. Quicumque alicui concessionum nostrarum temere contraire ausi fuerint, excommunicationem incurrent, et ut tales sunt publicandi: quod si sint Clerici, praeter hoc privantur dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis, ita ut libere possint impetrari. Concessit Leo x Augustinianis, per bullam non authenticatam, ut in Comp. Min. verbo *Privilegia Fratrum,* § 21. Similis concessio pro Praedicatoribus et Minoribus habetur per Const. Sixti iv, Sacri Praedicatorum, vii kal. Aug. 1749, § 10, Rod. Bul. 20; Regimimi universalis, pridie kal. Sept. 1474, § 54, Rod. Bul. 33. Praeterea idem indultum Augustinianis et Carmelitis eiusdem Pontificis Const. Dum attenta, iv kal. Dec. 1476, § 107, Rod. Bul. 37. — Ant. Comp. § 10.

460. *Prohibitio facta non impediendi liberum usum nostrornm privilegiorum manet, et omnino in vigore est. Censurae vero latae sententiae quoad externos cessaverint, necne, ex Const. Apostolicae Sedis de Censuris, cfr. n. 40.* Declaratio.

Interpretatio privilegiorum Papae reservatur.

461. Nostrorum privilegiorum per Paulum iii usque ad xv kal. Nov. anni Domini 1549 concessorum interpretatio reservatur Sedi Apostolicae. Paulus iii, Const. Licet debitum, xv kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 16 col. 2. Quin vero inhibitum est omnibus Praelatis, ne praesumant interpetrari privilegia nobis concessa, sive clara sint, quae interpetratione non indigent, sive dubia contineant. Concessit Clemens iv Praedicatoribus, Const. Ordinis vestri, nonis Iun. 1268, § 2. Id ipsum generatim declaravit et statuit Clemens x, Const. Superna, xi kal. Iul. 1670, § 7. Idem constat ex Br. Innocentii x in causa Angelopolitana, Cum sicut, 14 Maii 1653, dub. iv primae seriei. Cfr. n. 144. — Ant. Comp. § 1.

462. *Per hoc privilegium non derogatur illi, de quo infra, n. 463, et supra, n. 286.* Declaratio.

Interpretatio in dubio in favorem Societatis.

463. Quoties dubium fuerit in intellectu privilegiorum nostrae Societatis, semper per Iurisperitos, et alios

Iudices in favorem Societatis fiat interpretatio. Concesserunt plures Pontifices per bullas citatas num. seqq.: Sixtus IV, § 34; Iulius II in utraque bulla, § 2; Leo X, § 4. Praeterea Paulus III, Const. RATIONI CONGRUIT, III nonas Nov. 1534, § 23, et Gregorius XIV, Br. EX INIUNCTO NOBIS, 24 Sept. 1591, § 8. Cfr. n. 144. — Ant. Comp. § 4.

Per unum aut plures actus non derogatur privilegiis.

464. Si quando contigerit per unum aut plures actus contra privilegia, indulta, gratias et immunitates Societati concessa, aut ipsorum aliquod, a quocumque, cuiuscumque conditionis, dignitatis, gradus et status exsistat, ex negligentia, seu ignorantia praesentium et futurorum, quibus ea conceduntur, aut alia quavis causa aliter attentari, vel observari scienter vel ignoranter; nullum tamen propter hoc praeiudicium indultis, gratiis et immunitatibus ipsis generatur; sed illa in suo vigore et pleno robore firmitatis perpetuo permanent. Sic habetur per plures constitutiones Eugenii IV pro Benedictinis, ETSI EX DEBITO, VII kal. Mart. 1434, § 17, Rod. Bul. 7, et rursus, REGULAREM VITAM, pridie kal. Iul. 1436, § 19, Rod. Bul. 9, et Sixti IV pro Canonicis Regularibus Lateranensibus, DUM AD UNIVERSOS, X kal. Sept. 1476, § 35, et Iulii II pro Olivetanis, ETSI AD UNIVERSOS, pridie nonas Iun. 1507, § 37, et eiusdem pro Canonicis Regularibus S. Salvatoris, INTER CAETEROS, IV nonas Apr. 1512, § 48, et Leonis X pro Camaldulensibus, ETSI A SUMMO, IV nonas Iul. 1513, § 45. — Ant. Comp. § 2.

Per non usum non derogatur privilegiis.

465. Possumus uti privilegiis nobis concessis, etiamsi propter simplicitatem, aut iuris ignorantiam eis non fuerimus usi retro actis temporibus, dummodo eis non sit per praescriptionem, vel alias legitime derogatum. Concessit Nicolaus IV Carthusiensibus per bullam, ut constat ex eorum Privil. fol. 20, et ex Comp. Min. verbo *Privilegia Fratrum*, § ult. — Ant. Comp. § 5.

Interdicitur Nostris procuratio et usus exemptionis.

466. Nulla persona Societatis privilegium aliquod contra communia ipsius Societatis statuta postulare audeat, aut obtentum retinere. Concessit Eugenius III Cisterciensibus per Const. SACROSANCTA, kal. Aug. 1152, § 3. Si quae vero impetrabuntur huiusmodi a Sede Apostolica vel eius Legatis, sub quacumque forma vel expressione verborum, irrita sunt et inania. Concessit Clemens IV Cisterciensibus per Const. NE PROPTER, V idus Iul., Pontificatus anno primo, Rod. Bul. 1, et Iulius II uberius Augustinianis, Br. NIHIL EST, QUOD SAEPIUS, 24 Sept. 1508, § 3, Rod. Br. 22. Et hoc idem latius habemus per litteras Leonis X, pro Eremitis S. Augustini, secundum quas, si quae privilegia a Nostris fuerint impetrata contra Regulam, aut Constitutiones, aut mores Societatis, nullius momenti, ac pro infectis habenda sunt, etiamsi a Sede Apostolica sint concessa, nisi eisdem Leonis litteris, de verbo ad verbum, consentiente Societate, sit derogatum. Habetur in privilegiis di-

cti Ordinis, fol. 47, pag. 1. — Ant. Comp. § 3.

Laesio facta personis, iuribus, etc. Societatis non tenet.

467. Si qua laesio facta sit per quosvis cuiusvis status, quocumque modo vel forma, vel in futurum fiet personis, iuribus et rebus ac bonis Societatis, licet culpa Nostrorum aut Procuratorum Societatis, seu Domorum aut Collegiorum, ipso iure non tenet; nec est opus restitutionem in integrum pro laesione huiusmodi impetrare. Concessit Ioannes XXIII in favorem Monachorum Congregationis Montis Oliveti per bullam datam XI kal. Febr. Exstat in libro Privilegiorum eius Ordinis impresso Fulgineae, 1556, fol. 18. — Ant. Comp. § 9.

Approbatio et confirmatio privilegiorum.

468. Omnia privilegia Societatis, facultates, exemptiones, immunitates, gratias et indulta, tam per suos praedecessores, quam a se concessa, motu proprio, certaque scientia, ac de plenitudine apostolicae potestatis, approbavit atque confirmavit Gregorius XIII, Const. QUANTO FRUCTUOSIUS, kal. Febr. 1582, Litt. Apost. pag. 89 col. 2, Const. ASCENDENTE DOMINO, VIII kal. Iun. 1584, Litt. Apost. pag. 96 col. 1; Gregorius XIV, Const. ECCLESIAE CATHOLICAE, IV kal. Iul. 1591, Litt. Apost. pag. 121 col. 1. Ampliori vero forma approbantur, confirmantur et de novo conceduntur privilegia omnia, etiam ante Conc. Trid. ab antecedentibus Pontificibus concessa, a Paulo III, a Iulio III, a Gregoriis XIII et XIV, vel directe vel per communicationem, salvis litteris Leonis XI super decimis, per Const. Pauli V, QUANTUM RELIGIO, pridie nonas Sept. 1606, Litt. Apost. pag. 134 col. 1 et 2, pag. 135 col. 1. Amplissima tandem accedit et recentissima confirmatio: " Omnia et singula, vel directe vel per communicationem cum aliis Ordinibus Regularibus, eidem Societati impertita, quae tamen dictae Societati non adversentur, neque a Tridentina Synodo, aut ab aliis Apostolicae Sedis constitutionibus in parte vel in toto abrogata sint et revocata privilegia, immunitates, exemptiones, indulta hisce litteris confirmamus, et apostolicae auctoritatis robore munimus, iterumque concedimus. " Leo XIII, Br. DOLEMUS INTER, 13 Iul. 1886, Litt. Apost. pag. 452 col. 2. Cfr. n. 360 et 143. — Ant. Comp. § 11.

PROCURATOR.

Facultas Procuratoris Generalis.

469. Procurator Generalis Societatis, a Praeposito Generali institutus, eo ipso omnium Provinciarum, locorum ac personarum Societatis quasvis causas, etiam speciale mandatum requirentes, secundum potestatem sibi a Generali Praeposito traditam, agere potest. Concessum est a Martino V Dominicanis per bullam VII kal. Iunii, anno 3, REGIMINI UNIVERSALIS. Habetur in privilegiis eius Ordinis, impressis Romae, 1555, fol. 106, pag. 2; et a Bonifacio IX, V kal. Maii, anno 13, PERSONAM TUAM, ibid. fol. 95, pag. 1. — Ant. Comp.

470. *Potestas ordinaria ea censebitur a Praeposito Generali tradita, quam Procurator in officio suo praescriptam habuerit.* — *Ant. Comp.* DECLARATIO.

PROFESSIO, PROFESSI.

De professionis dilatione post Novitiatum.

471. Expleto Novitiatu, differri possunt a Superioribus ex iusta et legitima causa, secundum Societatis morem, vota simplicia. Post haec vero differri etiam possunt vota solemnia, ex iusta pariter et legitima causa, secundum Constitutiones. Gregorius XIV, Const. ECCLESIAE CATHOLICAE, IV kal. Iul. 1591, Litt. Apost. pag. 121 col. 2, Cfr. nn. 280 et 303.

De possidendi incapacitate Coadiutorum formatorum.

472. Coadiutores formati, sive spirituales sive temporales, quamquam vota publica, sed simplicia tantum, emittant, " sunt omnis haereditariae successionis incapaces, nihilque omnino proprii, iuxta Constitutiones, habere possunt. Nec, propter emissa huiusmodi vota publica, aut per mortem ab intestato in illorum, sicuti nec in Professorum bonis, Domus ulla aut ecclesia, vel Collegium dictae Societatis succedere potest. „ Gregorius XIII, Const. ASCENDENTE DOMINO, VIII kal. Iun. 1584, Litt. Apost. pag. 92 col. 2, pag 93 col 1.

Professorum habitatio in Collegiis.

473. Nostri, qui senio confecti sunt vel infirmitate gravati, et ad operandum in vinea Domini non idonei, etiamsi Professi sint, possunt, de licentia Praepositi Generalis vel inferiorum, quibus hanc facultatem communicaverit, habitare in Collegiis, et ex eorum reditibus sustentari. Iulius III, Br. SACRAE RELIGIONIS, 22. Oct. 1552, Litt. Apost. pag. 30. — Ant. Comp. § 1.

De Societatis Professae bonis.

474. Quod neque Professi, neque ulla eorum Domus aut ecclesia, " nec etiam Societas ipsa *communiter* posset pro Societatis sustentatione, aut usu ad bona aliqua stabilia, aut proventus seu introitus aliquos, ius aliquod civile acquirere; sed essent contenti, usum tantum rerum sibi donatarum ad necessaria sibi comparanda recipere....... nec Societas (bona Collegiorum) in proprios usus convertere posset „ approbavit confirmavit, ac perpetuae firmitatis munimine roboravit Paulus III, Const. INIUNCTUM NOBIS, pridie idus Mart. 1543, Litt. Apost. pag. 8 col. 1; Const. REGIMINI MILITANTIS, V kal. Oct. 1540, Litt. Apost. pag. 5 col. 2; Iulius III, Const. EXPOSCIT DEBITUM, XII kal. Aug. 1550, Litt. Apost. pag. 25 col. 1 et 2.

Facultas mittendi Nostros ad quascumque Religiones.

475. Potest Praepositus Generalis etiam Professos, quos iudicaverit, a Societate emittere; ipsique sic emissi de ipsius licentia, non tantum ad Carthusiensium, sed ad quemvis alium Mendicantium, vel non Mendicantium, paris, laxioris, arctioris observantiae Ordinem, per ipsum Praepositum Generalem illis praescribendum, de consensu tamen Superiorum loci illius, quo destinabuntur, demigrare: in eisque Professionem per illius Monachos, aliosve Regulares emitti solitam, emittere, habitumque suscipere, eorumque

consueta uti disciplina. Ipsisque inhibetur, sub poena excommunicationis latae sententiae, ne quid contra praesentium tenorem audeant attentare. Gregorius XIII, Br. CUM ALIAS, 22 Sept. 1582, Litt. Apost. pag. 85, ubi et prohibet huius gratiae communicationem etiam his, qui sua privilegia cum Societate participant, et participare poterunt. Cfr. Clementis X Br. CUM DUDUM, 16 Sept. 1675, Litt. Apost. pag. 199. — Ant. Comp. § 2.

PROVINCIALIS.

Decedente Provinciali, alterius electio.

476 " Praeposito Provinciali, in illis longinquis partibus (infidelium) residente, decedente, interim dum alius per Generalem Praepositum mittitur loco Praepositi sic decedentis, alium eligere libere et licite valeant. " Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 19 col. 2. — Ant. Comp.

COMMUNICATIO. 477. *Non utantur Nostri hoc privilegio; sed, ubi opus erit, sequantur, etiam extra Europam, quod IV Congr. Gen. praescripsit decr. 56, cui adiungenda est explicatio ex decr. 11, 35 et 40 Congr. IX, et ex decr. 12 Congr. XIII.*

QUARTA.

De quarta funerum.

478. Etsi, circa quartam funeralium, Concilium Tridentinum derogaverit ex parte privilegiis Regularium sess. 25 de Reform. cap. 13, attendenda tamen est eiusdem Concilii explicatio facta a S. Pio V, Const. ETSI MENDICANTIUM, 16 Maii 1567, § 11, et confirmata a Paulo V, Br. DECET ROMANUM PONTIFICEM, 20 Aug. 1605, §§ 1-4. Sed, intra Italiam et insulas adiacentes, standum est Const. Benedicti XIII, ROMANUS PONTIFEX, IV kal. Maii 1725. Cfr. nn. 224 et 501. — Ant Comp.

RELIGIOSUS.

Tria vota simplicia emittentes in Societate, vere Religiosi sunt.

479. Motu proprio, certaque scientia, ac de apostolicae plenitudine potestatis declarando statuit ac decernit Gregorius XIII, non solum eos, qui in Coadiutorum formatorum, seu spiritualium, sive temporalium Societatis gradus et ministeria admittuntur, sed et alios omnes, qui in ea, biennio probationis peracto, tria castitatis, paupertatis et obedientiae vota simplicia emiserint, emittentve in futurum, vere et proprie Religiosos fuisse et esse, et ubique semper ab omnibus censeri, et nominari debere, non secus atque ipsos, tum Societatis, tum quorumvis aliorum Regularium Ordinum Professos, Const. QUANTO FRUCTUOSIUS, kal. Febr. 1582, Litt. Apost. pag. 89 col. 2, adiuncta nova eiusdem Pontificis confirmatione, Const. ASCENDENTE DOMINO, VIII kal. Iun. 1584, Litt. Apost. pag. 94, 95 et 96. Cfr. tit. *Vota*. — Ant. Comp.

RELIQUIAE.

Facultas recipiendi et donandi reliquias.

480. A quibuscumque personis et ecclesiis recipere possumus reliquias, easque, prout de iure approbatas, collocare possumus in nostris ecclesiis, vel ad alia loca Societatis transmit-

tere. Concessit Eugenius IV Benedictinis, Const. INIUNCTUM NOBIS, VII idus Febr. 1446, Rod. Bul. 2. Sed circa reliquias non extrahendas, donandas aut transferendas sine licentia Card. Vicarii, si spectent ad coemeteria Urbis, attendantur decreta Pauli V, 24 Aug. 1613, et 16 Maii 1614, nec non Br. Clementis X, EX COMMISSAE NOBIS, 13 Ian. 1672, et Const. APOSTOLICAE SEDIS, de Censuris, art. XV secundae seriei. — Ant. Comp.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

481. *Si reliquiae spectent ad nostras ecclesias aut oratoria, nemo facultate illas alio transmittendi utatur, nisi de speciali licentia Praepositi Generalis. Vid. decr. 28 Congr. Gen. VII. Ex responsis vero Sacrae Congregationis Concilii, corpora Sanctorum et insignes eorum reliquiae transferri non possunt de civitate in civitatem, nec de ecclesia in ecclesiam, inconsulta Sede Apostolica. Ferraris, verbo* Veneratio Sanctorum, *n. 64. — Ant. Comp.*

RENUNTIATIO.

Renuntiatio bonorum ante Professionem.

482. " Qui ad gradus Professorum et Coadiutorum formatorum nondum pervenerunt, bonorum suorum ius atque dominium.... ad tempus Generalis Praepositi iudicio praescribendum valeant retinere. „ Gregorius XIII, Const. ASCENDENTE DOMINO, VIII kal. Iun. 1584, Litt. Apost. pag. 93 col. 2. Bonorum renuntiationem cum quibuscumque eorum obligationibus, professionemque simplicium votorum, finito tempore Novitiatus, quas Nostri more Societatis, secundum Institutum, facere solent, non comprehendi decreto cap. 16 sess. 25 de Regular., easque omnino licitas et validas esse, non servata forma ibi praescripta, indulsit idem Concilium Tridentinum ibid., atque ita declaravit Sacra Congregatio Concilii, probante S. Pio V, apud Card. Petram, tom. 3, ad Const. primam Clementis IV, sect. 2, n. 61, et iterum 20 Mart. 1621, apud Barbosam, ad Apost. Decis. verbo *Renuntiatio,* n. 5. Quumque, ex aliis declarationibus eiusdem Congregationis, apud cit. Card. Petram, n. 22, decretum Concilii comprehendat etiam resignationes beneficiorum, Nostri, in iis ante Professionem resignandis, indulto eiusdem Concilii uti poterunt, secundum ea, quae in Societate statuta sunt. decr. 19 Congr. V. Cfr. etiam Barbosa, Collect. Doct. in Conc. Trid., sess. 25, cap. 16, n. 41-43; Fagnanum, in II partem Tertii Decretal. cap. *Statuimus,* n. 39. Neque consequenter tenetur Societas decreto Pii IX, 1 Aug. 1862, apud Acta Sacrae Congregationis super statu Regularium, ab A. Archiep. Philipp. Secretario collecta, Romae 1862, pag. 89, quo statuitur, " renuntiationem, quam in cit. cap. 16 sess. 25 de Regular. Conc. Trid. respicit, pro Professis votorum simplicium locum habere infra duos menses proximos ante Professionem votorum solemnium. „ Ant. Comp. tit. *Bona* § 9, et tit. *Concilium Tridentinum* § 1.

DECLARATIO.

483. *Si forte accidat quempiam e Societate dimitti ante Professionem, qui sua bona in eius favorem renuntiasset,* de iure *nihil ei restituendum. Si vero secundum aequitatem vel prudentiam aliud particulares circumstantiae suadeant, Superiores consulant Provincialem; cavendo interim, ne in huiusmodi nova translatione bonorum aliquid fiat contra prohibitionem alienandi, inconsulta Sede Apostolica. Cfr.*

Schmalzgr. lib. 3, tit. 31, n. 135-142. — La Croix, lib. 4, n. 56. — Lugo, Resp. Moral. lib. 4, dub. 45. — Ant. Comp. tit. Bona *§ 4.*

RESTITUTIO.

Quomodo a Nostris aliena restituenda.

484. Si ii, qui Societatem ingrediuntur, diversis personis, quae sciri et inveniri non possunt, aliqua bona restituere tenentur; possunt omnes Praepositi ac Rectores in locis sibi commissis bona ipsa in pios usus convertere, prout secundum Deum viderint expedire. Concessum est Minoribus a Clemente iv per litteras, quas Sixtus iv confirmavit per Const. Regimini, pridie kal. Sept. 1474, § 30, Rod. Bul. 30. Et Praedicatoribus idem Sixtus simili plane constitutione concessit, ut in Privilegiis Ordinis Romae impressis, 1555, fol. 153, pag. 2; et pro Congr. Lateranensi idem Pontifex, Const. Dum ad universos, x kal. Sept. 1476, § 30. Item Iulius ii concessit Canonicis Regularibus S. Salvatoris, Const. Inter caeteros, iv nonas Apr. 1512, § 20. — Ant. Comp.

Communicatio. 485. *In rebus parvi momenti, hoc est usque ad summam viginti ducatorum, sit facultas Superioribus localibus applicandi extra Societatem; Provincialibus vero, extra Societatem sit libera facultas quamcumque summam applicandi; intra Societatem vero usque ad ducentos ducatos tantum. — Ant. Comp.*

RITUS.

Ritus orientales.

486. Facultas concessa est " Presbyteris Societatis, qui Missionariorum munere funguntur in Monte Libano, aliisque locis in quibus degunt catholici diversorum rituum orientalium, et in quibus desunt altaria latino ritu consecrata, et copia suppellectilis latini ritus propriae, celebrandi Missam super altaribus omnium rituum orientalium catholicorum, et cum sacra suppellectili eorumdem rituum propria. „ Sacra Congregatio de Propaganda Fide, 27 Mart. 1836, Bullar. Ms. Procur. Gener., pag. 112. Missionariis nostris in Monte Libano facultas concessa est pronuntiandi in lingua arabica verba, quibus Eucharistia populo distribuitur. Sacra Congregatio de Propaganda Fide, 26 Febr. 1837, Bullar. Ms. Procur. Gener., pag. 117. Facultas Missionariis in Oriente concessa est *dandi pacem* in Missis etiam privatis. Sacra Congregatio de Propaganda Fide, 5 Aug. 1838, Bullar. Ms. Procur. Gener., pag. 119.

SACRA.

Facultas pro laicis tangendi vasa sacra.

487. Nostri, qui inserviunt ecclesiis Societatis in sacristiae officio, etsi sacros ordines non habeant, dummodo prima tonsura insigniti sint, possunt tangere calices, patenas ac corporalia. Concessit Maior Poenitentiarius, ea tunc facultate pollens, P. Ioanni Polanco, ut in Ms. Vivae Vocis Oraculorum, fol. 12 et 20. — Benedictus xiii, Br. Illius cuius, 28 Sept. 1725, § 4, in fine, pro Congr. Doctr. Christ. Per Privilegium vero concessum a Sixto iv Eremitis S. Augustini sub signatura Pontificis, ut apud Confettium, in Litt. Apost. n. 9, conversi seu laici, quamdiu curam sacristiae habent, eadem sacra vasa, corporalia

et purificatoria nudis manibus contrectare possunt. — Ant. Comp.

COMMUNICATIO. 488. *Poterunt Superiores hanc facultatem concedere, quando id expediens iudicaverint. — Ant. Comp.*

SCAPULARE.

Facultas commutandi obligationes Scapularis B. Mariae V. de Monte Carmelo.

489. " Facultatem facimus Superiori Generali Societatis IESU designandi Sacerdotes, qui possint commutare obligationes, ut supra, et iuxta preces, „ nempe " sive pro ieiuniis, sive pro recitatione officii, sive pro abstinentiis praescriptis ad indulgentiam lucrandam, quae dicitur Sabbatina, et deficiant Confessarii, qui privilegio gaudeant has obligationes commutandi,.... in locis, ubi Conventus Ordinis RR. PP. Carmelitarum non habebuntur. „ Pius IX, rescripto 19 Ian. 1851, Litt. Apost. pag. 380.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO. 490. *Recurrant singuli pro hac facultate obtinenda ad Praepositum Generalem. Accedente tamen gravi impedimento, sodales, ut Sacra Congregatio Indulgentiarum, 12 Aug. 1840 et 22 Iun. 1842, declaravit, neque ad recitationem horarum canonicarum, aut officii B. MARIAE V., neque ad abstinentiam feria IV et Sabbato tenentur. Apud Maurel, Le Chretien éclairé sur la nature et l'usage des Indulgences, part. 2, Confrerie du Scapulaire. Tenentur tamen in tali casu fideles ad commutationem aliquando a Confessario petendam.*

Privilegium concessum in perpetuum " induendi Christi fideles Scapulari Carmelitico commixtim cum aliis Scapularibus „ revocatum est, et decretum " ut ne amplius concedatur, ac illi, quibus est concessum, eo tantummodo ad decennium perfruantur. „ Sacra Congregatio Indulgentiarum, 27 Apr. 1887. Revocatum item est Gregorii XVI indultum, 30 Apr. 1838, de nominibus non inscribendis in albo Confraternitatis. Eadem Sacra Congregatio, eodem die et anno. Cfr. Acta S. Sedis, vol. 19, pag. 554 et seqq.

SCHOLAE.

Facultas docendi etiam in locis Universitatum.

491. Praeceptores Societatis, tam qui Litteras Humaniores, quam qui Liberales Artes ac Theologiam docent, etiam in locis, ubi sunt Universitates, lectiones suas publice legere in nostris Collegiis possunt, dummodo per duas horas mane, et per unam horam post meridiem cum lectoribus Universitatum non concurrant. Pius V, Br. CUM LITTERARUM, 10 Mart. 1571, Litt. Apost. pag. 45 col. 1. Quin vero satis erit per unam horam de mane, et alteram de sero non concurrere cum Universitatum lectoribus, qui id postulaverint. Gregorius XIII, Const. QUANTA IN VINEA, nonis Maii 1578, Litt. Apost. pag. 76 col. 2, pag. 77 col. 1. — Ant. Comp. § 1.

492. *Provinciales hac facultate uti poterunt; cum Universitatibus tamen prudenter agant. — Ant. Comp. § 1.* COMMUNICATIO.

Facultas audiendi.

493. Omnes Scholastici huiusmodi lectiones audire possunt, et alias scholasticas exercitationes in nostris Collegiis frequentare. Pius V, Br. CUM LITTERARUM, 10 Mart. 1571, Litt. Apost. pag. 45 col. 1. — Ant. Comp. § 2.

Scholastici omnes promoveri poterunt ad gradus.

494. Quicumque Scholastici in nostris Collegiis Philosophiae, aut Theologiae auditores fuerint, in quavis Universitate ad gradus admitti possunt; et cursuum, quos in praedictis Collegiis confecerint, ratio habeatur: ita, ut, si in examine sufficientes inventi fuerint, non minus, sed pariformiter, ac si in Universitatibus ipsis studuissent, ad gradus quoscumque, tam baccalaureatus, quam licentiaturae, magisterii et doctoratus admitti possint et debeant. Idem, loc. cit. — Ant. Comp. § 3.

Excommunicantur molestare audentes.

495. Districtius inhibetur Rectoribus Universitatum, et aliis quibuscumque, sub excommunicationis infligenda poena, ne Collegiorum nostrorum Rectores, aut Scholares, in praemissis per Pium v concessis, quovis quaesito colore, molestare audeant. Ibidem. — Ant. Comp. § 4.

DECLARATIO. 496. *Manet quidem facta molestandi prohibitio, et excommunicationis poena, quae, cum sit* ferendae sententiae, *etiam nunc, post Const.* APOSTOLICAE SEDIS *de Censuris, in vigore est.*

SCRUPULI.

Nostri in scrupulis acquiescere poterunt Superioribus.

497. Omnes Nostri, qui sunt nimis scrupulosi, possunt in omnibus dubiis suam conscientiam tangentibus secura conscientia stare determinationi sui Praepositi vel Rectoris. Concessit Leo x oraculo non authenticato, ut inter eius oracula, n. 61, apud Rod. Sed sine restrictione ad nimis scrupulosos, concessum fuisse per bullam ab Eugenio IV Congr. S. Georgii in Alga, refertur in lib. Privil. S. Ioan. Evangel., fol. 4, pag. 2, his verbis: " Caeterum, pro serenandis cuiuslibet conscientiis, volumus, ut quoties alicui seu aliquibus, dubitationis aut scrupuli aliquid emerserit, ordinationi seu dispositioni Rectoris, seu Prioris, vel Praepositi, qui pro tempore fuerit in ecclesiis, vel locis huiusmodi, stare, et secundum ipsius declarationem et voluntatem vos conformare debeatis. " — Ant. Comp.

SEDE VACANTE.

Facultates ab Episcopis concessae durant sede vacante.

498. Licentia nobis concessa a Patriarchis, Archiepiscopis et aliis Ecclesiarum Praelatis audiendi confessiones subditorum suorum, praedicandi et aliqua vota in alia pietatis opera commutandi in suis civitatibus et dioecesibus, ipsis mortuis, uti possumus, donec viduatis Ecclesiis provisum fuerit de Pastore. Concessum est Dominicanis a Clemente IV per Const. EXIGENTIBUS, XVII kal. Iul. Pontificatus anno primo, Rod. Bul. 4. — Ant. Comp.

499. *Advertatur, quod, etsi in hac gratia aliud videatur innui, tamen dicta facultas non exspirat etiam, donec per successorem revocetur; nisi tamen facultas esset ad determinatum tempus utcumque limitata. — Ant. Comp.* DECLARATIO.

SEPULTURA.

Interdictum omnibus ius sepeliendi in nostris ecclesiis.

500. Inhibitum est omnibus, tam Regularibus, quam saecularibus, ne corpora defunctorum in nostris coemeteriis sepelire, aut in ecclesiis nostris Missarum solemnia, et pro animabus eorum, qui ad loca nostra tumulandi feruntur, ibidem exsequias aut officia celebrare praesumant, sine Superiorum nostrorum assensu. Concessum est Minimis a Iulio II, Const. VIRTUTE CONSPICUOS, V kal. Aug. 1506, § 24, Rod. Bul. 26; et ad omnes Mendicantes extendit S. Pius V, Const. ETSI MENDICANTIUM, 16 Maii 1567, § 22. — Ant. Comp. § 1.

Potestas sepeliendi in nostris ecclesiis. Parochi a funeribus in nostris ecclesiis exclusi.

501. Possumus libere in nostris ecclesiis et coemeteriis omnes, qui id elegerint (exceptis excommunicatis et aliis indignis, prout de iure), salva tamen iustitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumerentur, sepelire; ut repetitis bullis concessum est fere omnibus Ordinibus Regularium; et praeterea inhibetur Parochis aliisque, ne ob id, aut maiorem eleemosynam ab haeredibus defuncti exigant, aut nostras ecclesias ingrediantur in associatione cadaverum, aut se immisceant ullo modo exsequiis peragendis, ut ex Br. Clementis X pro Minoribus, ALIAS PRO PARTE, 18 Ian. 1672, et Br. eiusdem Clementis, NUPER PRO PARTE, 18 Ian. 1672, et pro nostra Societate Br. pariter Clementis X, NUPER PRO PARTE, 3 Aug. 1672, Litt. Apost. pag. 197; quae omnia confirmata sunt a Clemente XI, Br. NUPER PRO PARTE, 3 Iun. 1716, Litt. Apost. pag. 202. Et a Clemente XIV Patribus Passionistis concessum est " defunctorum, tam de Congregatione et familia, quam aliorum Christi fidelium, qui sibi in eorum ecclesiis sepulturam elegerint, servato in omnibus Parochorum iure, corpora sepelire. „ — Ant. Comp. § 2.

Licentia assumendi nostrum habitum occasione sepulturae, reservata Generali.

502. Illis, qui in habitu Societatis sepeliri postulant, hanc facultatem non dandam, nisi per Generalem aut Superiores nostrarum Domorum et Collegiorum, et non per alium, quavis auctoritate aut praelatione fulgentem, iussit in favorem Ordinis Praedicatorum et Minorum Sixtus IV, Const. SACRI PRAEDICATORUM, VII kal. Aug. 1479, § 9. — Ant. Comp. § 3.

503. *In eo quod attinet ad inhibendum, ut in n. 500, facultas communicatur omnibus Superioribus; ad sepeliendum autem, Praeposito Generali reservatur, secundum decretum 121 Congregationis I. — Ant. Comp. § 3.* COMMUNICATIO.

Cadavera Nostrorum ad coemeterium deferre possumus.

504. Possumus, ex communi iure Regularium, cum stola et cruce Conventus sine Parochi interventu, ad commune coemeterium cadaver alicuius defuncti ex Nostris deferre, modo id fiat absque solemni pompa, et defunctus recto tramite ad coemeterium deferatur. Decretum Sacrae

Congregationis Concilii, 24 Ian. 1846. Attamen Religiosi dispersi, quoad funera, subsunt Parocho loci, sicut caeteri parochiani: ita Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, 28 Febr. 1864.

SOCIETAS IESU.

Declaratur Societas Mendicans.

505. Societas eiusque personae Mendicantes esse declarantur a S. Pio V, Br. DUM INDEFESSAE, 7 Iul. 1571, Litt. Apost. pag. 46; et omnes, qui tria vota, elapso novitiatus biennio, in Societate emittunt, esse vere Religiosos habetur in declaratione Gregorii XIII, de qua latius supra, tit. *Religiosus.* — Ant. Comp. § 1.

Societatis nomen.

506. IESU nomine Societas insignitur, illudque retinendum. Litt. Apost. pag. 4, 23, 122, 262, etc.

Vetitum est impedire vel vexare ingredi volentes in nostram Societatem.

507. Secundum privilegium Eugenii IV concessum per bullam Benedictinis, et Leonis X Camaldulensibus, prohibitum est, ne quis, cuiuscumque status et conditionis, audeat venientem de saeculo ad Religionem in nostra Societate impedire, vel alienare, vel molestare, sub poena excommunicationis, a qua non, nisi in articulo mortis, ab alio quam per Sedem Apostolicam valeat absolvi: dum tamen, cum statutum eis ad notitiam deductum fuerit, a praedictis non destiterint. Const. Eugenii, ETSI EX DEBITO, VII kal. Mart. 1435, §§ 14 et 15. — Const. Leonis X, ETSI A SUMMO, IV nonas Iul. 1513, § 22. Item per privilegium contentum in bullis proxime citatis, et Iulii II pro Congr. S. Salvatoris, qui supradictis, vel eos recipientibus, occasione praedicta, iniuriam vel molestiam irrogare praesumpserint, vel, qui illud ignoraverint, postquam ad illius notitiam pervenerint, si a praemissis iniuriis et violentiis non destiterint, excommunicationis sententiam ipso facto incurrunt, a qua, praeterquam in mortis articulo constituti, nisi a Sede Apostolica absolutionis beneficium nequeant obtinere. Const. Iulii II, INTER CAETEROS, IV nonas Apr. 1512, § 18. — Ant. Comp. § 2.

508. *Post Const.* APOSTOLICAE SEDIS *de Censuris viget utique prohibitio; vigeat necne excommunicatio, cfr. n. 40.* DECLARATIO.

SODALITAS.

Sodalitas Bonae Mortis.

509. Benedictus XIII, Const. REDEMPTORIS NOSTRI, IX kal. Oct. 1729, Litt. Apost. pag. 238 et seqq, primo quidem in nostro templo Romae sanctissimi nominis IESU instituit et erexit, sine praeiudicio tamen Societatis, unam utriusque sexus fidelium Primariam Congregationem sub invocatione D. N. IESU Christi in Cruce morientis, ac Beatissimae Virginis MARIAE, eius Genitricis, perdolentis, vulgo *Bonae Mortis* nuncupatam. Deinde in sodales Primariae Congregationis ita institutae gratias, privilegia et indulgentias ex Ecclesiae thesauris liberaliter contulit. Institutio Congregationis Primariae Romanae.

Praeterea Praeposito Generali Societatis pro tempore exsistenti, seu Vicario Generali, apostolica auctori- Facultas alias erigendi et aggregandi in ecclesiis Societatis.

tate potestatem fecit in quibusvis aliis ecclesiis Domorum Professarum, Collegiorum et Residentiarum eiusdem Societatis extra Urbem per universum orbem tunc et pro tempore exsistentibus, quascumque alias aliorum utriusque sexus fidelium Congregationes titulo superius memorato, quae ab ipsa Primaria Congregatione, tamquam membra a capite, dependeant, sine praeiudicio ipsius Societatis, *erigendi* et instituendi illasque eidem Primariae Congregationi *aggregandi;* easque omnes, tam primariam quam omnes et singulas ei aggregandas, per se vel alium seu alios Societatis Presbyteros ab eo deputandos visitandi, statuta item condendi, vel condita iam immutandi, etiam ex integro, vel approbandi, si eadem statuta per alium vel alios deputandos fiant; Congregationibus pariter aggregandis sic erectis, institutis et aggregatis, earumque sodalibus communicandi praedictas ac omnes et quascumque alias indulgentias, peccatorum remissiones, relaxationes, gratias et facultates, tam spirituales quam temporales, ab ipso et Apostolica Sede Primariae Congregationi eiusmodi porro concedendas, prout in litteris apostolicis eiusdem Benedicti Pontificis luculentius continetur. — Ant. Comp. § 1.

Facultas erigendi et aggregandi etiam in aliis quam Societatis ecclesiis.

Quae omnia Pius Papa VII, per rescriptum Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 6 Febr. 1821, Litt. Apost. pag. 344, confirmavit ac denuo concessit Praepositis Generalibus Societatis IESU pro tempore exsistentibus, nec non Vicariis Generalibus; et Leo XII, speciali rescripto 22 Ian. 1827, Litt. Apost. pag. 355, ad Congregationes, etiam in aliis quam Societatis ecclesiis ubilibet exsistentibus *erigendas,* cum respectivo tamen Ordinarii consensu, et *aggregandas* auctoritate apostolica, benigne extendit. Demum SS. D. N. Leo Papa XIII, per rescriptum Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 16 Sept. 1882, benigne dispensavit circa distantiam requisitam a Clemente Papa VIII in Const. QUAECUMQUE, 7 Dec. 1604. Et rescripto 21 Mart. 1885 idem Leo XIII formulam erectionis et aggregationis approbavit. Litt. Apost. pag. 429.

Dispensatio super praescriptis in Constitutione Clementis VIII.

DECLARATIO.

510. *In erigendis atque aggregandis his Congregationibus diligenter ea observari debent, quae hac de re per fel. rec. Clementem Papam VIII in Const. QUAECUMQUE, data die 7 Dec. 1604, praescripta, atque decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, dato die 8 Ian. 1861, accuratius sunt determinata, quorum haec sunt potiora:* a] *Quod unica tantum Confraternitas eiusdem instituti et generis institui et aggregari possit in ecclesia, tam saecularium, quam Regularium.* b] *Quod id fiat de consensu Ordinarii et cum litteris testimonialibus eiusdem.* c] *Quod Confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicentur privilegia et indulgentiae Ordini (Archiconfraternitati) instituenti vel aggreganti nominatim concessa, non vero ea, quibus per privilegium communicationis gaudet.* d] *Quod statuta Confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario loci et ab eodem corrigi possint.* e] *Quod gratiae et indulgentiae Confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur.* f] *Quod Confraternitas eleemosynas excipiat et eroget secundum formam per Ordinarium praescribendam.* g] *Quod litterae erectionis et aggregationis, nonnisi gratis omnino, ac nulla prorsus mercede, etiam a sponte dantibus, sub praetextu quoque merae eleemosynae accepta, expe-*

diri et concedi possint, et solummodo titulo expensarum pro pergamena, scriptura vel impressionis stipendio, sigillorum expensis, chordulis, cera, Secretarii Notariique labore vel mercede, aliisque omnibus, eam quantitatem, quae non excedat summam scutatorum sex monetae Romanae in Italia, et extra Italiam non excedat summam libellarum (vulgo lire) triginta, pro singula institutione vel aggregatione vel confirmatione, recipere liceat. h] *Quod singula hic mandata et expressa in omnibus suis partibus fideliter observentur; secus institutiones vel aggregationes et communicationes privilegiorum et indulgentiarum nullius sint roboris et momenti, et quilibet Superiorum atque Officialium privationis officiorum, quae obtinent, atque inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda poenam eo ipso incurrant, quae ab alio quam Romano Pontifice remitti non possit.*

De iis, quae de Sodalitatum numero et de formula erectionis et aggregationis iniuncta erant in documentis hisce supra dictis, SS. D. N. Leo Papa XIII, rescriptis Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 16 Sept. 1882 et 21 Mart. 1885, benigne exemit hanc nostram Congregationem, permittendo nimirum, ut etiam plures Bonae Mortis Congregationes in eodem loco erigantur, atque diploma nostrum erectionis et aggregationis a communiter praescripto diversum retineatur. — Litt. Apost. pag. 429.

Facultas Praesidum substituendi sibi alium Sacerdotem.

511. Leo XIII, rescripto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 23 Iun. 1885, Litt. Apost. pag. 432, benigne permisit, ut omnes ubique Praesides, tum Sodalitatis Bonae Mortis, tum Sodalitatis B. MARIAE V., ex rationabili causa alium sibi Sacerdotem, qui v. g. maioris solemnitatis causa invitetur, substituere possint ad recipiendos fideles, qui adscribi desiderant, ad benedicenda numismata, et alia Praesidum munera exercenda.

COMMUNICATIO.

512. *Facultas erigendi et aggregandi praedictas Congregationes reservata est Praeposito Generali; uti etiam facultas earum statuta condendi et immutandi. Servanda autem est in erectione et aggregatione Instructio de hac re novissime edita. Cfr. n. 520.*

Sodalitas B. V. Mariae.

Prima institutio. Facultas alias erigendi et aggregandi.

513. Primariam Congregationem sub titulo Annuntiationis B. MARIAE V. pro Scholaribus, et aliis Christi fidelibus, sub directione Praepositi Generalis aut Vicarii, Romae erexit, et instituit Gregorius XIII anno 1584, cum facultate eidem Generali, aut Vicario quaslibet similes Congregationes extra Urbem *erigendi* et *aggregandi* in nostris Collegiis Scholarium aliorumque Christi fidelium, sub eodem Annuntiationis B. MARIAE titulo; eisque sic erectis et aggregatis indulgentias et gratias Primariae Congregationi concessas communicandi. — Ant. Comp. § 2.

Potestas Praepositi Generalis supra Congregationes institutas et aggregatas.

Facultas praeterea conceditur eidem Generali Praeposito seu Vicario, tum Primariam tum alias omnes ei aggregatas Congregationes " per se vel alium seu alios eiusdem Societatis Presbyteros idoneos, ad id ab eo deputandos, visitandi,..... quaecumque statuta, constitutiones et decreta..... ab ipso Praeposito seu Vicario, si per alium vel alios deputandos huiusmodi fient, examinanda et approbanda, edendi, ac, postquam edita fuerint.... immutandi, corrigendi, moderandi et reformandi, aut alia ex integro con-

dendi. „ Gregorius XIII, Const. OMNIPOTENTIS DEI, nonis Dec. 1584, Litt. Apost. pag. 103 et seqq. — Rescriptum Pii VI, 5 Maii 1798. Cfr. Litt. Apost. pag. 349 et 350.

Extensio facultatis, ut plures Sodalitates et sub quovis titulo in singulis ecclesiis vel Domibus, et in locis quae non sunt Societatis, sed sub eius cura, atque in Residentiis etiam institui possint.

514. Praedictam facultatem Sodalitates B. V. MARIAE erigendi, et aggregandi, ac indulgentias et gratias aggregatis communicandi, tam Primariae Congregationi quam aliis quomodolibet concessas, extendit Sixtus V, potestatem faciens, ut non una tantum, sed plures etiam sub quovis titulo erigi, et aggregari similes Congregationes possent in singulis nostris ecclesiis, Domibus et Collegiis, sive Scholarium tantum, sive aliorum Christi fidelium tantum, sive utrorumque simul, Const. SUPERNA DISPOSITIONE, nonis Ian. 1586, Litt. Apost. pag. 109 et 110. Quod idem Sixtus V, Const. ROMANUM DECET, III kal. Oct. 1587, Litt. Apost. pag. 117, ampliavit etiam ad Seminaria aliaque loca, quae Societatis non sint, dummodo reperiantur sub cura vel administratione, aut institutione nostrorum Religiosorum; atque comprehendi quascumque nostras Residentias declaravit Clemens VIII, Br. CUM SICUT, 30 Aug. 1602, Litt. Apost. pag. 130; et iterum Gregorius XV, Br. ALIAS PRO PARTE, 15 Apr. 1621, Litt. Apost. pag. 142. Tandem Benedictus XIV constitutioni suae GLORIOSAE DOMINAE, V kal. Oct. 1748, Litt. Apost. pag. 283 et seqq., has praedecessorum litteras inseruit, easdemque in omnibus amplissime confirmavit atque innovavit, et plures insuper indulgentias et gratias adiecit. — Ant. Comp. § 3.

Titulus aliquis B. MARIAE V. assumendus.

515. Idem Benedictus XIV praeterea statuit, ut Congregationes omnes, aut iam erectae, aut in posterum erigendae, titulum aliquem B. Virginis assumant cum alio, si quem forte habent, et si non habent assumere possunt, ad hoc: ut " valeant indulgentiis et gratiis frui et gaudere, quae.... Primariae Congregationi, cui aggregari cupiant, seu iam aggregatae fuerint, ab Apostolica Sedè concessae sunt, aut in futurum concedentur. „ In citata Const. GLORIOSAE DOMINAE, *§ Sane dignum,* Litt. Apost. pag. 287. Quomodo vero festum tituli, aut primarii aut secundarii, celebrandum sit in singulis Congregationibus, vide n. 251 et seqq. Indulgentias autem, quibus fruuntur Sodales, vide in Summario Indulgentiarum Congregationum B. MARIAE V., Litt. Apost. pag. 433 et seqq. — Ant. Comp. § 4.

Facultas quascumque Sodalitates aggregandi, et instituendi atque aggregandi, etiam in ecclesiis vel Domibus, quae nec Societatis sunt, nec sub eius cura.

516. Congregationes, Confraternitates et Sodalitia omnia, quamvis sint mulierum, aut utriusque sexus, dummodo erecta aut erigenda, sive in aedibus, sive in ecclesiis Societatis IESU ubique locorum, possunt a Praeposito Generali aggregari Primariae Congregationi B. MARIAE V. cum facultate communicandi omnes gratias et indulgentias. Concessit Benedictus XIV, Br. QUO TIBI, DILECTE FILI, 8 Sept. 1751, Litt. Apost. pag. 298. Quin immo Praepositus Generalis *erigere,* cum respectivo tamen Ordinarii consensu, et *aggregare* potest Congregationes omnes, quae nec in ecclesiis vel Domibus Societatis sunt, nec sunt sub directione Societatis. Leo XIII, rescripto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 23 Iun. 1885, Litt. Apost. pag. 430 et seqq. — Leo XII, rescripto 7 Mart. 1825, Litt. Apost. pag. 349. — Ant. Comp. § 5.

Facultas dissolvendi Congregationes.

517. Ex concessione Sixti V, Const. SUPERNA DISPOSITIONE, nonis Ian. 1586, Litt. Apost. pag. 111 col. 2, Praepositus aut Vicarius Generalis potest

quaslibet et singulas Congregationes praedictas, quae sunt sub cura Societatis, dissolvere, si aliquod impedimentum aut praeiudicium Societati, aut Domibus vel Collegiis pro tempore attulerint. Quumque declaratum fuerit a Gregorio XV, Br. ALIAS PRO PARTE, confirmato a Benedicto XIV in Const. GLORIOSAE DOMINAE, et a Sacra Congregatione Indulgentiarum, 29 Aug. 1864, Litt. Apost. pag. 411 et 412, nostras Congregationes non comprehendi sub constitutione QUAECUMQUE Clementis VIII, et in decreto eiusdem Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 8 Ian. 1861, quoad formam et modum erigendi atque aggregandi, Episcopi non possunt circa illas se ingerere, aut visitando, aut aliter disponendo, nisi in casibus exceptis. Exemptionem a praedicta Const. QUAECUMQUE Clementis VIII ad externas quoque Congregationes erectas et aggregatas, vel erigendas et aggregandas, extendit Leo XIII, rescripto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 23 Iun. 1885, Litt. Apost. pag. 430 et seqq. — Ant. Comp. § 6.

Non comprehenduntur Const. QUAECUMQUE Clementis VIII.

Praeposito Generali plenissime subiiciuntur.

518. Statuit Benedictus XIV, Br. LAUDABILE ROMANORUM, 15 Febr. 1758, Litt. Apost. pag. 307 col. 2, pag. 308 col. 1, quasvis B. MARIAE Virginis Congregationes in Domibus Societatis IESU erectas Praeposito Generali plenissime, et ad exclusionem eorumdem congregatorum, subiectas esse quoad dominium suppellectilis, quoad statuta condenda, immutanda, publicanda, quoad regimen et admnistrationem, tum temporalium tum spiritualium earumdem Congregationum. Cfr. nn. 81 et 82.

519. De Praesidum facultate alios sibi substituendi, cfr. n. 511.

COMMUNICATIO.

520. *Praeposito Generali facultas erectionis et aggregationis Congregationum B. MARIAE V. reservata est, ut in n. 512. Rescripto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, 17 Sept. 1887, Leo XIII benigne concessit, ut " Congregationes B. MARIAE V. et Bonae Mortis, etsi ab aliis sint erectae, nihilominus indulgentias a Romanis Pontificibus concessas non possint consequi in posterum, nisi, ut iam pridem usus ferebat, a Societatis IESU Praeposito Generali, obtento utique Ordinarii loci consensu, ad Primarias Congregationes Romanas fuerint aggregatae. " Apud Acta Sanctae Sedis, vol. 20, pag. 364. Cfr. ibidem pag. 108. Cfr. etiam Litt. Apost. pag. 459 et 450.*

Sodalitates variae.

Sodalitas pro exstirpatione blasphemiae.

521. Facultas conceditur instituendi " pias Sodalitates ad exstirpandas blasphemias et imprecationes, tempore sacrarum Missionum, de licentia tamen locorum Ordinariorum. " Gregorius XVI, Br. EXPOSITUM NOBIS, 8 Aug. 1843, Litt. Apost. edit. 1886 pag. 367 col. 1. Cfr. Rescr. Sacrae Congr. Indulg. 20 Aug. 1840, Rescr. et Ind. edit. 1886 pag. 11 et 12.

Sodalitates Missionum.

522. Facultas conceditur operariis Societatis Associationes Missionum, occasione sacrarum Missionum, cum Ordinariorum cuiusque regionis auctoritate, constituendi, in omnibus Italiae, Galliae et Germaniae Provinciis atque regionibus, ad instar Associationis in Helvetia institutae, quae " plurimis christianae religionis ac pietatis operibus exercendis, ac iuventuti castis bonisque moribus imbuendae, et ad omnem virtutem fingendae, operam navare summopere studet, " cum participatione indulgentiarum, quae huic Associationi a Gregorio XVI, litteris apostolicis NUPER

PERLATUM EST NOBIS, 30 Maii 1843, Litt. Apost. pag. 373, 374, concessae sunt. Pius IX, Br. ROMANI PONTIFICES, 1 Mart. 1850, Litt. Apost. pag. 379.

STIPENDIA.

Stipendia pro Missis et variis ministeriis.

Facultas ea accipiendi pro iis, qui curam animarum exercent.

523. Praepositus Generalis donatur facultate permittendi suis Sacerdotibus, qui in defectu Sacerdotum saecularium curam animarum exercere debent, ut recipiant eleemosynas pro Missa vel functionibus parochialibus, quamdiu duraverit necessitas inde sumendi sustentationem, atque timor inferendi praeiudicium aliis Sacerdotibus, et perturbationem inter fideles. Rescriptum Leonis XII, 16 Sept. 1824, Litt. Apost. pag. 348, 349.

Pro Missionariis Americae et regionum exterarum.

524. Eadem facultas permittendi stipendium Missae, vel etiam, si Parochi munus exercetur, perceptionem iurium stolae datur Praeposito Generali in favorem Missionariorum Americae aliarumve regionum exterarum, quando illi aut indigent ad sustentationem, aut importune a fidelibus rogantur. Rescriptum Gregorii XVI, 13 Mai 1838, Litt. Apost. pag. 361.

Pro Nostris, qui mediis sustentandi vitam privantur.

525. Tempore dispersionis, vel talis publicarum rerum conditionis, qua subversio Domorum nostrarum imminet, cum exinde Religiosi nostri mediis sustentandi vitam privantur, Praepositus Generalis donatur, durantibus huiusmodi circumstantiis, facultate permittendi, ut possint accipere eleemosynas pro Missis et reliquis sacris ministeriis ii, qui necessitatem patiuntur. Rescriptum Pii IX, 10 Maii 1859, Litt. Apost. pag. 394.

SUPERIORES.

De Superiorum localium officii duratione.

526. " Nullum certum tempus praefigendum, sed servandum est decretum 87 Congreg. II generalis, " (inter impressa decr. 68). Decretum 35 Congreg. gener. V, approbatum et confirmatum a Paulo V, Const. QUANTUM RELIGIO, pridie nonas Sept. 1606, Litt. Apost. pag. 134 et 135. Innocentius quidem X, Br. PROSPERO FELICIQUE, 1 Ian. 1646, Litt. Apost. pag. 178 col. 1, statuit, " ut omnes et singuli Societatis Provinciales, Visitatores, Praepositi, Rectores, Superiores locales et alii officiales iurisdictionem seu superioritatem habentes..., exceptis Magistris Novitiorum, in eorum respective muneribus... et officiis... per triennium dumtaxat durare debeant. " Huic tamen statuto derogavit primum Alexander VII, Br. DEBITUM PASTORALIS, 1 Ian. 1663, Litt. Apost. pag. 190 et 191, et postea Benedictus XIV, Const. DEVOTAM MAIORI, XVI kal. Ian. 1746, Litt. Apost. pag. 267 col. 1, derogationem ab Alexandro VII factam confirmavit atque innovavit, ipsumque breve Innocentii X *in omnibus et per omnia* abolevit.

TRANSITUS.

De transitu ad alios Ordines, praeterquam ad Carthusienses.

527. Nemo, post emissa vota secundum Societatis Constitutiones, sive Professus, sive Scholaris, sive Coadiutor sit, ad alium Ordinem, praeterquam Carthusiensium, nisi de expressa licentia ipsius Praepositi, aut Se-

dis Apostolicae, transire potest. Paulus III, Const. LICET DEBITUM, XV kal. Nov. 1549, Litt. Apost. pag. 15 col. 2. — Gregorius XIV, Const. ECCLESIAE CATHOLICAE, IV kal. Iul. 1591, Litt. Apost. pag. 122 col. 1 et 2. — Leo XII, Br. PLURA INTER, 11 Iul. 1826, Litt. Apost. pag. 352 col. 1. Idem cavetur, ne quis faciat sine expressa licentia sui Superioris, et latius confirmatur a Pio IV in litteris per Pium V editis, Const. AEQUUM REPUTAMUS, XVI kal. Febr. 1565, Litt. Apost. pag. 39 col. 2, pag. 40 col. 1, proposita poena excommunicationis ipso facto incurrendae, Romano Pontifici vel Superiori Societatis reservatae, tam in Religiosos, qui praefatos recipiunt, quam in ipsos receptos, discedentes etiam praetextu cuiusvis indulti concessi aut concedendi, etiam quaesito colore ob frugem melioris vitae aut strictioris observantiae, quodque secus facta non teneant. Statuitur item in praedictis litteris, quod transeuntes ad Carthusienses, intra tres menses, ad alium vero Ordinem intra tempus eis a Superiore suo praefigendum, dictos Ordines actualiter ingredi, et, si in illis permanere nolint, aut non possint, absque ulla mora ad Societatem regredi teneantur, sub praefata excommunicationis poena; quam tam ipsi quam illos recipientes, vel eis auxilium, consilium vel favorem praestantes etiam incurrant. — Ant. Comp. tit. *Apostatae* § 9.

DECLARATIO.

528. *De praedicta excommunicationis poena, cfr. nn. 38 et 40.*

Sublatio praecedentis exceptionis quoad Carthusianos.

Non licet extra Europam transire ad Carthusianos absque licentia P. Generalis.

529. Nullus a Societate *extra Europam*, post emissa vota, etiam simplicia, potest transire ad ullum alium Ordinem, neque ad Carthusianum, sine speciali et in scriptis licentia Praepositi Generalis, sub excommunicatione, aliisque poenis reservatis Pontifici et Praeposito Generali secundum Const. Gregorii XIII, DECET ROMANUM PONTIFICEM, kal. Nov. 1579, Litt. Apost. pag. 209 col 2, 210 col. 1, insertam et confirmatam a Clemente XI, Br. SACRI APOSTOLATUS, 1 Dec. 1719, Litt. Apost. pag. 212 col. 1. — Ant. Comp. tit. *Apostatae* § 10.

Et modo neque intra Europam.

530. Sed neque *intra Europam*, sine praedicta licentia et sub iisdem poenis, licet iam Nostris transire ad Carthusianos, ex privilegio a Paulo V Carmelitis Discalceatis concesso in litteris apostolicis, sub 3 Apr. 1610, quae insertae et confirmatae reperiuntur in Const. ALIAS NOS, 16 Mart. 1616; et Discalceatis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum ab Urbano VIII, Br. COMMISSI, 9 Aug. 1624, § 2; et altero Br. ALIAS A NOBIS, 4 Apr. 1637, § 4; nec non Capuccinis ab eodem Urbano, Br. INIUNCTI NOBIS, 9 Aug. 1628, § 2. Cfr. decretum 15 Congreg. gener. VII. — Ant. Comp. tit. *Apostatae*, § 10.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

531. *Facultatem transeundi ad aliam Religionem, exceptis Hospitalaribus et Militaribus, pro quibus requiritur licentia Sedis Apostolicae, ex Const. LICET SACRA, Benedicti XIII, 13 Febr. 1726, § 3 et 4, dare poterit solus Praepositus Generalis, et quidem si legitime constiterit, eam Religionem paratam esse recipere illum, qui licentiam petit, quique, ea obtenta, tenetur recta se ad eam transferre, secundum decreta Urbani VIII, 21 Sept. 1624, confirmata ab Innocentio XII, 24 Iul. 1694. — Ant. Comp. tit.* Apostatae, *§ 10. Eamdem vero facultatem dare potest Card.*

Maior Poenitentiarius, " audito prius Superiore Ordinis, a quo, et cum consensu Superioris Ordinis, ad quem faciendus est transitus. Pro maioris autem transitus firmitate.... possit idem Maior Poenitentiarius statutis et privilegiis apostolicis quomodolibet obstantibus opportune derogare. " Benedictus XIV *Const.* PASTOR BONUS, *idibus Apr. 1744, §§ 34 et 54. Eam dare etiam potest, " sed ad arctiorem Religionem transeundi " facultatem, Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium ex Const. Sixti* V, IMMENSA, XI *kal. Febr. 1587,* § Quinque alios. *Quoad excommunicationem cfr. n. 38.*

Semel translati ad alium Ordinem et recedentes habentur tamquam apostatae.

532. Per privilegium Minimorum, si, post licentiam a Praeposito Generali obtentam ad aliam Religionem transeundi, ex ea post professionem emissam recesserint, et ad saeculum redierint, vel ad aliam laxiorem transierint, contra ipsos, ut contra alios apostatas, procedere possunt Societatis Superiores. Habetur per Const. Iulii II, kal. Aug. 1506, VIRTUTE CONSPICUOS, § 12. — Ant. Comp. tit. *Apostatae,* § 11.

COMMUNICATIO ET DECLARATIO. 533. *Communicatur et declaratur haec facultas, uti sequens.*

Professi, semel translati ad alium Ordinem, iterum transferri non possunt.

534. Professi Societatis, semel translati ex licentia Generalis ad alium quemcumque Ordinem, sub poenis apostatarum " inde post emissam ibidem professionem regularem exire, aut denuo ad quemcumque alium Ordinem, Carthusiensi excepto, transire nequeunt, nisi de speciali Romani Pontificis licentia, in qua exprimatur, eos alias in Societate professos, indeque de Praepositi Generalis licentia ad praescriptum ab eo Ordinem, ex quo denuo ad alium transire desiderant, translatos fuisse, ac etiam specifica praesentium litterarum fiat mentio. " Br. Clementis X CUM DUDUM, 16 Sept. 1675, Litt. Apost. pag. 200. — Ant. Comp. tit. *Apostatae,* § 11.

535. *Haec facultas conceditur Provincialibus; ea tamen utantur remoto scandalo. Ad ipsos etiam spectabit prudenter agere, ne iteratus transitus ad alium Ordinem fiat, nisi secundum citatum breve Clementis* X. — *Ant. Comp. tit.* Apostatae, *§ 11.* COMMUNICATIO ET DECLARATIO.

Secundo transire ad Carthusienses non licet, sine Generalis consensu.

536. Concessit Pius V vivae vocis oraculo, ut, si quis ex nostra Societate in Carthusiensium Ordinem transire vellet, tres ei menses praescriberentur, intra quos, si non ingrederetur, vel non admitteretur, vel non perseveraret, redire teneatur, et non ei amplius liceret respectu Carthusiae a Societate, sine Praepositi eius consensu, recedere. Idemque per breve confirmavit ac de novo cencessit Gregorius XIII, et quoad praeterita etiam valere, ac eos qui secus fecerint, in excommunicationis, et alias apostatarum censuras et poenas eo ipso incurrere; a quibus non nisi a Romano Pontifice, vel a Generali Societatis Praeposito absolvi posse decrevit. Et praesentis gratiae communicationem omnibus aliis, etiam qui sua privilegia cum Societate participant vel participare poterunt, prohibuit. Gregorius XIII, Br. EXPONI NOBIS, 13 Oct. 1584,

Litt. Apost. pag. 101. Sed ex alio Br. Clementis x, cit. n. 534, Professi Societatis, semel ad Carthusiam translati, ibique professionem emittentes, absque licentia, et in forma specifica, Sedis Apostolicae exire non possunt. — Ant. Comp. tit. *Apostatae,* § 12.

VISITATORES.

Indulgentia plenaria pro Nostris in visitatione.

537. Possunt Provinciales aliique Visitatores nostrae Societatis in singulis Collegiis et Societatis locis, absoluta visitatione, concedere Nostris benedictionem, et indulgentiam plenariam, et hoc in perpetuum. Summar. Indulg. 1.ª parte, *Indulgentiae Plenariae,* n. 6, Litt. Apost. pag. 442 col. 1. — Ant. Comp. tit. *Indulgentia* § 25.

UNIONES.

Ut unionum revocationes valeant, quid sit opus.

538. Unionibus monasteriorum, ecclesiarum, prioratuum, aut aliorum beneficiorum ecclesiasticorum factis Societati vel faciendis per Sedem Apostolicam, nullum praeiudicium fit per quascumque revocationes et annullationes unionum, per Leonem x eiusque successores factas, nisi in eis litterae unionum de verbo ad verbum insererentur, et fieret individua et specifica mentio de ipsis monasteriis, et locis, et Societate. Concessit Leo x Camaldulensibus per Const. Etsi a summo, iv nonas Iulii 1513, § 46; et Eugenius iv Benedictinis per Const. Ad Monasterium, pridie kal. Iul. 1436, Rod. Bul. 14. Cfr. n. 457. — Ant. Comp.

539. *Potest nihilominus Episcopus examinare uniones, an sint subreptitiae, secundum dispositionem Concilii Tridentini sess. 7, cap. 6 de Reform., et sess. 24, cap. 13 de Reform. Vers.* In Unionibus. *Cfr. Azor, tom. 1, lib. 6, cap. 29 n. 178 et seqq. — Tamburini, De Iure Abbat., tom. 3, dis. 15, quaest. 3. — Barbosa, Collectan. in d. cap. 6 Conc. Trident. — Ant. Comp.* Declaratio.

VOTA.

Tria vota simplicia ex apostolica institutione et declaratione vere substantialia sunt.

540. Tria paupertatis, castitatis et obedientiae vota post biennium probationis in Societate emissa, etsi simplicia, ex apostolica institutione et declaratione vere substantialia Religionis vota esse, et in illis non nisi per Sedem Apostolicam dispensari posse, nulloque alio modo, quam per legitimam a Societate dimissionem ea cessare, habetur in Const. Gregorii xiii, Ascendente Domino, viii kal. Iun. 1584, Litt. Apost. pag. 96. — Ant. Comp. § 1.

Nec claudicat contractus in votis simplicibus.

541. In simplicibus Societatis votis, nec contractus vitiose claudicat, nec iniustitia ulla intercedit. Gregorius xiv, Const. Ecclesiae Catholicae, iv kal. Iul. 1591, Litt. Apost. pag. 120 col. 2. — Ant. Comp. § 2.

Vota simplicia Professorum reservata Pontifici.

542. Vota simplicia Professorum de non relaxandis Constitutionibus

circa paupertatem, et non ambiendi, nec dignitates extra Societatem acceptandi, nisi ex praecepto illius, qui potest praecipere sub poena peccati, a nemine nisi a solo Romano Pontifice dispensari possunt, nec comprehenduntur sub quolibet indulto aut privilegio commutandi aut dispensandi. Declaravit Paulus v, Br. Ex incumbenti, 31 Ian. 1618, Litt. Apost. pag. 138; quod confirmavit Urbanus viii, praeterea decernens sub dicto voto non ambiendi extra Societatem comprehendi "nedum praelationes seu dignitates ecclesiasticas extra ipsam Societatem exsistentes, sed multo magis saeculares quascumque, ac quaecumque officia, quorum officiales iurisdictionem ecclesiasticam vel laicalem, de iure, usu, vel consuetudine habent." Br. Vota, quae Deo, 25 Ian. 1631, Litt. Apost. pag. 171. — Ant. Comp. § 3.

Solus Pontifex praecipere acceptationem dignitatis potest: votum per dimissionem e Societate non cessat.

543. Praeceptum, de quo est mentio in voto praedicto non acceptandi dignitates extra Societatem, spectat unice ad Summum Pontificem; nec, quocumque alio, quantumvis privilegiato, praecipiente aut dispensante, acceptari illae possunt. Urbanus viii, Br. Honorum dignitatumque, 26 Febr. 1643, Litt. Apost. pag. 175 col. 1, quo etiam Pontifex declaravit, ac statuit, obligationem voti huiusmodi non cessare per quemcumque egressum a Societate, aut translationem ad quamcumque Religionem; quod etiam uberius explicatur in alia eiusdem Pontificis Const. Cum sicut accepimus, 21 Maii 1635. — Ant. Comp. § 4.

A. M. D. G.

COMPENDIUM PRIVILEGIORUM

SOCIETATIS IESU.

INDEX ANALYTICUS RERUM.

Citantur in eo non paginae sed numeri *Compendii.*

A. M. D. G.